R.P. GASPARIS DRUŹBICKI ... IN HISTORIAM PASSIONIS DOMINI NOSTRI...

Kasper Druzbicki

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
22 Q
1 M

X. 411.

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu
16. e

6. A. 26.

6. A. 26.

6
A
26

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

R. P. GASPARIS
DRUŻBICKI

E SOCIETATE IESU

IN

HISTORIAM PASSIONIS
DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI

SECUNDUM QUATUOR EVANGELISTAS

STROMATA

IN LUCEM EDITA

ANNO DOMINI

1697.

SOC·IESV·BIBL·SEC·COLL·

CALISSII

Typis Collegij Societatis JESV.

Digitized by Google

Digitized by Google

AD LECTOREM
De Inſtituto & Formâ Scriptionis.

NEceſſarium arbitror tibi mi LECTOR aliquarum de hoc Opere meo, quod in manibus habes, rerum rationem reddere. Sine dubio enim inſpecto illo veniet tibi in mentem ſubmirari: Novitiam hanc & raro alibi uſitatam ſcribendi præſertim in ſacris, Methodum.

I. Putas te habere in manibus S. Scripturæ Interpretem, putas Concionatorem, putas Meditatorem, cùm horum nihil præſtantem habeas: rurſùm verò & ſi nihil horum profiteatur ac præſtet, tamen exhibentem eadem illa omnia. Nam & Paſſionis Dominicæ Hiſtoriam proſequitur ut interpres; & pareneſibus exegeſibuſq; concionatorijs totus conſtat, ut Eccleſiaſtes; & Meditationum Sacrarum Capita ubiq; ſuggerit, ut Aſceticus: deniq; Hiſtoriam Paſſionis Dominicæ, per omnes ſenſus Scripturæ Sacræ uſitatos, non abſq; commodo aliquo Lectoris verſat.

II. Quæſierit tamen nonnemo: quâ de cauſâ hoc ſcribendi genere ſuccincto, ac planè delibatorio duntaxat uſus ſim: non verò ex more, longos de uno quoq; capite, diſcurſus, aut fuſas Annotationes Digreſſionesvè inſtituerim? Fateor id ita fieri potuiſſe: cæterùm hoc ut facerem, nunquam in præſenti opere mihi perſuaſum, nunquam propoſitum fuit. Apes mihi imitandas propoſui; quarũ exemplo didici, non omnem prorſus ſuccũ ex floribus extrahere: ſed duntaxat delibare, atq; in cellulis recondere: partim quia totum educere, & non mearum, & nullius virium eſſe ſcivi: partim quia initium dulcoris *utentibus propinare, inter* Eccl. 11. 3. *primas Apiculæ laudes ab Eccleſiaſtico poſitum eſſe legi. Multa potiùs, atq; adeo plurima, ſed non multis dicere cupiebam: ratus, immo & gnarus, Lectoribus, iſto qualicunq; labore uti volentibus, non tantùm facile ſed etiam delectabile fore, inventis ab alio, apponere plura de ſuo. Acceſſit huic propoſito, vitæ meæ occupationumq; à Majoribus meis mihi impoſitarum, hactenus perpetua ratio, cum quâ diffuſa illa, ac indulto otio, non tantùm indulgens, ſed pæne abutens etiam, lucubrandi forma conſiſtere minimè potuit. utpote quæ ſcriptioni vacandi multòq; magis indulgendi, tempora ſemper ademerit, & vix interdum poſt longa ſatis interjecta ſpatia aliquid ad ſcribendum facultatis, ejuſq; ipſius non niſi ſubſeciuæ ſuccisiuæq; permiſerit. Poſtremò in hac ſcribendi breuitate, detinuit me*

Digitized by Google

illa, quæ ab initio, in eam me conieceerat cauſa. Cùm enim ante non paucos annos, prima quædam Operis hujus lineamenta ducere incepiſſem, talis mihi, quin etiam magis ſuccinctus, ſeſe ſtylus obtulerat, quo nihil prorſus amplificatè dicerem, ſed ſolùm, omnis generis conceptus adnotarem. Itaq; ab initio, ita breui ſtylo ſcribebantur omnia, ut cum in progreſſu aliquantulum ſeſe diffunderet oratio, neceſſe fuerit prima, quo extremis congruerent, repetito labore pluſculùm, dilatare.

III. Exiget etiam fortaſſe nonnemo à me; cur eos Auctores, ex quibus aliquid delibâſſem non nominauerim? neq; ex quibus profeciſſem profeſſus ſim? Ejus rei hanc à me Benevolus Lector habeat ingenuam rationem: Parcitas iſta Auctorum inde nata eſt. 1 Quia non omnia quæ hìc ſunt ex alijs mutuatus ſum. Deinde quædam horum, apud plures ſcriptorum eadem legere contigit, quæ alicui potiſſimùm aſſerere mearum eſſe partium non putavi; immo & quæ mihi ipſi jam ſuccurrerant, poſteà apud non neminem reperi, eorum etiam Auctorum, quorum editionem in lucem ego ſcriptione mea præceſſi. Ad extremùm elegi hæc adſcribere omnibus, quicunq; ſua illa eſſe voluiſſent, potiùs quam parum neceſſariâ diligentiâ, ſingula quæq; certo Auctori aſſignare. Itaq; uſq; adeo nemini ſua inventa inuideo, ut nunc jam ingenuè denuntiem: Quicquid aliquis ſuum in hoc opere inuenerit, id me totum libenter ei attribuere, quòdq; ex eo profecerim mihi gratulari.

IV. Video etiam, illud quæri ex me poſſe, cujus quoq; non pauci ne requiſiti quidem, reddunt Lectoribus rationem. Eccur, poſt tot de Paſſione Dominica Scriptores, ipſe non abſtinuerim, cùm vix ſperare poſſem me aliquid, præter dicta ab alijs afferre poſſe? Ejus facti ego rationem hanc profiteor: Primam, ſtudium illud interius, quo in omni vitâ meâ erga Paſſum pro nobis Deum Hominem, me eſſe debere credidi. Hoc mihi ſemper ſtimulo fuit, & animum dedit, ut calamo quoq; meo de hoc Myſterio, beneficioq;, ſcribenti, ſterilitatem non metuerem. Alteram cauſam do: Vidi multos de Paſſione ſcriptores, at in Hiſtoriam Paſſionis, qui & ſingula quæq; ſcrutarentur, & ad mores formandos traherent, non multos; Quare inter non multos ego eſſe poteram. Præter hæc, quoniam multi de Paſſione multa ſcripſère, ea ipſa multa, per multos ſparſa in uno hoc volumine, veluti in faſces colligata, velut in favorum cellulas collecta, congeſtaq; exhibere, qua propriæ, quà Lectorum pietati volui. Deniq; quoniam Chriſtus pro Hominum ſalute patiens, me à ſuorum dolorum fructu exemptum eſſe noluit: ego quoq; Patientis Chriſti gloriam, à meis quantuliſcunq; ſtudijs, exemptam eſſe nolui; immo illi primitias ſtudiorum meorum, publicum ferre incipientium, conſecratas eſſe deſideraui. Quod unicum ſi aſſequor, cætera omnia inſuper mihi ſunt, uſq; adeo, ut ſi meus Lector, etiam integræ huic meæ operæ atram ſuffigere notam voluerit, ſciat, velim, hoc etiam unum ſolumq; totius operæ hujus pretium, mihi nec leve, nec vile futurum. Vale.

IN

Digitized by Google

INDEX
In omnia Opera rerum notatu dignarum copioſiſſimus & diligentiſſimus.

A.

Abdicatio ſuffragiorum pro anima ſua in gratiam Animarum Purgatorii. Vitæ c. 16. per eam nihil abdicans amittit, ſed lucratur ib. & pag: 380. n. 8. Vide Animarum Purgatorij amor.

Abjectioribus familiarem eſſe, Chriſti indoles eſt. pag: 863.

Abjectio & Depreſſio, pæna vel fructus ſuperbiæ Dom: 16. pent. pun. 9. & Dom: 10. pent. p. 10,

Abnegandi Amoris propij modus vitæ. c. 10.

Abnegationis cura, malè differtur p. 467.

Abominatio deſolationis in loco ſancto quid? Dom: 24. Pent. pag. 2.

Accipe, Redde, Fuge p. 247.

Actiones noſtræ ſublimandæ meritis Chriſti. B.V. & Ss: p. 158. appropriatione Bonorum Chriſti B. V. p. 156. n. 110. aliorum bonis actionibus fæcundandæ p. 144. n. 52. & p. 152. n. 81. variorum finium intentione p. 136. n. 26. agendo ex motivo plurium virtutum p. 138. modus ejus induſtriæ p. 140. & 142. In actionibus noſtris ordinarijs ſpiritualium Induſtriarum compendium vitæ cap. 7 *vide* Meritum.

Actiones Heroicæ quid? quomodo fiunt? p. 155. n. 89. Earum exempla, praxis. ib. n. 94. Sint ſuperiores Habitibus p. 157. n. 10. & ſeq.

Actiones indifferentes in Individio non dantur p. 83. ſeq. illarum tria genera. p. 86. n. 62.

Actiones diurnæ gratiarum fontes p. 845.

Actualis Intentionis præ Habituali præſtantia. p. 90. n. 70.

Actus unus intenſus, pluribus remiſſis præſtat. p. 147. n. 62.

Adjumenta ſpiritûs generalia. vitæ c. 7. particularia. ibidem.

Adventus Sacri diebus devotiones & mortificationes. vitæ. c. 9.

Adverſorum remedium notitia ſui. p. 865. n. 4. in illorum tolerantia pax. p. 907. n. 3. in adverſis quoq; non in proſperis tantùm Chriſto adhærendum. p. 870. n. 2. Non adverſa tantùm ſed adverſarii quoq; tolerandi Dom. 6. Paſch. p. 9. eos excuſandi ratio, Non noverunt Patrem neq; te. ibid.

Æmulatio Sanctorum p. 446. Conviventium p. 447.

Æſtimationis ſui contemptus. vitæ c. 10.

Ætas tenera Providentiæ Dei cura. vitæ c. 1.

Æternitas quid ſit? major eſt captu Intellectus p. 391. ſeq. Ejus diviſiones. ibid. Inevitabilis p. 393. n. 3. ſeq. ejus menſuræ. ibid. Beata quid continet, & homini confert? p. 367. mala quid continet & confert p. 398. induſtriæ cum illa converſandi. p. 404. Beatorum in illa occupationes. p. 399. utraq; pro meritis operum noſtrorum p. 407.

Æternam Sapientiam ſibi deſponſandi ratio p. 427.

Affabilitas in Chriſti exemplo. Dom: 12. Pent: p. 2.

Affectus erga Creaturas quomodo mortificandus. vitæ. c. 10.

Agendi Idea ex Deo p. 93. n. 81.

Agentia moventur ad agendum appetitione & delectatione. p. 108. ſeq.

Agendi Regulæ cuiq; operi aſſignandæ p. 130. n. 8.

Ad Agoniſantem IESVM affectus. vitæ c. 19.

S. Alexius ſui victor heroicus. p. 183. n. 18.

Alienæ ſalutis cura. p. 904. n. 3.

Alijs attendentes, ſui obliviosi. vitæ c. 6.

Aliena peccata materia Examinis conſcientiæ p. 830. n. 4.

Alienos mores judicans ſuos ignorat. Dom: 1. pen: p. 2

Amoris Divini mira indoles. vitæ c. 12.

Amoris Dei & Humilitatis connexio. vitæ c. 1.

Amoris Dei & Reverentiæ neceſſitas, & obligatio p. 228. ſeq. fontes ejuſdem p. 230. Extra Deum non diſpenſandus p. 241. n. 5. ex quibus libris diſcendus p. 246. ſeq. ejus impedimenta p. 256. n. 5. adjumenta ibid. n. 7. amoris noſtri in Deum excellentia p. 251. n. 1. illius ſigna Dom: 12. pent: p. 7. 8. Si amas quia tibi bene fecit, facit, faciet, non amas Dom. 17. pent: p. 5. amandus quia amat nos p. 245. n. 2. ſeq. non eſt ſine amore proximi. Dom. 17. pent. p. 6. amoris proximorum exemplar. vitæ c. 12. Levia aggravat, gravia allevat, aliena ſua facit n. 253. n. ſeq.

Amor Dei erga ſe qualis p. 244. n. 4. ſeq.

Amoris B. V. actus. vitæ c. 19.

Amor erga inimicos ſingularis. vitæ c. 12. & p. 183. n. 180.

Amoris & boni colligatio. p. 242. n. 8.

Amatorum Crucis Feſtum. vitæ c. 14,

Amoris proprij mortificandi artes vitæ. c. 10.

Amoris proprij defuncti ſepulti q; officium mortuale. vitæ c. 11.

Amatorum ſæculi cæcitas p. 894. n. 4.

Angelorum natura p. 306. Officia, miniſteria. ibi. n. 6. numerus omnium ſublunarium numerum excedens p. 307. n. 7. Ordines illorum varij & ſingulorum officia ibid. ſeq. Angelorum cultus varius. vitæ c. 5. illorum in noſtra converſione lætitia. p. 893. n. 14. & Dom. 3. pent. p. 7. plus illis poſſumus in juvandis Animabus purgat: p. 383. n. 4. Angeli ſeptem Principes p. 314 Eorum nomina, officia ib.

Anima vivit deſiderijs p. 225.

Animæ & Corporis ſuavitas difficulter habentur Dom: 4. Paſch. P, 3.

Animæ obſurdeſcentia Dom. 11. pent. p. 3. undè ibid.

Animarum converſionem convertentium peccata impediunt p. 873.

Animas negligenter curantium periculum. Dõ. 2. pent: p 4. in illarum curâ ſucceſſus cauſæ obedientia & fiducia in Deum. Dom. 4. Pent: p. 5. eas lucrandi occaſiones nullæ prætereundæ Domin. Dedic. p. 8. in illarum cura ſucceſſus, impedimenta Dõ. 4. pent. p. 6. 7.

p. 6. 7. Animæ ſunt Domus Dei Dom. Dedic. p. 9. Anima Defuncti hortatur ad ſtudium proficiendi. vitæ c. 16. animæ peccatricis morientis miſeranda imago Dom: 9. Pent. p. 7.
Animarum Purgatorij amor, & impenſum ſtudium eas juvandi vitæ. c. 16. illis gratiam qui negat Chriſto negat p. 383. n. 1. Donata illis à viventibns merita p. 459. vitæ c. 16. Vide ſup. Abdicatio. caritas.
Anticipatio agendorum auget meritum p. 187. n. 194. ſeq.
Antidota contra mortem. vitæ c. 19. Vide Mors.
Appetitûs iraſcibilis & Concupiſcibilis mortificandi artes. vitæ c. 10.
Approbatum à Reprobo non eſt hic decernere p. 879. n. 5.
Aſcenſus prognoſticon deſcenſus, & è contra Dom. 16. pent. 9.
Aſperitatum amor. p. 864. n. 11.
Attentio orationem brevem præ longa acceptam facit, p. 186. n 190.
Averſionem à proximo nihil excuſat. Dõ. 5. pent. p. 6.
Auxilijs proficiendi abundans & non proficiens inexcuſabilis Dom. 5. Pent. p. 1.

B.

Bachanalium feſtum celebrandi modus. vitæ. c. 14. mortificationes illius temporis. vitæ c. 9.
Beatitudinis Cæleſtis prægustandæ modi. vitæ c. 15. illius magnitudo p. 327. amandæ motiva p. 329. Deſiderandæ p. 341. Laborandum pro illa p. 333. Eſt donum & ſimul merces, p. 332. n. 2. Beatorum in æternitate occupationes p. 399. ſeq & p. 407. illius ſecurum facit Regularum obſervatio p. 462.
Benefaciendum etiam non petentibus Dom. dedic: p. 7.
B. V. erga nos beneficia p. 448. illius cultûs & Ss. praxis vitæ. c. 13. & c. 15. eſt Hæres & Hæreditas noſtra hujus deuotionis praxis, vitæ c. 11. Vide Maria.
Bonæ vitæ ſtimulus memoria mortis p. 501.
Bonitatis Divinæ ad faciendum nobis bene aviditas, Dom. dedic. p. 7.
Bonorum Dei excellentia gaudij noſtri materia: & praxis hujus affectûs. vitæ c. 12.
Bonorum mundi miſera conditio p. 893.

C.

Calumnijs non infeſtari non laborandum ſed ne vera ſint quæ dicuntur Dom 6. Paſch. p. 7.
Canones in occaſionibus Carni & ſenſualitati gratis ſervandi p. 87. n. 63.
Cæcus cæcos ducit alios ad ſanctitatem erudiens ipſe malus Dom. 1. pent. p. 6.
Cælum Empyreum Euchariſtia p. 278.
Cæleſtia guſtare & carnalibus affici impoſibile Dominica 14. pent. p. 3.
Cælum deſiderantis affectus vitæ c. 19.
Cæna magna Euchariſtia Dom: 2. pen. p. 1.
Capitis mortificationes. vitæ c. 19.
Caritatis vis, fructus, effectus p. 253. n. 10. erga Chriſtum pro nobis paſſum exercitia p. 264. ſeq.
Caritas omnibus omnia p. 863. n. 4 erga proximos p. 457. erga peccatores p. 458. erga Animas purgatorij vitæ 16. Vide Animæ purgat.
Cenſuræ aliorum Dom. 16. Pent. p. 6. quam periculoſæ cenſurantibus Dom: 10. pent: p. 4.
Cenſura ſui ipſius & ejus modus p. 841.
Centuplum in profectu ſpiritus. p. 888. p. 12.
Chriſti imitatio eſt, non tantum mores, ſed Regulam morum ſequi p. 72. n. 21.
Chriſtus in Euchariſtia amore vinctus p. 277. Præceptor Dom. 13. pent. p. 2. Chriſti affabilitas Dom. 13. p. 2.
Chriſtus Iudex placatur muneribus p. 283. ſeq. Iudicio noſtri prævio. p. 284. Vide Judex.
Chriſtus Crucifixus idea vitæ Religioſæ p. 449. Chriſti meritorum uſus p. 477. ſeq. Ejus erga homines miſericordia multiplex Dom. 1. pent. p. 1. illius in quærenda anima ſolicitudo Dom. 3. Pent. p. 5. flens, lætior mundo ridente Dõ: 9. pent. p. 3. cognoſcendi illum modus triplex, Philoſophicus, Politicus, perfectorum. p. 449. illi paſſo, oppoſita vita & mores p. 265. n. 5.
Chriſtianorum Iudices Ethnici p. 898. n. 12.
Cogitamus quod amamus Dom. 23. pent: p. 3.
Cogitationes reſtringendæ. ibid.
Cogitativa facultas quomodo mortificanda. vitæ. c. 10.
Cognoſcere bonum eſt gratitudinis pro beneficijs effectus Dom. 20. pent. p. 10.
Colloquia ſpiritualia p. 906. n. 3.
Comites Chriſti, Paupertas, Dolor, contemptus Dom. 1. pent. p 7.
Commoda tam animi quam Corporis non æſtimat zelus animarum Dom: 6. pent: p. 8.
Communicatio cum Ss. in bonis. p. 321.
Communicatio cum Creaturis, ratio merendi p. 487. cum Deo & ejus operibus p. 490. 493. ſui, alijs 909 n. 8.
Communis vitæ obſervatio efficax medium proficiendi p. 467.
Comparationis Dei cum homine effectus, amor & rereverentia p. 230. ſeq.
Compenſatio bonorum operum in hac vita non deſideranda p. 878. n. 2.
Complexio naturalis bona beneficium Dei ſingulare. vitæ c. 1.
Complexioni Dæmon tentationem accommodat. p. 892. n 2.
Concionatores naſci magis quam fieri vitæ c. 7.
Concionator ſit frontis perſtrictioris, non metuens malum Concionis ſucceſſum. vitæ c. 7. & vocis Dei Echo p. 860. n. 9. ejus leges & officia vitæ c. & p. 886. n. 4.
Conditiones operis meritorij p. 408.
Confeſſionibus cur non omnes mundantur Dom. 13. pent. p. 9.
Confeſſio mali ſtatûs animæ coram Deo. Dom: 8. Pent: p. 4. & 5.
Confidentiam ad ſuperiores, & Patres Spiritûs timet Dæmon. vitæ c. 6.
Confuſionis ſtudium p. 179.
Conſcientiæ examine frequenti expiantur peccata, p. 462.
Conſenſiſſe vel non in peccâtibus dubitantibus ſignum eſt propoſitum non peccandi & pugna interior p. 90. n. 61.
Conſiderationis practicæ, uſus & materia Dõ. 7. pent: p. 3. 45. ejus uſus & neceſſitas ib. p. 8.
Conſilium peritorum in ſtatûs Electione negligere, ſignum eſt deceptionis. vitæ 18.
Conſvetudine peccandi obſurdeſcens difficile curatur Dom: 11. pent: p. 2.
Contemptibilia mundi eligit Deus, quare? Dom: 19. Pent: p. 10.
Contradictiones paratæ ſemper ſervis Dei. Dom: 6. Paſch: p. 6.
Contrapoſitione virtutum ad vitia proficimus 842.

Con-

Digitized by Google

Contritionis ſubſtantia, motiva p. 352. ſeq. ex cæli & Inferi æſtimatione p. 359. ex Chriſti Iudicis conſideratione p. 362. ejus vis in morte p. 373. n. 4.
Contritionis Feſtum vitæ c. 14.
Converſatio cum humilioribus p. 863.
Converſationis cum æterna ſapientia modus p. 430.
Converſionis à peccatis motivum facilitas Chriſti recipientis peccatores Dom. 3. pent: p. 4.
Convertens alios ſe convertat p. 873. n. 9.
Cooperationem noſtram exigit Deus Dom: 13. Pent: p. 4.
Cooperandum curam ſalutis aliorum agentibus quomodo, p. 904. n. 6. 7.
Cor hominis indiviſum habere vult Deus Dom: 14. Pent: p. 3. Dom: 15. Pent. p. 8.
Cordis directio mirabilium Dei ſingulare vitæ c. 2.
Corpora noſtra Templa Dei ſunt Dom. dedic: p. 11. in illa redundant quandoq; deliciæ ſpirituales. p. 120. n. 37.
Creatura quid ſit p. 197. oppoſito ſe modo habet ad Deum. Ib. ſemper in nihilum tendit. p 198. omne ſuum malum debet nihilo. ib. Quid Deo debet? p. 205. Creaturæ notitia intima uſum ejus bonum facit. p. 865. illarum abuſus armat illas cum Iuſtitia contra hominem p. 861. n. 4. illius amor, eſt odium Dei Dom: 14. Pent p. 4. Eſt vox p. 866. n. 8.
Creaturas in ſe transformando proficiendi praxis. p. 102. n. 118.
Creditor cum ſit Deus Debitorem ſe facit. Dom: 1. Pent. p. 3.
Crucis ſtudium. p. 895. n. 7. Crucis ambitio fuga heroica vitæ c. 13.

D.

Damnatorum in æternitate negotia p. 407. & 399.
Dæmonis ex profectu noſtro confuſio p. 521. ita cum illo pugnandum ut in deſperationem vertatur p 898. n. 17. illius tentantis proprietates p. 879. n. 6. Cur dicitur Homo p. 878. n. 2.
Dæmonium mutum quid? p. 896: n. 5. illius ejectio eſt, manifeſtatio Conſcientiæ. ibid.
Debita hominis innumera innumeris p. 454.
Defectus ſubtiliores & eorum examina. vitæ c. 15. eorum ſupplẽdorum modi varii p. 842. illorum fons Inconſideratio p. 839. eorum defenſio, ipſis eſt pejor p. 901. n. 2.
Delectans Gratia. Vide Gratia. Intus non foris delectat p. 110.
Delectare, illuminare, movere, Gratiæ officia p. 108.
Delectationis ſpiritualis fontes. p. 119. n. 34. cauſa illius ſufficiens Providẽtiæ Dei memoria p. 119. n. 34.
Delectatio movet Agens ad agendum p. 108.
Delicatis ſæpe inefficax Gratia contingit p. 844. n. 10.
Deliciæ partis ſuperioris communicant ſe inferiori p. 120. n. 37.
Deſiderijs Anima vivit p. 225.
Deſiderium proficiendi profectum operatur p. 867. n. 5. illius extenſio ad plures actus & objecta p. 105. n. 128.
Deſiderium Societatis Sanctorum p. 325.
Deſolationum & ſterilitatum cauſæ p. 871. n. 6. & p. 897. n. 10. & 240. n. 11.
Deteſtatio peccatorum punctum principalis reſpectus & uſus in Examine conſcientiæ p. 827.
Deus quid ſit p. 196. per tot. Quid debet Creaturæ & quomodo? p. 202. ſeq. ejus Dignitas fons reverentiæ p. 232. quomodo illam honorat p. 233. illa eſt præmiorum & ſuppliciorum menſura p. 234. Sanctitati illius quæ debita reverentia p. 234. n. 2. Omnipotentiæ illius latitudo, effectus p. 236. Sapientiæ ejus amplitudo p. 238. Dignitas proficiendi ſtimulus p. 514. Benefacit tibi quantùm vis p. 899. debet illi homo etiam pro illis quæ non accepit. p. 251. paratus tantùm dare quantùm capis Dom. 4. Pent. p. 4. illius in peccatis tolerantia Dom. 6. Pent. p. 2. Cooperandum illi Dom. 13. pent. p. 7. illius erga nos dilectio. p. 516. Divini Cordis guſtus p. 517. Dei inde gloria. ibid. ad benefaciendum, neceſſitatibus noſtris neceſſitatur Dom. dedicat parcendo quandoq; crudelis, miſericors cum non parcit Dom. 9. pent: p. 4. Sæpe ijs offenditur quibus placari creditur Dom: 7. pent: p. 11. Te quærit non tua. vitæ c. 10. Deum non invenit qui aliquid cum illo quærit p. 62. & p. 89. n. 67.
Deus propter Deum deſerendus quandoq; p. 859. n. 9.
Deus Homo quid à MARIA habet. p. 202. n. 7.
Dictamina interna in Actionibus noſtris obſervanda p. 847. Eorum impedimenta varia. ibid.
Differre nocet. vide Procraſtinatio.
Dignitatis Divinæ exaltatio. vitæ. c. 21. Ejus effectus p. 500. n. 14.
Dignationum Chriſti Feſtum vitæ c. 14.
Diligentiam quæ accuunt? p. 94. n. 83.
Dilectorum Dei notæ Dom: 12. pent: p. 6. 7. 8.
Diſciplinæ Spirituales vitæ c. 10.
Diſciplinarum extraordinaria frequentia vitæ c. 19. Inter illas actus interni & devotiones ibid.
Diſcipulorum IESV notæ p. 899. n 3.
Diſſimulatio primæ gratiæ periculoſa Dõ: dedic. p. 8.
Divitum ſalus difficilis. quare? Dom: dedic. p. 2. 4. 5.
Divites facilius ſuperant reſpectus humanos ibid. p. 5.
Dolor, eſt unus ex perpetuis Chriſti Comitibus Dom. 1. pent: p. 7.
Domini non poſſunt parvis peccatis Deum offendere. Dom: dedic. p. 10.
Dominorum delectum faciant famuli. ibid. p. 10.
S. Dominici Loricati Cruciatus ſpontanei, vitæ c. 9.
Dominium in nos Ss. p. 324.
Domus Materiales, rarò habent Deum incolam. Dom: dedic: p. 9.
Dona Dei occultanda p 895. n. 10. in alijs amanda p. 909. n 6. non invidenda ſed communicanda alijs. ibid. n. 8. in illis ſe gerendi modus Dom: 15. pent: p. 10. In oculis ſemper habenda p. 892 n. 7.
Dona gratis data, & Dona gratum facientia, eorumque natura, effectus. p. 848.
Donatio meritorum Animabus Purgatorij. vide Ani. Purgat.

E.

Eccleſia Dei Paradiſus. Dom: 7. Pent: p. 2. in illa, Arca, alibi Diluvium Dom: dedic: p. 11. illius cura pro animabus Purgatorij p. 384. n. 1.
Echo vocis Dei Concionatores p. 856.
Electorum & Reproborum notæ p. 402. ſeq:
Electio ſtatûs non fiat ſine peritorum conſilio vitæ c. 8. Eligendi illum Regulæ & praxes. ibid.
Emendationem differre periculoſum p. 877. n. 9. vide Procraſtinat.
Ethnici Chriſtianorum Iudices p. 898.
Euchariſtiæ cultus varius vitæ c. 5. Ad illam ſuſcipiendam devotè habentur variæ præparationes & affectus in ſingulis Meditationibus in Dominicas. puncto ſemper primo.

Digitized by Google

Euchariſtia eſt Theſaurus p, 273. Cælum Empyreum p, 278. Cæna magna Dom: 2. pent: p. 1. Prandium Dom: 19. pent: p 2. ejus Imago Panis. Dō: 21. pent: p, 1. In illa vincula Chriſti, p, 277. & 861. n. 1. & Dom: 2. ad p, 1. In ea Chriſtus artifex peritiſſimus p, 279. Iudex Dom: 21. pent: p. 1. Semen in agro cordis Dom: 5. Epiph: p, 1. Granum ſinapis Dom: 6. Epiph. p. 1. Seminator Dō: ſexag: p, 1. Regnum Dei Dom: 3. Quadrag: p, 1. Triumphator Dō: Palp, 1. ad eam dignè ſuſcipiendam Diſpoſitio humilitas p, 866. p, 1. In ejus ſumptione nuptiæ inter Chriſtum & animam p, 862. n. 1. Illius guſtatione viſio Dei futura penſatur Dom: 1. Paſch. p. 1. in illa eſt Transfiguratio Chriſti p, 893. n. 1.

Euchariſtica communio tempus Viſitationis Dom: 9. Pent: p, 1. à V. Matre quomodo in Euchariſtia cultus Chriſtus. p, 274.

Examinis Conſcientiæ neceſſitas, fructus, Damna ex neglectu Dom: 5. Pent: p, 4. Variæ illius induſtriæ à p, 825. toto Tractat. Quæ in illo examinanda circa Cogitationes, verba, opera, omiſſiones, p, 819. Ordo temporum materia Examinis, p, 830. fiat in præſentiæ Dei conſideratione. & talis Examinis efficacia p, 832. Examinans conſcientiam induat perſonas varias, Rei, Clientis, Mancipij, Debitoris, Cæci, prodigi & c. p, 832. Materia Examinis defectus ex parte Dei, ſui ipſius, aliorum p, 757. 859. & vitæ c. 15. & c. 17. ubi eſt compendium ſpiritualium Induſtriarum in ordinarijs Actionibus obſervandarum.

Examinis particularis tempus, materia, modus, neceſſitas, p, 827. ſeq Horarij materia p, 862. n. 2. Poteſt eſſe circa plures materias p, 228.

Exaltatio & Elatio fructus humilitatis Dom: 10. Pent: p, 7. & Dom: 10. Pent. p, 6.

Exempli efficacia major quam Concionum p, 880. n. 9.

Expectationis feſtum colendi modus, vitæ c. 14.

Externa ſpecies fallit Dom 7. Pent: p, 2.

F.

Falſa ſpecies Sanctitatis Dom: 7. Pent: p, 9.

Famæ abdicatio per votum vitæ c 11.

Familiaritatis Sanctæ fructus vitæ c. 4. in fine.

Famuli viderint cui Domino pareant Dō: dedic: p, 10.

Fervoris in agendo intenſio quid ſit p. 147. n. 63. Ejus diviſio in ſenſibilem & Rationalem, eorum deſcriptio & uſus p, 64. 65 Fervoris ſpiritus notæ, & contraria illi vitia p, 8.7. Ejus in agendo ſtimulus, *Dominus his opus habet*. p, 904. n. 4. illo abſente, operum valor vilis p, 145. n. 60. Varia illius intenſio per proportionem Arithmeticam p, 146. Geometricam p, 151.

Feſti diei cultus Dom: 16 Pent: p, 6. Feſtorum privatorum inventiones, & eorum cultus vitæ c, 14. Feſtum Fervoris Contritionis, Immolationis Famæ, Ominis, Amatorum Crucis, Bachanaliorum, dignationum IESV Chriſti ibidem, Feſtum mortis vitæ c. 19.

Fides varia & fiducia in Deum Dom: 18. pent: p, 3.

Fiducia erga Deum paſcit Dom: 6, pent, p, 2. eſt cauſa ſucceſſus in cura animarum Dom 4, pent. p. 5 eſt menſura providentiæ circa nos Dei p. 211. Fiduciæ in Providentia Dei effectus vitæ c. 15.

Fiduciæ ſui damna p, 996.

Filij ſæculi prudentiores filijs lucis Dom: 8, pent: p. 8

Finis Finium voluntas Dei p, 75. n. 30

Fletûs Chriſti ſuper Hieruſalem cauſæ Dom: 9. pent: p. 8. potior & lætior eſt mundi riſu & gaudijs. ib. p, 3.

Flendi cauſæ Dom: 15. Pent: p. 7.

Fuga tentationum valet pro victoria p, 183. n. 182.

G.

P. Gaſparis Druzbicki Natales, vita in ſæculo, ingreſſus in Religionem. vota Religioſa vitæ c. 1. tot. Viæ Domini quibus illum duxit ad Perfectionem ibid. c. 2. Mera per annos 20. dona Dei ib. Ejus donum Confirmationis in gratia vitæ, c. 3. Revelationes illuſtriores vitæ c. 3. & 4. Munus Provincialatus & illius praxes c. 5. humilitas in detrectando Regimine, quà aut reprobū aut minùs gratum ſe Deo credebat ſi alios gubernaret ibid. Ejus in Providentia Dei fiducia. ib. c. 6. officium Magiſtri Tironum & Induſtriæ eos exercendi vitæ c. 6. Donum in Conſcientijs quietandis ibid. Donum concionandi & præcepta concionatoria. vitæ c. 7. Prophetiæ ibid. modus quo ad Religioſum ſtatum dirigendos cenſet vitæ c. 8. Mortificationum tam internarum quam externarum modi extraordinarij. vitæ c. 11. Orationis donum & ſtudium, c. 15. Humilitas c, 11. Amor in Deum & proximum, c, 12 affectus & cultus Pretioſiſſimæ Parentis & Ss. c, 12. vita eximiè & ſublimare reflexiva c 15. Studium erga animas Purgatorij exquiſitum & artes eas juvandi cap, 16. Scribendi aſcetica talentum extraordinarium. Miracula c, 19. mors c, 19. Funus celebre & corpus incorruptum vitæ c, 20.

Gaudendum de Bonis Dei & Proximi vitæ c. 12.

Gaudium plenum quid? Dom: 5. Pent: p, 8. Habet illud orationi deditus. ibid. p, 7.

Gladius Doloris B. V. & ejus Clientum p, 870.

Gloriæ Cæleſtis amplitudo Dom: 19. Pent: p. 5. 6. ad eam præparatio ibid. p. 7.

Gloria Divinæ intentioni præſtat intentio voluntatis Divinæ p, 79. n. 44.

Gloriam ſuam negligentes, Deus in illa quærenda pro illis ſupplet. p, 993. n, 9.

Gratia delectans & vincens quid ſit p, 109. n, 6. Illius ſpecies & gradus p. 124. n. 65. ejus experientia ab intra p. 110. n. 8.

Gratiæ Dei cura Dom: 19. Pent: p, 13. Effectus p, 108. n, 5. uſus, eſt merces laborum Chriſti p, 445 Gratiæ nuntij p. 865 n, 5. vincula ibid. primæ obſervandæ dedicat. p, 8. in delicatis minus efficax p, 864. Actualium fontes occaſionis p, 845.

Gratis Deo ſerviendum p, 184. n, 183. & p, 910. n. 4. non ſervit gratis Deo ſerviens Dom: 14. Pent: p, 5.

Gratitudinis pro beneficijs raritas Dom: 13. Pent: p. 9. ejus effectus, Cognoſcere donum Dei Dom: 20. Pent: p, 9.

Gravibus amor pondus demit p, 253. n. 1.

Gubernationis proventus Cenſuræ & linguæ vitæ c. 10.

Gulæ ad meritum imitatio p. 182. n. 179.

Guſtus mortificandi praxis. vitæ c. 9.

H.

Habitus virtutum naturales & ſupernaturales, quomodo differunt? p, 139. n, 55. 56. Naturales ſtare non poſſunt cum oppoſitis vitiorum, poſſunt ſupernaturales. ibid.

Habitualis intentio ad bonitatem actionum moralium ſufficit p, 178. n. 195. & p. 179 n. 167.

Hæretici condemnabunt in Iudicio Catholicos p, 898.

Hæres & Hæreditas B. V. & eius ſub hoc titulo celendæ praxis p. 294. & vitæ c. 13.

Heroicæ Actiones quid? earum exempla, praxis p. 155 ſequen.

Hila-

Digitized by Google

Hilaritas in vita ſpirituali Dei donum p, 115.
Homo-Deus quid, vide Deus homo.
Hominis vilitas p, 239. n. 2. ſeq. Homo liber, unde amor Dei perdiſcedus, p, 247. n. 7. Illius tituli humiliativi vitæ. c. 11.
Homo ſpiritualis quæ frequenter in ſua vita ordinaria ſpectare debet p, 359. ſeq.
Hominis conditio, obligatio Dom: 14. Pent: p, 5.
Hominum de Chriſto ſenſus multiplex Dom: 17. Pent: p, 8.
Homo ſemper præceps in ruinam, p, 347. Ejus infirmitas, malitia, mentis cæcitas p, 344. ſeq. comparati cum Creaturis imperfectio, p, 348. extrema pauperies p, 349. quantum vult tantum lucratur, p, 466. & 471. Homo eſt debitum Dei Dom. 21. Pent: p, 2. 3. 4. 5. etiam pro non acceptis p, 351. & 454.
Honoris amor vincendus p, 185. n. 179. Fuga Dom: 16. Pent: p, 12. Sepulti officium Defuncti: vitæ, c. 11, in Horas vita optima p, 852.
Hortus frugifer, vita ſpiritualis Dom: 7. Pent: p, 10
Humilitatis & amoris vinculum vitæ. c. 12. ejus privilegium Deo impleri. p, 878. n. 6. Gratiam ad animam trahit, amiſſam revocat p, 120. n, 35. ad Euchariſtiam præparatio p, 866. Humiles exaltati Dom: 10. Pent: 7. & Dom: 19. Pent: p, 9. Humilitatis Canticum. vitæ c. 11.
Humiles ex ſuperbis morbo transformati Dom: 19. Pent: p, 2. & Dom: 20. Pent: p. 2.
Hypocriſis ſpiritualis & ejus effectus Dom. 16. Pent: p, 5.
Hypocriſis tentat Deum Dom: 22. Pent: p, 6.
Hypocrytæ clam nequam, publice honeſti Dom: 18. Pent: p, 7.

I.

P. Iacobo Liehanski Prædeſtinationis beneficium revelatum vitæ c. 2.
Iaculatoriarum orationum uſus & de illis doctrina vitæ c. 15.
Iejunium ad bonam mortem vitæ c. 19.
Ignorantia propinqui Regni Dei, cauſa Teporis p, 862.
Imitatio perfectionum Divinarum in quo conſiſtit. p, 452.
Immortificatus nidus Dæmonis p, 898. n. 16.
Impeccabilem ſuo modo facit memoria præſentis Dei, p, 227.
Imperfectionum fontes vitæ c. 15.
Imperturbabilitas fructus memoriæ Præſentiæ Dei, p, 227.
Incarnatæ ſapientiæ cultus
Inclinatio naturalis inſtrumentum tentationis Dæmoni. p, 892. n. 8.
Inconſideratio fons defectuum p, 819.
Inconſtantiæ in bono damna, p, 899. n. 18.
Indifferentes Actiones. vide Actiones Indifferentes.
Indifferentia orationem efficacem facit. Dom: 20. Pent: p, 9.
Indivinationis actus. vitæ c. 12.
Indulgentiarum applicatio animabus Purgatorij, vitæ c, 16. earum uſus præparat ad mortem p, 375. n. 15.
Inefficaciam verborum Chriſti nos cauſamus p, 862. n. 10.
Inferni memoria ſtimulus contritionis p, 356.
Inferioris partis cum ſuperiore pugna p, 113. n. 17.
Ingratis ſe bene feciſſe Deus dolet. Dom: 13. Pent, p. 10.
Injuriarum tolerantia uvas de ſpinis colligit Dom: 7. Pent. p, 7. earum condonatio Dom: 5. Paſch: p. 3. & Dom. 21. Pent, p. 10. Ficta ibid. p, 12.
Inimicorum amor ſingularis. vitæ c. 12. & p, 183. n. 180. ejus exemplum IESVS paſſus. p, 269. n. 1.
Inopiæ metus, injuria providentiæ Dei vitæ c. 6.
Inſpirationes Divinæ ſervi ſunt, à nobis non impune male tractantur Dom: 19. Pent: p. 8 unde in nobis inefficaees p, 888. n. 14. earum pretium. vitæ c. 8. obſervandæ diligenter ibid. ſigna divinarum. ib.
Intellectus proprij mortificandi praxis vitæ c. 10.
Intenſi actûs præſtantia p. 147. n. 62.
Intentio multiplex p, 136. n. 26. Genera illius quatuor p, 142. ſeq. ejus ſimplicitas, p. 485. Habitualis ſufficit ad bonitatem actionum moralium, p, 178. Deum ſecum quærens ſuſpecta p, 89. n. 67. Senſualitas ſe illi immiſcet p, 89. n. 67. quid tunc agendum? ibid. n. 68. Voluntatis Divinæ intentio cæteris præſtat p, 75. & 79. Modi illius practici p, 89. & 69 ſeq. Proprietates illius fuſius explicatæ p, 90. n. 71. Sit ſimplex ſeu ſola, frequens, prompta, & talis explicatio p, 90. ſeq Praxis intentionis vitæ c. 17.
Invidia, blaſphemia in Chriſtum, p, 897. n. 7.
Inutiles actiones noſtræ vel alienæ reddendæ utiles p, 161. n. 116.
Iraſcibilis appetitus ut mortificandus vitæ, c, 10.
Imitationes ſenſuum juvant ad meritum p, 182. n. 177. earum praxis ibid.
Itinerandi cum merito praxes vitæ c. 5. & p, 145. n. 54.
Iudicium Dei triplex p, 239. n. 14. ad illud præparatio p, 867. Iudicis placandi artes munera p, 283. neminem judicando p, 286. donando injurias p, 288. Caſtigatione Corporis p, 289. Corona ſeu Litania illi placando ſerviens p, 291. illius memoria ſtimulus doloris de peccatis, p, 302. & bonæ vitæ p, 501. 502 Ne judiceris non judica. Dom. 1. Pent: p, 2. oppoſiti in illo affectus mundanorum & ſæcularium p, 802.
Iudiciorum & laudis humanæ contemptus Dom: 4. Paſch: p, 8.
Iudicans alios arrogat ſibi ſecretorum cordis notitiam Dom: 1. Pent: p, 2. Mores proprios ignorat alios judicans ibid. Tale judicium quomodo mortificandum vitæ c, 10.
Iudicium ſuum ſequens cæco duce utitur Dom: 1. Pent: p, 5.
Iudices ſuperiorum futuri ſubditi p, 897. n. 11.
Iunioribus ſtimulus proficiendi ſenectus exemplaris p, 520.
Iuſtitia Divina, acrius ferit, quo diutius toleravit. Dom: 19. Pent: p, 9.
Iuſtus unus in Domo, urbe, quanti eſt? Dom: dedicat: p. 10.
Iuſtus timeat opera ſua Dom: 5. Paſch: p, 2.

L.

Laborandum pro Beatitudine p, 332. Laboris pro gloria Dei & gloriæ proportio p, 336.
Laboris circa profectum inefficacis cauſæ Dom: 4. Pent: p, 4.
Lacrymas Chriſto ciet malum pænæ noſtræ Dom: 9. Pent: p. 6.
Languoris in ſpiritu damna p, 879. n. 5.
Laudis humanæ contemptus Dom: 4. Paſch: p. 8.
Legum ſervatarum aut non, fructus in utramq; partem p, 117.
Levibus, amor pondus addit p. 251. n. 1. ſeq.
Liberalitas erga Deum p, 910, n. 4.
Liberalitas Dei non patitur ſe vinci à noſtra. p, 906. n, 5.

Liberales in Deum vices illius experiuntur *Dom:* 1. Pent: p, 4.
Liberalitas Præſidium benedictionum, *Dei* invitamentum, vitæ c. 16.
Liberalitas erga Animas lucroſa p, 288.
Liber Amoris S. ſcriptura p, 248. n. 9. Ejus elogia, uſus ibid.
Libertatem propriam mortificandi artes vitæ c. 10.
Licitationes cum *Deo* fructuoſæ *Dom:* 21. Pent: p, 8.
Linguæ & vocis mortificationes, vitæ c. 9.
Linguam ſuam habent opera, p, 465.
Linguæ reditus gubernant vitæ c. 10. Sanctitatis alimentum. ibid. Oſtentum linguarum ibid.
Locutio recta *Dom:* 11. Pent: p, 6. Locuturus linguam Chriſti ſanguine tingat p, 131. n. 11.
Lucra juvantium Animas Purgatorij p, 384. & 390.
Lucta interna in volentibus proficere p, 855.

M.

Magnificat Humilitatis vitæ c. 11.
Magnificè orandus *Deus* p, 874. n. 2 3.
Malefacti pejor defenſio p, 991. n. 2.
Malo propoſiti non ſibi tantum mali
Malitia non ſtat in uno gradu *Dom:* 19. Pent: p, 8.
Manifeſtatio conſcientiæ Dæmonis tortura p, 869. n. 5.
MARIAM plus amat *Deus* quam totam Eccleſiam & totum Univerſum ſeclusâ Mariâ, p, 302 Quomodo ſe illi pleniùs communicavit? p, 303. n. 2. Ejus redemptio plus quam aliorum intenta à *Deo* ib. n. 3. Ejus imitatio p, 447, illius arcta cum *Deo* conjunctio p, 249. ad maternitatem exaltatio p, 295. eſt parens omnium Creaturarum p, 298. Per eam *Deus* maximè magnificatur, p, 300. promptius ſubvenit quam invocatur p, 872 n. 3. 4 Sponſa p, 292. Ejus nominis impreſſio dolorifera vitæ c. 12.
Meditationis ſucceſſus & bonitas unde colligenda? vitæ c. 15.
Mercenarij notæ *Dom* 2. Paſch: p, 4.
Meritorij operis requiſita p, 130. n. 9. & p, 408. ad meritum nihil faciunt naturales, etſi honeſti fines, p, 139. n. 32. Meritum ex alieno p, 144. n. 52. in meritum vertere omnia objecta & occaſiones p, 167. augere meritum uno actu plures ſupplendo p, 175. n. 153. patiendo aliquid mali ſemel pro ſemper p, 178. n. 164. augmento voluntarij p, 180. n. 170. Meritis Chriſti p, 158. n. 105. retractatione malorum, p, 172. n. 149. Non intendendo meritum p, 183. ex votis p. 168. n. 113. quæ circa hoc cautelæ obſervandæ? ib. ſubſtitutione ſigni unius pro multis p, 189 n. 200. Meritorum paucitas unde æſtimanda? p. 505. Occaſiones eorum innumeræ p, 508. præmium Cæleſte merito commenſuratur *Dõ:* 1. Pent: n. 4. Merendi terminus terminus vitæ *Dõ:* 8. Pent: p. 6.
Merita ſua Chriſtus continuò communicat p, 445. Illorum præmium eſt noſter profectus p, 518.
S. Michaëlis in homines merita p, 315. ejuſdem encomia, officium p, 317.
Minimorum lucra p, 171. n. 144. & p, 900. 891. 911. & *Dom:* 3. Pent, p, 7.
Miſericordia in proximos, meritum miſericordiæ in Iudicio, p, 290.
Miſereor ſuper turbam tota vita Chriſti, *Dom:* 6. Pent: p, 1. 4.
Miſericordia Chriſti erga homines multiplex *Dom:* 1. Pent: p, 1.
Miſſionum Societatis uſus & fructus vitæ c. 5.
Modica à *Deo* ſeparant *Dom:* 3. Paſch. p, 3. 4.
Modica in profectu ſpirituali cura urgere debet ad majorem *Dom:* 3. Paſch: p, 5.
Mora putidior in orando, agendo, patiendo, exaggerat meritum p, 187. n. 182.
Morbi efficacia, ex ſuperbo humilis *Dom:* 20. Pent: p, 2.
Morborum animæ remedia *Dom:* 18: Pent: p, 8.
Mortis natura, Conditiones effectus p, 365. optimum mortis genus p, 366. Mors animæ bona p, 366. 367. Iuſtorum mors, ibid. Bonæ deſiderium & ejus motiva p, 367. Mors malorum, bonorum, perfectorum, ante mortem, in morte, poſt mortem qualis, p, 370. Religioſorum ſi cæteris ſit communis reprehenſibilis p, 371. Variæ ad eam præparationes p, 377. nempe ad Chriſti agonem devotio p, 374. Experimentum illius imaginarium p, 375. Devotio ad B. V. animas purgatorij, uſus Indulgentiarum, p, 375. Moribundi refugia p, 377. Mortis deſiderium *Dom:* 16. Pent: p, 12. Cogitatio illius efficaciæ multæ *Dom:* 23. Pent: p, 3. ad moriendum promptitudo vitæ c. 12. morientis peccatoris ſpectaculum *Dom:* 9. Pent: p, 7. Mori certum incertum paratos eſſe ſemper jubet *Dom:* 15. Pent: p, 3. Mortis ante mortem experientia. vitæ c. 19. Tabulæ teſtamentariæ ibid. Niduli morientis ibid. Delectus mortis ibid. Deſiderium in illa Martyrij. 16. Ejus memoria ſtimulus bonæ vitæ p, 501. Tempeſtiva ſit ad eam præparatio *Dom:* 8. Pẽt: p, 7. Mortis dies die natali melior *Dom* 20. Pent: p. 5. Quid ſit mori? quomodo morimur! *Dom:* 20. Pent: p, 6. Iudicia de morte Naturæ, mundanæ ſapientiæ, Fidei ibid. Antidotum contra illam vitæ c. 19.
Mortificatio externa addit valorem actionibus noſtris. p, 170. n. 138. ſeq. Externæ inſtrumenta vitæ c. 8. illius, per omnia Corporis membra partitio vitæ c. 9. per menſes ejuſdem diſtributio. ibid. in morbis etiam ab illa non ceſſandum ibid. Graves mortificationes ſæpe paſſiones non edomant. p, 134. n. 30. ſint diſcretæ p, 170. n. 138. ejus finis ibid. Menſura illarum, ſenſus concupiſcentia per contrarium p, 171. n. 142. Actus illarum varij p, 904. In ijs quæ delectant abbrevietur tempus p, 189. n. 199.
Motivum ſublime quid? p, 153. n. 97.
Multæ obſervationes & praxes actionum oneroſæ, faſtidioſæ & tandem deferendæ p, 132. n. 15.
Multiloquij fuga *Dom:* 2. Pent. p, 2. 3.
Mundus falſus propheta *Dom:* 7. Pent: p. 6.
Mundus liber dilectionis p, 248 n. 7.
Mundi in morte fallax erga nos amor *Dom:* 15. Pent, p, 5.
Mundi ſapientiam, æterna evacuat, p, 413.
Mundus deſertum, Mare, p, 876. Ejus impoſturæ 874. Ejus bonorum qualitates miſeræ p, 893. Nec ſervire illi, nec exoſum eſſe poſſe, credere error eſt *Dõ:* 6. Paſch: p, 6.
Munera placamenta Iudicis Chriſti p, 283.
Mutus in judicio omnis reus *Dom;* 19. Pent: p, 14.
Mulierum colloquia ad ſecuritatem mortificatione præmunienda vitæ c. 9.

N.

Naturæ dotes magnum *Dei* donum vitæ c. 1.
Naturalis finis nihil confert ad meritum p, 139.
Negligentiæ aliorum, ſint noſtræ virtutis occaſio p. 846.
Neceſſitas ſanctè vivendi oculus ſuper nos Iudicis intentus *Dom:* 18. Pent: p, 6. 7.

Neceſſi-

Digitized by Google

Neceſſitates noſtræ Deum ad benefaciendum nobis urgent Dom: dedicat.
Negligentia in ſalute noſtra procuranda inexcuſabilis Dom; 19. Pent: p, 3.
Nihilo, omne ſuum malum debet Creatura p, 198. illius deſcriptio & effectus p, 200.
Notitiæ Dei fructus. vitæ c. 12.
Notitia ſui p, 343. ſeq: & 865. n. 3. eſt remedium adverſorum p, 865.
Novitius ſit ſenex vitæ c, 6.
In Novitii tentati pectus anathema aureum ſibi ab illo dicatum projicit Imago B. V. vitæ. c, 1.

O.

Obedientiæ neceſſitas, Dom: 1. Pent: p, 5. Obedientiæ perfectio p, 873. n. 8. ejus Idea p, 904. n. 5. Debet aliquid habere interdum de ſuo interdum nihil p, 189. n, 198. ab obedientia præſcriptis obſervationibus cedant privatæ p, 135. n, 25. promovet curam animarum Dom: 4. Pent: p, 5. cur fiat infructuoſa.
Obluctatio naturæ ſignum Divinæ Inſpirationis, vitæ c. 8.
Obſervatores noſtri inevitabiles Dom: 16, Pent. p, 3. Multi & varij ibid. p, 4. Obſervandi à nobis ibid. p, 3
Obſervationibus per partes inſueſcendum, p, 133. n, 19. ſeq.
Occaſiones virtutum non expectandæ p, 828. ad occaſionem virtutis ſtatim ac illam poſtulas, convertere Dom: 13. Pent: p, 6.
Oculus ſimplex non dijudicat aliena Dom: 1. Pent: p, 2
Oculorum invitatio ad meritum p, 179. Oculorum mortificationes c. 9
Odia noſtri apud alios ſine noſtro merito non nocent vitæ c, 15.
Odoratus mortificatio vitæ c. 9,
Opera bona quid vitiat? p, 464. quid ornat p, 467. pauca perfectura præſtant multis imperfectis p, 464. per illa merendi, compendia p, 467 Operum valor unde augetur? Vide meritum. Extra gratiam facta, inutilia p, 407. Operans totus operetur, p, 165. unumquodq; opus habeat Regulam ſuam. p, 130. n, 8.
Operatur unumquodq; naturaliter juxta ſuperiorem gradum p, 83. n, 53.
Operariorum circa animas promptitudo p, 875. n. 5.
Opes deferendæ antequam deferent nos. Dom: dedicat p, 6.
Orationis donum præludium Beatitudinis vitæ, c. 15. ad continuo orandum excitatorium, p. 227. brevis ſit oratio, ſed attenta p, 186. ſit reſignata in voluntatem Dei p, 874. n. 2. 3. & Dom: 20. Pent: p, 9. Verecunda eſt efficax. Dom. 10. Pent: p, 5. inefficacis cauſæ. Dom: 5. Paſch: p, 4. 5. magna à Deo petenda ibid. p, 3. orans oret magnifice p. 874. Orationi deditus habet juge gaudium Dom: 5. Pet: p, 7. Orationes jaculatoriæ. vide Jaculatoriæ. Oratio pro peccantibus. vitæ c. 9.
Ordinata vita expiat peccata p, 461.
Ordinaria non ordinariè fiant p, 157. n. 94. & 467. In ordinarijs tota perfectio. vitæ c. 17.
Ordo actionum primum inſtrumentum proficiendi p, 128.
Oſtentatio, bona opera, facit mala Dom: 5. Paſch: p. 1.
Ovium Chriſti notæ Dom: 2. Paſch. p, 2. Oves quæ non ſunt ex Chriſti ovili. ibid.

P.

Parcitas Præſidum orbat benedictionibus Domos quibus præſunt. vitæ c. 6.
Particulare Examen. vide Examen.
Paſſiones ſpinæ p, 857 n, 10.
Paſſionem Domini meditandi modi varij. à pag, 524. Tractatus integer. Quid paſſus in Divinitate, anima, potentijs, Corpore? p, 532. ſeq.
Paſtoris officium Chriſtus nunc obit Dom: 2. Paſch: p, 2
Paſtoris & mercenarij notæ. ibid. p, 4.
Patronorum Ss. delectus & devotio ad illos vitæ c. 15.
Pauperes lucrifaciendi zelus p, 863.
Paupertatis indoles p, 60. n, 10.
Pax Chriſti, adverſorum tolerantia p, 907. n. 3.
Peccata ex quibus Capitibus ponderat Deus p, 381. n. 5. Expiantur vitâ ordinatâ, p, 461. Examine frequenti p, 462. Zelo animarû. vita religioſâ, mortificatione ſenſuum ibid. aliter à nobis, aliter à Deo ponderantur p, 200. pœnæ eorum ſpirituales 500. & 505. Stimulus converſionis à peccatis facilitas Chriſti in recipiendis peccatoribus Dom: 3. poſt Pent: p, 4. Peccatum peccato cur gravius? p. 177. p. 162. Peccati effectus, p, 502. Pœnas peccatorum evadendi modus p, 504. Venialium damna p, 500. Peccatum timendum, etiam ubi non eſt p, 500. Peccatorum fontes plures p, 839. Peccatores multi in procuranda ſalute fervétiores juſtis Dom: 3. Pent: p, 2. Peccata aliena occultanda p, 895. n, 9. cum noſtris examinanda p, 810. Peccatores converſi Angelorum & Ss. lætitia p, 893. n. 14. & Dom: 3. Pent: p, 7. erga peccatores caritas p, 558. Peccata remiſſa timenda p, 500.
Perfectioris vitæ horror fiduciâ pellitur vitæ, c. 18. perfectionem cur multi non aſſequantur, p, 67. 68. 69. Perfectionis idea p, 894. n. 3. & 895. n. 8. ad perfectionis curam obligatio p, 440. maxime in ſenibus p, 441. Perfectionis exempla Deus, Verbum incarnatum. V. B. p, 509.
Perturbationum fons defectus fiduciæ in Deo. Dom: 14 Pent: p, 6,
Piaculi expers, ſecurus periculi p, 877. n. 5.
Pœnitentia non quælibet pœnitentia p, 499. ſera dubia eſt p 877. n, 9. Vera, juſtis æquat peccatorem Dom: 3. Pent: p, 6.
Pœnæ inferni Dom: 5. Pent: p, 5.
Potentiarum uſus quomodo juvat meritum p, 142. n. 46.
Prædeſtinationis profundum Dom. 19. Pent: p, 17. 18. ex Prædeſtinationis conſideratione laquei. Dom: 21. Pent: p, 6.
Prædicator non loquatur à ſemetipſo Dom: 4. Paſch: p, 5.
Præmia & ſupplicia menſurat Dignitas Dei p, 233.
Præſentia Chriſti ejicit ex corde vanitates Dom: 9. Pent: p, 8. eius efficacia in cura animarum Dom: 4. Pent: p, 7.
Præſentia Dei p, 218. Ejus non meminiſſe, homini periculoſum p, 220. ſeq. Ejus memoria facit Sanctos, & ſuo modo impeccabiles p, 222. 227. eſt adjutrix. p, 223. illius fructus p, 224. eſt Regula agendi, vivendi p, 225. Vnionem cum Deo operatur p, 226. ad pœnitentiam excitat. ibid.
Prævisio & præcogitatio agendorum Dom: 4. Paſch: p, 1.
Preces efficaces ſunt, ſi Deo vim inferant Dom: 20. Pent: p, 8. Pri-

Digitized by Google

INDEX

Primæ gratiæ & inſpirationes arripiendæ Dom: dedic: p, 8.
Principijs obſtandum p, 898. n, 14.
Privatæ vitæ poſt regimen praxis vitæ c. 5.
Procraſtinatio in cura ſalutis periculoſa Dō: 20. Pent: p, 2. & Dom: 24. Pent: p, 4. & p, 877. n. 9. & 403. n. 11.
Proficiendi ſtudium Dom: 16. Pent: p, 12. Stimuli varij p, 498. Dom: 20. Pent: p, 3. Vocatio Religioſa p, 512. non proficere deficere eſt. p, 513. & 872. n. 10. Profectus noſter ædificat p, 520. in profectu Centuplum p, 888. n. 12 Dæmonis confuſio p, 521. Proficiens ſemper proficiendi locum & materiam videt Dom: 2. Pent: p. 7. & Dom: 4. Pent: p, 3. Proficiendi deſiderijs Chriſtus occurrit Dom: 15. Pent: p, 1. Proficiendi inſtrumentum vita communis pag. 467. item Ordo p, 118. item deſiderium proficiendi p, 857. Item per creaturas 102. n, 18.
Non proficientium claſſes ex ſimilitudine deficientium in via materiali Dom: 6. Pent: n. 7 Profectus ſpiritualis impedimenta, & induſtriæ Dom: 4. Pent:
Profectus noſter juvat ad profectum proximorum Dom: 4. Paſch: p, 2.
Propoſitorum executio feſtinanda Dom: 24. Pent. p, 4.
Propoſitum non peccandi, ſignum eſt in dubia conſcientia non conſenſiſſe p, 86. n, 61.
Providentiæ Dei conſideratio via ad pacem Dom: 14. Pent: p, 6. illius menſura noſtra fiducia p, 211. Ejuſdem uſus ibid. ejuſdem memoria delectationis cauſa p, 119. n, 34. Ejus cultus ſecuritatem præſtat & quietem p, 877. n. 5. Providentia Dei tentat nos p, 900. n, 5. Providentia Dei circa actiones creaturarum & ſubſidia agendi p, 108. n. 4.
Proviſiones ſenectutis, à p, 440. Tractatus integer.
Proximorum & Dei amor colligati Dom: 17 Pent: p, 6.
Proximorum Amoris exemplar. vitæ c. 12. in ſervitio cum incertitudine ſalutis vitæ c. 12. in peſte ſerviendo idq; ex voto ibid.
Punctualitas agendi auget meritum p, 187. item prorogatio temporis. p, 188. n. 196.
Purgatorij pœnarum gravitas, pag, 379. Animarum in Purgatorio varia ſymbola. p, 380. Pœnæ illæ ſuperant captum noſtrum p, 382. n. 7. Quæ hîc leves, unde ibi graves? ibid. n. 6. Iuvandarum animarum motiva varia p, 382. ſeq: Negata illis gratia Chriſto negatur ibid. Neglectus illas juvandi, mali & periculoſi ſtatûs index p, 386. n. 23. Purgatorij vitandi ars hic illud dum vivimus abſolvendo p, 504. Purgatorium animæ voluntarium p, 301.

Q.

Quadrageſimales Devotiones & Mortificationes pag, 890. & vitæ c. 19.

R.

Ratio recta & Divina voluntas non diſcrepant. p, 70. n. 14.
Rationis & ſensûs pugna quotidiana p, 122. n. 4.
Ratihabitio bonorum noſtrorum vel alienorum, quomodo facit ad meritum p, 172. n. 145.
Recidivi p, 898. n. 17. Eorum damna p, 899. n. 18. & 905. n. 3.
Reflexio ante, in, & poſt opus p, 856. & 857.
Refugia moribundorum p, 377.
Regulæ agendi aliæ à Religione, aliæ à Religioſo p, 113. n. 8. illarum prima ſit cura p, 132. n. 13. cuiq; operi aſſignandæ p, 130. n. 8.
Regularum obſervationis commoda p, 117. n. 29. ſecurum facit hæc obſervatio p, 467.
Religioſus ſtatus Deſertum p, 891. n. 4.
Religioſæ vitæ Idea Crucifixus p, 449.
Religioſus non proficiens, monſtrum p, 513. n 1.
Religioſorum confuſio vita bona ſæcularium p, 870. & 875.
Religioſi opera, ejus vox p, 865.
Religioſus in Regularum obſervatione non habet diſcrimen Dom: 17. Pent: p, 2.
Religioſorum particularis obligatio animas purgatorij juvandi p, 586.
Remiſſi actus majori fatigatione exercentur quam Intenſi p, 147. n. 92.
Reprobus ab approbato in hac vita non diſcernitur p, 879. n. 5.
Reſignationis actus, vitæ c. 19.
Reſpectus humani à via virtutis avocant. Dom: 22. Pent: p, 5. Pugna contra illos ibid. Contemnendi, p, 863. n. 7.
Retractatio malarum actionum, tam noſtrarum, quam alienarum meritoria p, 173. n. 149.
Reverentiæ Dei neceſſitas & obligatio p. 220. ſeq.
Ruinæ ſpiritualis fontes p, 879. n. 6. & p, 880. n. 8.

S.

Sacerdotalis ſtatûs ſtimulus proficiendi p, 512.
Sacerdotum ad juvandas animas purgatorij obligatio p, 386. eadem particularis in Societate IESV ib.
Sacrificaturi, quanta debet eſſe puritas p, 513.
Sacrificatio noſtri in operibus noſtris, p, 109. n. 135.
Sacri pro felici morte praxis vitæ c. 19.
Salvari poſſe aliud eſt, aliud ſalvatum iri vitæ c 8.
Salutis animæ procurandi ſtimuli Dom: 20: Pent: p, 3.
Salutis in ſæculo difficultas Dom: 14. Pent: p, 6.
Sanctitatis falſa ſpecies Dom. 7. Pent: n. 9.
Sanctitas Cenſuris & linguis proficit vitæ. c. 10.
Sanctorum cultus varius vitæ c. 15. & c. 13.
Sancti ad quid Deo in Cælo p, 308. non expedit illis non pati etiamſi poſſent p, 863. illorum præmium & merces noſter profectus p, 518. inde eorum in cælo gloria & cōſolatio p, 519. eorum reſpectu noſtri Dominium p, 324. Sanctorum æmulatio p, 44[illegible].
Sanguine junctorum affectus exuendi p, 870.
Sapientiæ Dei amplitudo p, 238. æterna mundanam evacuat p, 413. æque in magnis ac parvis mira & æſtimanda pag, 415. Ejus deſcriptiones. p, 416. ſeq. illi ſe deſponſandi ratio p, 427. & vitæ. c. 13. Converſatio cum eadem p, 430. Varia erga illam pietatis exercitia p, 257. ſeq. Mundo contraria p, 869. n. 8.
Satisfactionis intentio expiat peccata p, 462.
Scandaliſari in Chriſto quid ſit. Dom: 2. adven. p, 8.
Scriptura maxima in myſterio brevis in ſermone Dom: 19. Pent: p. 5. Eſt liber Amoris. ejus encomia p, 248.
Sæculares quandoq; Religioſis ferventiores p, 875. & Dom: dedic: p, 3.
Sæculi amatorum Cæcitas p, 894. n. 3.
Semel placuit, ſemper placeat. p, 176. n. 162.
Senectus ſtimulus proficiendi in bono p, 907. p, 511. & 512. eſt calcar Iuvenum ad profectum p, 520. illius ad perfectionem major obligatio p, 441.
Senex ſit Novitius vitæ c. 6.
Senſualitas ubiq; ſe inſinuat rectæ intentioni p, 89. illius moderandæ Regulæ p, 87. n. 63.
Senſûs mortificandi Induſtriæ vitæ c. 9. & 10.
Septem panes in Evangelio ſeptem miſericordiæ. itera

ſeptem

Digitized by Google

ſeptem Sacramenta *Dom:* 6. Pent. [illegible]
ſeptem Dona Spiritus S. ibid
Servis Chriſti contradictiones p[illegible] p, 6.
Servus Chriſti in profectu ſpirit[illegible] ter ad initia converſionis Dom [illegible] quam ſatis habet in ſtudio pr[illegible] Pent: p, 3.
Signorum ſubſtitutio induſtria merendi [illegible]
Silentium Innocentiæ defenſio Dom [illegible]
Similitudinem Dei operatur illius præ[illegible] ſeq.
Societas Seraphica ex *Divis* & H[illegible]
Solitudinis amor p, 867. n. 2. Fructu[illegible]
Spes contra ſpem p, 876.
Spiritûs Sancti recipiendi modus [illegible] Paſch: p, 10. ad illum recipiend[illegible] gna Euchariſtiæ ſumptio ib[illegible] regatur veritatis an men dac[illegible]
Spiritualia colloquia p, 906 n. 3.
Status ſæcularis Electio plus requiſit[illegible] quam ſtatus religioſi vitæ c. [illegible]
Sterilitatum cauſæ & remed[illegible]
Stultitiæ Chriſti profeſſ[illegible] vitæ c. [illegible]
Suavitas morum in an[illegible] vet Dom dedic p, [illegible]
Suavitates vitæ ſpiritualis [illegible] p, 110. n 9.
Superbiæ gradus & [illegible] fructus, Depreſſ[illegible] eſt omnis tentatio [illegible]
Superiorum ſcopuli [illegible] ſuos liberalitas [illegible] 19 Eorum lu[illegible]
Supplicia *Deus* exig[illegible] ad [illegible] digna[illegible] p, 233.
Supplendi Creaturarum [illegible] pag, 161. n, 16.
Surditas animæ unde [illegible] 11. Pent. p. 3.

T.

Tabulæ teſtamentariæ R[illegible]
Temeraria judicia [illegible] p, 8.
Templum eſt Dei [illegible] dedic. p, 6. Templa [illegible] rentia in quo [illegible] Templa Dei ſunt cor- pora noſtra [illegible]
Temporis pret[illegible] conſcientia [illegible] ſpiritualibus c[illegible] re dictamina [illegible]
Temporalium & [illegible] differentia, p, 110. n. 8.
Tentans *Diabolus* [illegible] tantis proprietat[illegible] nes remedium [illegible]
Tentatus fortior [illegible]
Tentamus Deum [illegible]
Tepidorum patrocin[illegible]
Tepida vita lacrym[illegible] *Dom.* [illegible] Pent. p, 2. eſt ab[illegible] Pent. p, 2. Tepor[illegible] pinqui [illegible]
Timor triſtitiæ [illegible]
Timoris affect[illegible] p, [illegible] n. 18. ſeq.
Tolerantia *Dei* [illegible] Pent. p. 5.
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
Triſtitiæ [illegible]
T[illegible]

V.

V[illegible]
V[illegible]
V[illegible]
V[illegible]
V[illegible] Dom[illegible]
V[illegible] *Mariæ* p. 867.
V[illegible] heroica Ss. Alexij, Catharinæ, A[illegible] p, 80. n. 67.
V[illegible] *Dei* [illegible] Dom, 8. Pent p. 3.
V[illegible] in occaſionibus luctæ inter [illegible]
V[illegible] Actiones ordinar[illegible] expectandæ p, [illegible] Earum in Paſ[illegible] exemp a p. [illegible] 7.
V[illegible] guſtatione Euchari- [illegible] Paſch: p, 1.
V[illegible] vitæ c. 12.
V[illegible] ſed [illegible] habitat p, 110. n. 9.
[illegible] 7. Pent: p, 10.
V[illegible] c. 11.
V[illegible] extirpanda [illegible] plantandæ, [illegible]
V[illegible] in horas p, 862.
V[illegible] vitæ [illegible]
V[illegible] cum Deo [illegible] apprehen- [illegible]
V[illegible] Religionem [illegible] tantum ſit. [illegible] p, 456. Vide Religio[illegible]
V[illegible] præſtat alijs omnibus e- [illegible] Eſt [illegible] ibid. Sola fit [illegible] ad perfectionem via, non [illegible] exercitij in- [illegible] quibus exercenda p, 94 [illegible] non [illegible] 127. [illegible] p, [illegible] n. 67. [illegible]
V[illegible] 466. [illegible]
V[illegible]
V[illegible]
Votum [illegible]
Votum [illegible] p, 8[illegible]
Vulnera & [illegible] Chriſti [illegible] p, 9[illegible] & Dom. [illegible] Paſch: p, 5. 4.

X.

X.

S. Xaverius Hymnum *Veni Creator* ſingulis Horis Canonicis præmittere ſolitus p, 131. n. 11.

Z.

Zelus animarum expiat peccata, p, 462. eſt ſui in aliorum gratiam negligens *Dom:* 6. Pent: p, 8. Ad illum incitamenta *Dom:* 12. Pent: p, 6. Non facit inter animas diſcrimen Dom: 19. Pent: p, 11. Ejus in ſuis officijs promptitudo Dom. 23. Pent. p. 3.

Zelantium officia p, 881. n. 10.

Zelus negligens, periculum zelantium Dom: 1. Pent: p, 4.

Zelus pauperes lucrandi p, 895.

A: M· D· G·

Digitized by Google

DEO VERO HOMINI

IESV CHRISTO

GENVS HVMANVM

Ab æternæ Mortis interitu

PASSIONE, CRVCE, MORTE SVA,

VINDICANTI

HÆC

STROMATA

Simul ac ſemetipſum

DEBET OFFERTQ;

Vindicatorum minimus

G. D. è S. I.



Digitized by Google

ILLUSTRISSIMO

REVERENDISSIMO DOMINO

D. PREMISLAO

WALEVVSKI

ABBATI BLEDZEVIENSI

SACRI ORDINIS CISTERCIENSIS

DOMINO ET MECÆNATI COLENDISSIMO.

QVòd ſub Tuo nomine liber hic publicum adire deſtinaverit, non noſtram interpretationem, ſed Tuam conſule dignitatem. Nempe ſuo ille honori ex Tuo conſulere voluit. Lucem adire parabat poſt longas in quibus delituerat tenebras, & quandam privati noctem; ubi verò majorem ille, quàm in Illuſtriſſima WALEWSCIORUM Domo inveniſſet, qui etiam ſereniſſima Nomina, ſua cognatione in Michàële primo & Ioanne Tertio involverunt. Stetiſse in publico, neutiquam ſecuriùs hic liber potuit, quàm ſi Tuâ Columnâ niteretur, quâ diu & Res Romana ſtetit in Columnis, & Polona in WALEWCIIS. Ut è majeſtate prodiret in lucem, Maternâ Tuâ Soleâ munitus tritam & prope Regiam viam eſt ingreſſus. Nemo non ſuſpiciet ſublimiorem librum, qui & elevato authoris ingenio, & Tuâ Columnâ attollitur. Nemo non extollet volumen laudibus,

quod Tuo ſtemmate ipſi prope cælo admoviſti Quis hìc deſiderabit aut ſoliditatem in ingenio, aut in verbis pondus, aut ſublimitatem in argumento; omnes iſtæ primæ librorum dotes ex WALEWCIORUM Columna in librum derivantur. Quis Zoilus cenſorio ſtylo compunget librum, quem in ipſa fronte non ceſsuræ lapis munivit veritatis. Hic tanquam ad Tarpeſiam cautem, critica elidetur obtrectatio. Hìc tanquam ad Lydium lapidem, liber aureus explorabitur, & velut ad terminalem Columnam, ad librum undique concurretur. Accedit Perilluſtris & Reverendiſſime Domine; quòd non licuerit Numinis Paſſionem ſinè Columna, etiam à typo produci ad publicam adorationem populorum. Par erat, quod Bernardo fecerat penicillus, Tibi non degeneri ejuſdem Filio prælum faceret, & mitigata cultiori tractatione Dominicæ Paſſionis inſtrumenta, ad negotia continuæ pietatis in Columna dedicaret. Par erat ignominiam Paſſionis olim per Solymæas Infulas comparatam Tuæ Infulæ honoribus compenſari. Jta, Tibi inſcriptus liber duo funera exhibebit; nempe tam Salvatoris, quàm Tuam mortem; ut ex utraq; ſuam lecturi vitam inſtituant. Et Salvatoris quidem funus, mœrore: Tuum; aut approbatione, aut imitatione proſequentur. Etiam enim Tu, imò Tu maximè, mundo vivere deſiiſti, cùm egregius tam Tui, quàm ſeculi contemptor, vivere Religioni incepiſſes. Quantam Tibi accenderat lucem Nomen Jlluſtriſſimum, quâ tamen jam tum frui noluiſti, cùm in illam, tam ſuo Nomine claram, quàm Tuo acceſſu clariorem Vallem commigraſti. Immenſos illos ſpiritus, & prope totidem animas, ex tot Wiſniowiecciis, Radiviliis, Tęczyniis, Warſzycciis,

Firleiis,

Firleiis, Opaliniis, Czarnkoviis, ut cætera æqualia mille omittam nomina, in Tuam indolem, & capax tot vitarum pectus, pene prodigus in Te ſanguis deduxerat, ut aliquando illis Reipublicæ corpus animares, hos Tu religioſa ita egiſti morte, ut tantùm nonnisì retineres ſpiritus, quantum neceſse erat ut eſses ſpiritualis, & non in ſolo Nomine. Hinc eſt, quòd ut veriùs ſeculo morereris, ſanctum illud Mogilenſe cænobium, id eſt, & in populari uſu, tumulum, & in domeſtica appellatione claram Tumbam es ingreſsus, atq; quod mortuis amat fieri, Columnam Tuam, in Cenotaphii uſum poſuiſti, ex quo tam pulchrè ſeculo morientium addiſcerentur exempla; aut veriùs dicam Tuo in claram vallem ingreſsu, veluti in puteo Patritium Coloſsum ſtatuiſti, ne illius ſublimitate quæſituris Te indicareris honoribus. Sed enim non ademiſti humilitate Tua, auctoritatem proverbio; etiam circa Te, nimis quàm verum eſt: Coloſsus & in puteo coloſsus eſt: ſuſpexerunt Te ea ipſa parte, quâ Tu deſpici ſtudebas, tot cænobia, & certatim pro ſe unumquodq; Te exigebat à Tuis Meritis, ad ſua commoda. Optabant non ut augerent caput, ſed ut Tuo Capite Inſulæ augerentur; Manum, non ut erigerent, aut ſuſtinerent Antiſtitum Scipiones, ſed ut erigerentur ab illa; Gemma & Annulus, digitos, ut hic complecteretur, illa coronaret, aut veriùs in digito Tuo ſuum pretium reperiret; & habebant omnia, quod illorum pro Te intenderet deſideria, cui enim capiti pulchrius Inſulæ imminerert, quàm illi, cujus raram induſtriam, etiam ipſum nomen loquitur Premislai, quæ manus Abbatiale certiùs augeret pedum, hac ipsâ, quàm rara liberalitas dilatavit, cui feliciùs ſua Gemma donaretur, quàm illi, qui

li, qui

li, qui & Ordinis Gemma, eſt & Abbatum. Et ſuſcepiſse debueras (an verius cum Chriſto pati iſtam purpuram; ita invitus admittebas) ſed enim quàm modeſtè hac Tua uteris poteſtate, & fere non ad aliud, quám ut ex officio id ipſum præſtes, quòd aliàs, aut ex indole Tua, aut ut Tuo obſequereris ingenio, faciebas. Ita fronti contemperas, ſanctam illam oris Majeſtatem, ut cúm omnes revereantur, nullus timeat. Ita auctoritatem amori concilias, ut qui Te è ſubditis amant, etiam cultus Tuos non dediſcant. Patrem Te, non in ſolo duntaxat Abbatis habent nomine; ſed in illa, qua Te in omnes diſtribuis, religioſa experiuntur charitate. Omnium occurris indigentiæ, liberalitate tempeſtiva; nec exſpectas donec ſe in auribus Tuis per multas preces aliena explicent deſideria; ſed quaſi nutus pro lingua haberet; & quemdam propter oculos ſermonem; ita viſam tantùm jam intelligis indigentiam. Multum ille apud Te pro ſuo voto precatus eſt; qui hoc ſolùm dixit, quòd non haberet. Nempe tanquam ex certiſsima ſpecula, ita è Gentilitia Tua Columna circumquaq; illorum & obſervas, & proſpicis commodis; atque ad hoc ſolùm ſupra illos Te gaudes collocatum; quòd faciliùs è ſublimi poſſis illorum ſtudia deprehendere, & ut ex alto citiùs Tua quæ ponderoſa ſunt deſcendant beneficia. Nec liberaliores beneficiis, quàm exemplis omnigenæ probitatis. Quantus Tibi ſemel relicti cõtemptus ſeculi! nempe tam procul Tu animo terram reliquiſti, quàm Tua Columna ſuo vertice. Quanta in bono conſtantia! & quædam bene vivendi pertinacia; nempe faciliùs loco moveret Columnam, quam Te ab optimo, poſset quis propoſito dimovere, quantis, & quam magnis paſſibus ad præfixam Tibi Religioſæ perfectionis

ctionis contendis metam; nempe qualibus nunquam maternâ munitus pedem ſolea, in ſtadio ſæculi ad gravem tot honoribus Columnam, Majorum Tuorum æmulator contendiſses. Qui Tibi, per lacertos, idem & pro pectore candor, quæ in purpura, eadem, & in vultu verecundia; deniq; quæ in munere, eadem & in moribus manet ſanctitas. Ecce ſub tanto nomine liber hic prodibit in publicum! nempe ad quantos honores ſuos, quis enim illum in hac luce non videbit, cui ſub hac fronte non placebit, quis non leget illum, poſtquam Tuum Nomen legerit. Tuo Nomine, certa operi parabitur æſtimatio, & quædam infallibilis in reliquam libri bonitatem conjectura. Facilè Sanctum credent; qui poterat tam illibati moris viro dedicari: facilè eruditum, qui admitti à tam exculto per omnem meliorem literaturam ingenio; facilè rerum plenum, qui probari a pleniſsimo meritorum. Tandem dicetur, omnia habere libri optimi; ſi unum Te habuerit in frontis honorem. Sed & de ipſo Authore præclarè mereberis Religioſiſſime Abbas, cui ad laboris ſolatia hoc accedet, quòd ſub Tuo Nomine in publico adorabitur; unũ hoc diuturnas tenebras, & ipſam præli tarditatem compenſabit; ſatiſq; citò ſe prodiiſse gloriabitur; dum ita prodiit. Admitte igitur non ad oculos ſolùm, aut manus, ſed magis ad animum & familiarem Tibi lectionem, & primum hoc, imò & totum lege Tuum eſse, quod toto, Tibi, & prælo, & ſtudiis laboravit

Devinctiſsimum Honori Tuo

COLLEGIUM CALISSIENSE

Soc: JESU.

FA-

FACVLTAS
R. P. VISITATORIS PROVINCIÆ POLONÆ
SOCIETATIS JESV.

CVm librum à P. GASPARO DRVZBICKI Societatis Noſtræ compoſitum (ſub titulo, *in Hiſtoriam Paſſionis Domini noſtri JESV Chriſti STROMATA*) deſignati ex eadem Societate Patres reviderint, & in lucem bono publico edi poſſe cenſuerint. Ego STANISLAVS IERZYKOWIC, Societatis IESV per Poloniam Viſitator, facta mihi ab Admodum Reverendo Patre Noſtro Vicario Generali poteſtate eundem librum typis vulgari permitto. In cujus rei fidem, has Authori, manu propria ſubſcriptas, & officii ſigillo munitas dedi. Cracoviæ 12. 7bris Anno 1661.

STANISLAVS JERZYKOWIC.

APPROBATIO
JLLVSTRISSIMI ac REVERENDISSIMI DOMINI
D. FRANCISCI PRAZMOWSKI
EPISCOPI LVCEORIENSIS & BRESTENSIS.

STROMATA in totam Hiſtoriam Paſſionis Chriſti ſecundùm quatuor Evangeliſtas á R. P. Gaſparè Druzbicki Societatis IESV Theologo ſtudiosè conſcripta, & à quatuor Theologis ejuſdem Societatis lecta & probata, utpote ſolidâ doctrinâ ad formandos hominum mores accommodatâ, ac imprimis pietate plena, ut ad ſingulare Religionis Catholicæ emolumentum in lucem edi poſſint Authoritate noſtra, concedimus. Datum Varſaviæ 6. Iulij 1697.

FRANCISCUS PRAZMOWSKI
Epiſcopus Luceorienſis & Breſtenſis.

JN

Digitized by Google

IN HISTORIAM PASSIONIS
DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI
Secundùm quatuor Euangeliſtas
STROMATA.

INſtituenti mihi de Paſſionis Dominicæ Myſterio, deq́; Hiſtoriæ illius articulis pro tenuitate virium mearum ſcribere, venit in mentem omnibus iſta lecturis, jam nunc exitum laboris mei verbis illis cantici canticorũ denuntiare: *Vadamad montem myrrhæ & ad collem thuris.* Agnoſco enim & *Cant.4.6.* confiteor, moliri me celſiſſimi ac undiq; amariſſimæ myrrhæ meſſibus confertiſſimi montis aſcenſum. Hoc qui viderit me conantem, dubio procul immenſos quoſpiam Myrrhæ manipulos, ex illa tam divite meſſe me in medium & communem uſum, allaturum ſibi pollicebitur. At enim ego minimè ignarus tenuitatis meæ, omnibus hanc ſpem infringo, & manifeſtè profiteor, me ut maximè percupiam, (quod ſanè non nego) nihil tam magnificum, nihil copioſum, dives nihil admodùm polliceri. Collem tantùm exiguum thuris: immo ne collem quidem, ſed parvum quendam potiùs, pulueris pigmentarij pugillum, afferre in animo propoſitum habeo: Gloriam ſcilicet Redemptoris Devotionemq; cordis mei aliquantulam: quam ſolam præſenti conatu meo teſtari volo. Tenue ſatis utrumq; & modici collis ad inſtar ſubmiſſum, neq; ardui Montis, cælos ipſos tranſcendenti vertici, ullo modo comparandum; tale tamen cui ego impenſas utcunq; vires meas, inter ſumma Dei munera, interq; vitæ meæ debita tam cupio quàm debeo numerare. Diſco hanc ſenſûs modeſtiam ab ipſomet Domino meo, animarumq; noſtrarum ſponſo Chriſto, qui accingens ſeſe multis illis, & magnis Myrrhæ montibus, ſimulq́; Meſſibus, hoc eſt, Redemptionis noſtræ laboribus, ſimul ac colligendis ex eis fructibus, ijs ipſis propoſitum ſuum teſtatur verbis, dicens: *Vadam ad Montem Myrrhæ & ad Collem thuris.* Modeſtiſſimè innuens; ſe quidem amariſſimos Myrrhæ, ſeu Paſſionis labores, aut potiùs laborum Montes, patiendo & moriendo ſubiturum, ac ſuperaturum, quin & omnes, Meritorum ſuorum meſſes, in horreum Sponſæ Eccleſiæ comportaturum, ſibi tamen, non aliam, partim ab infirmis, partim ab ingratis hominibus gratiam eſſe repoſitam, quàm exiguum quendam Collem thuris; Collem nimirum gloriæ, Collem gratiarum actionis, Collem Amoris, Collem Devotionis, Collem imitationis. Et hunc ipſum etiam non ab univerſâ multitudine vocatorum, ſive Redemptorum, ſed à paucitate Electorum ſibi ſperandum eſſe. Nunquam ſcilicet Paſſioni Chriſti, pro hominibus, par gloria, Devotioq;, ab hominibus, referri poterit: ut proinde Paſſio quidem arduæ Molis, monti, Gloria verò Paſſioni apud homines reſpondens Colli perexiguo ſemper ſit comparanda. Quoniam verò totius Eccleſiæ vires, Paſſionis Dominicæ Montibus, non plus quàm parvum quempiam Honoris aut Amoris Collem componere prævalent, profectò me nemo accuſare poterit, ſi hac ſcriptione meâ Domino meo Patienti, Monteſq; pœnarum, pro me, Giganteis ſuis viribus ſuperanti, nihil ampliús, ſupra hoſce Stromatum in gloriam ejus collectorum paucos pulviſculos, in Collem thuris, quem gratitudo totius Eccleſiæ, nunquam non molitur, & ipſe conijcere adlaboro. Ergo jam ad Montem Myrrhæ progredientem Dominum ſubſequi incipio.

PARAGRAPHVS I.

Matt. 26. 3. Mar. 14. 26. Luc. 22. 39. Ioan. 18. 1.

Jeſus egreditur è Cænaculo in quo manducârat Paſcha, extra Vrbem, trans torrentem Cedron.

FIGVRÆ.

Gen. 4. 8. 1. *Abel egreditur foras occidendus, & dolo Caini fratris circumueniendus.*

Gen. 24. 63. 2. *Iſaac egreſſus fuerat, ad meditandum in agro, inclinata jam die, ubi Rebecca Sponſa occurrit.*

Gen. 37. 16 3. *Ioſeph, in agro oberrans fratres ſuos, quærit, à quibus in eum, conſpiratum eſt.*

2. Reg. 15. 23. 4. *David Abſalonem fugiens, Urbe excedit nudis pedibus, plorans &c. & ſeruis ſuis dicens: Surgite; fugiamus, feſtinate egredi. &c.*

3. Reg. 17. 4. 5. *Eliæ dixit Angelus: vade & abſcondere, in torrente Carith. (1. Exterminium.) qui eſt contra Iordanem, & ibi de torrente bibes, cor, uiſq; præcepi ut paſcant te ibi.*

1. Matth. 5. 43. 6. *Iudas Machabæus, tranſmiſſo torrente Timotheum, & cunctos Hoſtes delevit.*

Iudith. 10. 10. Ibidē 12. 7. 7. *Iudith. occiſura Holofernem ciuitate egreditur. &c.*

PRÆDICTIONES.

Pſ. 123. 5. 1. *Torrentem pertranſiuit Anima noſtra: pertranſiit Anima noſtra aquam, intolerabilem.*

Pſ. 109. 7. 2. *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.*

STROMATA.

Dominus noſter IESVS CHRISTVS poſtquam ſolemniſſimi Hebræorũ ritus obſervatione, Agni ſcilicet paſchalis eſu, veteri illi teſtamento, priſcoq; Paſchati finem impoſuiſſet & novus Magnuſq; legiſlator, novum Diviniſſimumq; Paſcha in Euchariſtici Sacrificij, Sacramentiq; inſtitutione, novi Teſtamenti, noviq; Paſchatis initium dediſſet: producto etiam multam ac prope in mediam noctem, admirabili illo, quem Ioannes Evangeliſta fuſé deſcripſit ſermone, quo nihil diuinius ex omnibus Incarnatæ Sapientiæ concionibus, habet Eccleſia Catholica, actis demum ex priſcæ pietatis ritu, DEO bonorum omnium largitori gratijs: Paterfamilias, cujus domo hactenus cum ſuis Diſcipulis uſus fuerat, eandemq; ſacroſanctis ſuis myſterijs, in ea peractis ſacrauerat, utq; deinceps ſibi ac ſuorum fidelium uſibus deſeruiret, partim exorato, partim admonito, ad extremumq; cum omnibus tunc præſentibus, beniginiſſime valere iuſſo: egreditur é Cænaculo, atq; tota ipſa Urbe excedit cum Diſcipulis ſuis, trans torrentem Cedron,

A in montem Olueti ubi erat hortus, in Campo, ſive Villa Gethſemani, in quem introiuit ipſe & ejus Diſcipuli, ſecundùm conſvetudinem ſuam. Siquidem per hos præſertim antegreſſos proximè dies Dominus IESVS, poſteaquam in Urbe & Templo, quotidie populum erudiiſſet, ſub veſperam in Bethaniam cænandi gratia regredi, ac deinde in hunc Oliuarum Montem, hortumq; venire, ac ibi in Oratione Dei pernoctare conſueuerat: Hodie autem omiſsa jam Bethania, recta ab Urbe In hortum iſtũ prodiit, ſolitæ orationi vacaturus. Quod ita uſitatum Domino fuit, ut proditor Iudas non alibi quærendum ſibi ad proditionem explendam Dominum cenſuerit, quàm in hoc loco! Unde Euange-

B liſta dixit: *Sciebat autem & Iudas, qui tradebat, eum locum, quia frequenter Ieſus con uenerat illuc cum diſcipulis ſuis.* Ioan. 18. 2.

1. Ergo ſui probatiſſimi inſtituti retinendi conſeruandiq; gratia, quantumvis præſciret hac vice, fatalem ſibi fore, ejus moris obſeruationem, ejuſq; loci ingreſſum, egreditur, nihilominus ab Urbe Dominus. & locum orationis ſuæ uſitatum repetit. Erudiens utiq; nos diſcipulos ac ſequaces ſuos, uſq; adeo non facile eſſe pios mores, probataſq; & uſu receptas conſuetudines omittendas, ut etiam ingruentibus tentationibus, atq; impedimentis, & terroribus, eos retineri oporteat. Quod quidem ſpecia-

C liſſimé ſeruandum eſſe, Dominus exemplo ſuo admonet, in retinendo exercitio Orationis, locoq; ad Orationem & colloquium cum Divina Majeſtate, electo quem ingruentibus quibuſvis difficultatibus, tantò minus deſerere expedit, quantò in tali temporis articulo, Divinis vel maximé opus eſt, ex parte quidem noſtra, invocationibus, ex parte autem Dei præſidijs, & ſuffragationibus. quibus utiq; videtur ille renuntiare, ſeq; aut non indigum demonſtrare, aut indignum reddere, qui urgentibus difficillimis & arduis rebus orationis & exercitium & locum, opportunũ, non dubitat deſerere.

2. *Egreditur ex Cænaculo & Urbe Domi-* Iob. 1. 5.

D *nus IESVS.* ut à nuntijs, immò Miniſtris mortis, non convivans, ſed Deum orans inveniretur; ad eum modum, quo, S. Iob à ſervis cladium ſuarum nuntijs, inventus eſt pro filijs filiabuſq; ſuis.

Digitized by Google

ſuis Deo ſacrificans. Porrò fuiſſe Chriſto Domino curæ, providere, ne ad mortē raperetur, ſeu ad Paſſionem caperetur, in aliquo opere, quod hoſtium malignitas, quoquo modo cavillari vel in ſpeciem poſſet: videntur ea declarare, quæ in articulo comprehenſionis ſuæ miniſtris objicit: *Tanquam ad latronem* *Matt. 26. 55.* *exiſtis comprehendere me &c.* Poterant autem facilè cavillari, ſi convivantem, aut nocturnos ſermones, ſeu conſilia agitantem reperiſſent. Cui exemplo inſtitit & Paulus Apoſtolus, qui refellens Iudæorum tumultum, in ſe excitatum, accuſationemq́; ab iiſdem mendaciter contra ſe apud Felicem inſtitutam, illud pro ſe allegat: *Neq; in Templo invenerunt me, neq; in Synagogis,* *Act. 23. 12.* *neq; in Civitate: neq; probare poſſunt tibi, de quibus nunc me accuſant.*

3. Uſitatum eſt, ut quando ſive privatâ, ſiue publicâ etiam auctoritate, ac poteſtate quilpiam reorum maleficorumq́; prehenditur, & in vincula rapitur. locus ille in quo, & Paterfamilias, cujus in domo maleficus reperitur, indemnis feré non ſeruetur: hac in parte ſapiens, benignuſq; *IESVS,* benefactori ſuo, cujus eatenus, domo, cænaculo, miniſterioq́; uſus percommodè fuerat, proſpicere cupiens, & ne quid ſuâ cauſa ille, vel in perſonâ, vel in totâ domo iniuriæ violentiæq́; pateretur, cavens: egreſſus eſt ab ejus domo maturè & procul ſeſe ab eâ extra urbem contulit: ne malum pro bono, injuriam pro beneficio, occaſione ſaltem à ſe datâ, rependiſſe videretur.

4. *Egreſſus eſt tam à Cænaculo quàm ab Urbe Dominus IESVS:* & ad ſolitum Orationis ſuæ locum diſceſſit, ut hoc etiam aliquanto loci temporiſq́; intervallo, quo ab urbe, ad Hortum uſq; pergendū fuerat, daret Iudæ proditori ſuo reſipiſcendi amplius ſpatium. Eunti enim extra Urbem Iudæ, atq; ad locum illum orationis ſuæ conſvetæ pergenti, ſuccurrere poterat, & ſanè debebat in mentem. pergere ſeſe ad eum locum, in quo Magiſter ac Dominus ejus, de ſuo more pernoctans in Oratione Dei, inveniendus erat. Pergere ſe ad eum locum, in quo Magiſter, ac Dominus ejus, vel elevatis in cælum manibus atq; oculis, vel proſtratus in faciem ſuam ſupplex Deo inventus, ſe præduce in manus Hoſtium tradendus erat. Pergere ſeſe ad eum locum, in quo Magiſter & Dominus ejus, cælos vocibus ac gemitibus pulſans, terram lachrimis rigans de more ſuo, tam à ſe proditore quàm ab universâ Militum Miniſtrorumq́; cohorte, deprehendendus erat. His talibuſq́; ſuccurrentibus, in illo itinere, proditori Iudæ, heri poterat, ut ſangvinarius ille animus emollitus reſipiſceret, & à nefario conſilio reſiliret & ad ſaniora conuerſus, pœnitentiæ conſilium arriperet.

5. *Egreſſus eſt ab Urbe IESVS:* quaſi minus decens putaret, ſe ſponte propriâ & ad vincula, & ad tormenta, & ad mortem, euntem, à Miniſtris nequitiæ concluſum, intra Urbis vel domûs ſepta reperiri & teneri. patente ergo in campo Imperator noſter cum Hoſtibus congredi volens, domum & urbem deſerit, liberum, Hoſtibus occurrendi, campum occupat: Ita David Ceilam, ita & Ierosolymam olim deſervit: ne aut in Saulis aut in Abſalonis manus, clauſus in urbium aliquâ, perveniret. *1. Reg. 23. 13. 2. Reg. 15. 14.*

6. *Egreſſus eſt à Cænaculo IESVS:* ut ipſius Cænaculi, honori quodammodo cultuiq́; proſpiceret. Iam enim locum illum admirandis, & ineffabilibus Myſterijs, non deſtinârat tantùm, ſed prorſus occupârat & conſecrârat. jam eum in Sancta Sanctorum Eccleſiæ ſuæ dicaverat atq; dotaverat: jam eum in domo orationis converterat. jam illum Spiritûs Sancti adventui, jam ſuorum fidelium perfugio, jam omnino ſanctiſſimis quibuſq́; uſibus illum deputaverat. ideo nullam & in illo, & ipſi illi irreverentiam inferri ullo modo volebat. *Io. 2. 13.* Nam ſi ab illo Legis veteris templo, orationi duntaxat ſoli, de cætero autem egenis ritibus conſtituto, tamen zelo Domûs Divinæ perurgente, confecto flagello, eiecit omnes vendentes & ementes, neque ſivit vas aliquod per illud deferri: quomodo potuiſſet Dominus Templum novum à ſe dedicatum, & *Mar. 11. 16.* veris maximiſq́ Myſterijs jam Sacratum, à militibus & miniſtris ſceleratis, ab impiiſſimo Iudâ, immaniſſimis flagitijs, & nominatim perfidiâ proditioneq́; diſcipuli unius, comprehenſione ſui, diſcipulorum omnium fugâ, pollui, & temerari, ſpeluncâmq́; latronum & latrociniorum permittere, fieri?

7. *Egreſſus eſt ab illâ Domo & Urbe IESVS.* ut non minus ipſe quàm Iudæi, paci quietiq́; publicæ proſpiceret. quærebat impius Iudas, quomodo illum opportunè, & ſine turbis traderet: quærebant & Iudæorum principes, ne quis ex occaſione prehenſionis ejus, tumultus fieret in populo: ſané par fuit Chriſtum

ſtum quoq; capi volentem, providere ſimiliter, ne ſuâ cauſâ tumultus & motus aliquis fieret in populo, & civitate, quo res ad arma aut cædes perueniret. Cui à Chriſto cauſam datam, libenter, A facileq; nequiſſimi Hoſtes, vel probaſſ[e]t, vel crediḍiſſent, ſi illo in urbe, noctu, cum ſuorum cætu, capto, aliquem ob id motum excitatum eſſe docere potuiſſent. Sed neq; Chriſtus ipſe jam Pilato dicere potuiſſet, quod poſtea dixit: *Si ex hoc mundo eſſet regnum meum, Miniſtri mei utiq; decertarent, ut non traderer Iudæis.* Ioan 18. 36. repoſuiſſet namq; Pilatus, decertatum eſſe, tumultû concitatum, expedita arma. &c.

8. *Egreſſus eſt extra Urbem IESVS.* quià non opportebat eum intrà ſepta capi, qui intrà ſepta non debuit, neq; voluit pati. Non enim pro uno populo, nec pro unicâ Urbe moriturus erat, ſed pro totius mundi ſalute. quare illum, non B in Urbe, nec in domo, ſed in orbe & ſub dio capi opportebat. Alioqui quomodo nos: Heb. 13. 13. *extrà caſtra exire improperiumq. Chriſti portare* potuiſſemus, ſi Chriſtus ipſe, illud, non extra Urbem portare occæpiſſet, & ex urbe deinceps non extuliſſet? Facile quis affirmaſſet, Chriſtum non captum neq; paſſum Matth. 14. 24. *niſi propter oves domus Iſràel*: hoc ergo ne dici poſſet, ideo extra urbem capi teneriq; & in manus gentilium tradi mactandus, voluit Ioan 1. 24. ut commune bonum eſſet, utq; *Agnus Dei* noſceretur *tollens peccata* non tantùm urbis unius, ſed etiam orbis totius.

9. Malach. 1. 10. *Egreſſus eſt Urbe Dominus*: in ſignum auerſi ab eâ ſui cordis: quemadmodum aliquando dixerat per Prophetam: *Non* C Malach. 23. 38. *eſt voluntas mea in vobis* & per ſemet ipſum: *Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta.* Rom. 11. 11. Sic ergo receſſio Domini ab Iudæis, eſt acceſſio ad Gentes, ac *illorum delicto, ſalus eſt Gentibus*, ſicut ruina Angelorum, eſt dilectio & aſſumptio Iob. 11. 12. hominum. Quis jam ſeruus erit? cui caput erigere licebit, in tantâ bonitate, & ſimul ſeveritate Dei? quando pedem figere non poſſumus, quando & primogenitos filios, hoc eſt, dilectiſſimos Oſe. 1. 9. Rom. 9. 26. DEO populos excuti, & *Non plebs mea vos*; audire inq; locum *ramorum oleaſtros inſeri* Ibid. 11. 17. Videmus?

10. *Egreſſus eſt & domo & urbe quoq; IESVS*, ac in patentem locum progreſſus: more nimirum eorum, qui ma- D gna molientes, atq; ardua aggreſſuri conquieſcere in loco non poſſunt: ſed negotiorum magnitudine, mentem abſorptam, ſurrectamq; gerentes, etiam corpus ad motum animi commovent. Ioſ. 5. 13. Ita Ioſue Dux Filiorum Iſrael: expugnationem Hiericho meditans agrum urbis obambulat. Ita Iudith Caput holophernis auferre ſatagens, caſtris & tabernaculis cohiberi non potuit, ſed Iudith. 12. 7. *exibat noctibus in Vallem Bethuliæ & baptizabat ſe in fonte aquæ, & ut aſcendebat, orabat Dominum Deum Iſràel, ut dirigeret viam ejus ad liberationem populi ſui* Ita Eliſeus reſuſcitaturus filium ſunamitidis: *Orauit ad Dominum & aſcendit & incubuit ſuper puerum poſuitq;* 4. Reg. 4. 34. *os ſuum ſuper os ejus &c. & deambulavit in domo, ſemel huc atq; illuc, & aſcendit & incubuit ſuper eum.* Hoc ergo & Chriſtus agit: jam colloquitur, jam orat, jam hymnum concinit, jam egreditur urbe, jàm in Gethſemani pergit &c.

PARAGRAPHVS II.

JESVS relinquit octo diſcipulos in prædio Gethſemani.

Math. 26. 36. Mar. 14. 32.

FIGVRÆ.

1. *Joſephum inuenit vir in agro errantem, & fratres ſuos quærentem.* Gen. 37. 14.
2. *Saul cum puero aſinas Patris ſui quærit.* 1. Reg. 9. 3
3. *Ionatas Caſtris egreſſus, cum ſolo armigero ad caſtra Philiſtum.* 1. Reg. 14. 6.
4. *Dauid ſolus ad Achimelech venit: cui ille: quare tu ſolus, & nullus tecum &c.* 1 Reg. 21. 1.
5. *Ab irà Iezabel fugiens Elias, abijt quocunq; eum ferebat voluntas: & dimiſit puerum ſuum, & perrexit in deſertum.* 3 Reg. 19. 3.

STROMATA

1. Duplicem transfigurationem fecit Dominus in Humanitate ſuâ, ànte Paſſionem ſuam, unam in Monte Matt. 17. 1. Thabor, in quâ gloriam ſui Corporis, aſſumptæq; propter nos humanitatis, quam aliâs totâ vitâ ſuâ occultam repreſſamq; tenebat, ad breve tempus maniſeſtauit. Aliam in monte oliuarum, in quo ejuſdem aſſumptæ mortalitatis, veram atq; genuinam infirmitatem evidentiſſimè demonſtravit. Ad neutram illarum totum Diſcipulorum cætum admiſit: ſed bonam eorum partem, ab utriuſq; ſpectaculo excluſit. Noverat nimirum vires & capacitatem ſingulorum: & ſciebat non omnes fuiſſe tantis operibus capiendis idoneos: grauare itaq; infirmiores nolens, ſicut olim in montem Thabor ire poſt ſe non omnes ſed electos tantùm permiſit: ſic

& nunc

Digitized by Google

& nunc in montem Olivarum, adſpectandam infirmitatẽ ſuam, non omnes, ſed eoſdem electos ire ſecum voluit.

2. Conſcius erat Dominus infirmitatis Diſcipulorum ſuorum, & quòd nec dum tantum virium illis ineſſet, ut non modò captivitatem vinculaq; ſua, ſed nec ipſam quidem contriſtationem, metum, tædiumq́ ſuum ſatis robuſtè ſpectare poſſent, immo noverat eos fugam capeſſituros eſſe, ubi primùm injectas ſibi manus à miniſtris vidiſſent. relinquit ergo illos & turpi illorum fugæ utcunq; remanſione illâ medetur, dans locum, ut non tam fugiſſe, quàm potiùs liberè, & citra notam diſceſſiſſe viderentur.

3. Vt Paſtor bonus infirmis gregib9; ut cautus Imperator militiæ tyronibus; ut bonus Magiſter Diſcipulis rudioribus, tantiſper parcit, neq; eos durioribus exercet, quamdiu pares duris exercitijs humeros adferant. Quam ob cauſam & in lege veteri edicebatur: *Deut. 20. 8.* *Quis eſt homo formidoloſus, & corde pauido? Vadat & revertatur in domum ſuam, ne pavere faciat corda fratrum ſuorum, ſicut ipſe timore perterritus eſt.* ita Dominus octo Diſcipulos ſuos, in tuto, procul periculo, collocat. Necdum enim ſequi illum poterant eò, quo ipſe jam ibat. olim ſecuturi, poſteaquam Paſſionis exemplo inſtructi & virtute ex alto induti fuiſſent. tunc enimuero ſecuti ſunt veſtigia ejus: quando *ibant gaudentes à conſpectu concilij, etiam virgis cæſi, eò quòd digni habiti eſſent pro nomine IESU contumeliam pati.* *Act. 5. 41* Tale gaudium nequaquam infirmorum eſt. tale gaudium nequaquam plebejorum eſt. Montana ſunt iſta, & excelſa, & aſpera, ad quæ turba non aſcendit, & infirmi in eis eſſe non poſſunt. *Ambr. lib. 5. in Luc. 9* ſed ne ipſe quidem Diſcipulorum grex facile talia comprehendit. deniq; talia Chriſto loquente ad eos: *ipſi horum nihil intellexerunt.* *Luc. 18. 31.* Bene ergo à Chriſto ad talia, ne quidem ſpectanda tunc admiſſi ſunt.

4. Decreuerat Dominus IESVS ſuam Paſſionem, per omnia puram, omniſq; vel ad ſpeciem ſolatij vacuã eſſe; porro habuiſſe gregem Diſcipulorũ præſentem in ſuâ triſtitiâ, tædio, mærore, fuiſſet quædam conſolatio, ex tot condolentium aſpectu atq; præſentiâ. Iam nunc ergo Dominus hac ſe ſe exuit, cõſolationis ſpecie: relinquit potiorem diſcipulorum partem, & eâ deſtitutus horam & ſimul ſtadium, mæroris, triſtitiæq; & omnis interioris luctæ anxietatiſq; ingreditur, & purum, nulloq; omnino mitiori ſapore dilutum aut conditum Calicem Paſſionis deguſtat

5. Tam gravem inſolitamq; paſſurũ ſeſe Chriſtus ſciebat, jam jam, in totâ humanitate ſuâ immutationem, vel potiùs perturbationem, quantam in omni vitâ ſuâ ſuſtinuiſſe à nemine viſus fuerat: arcet ergo nunc ab hoc inſolito ſpectaculo diſcipulos ſuos, tum ne ipſos vehementiâ & inſolentiâ afflictionis ſuæ contriſtaret, tum ne ſcandali illius, quod ipſos hac eâdem nocte in ſe paſſuros prænuntiaverat, tempus illis acceleraret. Fieri enim poterat ut videntes *Matt. 26. 31.* audienteſq; illum, triſtitiâ, tædio, mærore, cæteriſq; inſolitè exuberantibus, afflictionibus, jactatum obſeſſumq; uſq; ad mortem, abſorberentur & ipſi inſolitâ triſtitiâ, & occuparentur timidâ, deſperatâq; diffidentiâ; arbitrantes, nullam ſibi deinceps ſupereſſe ſolatij ſalutiſq; ſpem, quando Magiſtrum & Dominum ipſum ſuum irremediabiliter triſtem, & totâ *anima ſua malis repletum.* *Pſ. 87. 4.* uniuersâq; vitâ ſuâ, ipſi, (ut eſt apud Prophetam) inferno ſimilem, proximãq; cernerent. Subtraxit ergo Dominus IESVS ex hac occaſione, & piè pro eis ſolicit9, manere illos in tuto, & procul à conſpectu ærumnarũ ſuarum iuſſit. Et hanc ni fallor pietatem cordis ſui erga illos expreſſit, quando diſſimulato omni ſuo periculo ad illos dixit: *Sedete hic: donec vadam illuc, & orem.* Nihil inſolitum ſibi imminere ſignificans.

6. Vſus etiam hoc tempore videtur Dominus IESVS, illo Spiritûs ſui monito: *non cuilibet reueles cor tuum.* Reuera ſi quo tempore, iſto maximè arcana cordis Chriſti revelari debuẽre: omnes enim illi affectûs, & effectûs, qui à primâ Incarnatione illius, in corde latuerant, & foras in exteriores propenſiones emanare debuerant, ſed diſpenſativè per omnem uſq; vitam, Dominicâ virtute ſimul ac voluntate, vim ſuam exercere prohibiti fuerant, jam in præſenti tempore, tandem velut remotis omnibus repagulis, *ſequeſtrata delectatione* (ut ait Ambroſius) *Diuinitatis æternæ.* *Ambr. in Lu. c. 22.* in publicum erumpere, per totam animam diffundi omnibus humanitatis propter nos indutæ infirmitatibus tanquã apertis oſtijs ſe ſe effundere, & in publicum dare debuerant. Hoc tale ſecretum cordis, Dominus in multorum oculos & Conſcientias revelare minimè conſultum duxit; ſed trium teſtimonio contentus, reliquos arcuit, ſciens quod *eſt*

Eccli. 6. 8. *amicus ſecundùm tempus ſuum, & non permanebit in die tribulationis.*

PARAGRAPHVS III.

Mat. 14. 33. 38. *JESVS aſſumit Petrum Iacobum & Ioannem.*

FIGVRÆ.

1. Reg. 16. 6. *1. Dauid caſtra Saulis ingreſſurus aſſumit ſecum Abiſai.*

4. Reg. 10. 16. *2. Iehu dixit ad Ionadab: Veni mecum; & vide zelum meum pro Domino.*

STROMATA.

1. QUemadmodum non ſatis expedire Domino viſum fuerat, omnem Diſcipulorum cætum admittere ad ea, quæ gerenda & ferenda erant à ſe in Horto: ita neminem omnino conſcium habere ſuorum, eidem non placuit. relictis itaq; octo, aſſumit tres, Petrum ſcilicet, Iacobum, & Ioannem: ut his præſentibus & conſcijs, fluctus omnes, quos erat inducturus ſuper animam ſuam, ſuſtineret: dignum quippe fuit per omnem modum, ne omnis illa interior Chriſti pugna careret ſpectatoribus Diſcipulis. cum in nullo genere pugnæ Chriſti diſcipulos inſtructos magis eſſe oporteat, quàm in certamine interiori, in conflictu ſuperioris noſtræ partis & inferioris; quo etſi Chriſtus minimè eguit, ſuâ aliquâ de cauſâ, eguit tamen propter inſtructionem, & exemplum noſtrum, qui in nullo genere certaminis, magis rudes, in nullo magis periculoſi, in nullo magis diu occupati, in nullo deniq; magis inſtruendi ſumus.

Mar. 5. 37. 2. Qui fuerant olim teſtes revocantis à morte puellam Archiſynagogi: par erat, teſtes ijdem ut eſſent properantis

Matt. 17. 1. ad mortem pro ipſâmet ſynagogâ. Qui item fuerant nuper ſpectatores, gloriæ ejus in monte Thabor: oportebat teſtes etiam eſſe ſpectatoreſq; miſeriæ illius in morte & Horto Oliuarum. Ideo ſiquidem ad illa glorioſa adhibiti fuerant à Domino, ut eorum communicatione dignati, infirma ſalvatoris firmò & erecto animo ſpectarent: & ſcandalizari ex ejus infirmitatibus non poſſent, qui majeſtatis atq; potentiæ conſcij non ſemel exſtitiſſent. *Ne conturbaret eorum fidem, voluntariæ humilitas Paſſionis: quibus revelata eſſet. abſcondita excellentia dignitatis.* (Leo de Transf. Dni.)

3. Probatis in ſeruato ſecreto Transfigurationis in Monte Thaboreo peractæ. conceditur aſpectatio formidoloſæ Paſſionis: fidelibus ſcilicet in minimo, quod majus eſt creditur: & in unâ

A Tranſfiguratione ſpectandâ cognitis, alia etiam ſpectanda indulgetur. Etenim etiam in Horto, atq; monte oliueto transfiguratio quædam fuit. immo longè præ illâ Thaboreâ admirabilior, nam Regem & Fontem omnis gloriæ, glorioſum apparere, & Regem in decore ſuo videre, quid habet miraculi? ſed mœrere lætitiam; tædere pacem; timere ſecuritatem. infirmari Omnipotentiam, deſolari omnis conſolationis Deum: hoc certè transfigurari eſt; ad talem contuendum admitti, hoc demùm dignationis fuerit. Sic transfiguratum vidit Iſaias & ait: *Vidimus eum, & non* Iſa. 53. 2.
erat aſpectus. Vidit Pilatus, & commotus dixit: *Ecce Homo.* Vidit etiam Pe- Ioan. 19. 5.
B trus, & oblitus ſui dicit: *Non novi Hominem hunc.* Vidit deniq; centurio & Matt. 26. 72.
Confeſſus eſt; quia *verè Filius Dei, erat homo iſte.* Matt. 27. 54.

4. Ab exemplo Domini diſcimus. nō uno eodemq; modo tractandas eſſe animas, quantumvis ad Dominum conuerſas, & ejus diſcipulatu dignatas. Neq; enim unus ordo, aut gradus eſt ſpiritûs Divini. Teneros, & adhuc rudes viarum Domini, virtutiſq; necdum robuſtæ, lactat conſolationibus, duris non exercet, ne fortè dicant, durus eſt hic ſermo, & incipiant manum ab aratro retrahere, ſed potiùs repetant illud: *Domine, bonum eſt nos hic eſſe, faciamus hic* Matt. 17. 4.
tabernacula. At proficientibus & robu-
C ſtioribus objiciendus eſt, cibus anguſtiæ, panis doloris, vigiliarum, cautelæ, & luctæ cum tentationibus; iſte eſt enim ſolidus cibus, quo proficitur *in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti* Paſſi, & Ephes. 4. 13.
contempti & Crucifixi, qui ſolus eſt proficientium, robur & vita: perfectorum Hæreditas atq; gloria, in quo & Petrus ardet, & Iacobus fortis eſt, & Ioannes ſuper pectus requieſcit,

5. Diſcipulis Domini, ſive remanentibus & relictis in villâ Gethſemani, ſive aſſumptis eductiſq; in Hortum & Montem Oliuarum: quantumlibet diſparata ſors obvenire videatur: ſciendum tamen eſt, ab uno eodemq; miſerationis Divinæ fonte, diſpenſationis hujus diverſitatem manare. Sicut enim

D Hortus ille Oliuarū eſt, ita etiam Gethſemani, vallis olei eſſe noſcitur. Quantumlibet ergo varia ſint dona diſcipulorum Chriſti: quantumlibet diuiſiones gra-

nes gratiarum ſint, idem tamen ſpiritus. proinde nemo aduerſùs alterum inflari debet, quaſi prælatus alijs ſit: nemo per triſtitiam æmuletur, quaſi præ alijs neglectus ſit. Vbiq; oleum Miſerationis, & gratiæ Divinæ eſt. Si relictus es, in valle & torculari quidem, ſed tamen Olei relictus es. Si aſſumptus es in Hortum & montem: ſed tamen Olivarum aſſumptus es. Age igitur gratias: & *canta dilecto canticum, cui vinea facta eſt in cornu, tanquam Filio Olei*, tanquam miſerationis alumno, tanquam gratiæ nutritio. Equidem ignoro qualis anima pretioſior ſit coram Deo, rarior autem in mundo: illané quæ aſſumpta cùm eſt, humiliter de ſe ipsâ ſentit? ân illa quæ relicta eſt, & nihilominus gratias agens fidenter manet apud Deum? illa proculdubio tulit omne virtutis punctum, quæ neq; *ſibi vivit, neq; ſibi moritur: ſed ſeu vivit, Domino vivit: ſeu moritur, Domino pariter moritur, & gratias agit Deo.* Iſai. 5. 1.

PARAGRAPHVS IV.

JESVS Montem Olivarum aſcendit. Luc. 22. 39.

FIGVRA.

2 Reg. 15. 30. *David à facie Abſalon fugiens abijt in montem Olivarum.*

PRÆDICTIO.

Zach. 14. 4. *Stabunt pedes ejus in die illa ſuper Montem Olivarum, qui eſt contra Ieruzalem ad Orientem.*

Vadam ad Montem Myrrhæ: & ad collem thuris.

STROMATA.

1. Notum eſt in ſacris etiam literis, Oleum Miſericordiæ ſymbolum eſſe. Dominus igitur JESVS, qui ex meriſſimæ miſericordiæ ſuæ ineffabili ubertate mundum redempturus erat; meritò Montem Olivarum aſcendit ante Paſſionis ſuæ primordia, ut per hoc à nobis intelligi faceret, quòd quicquid deinceps pro noſtrâ ſalute pateretur; totum id è Monte Miſericordiæ, totum è viſceribus Charitatis ſuæ Divinæ promanaret. Veré enim niſi hunc Miſe- D ricordiæ Montem aſcendiſſes Domine JESU; niſi nimiæ Charitatis tuæ cataractas dirupiſſes, nequaquam ulla ſalus generi humano patuiſſet. Aſcendiſti tu Montem Miſerationis tuæ, & ex eo deſcendiſti in vallem, vel potiùs abyſſum Paſſionis propter nos tuæ: & facta eſt A copioſa noſtra Redemptio.

2. Decet extremis prima & primis extrema congruere. In Monte Paſſionem ſuam per Crucis mortem terminaturus Dominus JESUS, à Monte quoque eandem inchoare debebat: & bene à Monte Olivarum incipit, in monte autem Moria definit: niſi enim à ſummæ Miſericordiæ verticibus ſeu viſceribus curſum Paſſionis ſuæ Dominus inchoâſſet, nunquam omnino in ſupremo confuſionis & ſtultitiæ & doloris atq; mortis vertice Incarnata Dei ſapientia conſtitiſſet. Sed illam enormitatem ſcandali, illam ſummitatem ſtultitiæ in Crucis patibulo & morte, ſola miſericordia Dei, unigenito Dei oſten- B dit, ſola commendauit, ſola perſuaſit, ſola deniq; intulit. Unde idem Dominus noſter, Pilato poteſtatem ſuam obſtrepenti, grauiter dixit: *Non haberes poteſtatem aduerſùm me ullam, niſi tibi datum eſſet deſuper.* Hoc deſuper, aliud non eſt, niſi exaggeratiſſima Miſericordia Patris: de quâ Zacharias cecinit: *Per Viſcera Miſericordiæ Dei noſtri: in quibus viſitauit nos Oriens ex alto.* Quod itaq; in Monte Olivarum ad ſalutem noſtram inchoatum eſt, hoc in Monte Moria, ſive Caluario terminatum eſt. Ioan. 19. 11. Luc. 1. 78.

3. Ex Monte Oliuarum aſcenſurus erat Chriſtus ad præmia Paſſionis ſuæ: ideo etiam ex eodem Monte aſcendit, ſeu potiùs deſcendit ad merita ejuſdem. Ex illo erat aſcenſurus, in virtute, Po- C teſtate, & Majeſtate multa, elatus ſuper aëra, & æthera, captivam ducens captivitatem, uſq; ad Hieruzalem cæleſtem, & ad conſeſſum Paternæ dexteræ: ex eodem parat deſcendere in poteſtatem tenebrarum, *captus in peccatis noſtris* ad Hieruzalem terrenam, ad patibulum Crucis, ad medietatem Principatumq; inter latrones. Thr. 4. 20.

4. Ingreſſurus, & aggreſſurus Paſſionem Dominus, Montem conſcendit: per hoc, ſuos fideles inſtruens: quòd quiſquis pro Chriſto pati meditatur, eum priùs oportet excelſa & montana virtutum conſcendere, ac infernè reſidentia terrena, & carnalia deſideria relinquẽdo & abnegando ſuperare. Tunc enim ſecurè & verè dicere licebit: *Aſcendam in Palmam, & apprehendam fructus ejus, & erunt vbera mea ſicut botri vineæ.* Conjunctiſſima certè ſunt hæc in virtu- Cant. 7. 8.

tum & perfectionis Chriſtianæ viâ: magna agere bona & multa pati aſpera. adeo ut hæc ſeparari nequeant, nec debeant, à profeſſoribus virtutum. Intelligere enim debent, quòd quos Deus ad excelſas virtutes provehit, eoſdem per multas tribulationes ducit, & contra; quos ambulare facit vias difficiles. eoſdem ſublevat, ad virtutum gradus ſublimes. Unde congruè Dominus JESUS,& ad Paſſionē ſe accingit,& montem conſcendit, qui tamen mons alius non eſt quàm Oliuarum, quia per tales ſive excelſas, ſive aſperas vias, ſine oleo divinæ conſolationis, & unctione gratiæ non inceditur. Cui rei teſtimonium dat Dauidis experientia dicentis:
Pſ 93. 19. *ſecundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* Ita nimirum blandus eſt in ſuos delicatos Deus, *ut fingat ſolummodo*
Ib. v. 20 *laborem in præcepto!*

5. Ægrotum magnum Medicus non minor nactus fuerat, & ſanaturus advenerat, Montem Olivarum, collecturus ibi medicinale Oleum aſcendit. An non magnus ægrotus, uniuerſum Humanum genus? An non & magnus Medicus Dominus JESUS? Copioſâ opus fuit Medicinâ: cui non ſuffecit unica Olei lenticula: integro Olivarum Monte, integro opus fuit oliveto, illo ſcilicet è quo tātum redundaret olei, ut non ſolùm ſummus vertex, ſed etiam *Veſti-*
Pſ. 132 3. *menti ora* extrema abundantiſſimè tingeretur: defluens nimirum ab illo, cu-
Cant. 1. 2. jus ipſum *Nomen Oleum effuſum* eſt, quiq;
Pſ. 44. 8 *præ omnibus participibus unctus* eſt, non tantùm gratiâ & veritate, verùm etiam ipſâmet Divinitate. Et ni fallor, hoc ipſum volebat ille qui clamabat: *Miſerere mei Deus, ſecundum magnam miſericordiam tuam.* Id ipſum ille idem ſibi gra-
Pſ. 124. 7. tulabatur, quando *copioſam apud Deum Redemptionem* prædicabat. Hanc ergo medicinam compoſiturus cæleſtis medicus, & Montem, & Hortum, & vallem Olivarum ingreditur. Quid enim pinguius plenitudine gratiæ, & Meritorum Chriſti? quid pinguius, & uberius paſſione, atq; morte Domini? Clamat hāc inexhauſta Sacramentorum ejus efficacia, clamat ſacrificij virtus inexhauſta. Sed eheu! quanta illa fuerant vulnera mundi: quanta fuerunt ulcera mea: quibus tam copioſâ, tam exundante, opus fuit Medicina?

6. Pugnaturi Athletæ oleo ungebantur. quia ergo grandis, periculoſa, & ſingularis, pugna & lucta cum forti armato imminebat Chriſto, torcular & Montem Olivarum petit, ut inibi ſeſe ungat oleo non tantùm orationis, ſed etiam ſanguinei ſudoris.

A 7. Oliva ſignum & Symbolum pacis eſt. Igitur bono omine Mons Olivarum aſcenditur: pax enim haud dubiè ſuccedet, & tantæ tragædiæ exitus demum pacatus erit. Columba Noë, portans ore ramum Olivæ ad Arcam, prædixit diluvij ceſſationem, Arcæ quietem, Gen. 8. 11.
Generi Humano ſalutem & Pacem. Qui olim pacem ſeu petebant ſeu ferebant, paciferæ ramū oleæ præferebant; Chriſtus *Pax noſtra, qui fecit utraq; unum,* totus Ep. 2. 14.
pacificus, in pace natus, natus paci, nuntius pacis, *Princeps Pacis* cùm ſit, ſubit nunc Montem Oliveti: ex eo tanquam editiore loco daturus ſignum Pacis à ſe Mundo aſſerendæ. In hunc pacificationis morem, olim etiam Reges ac Im-
B peratores, oleæ ramo redimiti incedebant, & pacificatores ſeu pacifici vocabantur. qualis unus Salomon, & plus- Matt. 12
quam Salomon JESUS Chriſtus. 42.

8. Furens mare ſuperinfuſo ſedari traditur oleo, quanta ſæviunt in Bonum Plin. l. 2.
JESUM Maria peccatorum, ſuppli- c. 103
ciorum, Iudæorum, omniumq; Chriſti Hoſtium! Tam fœda eſt hæc, quæ inſurgit tempeſtas, ut Chriſtum inſtar Ionæ ſit omnino demerſura, & *in corde Ma-* Ion. 1. 15.
ris, adeoq; ipſo *ventre inferi* vallatura, Ib. 2. 4 3.
Montem oleagninum ſubit Dominus, atq; ut inquietum, ac furens mare ſedetur, ipſe ſe mons & fons miſericordiæ in illius abyſſos demittit.

9. Olea victoriæ quoq; ac triumphi
C ſignum eſt: fuitq; moris etiam in ſepulchris Martyrum Sanctorum ramos Olivæ, in ſignum reportati de Tyrannis, eorumq; ſævitiâ Triumphi. Bono itaq; omine Dominus JESVS Montem Olivarum ſubit; & ex loco victoriam portendente, pugnam ſuam orditur: vincet haud dubiè; & triumphans ſuis Ioan. 16.
olim dicet: *Confidite, ego vici mundum.* 33.
Pax vobis: nolite timere. Luc. 24.
36.

10. Qui aliquid in profundum demerſuri ſunt, id in ſublime elevant. Idem faciunt illi, qui aliquid alliſuri graviter, confracturiq; ſunt. Pro! quàm in profundum ſeſe demiſſurus, demerſuruſq; jam jam erat Dominus noſter JESUS Chriſtus? deſcribit ille hoc ſuum profundum per ora Prophetarum
D ſuorum. *Veni in altitudinem maris & tempeſtas demerſit me. Infixus ſum in limo pro-* Pſ: 68. 3.
fundi & non eſt ſubſtantia. Projeciſti me Ion. 2. 4.
in profundum in corde maris, & flumen circum-

dedit

dedit me, omnes gurgites tui & fluctus tui ſuper me tranſierunt. Et ego dixi: abjectus ſum à conſpectu oculorum tuorum. circumdederunt me aquæ uſq; ad animam. abyſſus vallavit me, pelagus operuit caput meum. Demiſſurus A ſeſe Dominus erat in profunda, in gurgites, in abyſſos peccatorum, paſſionum, dolorum, contemptuum, contumeliarum, infirmitatum, improperiorū, crucis deniq; & Mortis & quidem ex ipſis altiſſimis verticibus Innocentiæ, Immortalitatis, Iuſtitiæ. Potentiæ, Majeſtatis, Beatitudinis, Gloriæ. Nihilominus aſcendit ad altiorem his omnibus Montem Olivarum, Montem inquā Miſericordiæ & Charitatis (quoniam
Iac:2.13. *Miſericordia ſuperexaltat Iudicium, & ipſa eſt ſuper omnia opera ejus*) ut tanto profundiùs ſe ſe demergat, miſerijſq; noſtris propter eoſdem nos involvat. Pari quoq; ratione implendum erat in Chriſtò per paſſionem, illud Domini verbum B
Iſa.30.14. apud Iſaiam: *Et comminuetur ſicut conteritur lagena figuli contritione pravalidâ: & non invenietur de fragmentis ejus teſta, in quâ portetur igniculus de incendio, aut hauriatur parum aquæ de foveâ.* Elevatur ergo & aſcendit Montē Olivetum, alioqui quis eum allidere valuiſſet, niſi nimia illa Charitas & Miſeratio eum ſublevâſſet; cui propterea confitetur ipſemet Domi-
Pſ.101.11. nus dicens: *Elevans alliſiſti me.* Et ite-
Iſ. 64. 7. rum: *Abſcondiſti faciem tuam à me, alliſiſti me in manu iniquitatis.*

PARAGRAPHVS V.

Ioã.18.1.

JESVS Hortum ingreditur.

FIGVRÆ.

Gen 2.15. 1. *Tulit Deus hominem, & poſuit eum in Paradyſo voluptatis, ut operaretur illum.*

Eſt.7.7. 2. *Rex Aſſuerus ſurrexit de loco convivij, & intravit hortum arboribus conſitum: laturus Mortis ſententiam in Aman Hoſtem populi Dei.*

PRÆDICTIO.

Cant 6.1. *Dilectus meus deſcendit in Hortum ſuum ad areolam aromatum, ut paſcatur in Hortis, & lilia colligat.*

STROMATA.

1. Diſtincta horum trium habetur mentio in Evangeliſtis. 1. Villæ C ſeu prædij Gethſemani, 2. Montis Oliveti. 3. Horti: quem Lucas narrat remotum fuiſſe à prædio, quantùm iactus eſt lapidis. In Gethſemani reliquit Dominus octo Diſcipulos, iubens eos inibi ſedere, donec abiret ipſe & oraret in loco ſolito orationis ſuæ. In Monte Oliveto ad cujus radicem, prædium illud fuit: nihil in prædio legitur ac videtur egiſſe Dominus, niſi fortè per aliquam ejus partem tranſiſſe, donec perveniret ad Hortum. Hortus erat locus ſolitus Dominicæ Orationis: nunc verò etiā exſtitit locus totius luctæ interioris, paſſioniſq; ſpiritualis, quâ Dominus exteriori ſuæ Paſſioni, laborioſiſſimæ præluſit, nam vix ingreſſus in Hortum, ſtatim cæpit pavere, tædere contriſtari, mæſtus eſſe &c. Atq; hic advertendum eſt, quod ex ſupra dictis patet, omnia iſta tria loca, quæ Dominus in præludio Paſſionis ſuæ adijt, myſticâ ratione Oleum Miſerationis Divinæ, ex quo totum Paſſionis Chriſti Conſilium manavit, conditionibus, aut nominibus ſuis, evidenter deſignâſſe. De qua re ſatis in ſuperioribus dictum eſt.

2. Crudum & Horridum eſt iſtud Horti genus, quod ingreditur JESUS, certè præter nomen Horti, nihil habet. In eo pro ſeſſione, proſtratio ſuper terram; pro ambulatione, genuflexio; pro fontibus aquarum, ſudor; pro Auſtris perflantibus, ſuſpiria & gemitus; pro ſuavibus epulis & vinis, calix amariſſimus; pro animi relaxatione, pavor, tædium, triſtitia, agonia, ſolicitudo, irrequietus animus; pro amico & feſtivo colloquio, ſurdus ad preces Filij Æternus Pater; pro familiaribus & amicis confabulatoribus, ſomnolenti Di- D ſcipuli; pro arbuſtis virentibus, & floridis areolis, ſpinæ cum myrrhâ, Symbolo Paſſionis & Mortis. O qualis iſte Hortus! & Hortus tamen Amori Chriſti erga nos non ingratus. Ah! quis det iſtam nobis Chriſtianis mentem, ut lubeat id genus Hortos Chriſto noſtró amabiles, quærere, adire, incolere, perluſtrare, excolere?

3. Non vacat iſte in Hortum ingreſſus myſterio quid enim? ad Paſſionē ibat & Hortum requirebat. delicijs indigebat? Captivus mox futurus, deambulationi hortenſi indulget? An fortè ſignare volebat, ſe ſuâ Paſſione inchoatâ, & quaſi enatâ, ruinam & lapſum mundi in Horto quondam peractum reſtaurare velle? An ibi volebat DeusHomo, Dei Majeſtatem per Homines læſam ſarcire, capitaliaq; diſſidia reſcindere & componere; ubi noverat hiſce initium quondā datum fuiſſe? Si enim

Sap 11.17 per quæ peccat quis, per hæc & torquetur. cur non etiam, ubi quis delinquit, ibi & plectitur? & ubi quis contumeliâ injuriâq; afficitur, ibidem etiam reconciliatur & honoratur? Hanc medelæ ſuæ, cum A morbo noſtro contrapoſitionem, ſignanter expreſſit Dominus, noſtro generi, ſponſæ ſcilicet ſuæ, in memoriam revo-
Cant. 8.5. cans: *Sub arbore malo ſuſcitavi te: ibi corrupta eſt Mater tua, ibi violata eſt genitrix tua.* Natura ſcilicet omnis noſtra in primis parentibus noſtris, in Horto & paradyſo voluptatis in vitium fraude, invidiâq; Diaboli tracta & corrupta eſt: in Horto etiam & poſtmodum ſub arbore, ſuperq; patibulo Crucis reſuſcitata eſt atq; revivificata morte ſponſi & Amatoris ſui Chriſti.

4. *Ingreditur Hortum Dominus JESUS.* Adam ſcilicet novus, veterem illum & primum Adamum, ſeu requiſiturus ſeu reducturus, ſeu conſolaturus in Horto B quondam deceptum, ſupplantatum, ſauciatum, ſpoliatum, ſemivivum, pudefactum, exturbatum. Quod iſto conſilio Dominus Hortum ineat, ex illo ejuſdem ad latronem concrucifixum verbo
Luc. 23.43 diſcimus: *Hodie mecum eris in paradyſo:* ad paradyſi ergo Hortum pergebat, immo feſtinabat, quando ſe ad mortem accingebat; quippe moriens januam ejus ſubintrabat, aut veriùs aperiebat, & Cherubicum illum cuſtodem, flammeo gladio armatum, ingreſſu homines prohibentem, ab hac deinceps prohibitione arcebat. Servit huic propoſito, Hortum utrumq;, tam illum Adami veteris, quàm iſtum Chriſti Domini ad Orientem fuiſſe ſitum. &c.

Cant. 5.1. 5. *Veniat Dilectus meus in hortum ſuum & comedat fructum pomorum ſuorum.* Sponſa eſt quæ loquitur, & loquitur ſponſo Dilecto; Electo ſuo, quidni credat dilectus, & credulus intret: & inambulet, & de fructibus guſtet? Sed enim, ô Sponſe, ſi ſapis, immo quia ſapis, cavebis tibi ab his Dalilæ vocibus & blanditijs! Mors in horto ſponſe, Mors in pomo! guſtavit Adam, & vidit, quia inde fluxit perditio ejus. Te quoq; ſponſe, te quoq; Dilecte, haud dubiè Mors expectat, ſi guſtaueris, nedum ſi comederis. Credit tamen ſponſus, credit dilectus intrat in Hortum, comedit fructum, & mox ſentit ſtuporem dentium, & cæpit mox pavere, tædere, contriſtari, mæſtus eſſe, agonizare, ſanguinem ſudare, & D
Mat. 26 38. dicere: *Triſtis eſt anima mea uſq; ad mortem.* Ergonè iſtæ Horti tui deliciæ? Hiccinè fructus pomorum? Repete tu nihilominus ô Sponſa: *veniat Dilectus meus in Hortum ſuum & comedat fructum deliciarum ſuarum.* Hebr. 12. Etiamné luditur in malis tuis Divine Sponſe? Amaritudines & paſſiones & triſtitiæ, & pauores, & tædia, & cruenti ſudores, & agoniæ, & gemitus & lachrymæ tuæ, vocantur tibi fructus deliciarum tuarum. Vtiq; iſta blandiens amica ingenuè fateretur, & diceret tibi ſupplex, ut comedas fructū deliciarū ſuarum: illarum ſcilicet quibus in paradyſo voluptatis indulſit: illarum quibus & ſe & virum ſuum & omne genus ſuum afflixit: tolerabilis, etſi miſerabilis eſſet vox, & invitatio ejus. Nunc autem licentias ſuas, vocat delicias tuas; pœnas quas tu pendis peccatorum ſuorum, appellat fructum Deliciarum tuarum: quis hoc ferat? Sed feret, quia diligit ſponſus; feret quia amat Dilectus: agnoſcit ille & hortum ſuum, licet minimè ſuum, guſtat fructū pomorum & deliciarum ſuarum, licet minimè ſuarum. Audire licet dicentem & fatentem ipſum Dilectum: *Deliciæ meæ eſſe cum Filijs Hominum.* Prov. 8.31 Si ergo nos Homines, deliciæ tuæ ſumus, ô animarum noſtrarum ſponſe Bone JESU: & peccata noſtra, pœnæq; peccatorum noſtrarum fructus noſtri ſunt: rectè & iuſtè invitat te natura noſtra ſponſa tua, ut venias in Hortum tuum & comedas fructus deliciarum tuarum. &c.

6. Solent Architecti Inſigne & grande aliquod ædificium conſtructuri priùs illud ipſum in parvo quopiam opere effingere, ita exactè & examuſſim, ut à grandi illo veroq; ædificio, pæné nihilo præter molem differat: idq; artifices iſti eo conſilio faciunt, tum ut futurum ædificium antecedenter ob oculos ponant, dijudicandumq; omnibus illud objiciant: tum ut minutum illud opus, idea ſit & forma futuræ ſecuturæq; ædificationis. Morem hunc ædificatorum Dominus JESUS ſervaſſe videtur: exædificaturus enim ingentem Paſſionis ſuæ, totiuſq; Redemptionis noſtræ molem: priùs in horto iſto compendiarium ejus ædificij modulum, ideamq; expreſſit: ut ex hiſce quæ in Horto geſta ſunt, quæ in paſſione gerenda eſſent cognoſceremus. Ingreditur ergo Dominus Hortum iſtum, & ea in illo agit patiturq;, ut in eis omnem quodammodo ſubſequentem Paſſionem, præcognoſcere luculenter liceat. In Paſſione Iudam oſculo dignatur, hic in Horto procidit in faciem ſuam ſuper terram, ponit in pulvere os ſuum & terræ oſcula infigit.

In Paſ-

Digitized by Google

In Paſſione permittit ſe hoſtium manibus, & tenebrarum poteſtati: in Horto ſe arbitrio Patris donat & vinculis ſpontaneæ voluntatis captiuat: *Non mea voluntas ſed tua fiat.* In Paſſione Diſcipuli relicto eo fugiunt omnes: in horto ijdem dormiunt omnes. In Paſſione fel & acetum propinat miles: in Horto Calicem propinat Angelus; & hunc quidem exhaurit totum, illum deguſtat tantùm. In Paſſione toto cæſus corpore, rigat terrã ſanguine: in Horto tanquam in torculari, totã preſſus, arctatuſq; anima fundit ſudorem, ſicut guttas ſanguinis decurrentis in terram. In Paſſione configitur corpore, clauis & lanceâ: in horto Animam ejus gladius doloris, mæroris, timoris, tædij transfigit. In Paſſione deſeritur à Patre: in horto derelinquitur à ſe ipſo. In Paſſione veniam Crucifixoribus precatur: in horto ſatelliti vincula injicienti, abſciſſam aurem reſtituit, & proditorem Amicum vocat. In Paſſione caput inclinat moriturus: in horto in terram ſe ſe abijcit pronus. In Paſſione moritur: in horto triſtatur & agonizat uſq; ad mortem. In Paſſione terra tremuit: in horto univerſus ſatellitum captiuare volentium grex, retrorſum corruit verbo proſtratus. Ita in horto ſummatim delineata eſt, ferè totius Paſſionis ſeries.

7. *Hortum Dominus JESUS ingreditur:*
Cant.2.1. hactenus nimirum erat Dominus noſter *flos campi, liliumq; conuallium.* omnis humanæ culturæ atq; induſtriæ expers, ex nunc flos horti futurus eſt. exnunc in paſſione rigandus, colendus, decerpendus, conterendus, deniq; in clibanum dolorum, tormentorumq; mittendus.
Ioa 19.19 Propter quod *Nazarenus Rex,* à Pilato, etiam ſcripto vocabitur. *Date florem*
Iere.48.9 *Moab: quia florens egredietur:* & ex horto in urbem, & ex urbe in Crucem: & ex Cruce in ſepulchrum; & de ſepulchro in Reſurrectionis gloriam. Vbiq; enim Dominus noſter Nazarenus & floridus & flos eſt, etſi non ubiq; eodem modo eſt. Florens eſt egreſſus ejus de Patre (quod ſignificat Moab). Florens & egreſſus de Matre, flos enim de radice Ieſſe. Florens egreſſus ejus & cur-
Iſa. 27.6. ſus per totam paſſionem: *florebit enim & germinabit Iſraël: & implebit faciem orbis ſemine.* Florens in ſepulchro ipſo: quia
Pſ. 15. 9. & ibi: *Caro ejus requievit in ſpe, neq; datum eſt ei videre corruptionem.* Euidentiſſime verò egreſſus florens de ſepulchro. quapropter inſultat morti illum emarcidum facere laboranti. *Ubi eſt ô Mors victoria tuá?* Vtinam Domine JESU ſit etiam 1. Cor. 15. 54.
florens egreſſus tuus apud nos, & in nos. Sed heu! quàm ſæpe & paſſim apud nos & à nobis Dominus *quaſi flos egreditur:* Iob. 14. 2.
& mox conteritur & fugit velut umbra, & nunquam in eodem ſtatu permanet! Læditur Iob. 15. 33.
quaſi vinea in primo flore botrus ejus: & quaſi Oliva projiciens florem ſuum &c.

8. *Veniat Dilectus meus in Hortum ſuum,* Cant. 5. 1.
& comedat fructus pomorum ſuorum. Veni ad Hortum meum ſoror mea Sponſa. Meſſui Myrrham meam, cum aromatibus meis: comedi favum cum melle meo. Evidens eſt nec eget interpretatione, Dominum, non velle, nec ſolere, ſolum venire in Hortum: comitatus libenter ingreditur, idcirco invitantem ſponſam, reciprocè invitat ipſe: ideo aſſumit ſecum Petrum, Iacobum, Ioannem. Nec omittit clarè denuntiare, ad quid comitatum deſideret: *Meſſui,* inquit, *Myrrham meam.* Nimirum ad ſocietatem hujus operis, ad participationem hujus oneris ſecum invitat: *Qui* inquit *vult venire poſt me, abneget ſemet ipſum, & tollat crucem ſuam & ſequatur me.* Matt 16. 24.
Myrrha pariter metenda, crux pariter bajulanda; & non negligendus hic ordo, quem ſignanter exponit. *Meſſui Myrrham meam cum aromatibus meis: comedi favum cum melle meo: bibi vinum meum, cum lacte meo,* & quæ ſequuntur. præmittit manifeſtè amara dulcibus, inſipida ſuavibus, fortia delectabilibus. Non licet alijs legibus Hortum ſponſi incolere.

9. *Ingreditur Hortum Dominus JESUS,* neq; ab Cherub gladio flammeo, atq; verſatili prohibetur. quin immo ipſe Cherub à prohibendi officio, deinceps liberatur; & jam non prohibere ſed intromittere, ingredi volentes jubetur. aut certè pro Cherub antiquo, qui ſcientiæ boni & mali perverſum appetitum, in Adam & Eva vindicare ſolebat: Seraph novus, qui Charitatis vinculis, omnes Adæ filios in Hortum pelliceret, atq; ad guſtandos fructus ligni vitæ, ferventiſſimis ardoribus ſuis, partim purificaret, partim purificatos intromitteret, illius Horti cuſtodiæ præficitur. Itaq; jam vices mutatas novimus: quos enim ſcientiæ infelix & perverſa cupiditas, excludebat; *hos Morte fortior & inferis durior. & cataclyſmis vehementior* Cha- Cant. 8. 6. 7.
ritas introducit: & ita ſecuros ita firmos, ita fundatos, in horti hujus incolatu reddit, ut nullis gladijs quantumlibet verſatilibus, terreri, nedum arceri, aut repelli poſſint, habes diſcerte profitentes

Digitized by Google

tentes atq; dicentes: *Quis nos ſeparabit à Charitate Chriſti? tribulatio? an Anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius? In his omnibus ſupe-*
Rom. 8. 35 *ramus propter eum qui dilexit nos.* Certè A hic novus Spiritus eſt. Non *Spiritus ſeruitutis in timore, ſed ſpiritus adoptionis filiorum, reddens teſtimonium quòd ſimus filij Dei,* in quo & dicimus:
Rō. 8. 38 *Certus ſum quia neq; Mors, neq; vita, neq; Angeli, neq; Principatus, neq; virtutes, neq; inſtantia, neq; futura, neq; fortitudo, neq; altitudo, neq; profundum, neq; creatura alia, poterit nos ſeparare à Charitate Dei quæ eſt, in Chriſto JESU Domino noſtro.* Vtinam hic ſpiritus ducat nos poſt JESUM in Hortum ejus, in quo de ligno vitæ guſtemus, & viuamus cum Chriſto in æternum.

PARAGRAPHVS VI.

Mar. 14. 33. *JESVS cæpit timere & pauere.* B

FIGVRÆ.

Ge 15 12 *Abraham ad ſacrificium intento, cumq; occubuiſſet ſol, horror magnus & tenebroſus invaſit eum.*

Gē. 32. 1. *Iacob timuit ſibi ab occurſu fratris ſui Eſau, donec per luctam cum Angelo confortaretur.*

2. Par. 20. 3. *Ioſaphat venientibus contrà Moabitis & Ammonitis territus totum ſe ad orandum Deum conuertit.*

Iſ. 38. 2 4. *Ezechias audito Mortis nuntio: (Morieris tu, & non vives) conversus ad parietem flevit fletu magno.*

PRÆDICTIONES. C

Pſ. 54. 5. *Cor meum conturbatum eſt in me: & formido Mortis cecidit ſuper me: timor & tremor venerunt ſuper me & contexerunt me tenebræ.*

Pſ. 87. 4. *Repleta eſt malis Anima mea: & vita mea inferno appropinquavit.*

Eccl 51. 9. *Et vita mea appropinquans erat in Inferno deorſum.*

Iſai. 19 17. *Pauebit à facie conſilij. Domini Exercituum, quod ipſe cogitavit ſuper Ægyptum.*

Ierē 20 3. *Non Phaſſur vocavit Dominus Nomen tuum: ſed Pauorem undiq;: Quia hæc dicit Dominus: Ecce ego dabo te in pauorem, te & omnes amicos tuos.*

STROMATA. D

Greg. hō. 12 in Evā. 1. *Cæleſtis Medicus ſingulis vitijs, obuiantia adhibet medicamenta; nam ſicut arte Medicinæ, calida frigidis, frigida calidis, curantur, ita Dominus noſter contraria apponit Medicamenta peccatis.* Audax fuit nimis Homo ad peccandum; Audaciæ iſti Dominus JESUS opponit pauorem, timoremq; ſuum, ex neceſſitate patiendi moriendiq; pro Hominum peccatis, in ſeſe exortum. Niſi enim audaciſſimi Mortales, depoſito omni timore Divino ad peccandum ſeſe effrenes effronteſq; diſcinxiſſent, nunquam Fortitudo & magnanimitas Divina in timorem & pavorem tormentorū, & Mortis ſeſe conjeciſſet. Frenate audaciam veſtram ô Mortales ad peccandum, ne olim neceſſe ſit vos tam irremediabili, quàm inutili pavore timoreq; conceti ad æternas ſcelerum pænas ſubeundum atq; tolerandum. Si enim JESUS, qui eſt Fortitudo Divina, & Brachium omnipotentiæ, pænas peccatorum licet gravilſſimas, brevi tamen tempore duraturas exhorruit & extimuit, quomodo fragiliſſimus Homo peccator, æternas ſcelerum ſuorum pænas ſubiturus non exhorreſcet? non ad earum memoriam extabeſcet?

2. *Cæpit JESUS timere & pauere.* Non audebat Homo ſceleribus grauatus & depreſſus oculos in cælum leuare ut ille Euangelicus publicanus, induit jam JESUS timorem pavorem atq; confuſionem, faciens, hoc ſuo timore, hominem animoſiorem, & ad faciendos pœnitentiæ dignos fructus, ad declinandum à malo, ad reſiſtendum diabolo, ad non ſerviendū peccato, ad faciendum Opera Vitæ, audaciorem & promptiorem. Lu 18 13

3. Primus Homo, idemq; primus peccator Adam, audiens Deum in Horto ambulantem malè ſibi merito ſuo metuens, fugit, & abſcondit ſe à facie Domini? jam nunc mutatis vicibus in Horto Deus timet Hominem & ſibi à facie malitiæ, furoriſq; illius metuit. O quanta rerum viciſſitudo! quanta Dei Creatoris dignatio?

4. Niſi timuiſſet Dominus, prô quantùm timuiſſet ſervus! Servus inquam malus, infidelis, fugitivus, rebellis, & pauper, & inutilis, & damnoſus. Sed timet Dominus, ut non timeat, dum modo tamen reſipiſcat, & ad frugem redeat ſervulus. Alioqui, quis noſtrûm non timuiſſet iram Dei, poteſtatem diaboli, pænam inferni? *Quis enim novit poteſtatem iræ tuæ Domine. & præ timore tuo iram tuam dinumerare?* Gē. 3 8 3. Pſ. 89. 11.

5. Quid ſibi vult Domine, quid ſibi vult in te? Nonne tu dixeras Diſcipulis tuis: *Ne terreamini ab his, qui occidunt corpus,* Luc. 12. 4

Digitized by Google

Corpus, & poſt hæc non habent amplius quid faciant? Oſtendam autem Vobis quem timeatis timete eum, qui poſtquam occiderit habet poteſtatem mittere in gehennam: ita dico Vobis, hũc timete. Nunquid ergo mutatâ ſententiâ metuis corpori & terreris ab his qui occidunt Corpus? an verò metuis aliquẽ, qui poſtquam occiderit, habet poteſta- A tem mittere in gehennam? Metuit Dominus mala corporis: quia hoc Naturæ corporeæ debitum fuit: non metuit tamen Hoſtes Corporis, quia metu eorum à rectitudine Veritatis, Iuſtitiæ, Voluntatisq; Divinæ non recedit. Porrò nobis meturbat Dominus, & nobis metuendũ præcipiebat eſſe illum, qui poſt occiſum Corpus, etiam in Animam, poteſtatem exercere Valet. Niſi enim in nobis cauſam multam nimis eum metuendi cognoviſſet, ipſemet, quod ſibi à quoquam ſive in Anima ſive in Corpore mali metueret, omnino non habuiſſet. Quia ergo nos, ut poteſtatem mittere in gehennam prævalentem, timeremus, ſalubri- B ter Voluit, ideo ipſe mala Corporis ſui & miſericorditer ſubiit & diſpenſatoriè pertimuit.

Pſal. 48.6. 6. *Cur timebo in die mala? Iniquitas calcanei mei circumdabit me.* An non ſatis ad timorem: dies mala? Quid attinet aliam, vel quærere vel aſſignare timoris materiam, ſeu cauſam? utiq; ſufficit diei Malitia ſua: cur in ſupplementum, vel in augmentum quæritur iniquitas calcanei circumdantis? Quis iſte calcaneus tam iniquitate plenus, ut circũdare, & circumuallare poſſit etiam Gigantem illum, atq; altiſſimum ipſum? Meminit Dominus ipſe Calcanei cujus- C dam, quem contra ſe prædixit levandũ dicens: *Adimpleatur ſcriptura, qui manducat panem mecum, levabit contra me calcaneum ſuum.* (Joā. 13.18) Prædixit autem hoc ipſum olim etiam David dicens. (Pſ. 40.10.) *Etenim Homo pacis meæ, in quo ſperavi: qui edebat panes meos, magnificavit ſuper me ſupplantationem.* Ergo in Horto quod prædictum fuit, impletũ eſt, & tunc iniquitas Calcanei circumdedit Dominum, quando Iudas Diſcipulus, Homo pacis, & ſpei Chriſti, levavit contra illum Calcaneum ſuum, & magnificauit ſuper eum ſupplantationem atque proditionem ſuam. Hanc iniquitatem ob oculos jam jam pæne præſentem, quia cito adeſſe feſti- D nantem habens, Dominus: malam diem vocat, & juſtũ ſibi timorem ex eâ incuti cõfirmat. quoniam in hac die quidquid deinceps inimici omnes in Chriſtum admiſerunt: id totum ſolus primus Iudas & unus, compendioſâ quidem, ſed enormiter exaggerata, & circumdare atq; obruere ſufficiente, atq; ſuper ipſum Altiſſimi Dei Verticem transgreſsâ magnificataq; ſupplantationis, atq; proditionis malitiâ & iniquitate, non adimplevit tantum, ſed etiam exceſſit. Itaq; Velut requiſitus Dominus: Cur timeret in die mala? reſpondet Cauſam timoris ſe ſe adæquatam nimis habere. quia in hac die & horâ, iniquitas Calcanei mei circumdabit me, proditio diſcipuli mei Electi magnificabitur ſuper me. & Calcaneus Iudæ fiet Calcaneus meus: quia Iudas Calcaneum ſuum levabit contra me, & ego Calcaneum Iudæ ſubibo levatum ſuper me. Eſt verò & alius quidam Calcaneus, cuius iniquitate, circumdari ſe, metuit Dominus: ille nimirum cui ab origine mundi inſidiaturus, prædictus eſt ſerpens antiquus. Dixit enim ad ſerpentem Deus: *Inimicitias ponam inter te & mulierem, inter ſemen tuum & ſemen Mulieris: & ipſa (ſeu ipſum) conteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo eius.* (Gē. 3.15) Haſce inſidias uocat Dominus iniquitatem, quoniam non ob aliud inſidiatur Diabolus, niſi ob iniquitatem, qua & ipſe infectus eſt. ſiquidẽ ab initio Diabolus peccat, & inficere omnem hominem intendit, nam invidiâ Diaboli peccatum intravit in mundum. Hac itaq; inſidioſi ſerpentis iniquitate Dominus Circumdatur, quando ad excipiendam Humani generis à ſerpente infecti malitiam & perditionem, paſſionis ac Mortis ſuæ ſacrificio atq; remedio, voluntariâ Cordis ſui pietate inducitur. Vbi accommodatè Dominus, iniquitate calcaneij ſe circumdari dicit, quia pro generis humani peccatis, in aſſumptâ Carne peccati, & ſi abſq; ullo peccato paſſurum ſe agnoſcit. Vel etiam ideo calcanei ſui iniquitate, circumdari ſe Dominus timet: quia ſe à Dilecti, & ejuſdem ſecũm Carnis & ſangvinis populi Iudaici, ſcelere tam indigna perpeti dolet. Quaſi enim calcaneus Chriſti, carò noſtra & Iudàici populi fuit, quia Divini Verbi maieſtas, carne iſtâ, veluti calceàta ad nos veniens in eàdem carne, mortem ſibi admodum horribilem, nobis verò per omnia ſalutarem ſubijt.

7. Timet IESVS ut deinceps nos omnes, *ſine timore de manu inimicorum noſtrorum liberati, ſerviamus illi, in ſanctitate, & iuſtitia coram ipſo omnibus diebus noſtris.* Luc. 1.74.

8. Timet IESUS, præſcius quarto timore

timore olim impugnaturus eſſet, univerſus & Mundus & infernus, ſervos, fideleſq; ſuos. Timorem ergo illorum omnem, nunc ipſe ſuper ſe aſſumit ejusq; omnem vim hebetat, animoſitatem verò ſuam Divinam, illis communicandam recondit & remittit integram, Hic ergo timor Domini noſtri præſens, A animoſos & integros fecit omnes Chriſti Martyres, omnes Confeſſores, ita ut illis omnia tormenta Diaboli, omnia terriculamenta Inferni quaſi telæ aranearum, quaſi ludus iocusq; puerorum, quaſi ſolatia & epulæ delicioſorum viderentur. Hic timor præſens Chriſti, etiam usq; modo fortiſſimos, animoſiſſimosq; reddit omnes, qui veſtigia ſequentes Dominica, pro nihilo ducunt mundana omnia contemnere, Honores, pompas, faſtus, laudesq; humanas ridere, ſemetipſos deſpicere, Crucem ſuam B quotidie ferre, pro Divina gloriâ proq; Fratrum ſalute, omnes labores dulces reputare, omnes miſerias ſitire, omnem ſanguinem cum vita prodigere. Ex timore Chriſti, tanti illis animi! Nobis vero unde tanta puſillanimitas animorum, ut ne puerilibus pares ſimus ſuperandis terriculamentis tentationum. Nimirum picti Chriſtiani ſumus, nimirum Chriſtum pro Nobis timuiſſe, aut mortuè credimus, aut perfunctoriè æſtimamus, frigideq; amamus.

Joā. 11. 33. 9. Divus Auguſtinus tractans illa verba Divi Ioannis de Chriſto dicta: (*Turbavit ſemetipſum.*) ea proloquitur, quæ & præſenti Timori Domini & omni affectui eiusdem egregiè ſerviunt, & inſuper nobis eorundem affectuum uſum, utendiq; cauſas proponunt ait ergo:

Aug. tr. 60 in Ioan. *Quando turbatur, qui non turbaretur niſi volens cum conſolatur qui turbatur & nolens. Pereant argumenta Philoſophorum, qui negant in* 1. Cor 1. 20. *ſapientem cadere turbationem Animorum: ſtultam fecit Deus ſapientiam hujus mundi. Et Dominus novit cogitationes Hominum quo-* Pſ. 93. 11 *niam Vanæ ſunt. Turbetur plane animus Chriſtianus, non miſeria ſed miſericordia. timeat ne pereant Homines Chriſto: contriſtetur cū perit aliquis Chriſto: concupiſcat acquirere Homines Chriſto: Lætetur cum acquiruntur Homines Chriſto, timeat ne ſibi pereat & Chriſto: contriſtetur ſe peregrinari à Chriſto: concupiſcat regnare cum Chriſto: lætetur dum ſperat ſe regnaturum cum Chriſto.*

10. Fuit quidem Timor iſte atq; pavor Chriſti in Horto per omnia voluntarius deliberatus & ſponte aſſumptus atq; Imperatus, tam excellens tamen & excedens vires humanas fuit, ut viribus ordinarijs humanis ſuperabilis ſalvâ vitâ Chriſti non eſſet In cauſa fuit Vivacitas & vehementia apprehenſionis, quâ Chriſtus propoſita ſibi â ſuâ ipſius ſcientiâ, timoris obiecta & cauſas percipiebat atq; cognoſcebat. Ananias ille de quo in Actis Apoſtolorum, mentitus Act. 5. 6. Apoſtolo Petro, eodem facinus exaggerante, ita extimuit peccatum ſuum, ut (auctore Origene) præ timore horroreque corruerit ſubitò mortuus. Quantò magis Chriſtus Dominus irruentibus in ſe omnium ſingulorumque hominum omnibus & ſingulis peccatis, & eorundem pœnis, Divinis offenſis ac iniuriis, Hoſtium ſuorum Dæmonum juxtà & Hominum contra ſe obſtinatis odijs & ſibi deſtinatis tormentis, omnibus per ſcientiam ſuam, melius utiq; ſibi, quàm per verba Petri exaggeratis. quanto inquam magis exhorruit? quanto funeſtiore & lethaliore metu concuſſus fuit?

11. Inquiri poteſt: quam ob cauſam Dominus indignum ſuâ animi fortitudine non putaverit timoris ac pavoris tædij, triſtitiæq; paſſionibus, ante paſſionis ſuæ exordia concuti. Et poteſt quidem reſponderi: factum id â Domino, ſicut & pleraq; omnia dignatione & diſpenſatorie, & ut pateſceret veritas Carnis aſſumptæ, utq; etiam implerentur ſcripturæ. Cæterum earundem ipſarum reſponſionum cauſa nihilominus urgeri poteſt. Athanaſius ergo abditam magis cauſam ſcrutatus, pro- C ponit hunc in modū, quo toti negotio ſatisfit, ait enim: *Dominus videns Diaboli Vafritiem in occulto habuit ſuam Divinitatem, ne ille per formidinem, vitato congreſſu illæſus abiret, ſed contra deſpicatim potius, quaſi cum Homine* (puro) *manus conſerturus ad pugnam veniret: & ab Hominibus inciperet ſupplantari. Non aliter quàm ſi quis animadverſa, in Compare atq; æmulo ſuo, formidine ſecum decertandi, imbecillem ſe fingat quo illum pelliciat ad pugnam; & ille dum pro vera habet illam ſimulatam imbecillitatem, audacter in certamen prodeat, mox domandus illius generoſi Athletæ Viribus. Ita quoq; Dominus ſub ſpecie humanæ infirmitatis, provocans Adverſarium hominem, quem induerat, ſuis viribus adverſus inimicum corroboravit: atq; ideo ſub tempus mortis an-* D *xius eſſe & mœrere cœpit, & obſecrabat calicem à ſe tranſire. Clamabat: ſpiritum quidem promptum eſſe, carnem autem infirmam. Ut Adverſarius noſter cum eo quaſi cum Homine congreſſus, vires eius Divinas experiretur, atq; ita inductus ludificatusq; adortus eſt Dominum.*

Athan. de Paſſione & Cruce Domini.

Digitized by Google

Sap. 7. 30. *Dominam.* Sic nimirum decebat: *ut Sapientiam non vinceret malitia.* Luc. 11. 22. Sic decebat ut fortior armatus, forti quamvis armatoq; aduerſario superveniens, eum vinceret, alligaret & arma ejus in quibus A confidebat, ſpoliaq; quibus iniquè incubabat, & ſuperbiebat; auferret. Venit enim Dominus JESUS, ſuâ quidem Divinitate fortiſſimus, atq; ipſa fortitudo, ſed tamen eâdem ſapientiſſimè diſſimulatâ, atq; infirmitate, carnis noſtræ, indutâ atq; obarmatâ fortior: omnem Diaboli poteſtatem ad nihilum redegit.

1. Cor. 1. 25. Sic factum eſt ut *quod ſtultum infirmumq; eſt Dei, ſapientius & fortius ſit omnibus.* & hominibus in eorum ſalutem, & Dæmonibus in eorum confuſionem. Expreſſit in hoc perquàm ſe digno artificio, Dominus JESUS induſtriam Leonis, quem tradunt pedes ſuos interdum quibusdam involucris obtegere, atq; hoc modo partim unguium ſuorum aciem, ne B inceſſu attcrātur conſeruare, partim veſtigia pedum, ne à venatore deprehendantur diſſimulare. Diſſimulas & tu Domine JESU Leo de tribu Iuda, cùm ad prædam aſcendis, diſſimulas involucris timoris, & mæroris uniuerſæq; noſtræ infirmitatis, robur & aciem unguium tuorum Divinorum! Pſ. 76. 20. *& veſtigia tua non cognoſcentur,* priusquam in Reſurrectione glorioſus rugias &c.

Orien. tr. 35. in Matth. 12. *Cœpit JESUS pauere.* Agnoſcit Origenes prudenter ab Euangeliſta dictum *cœpit pauere, tædere &c.* Non autem: pauebat, tædebat, contriſtabatur. hoc enim ſignificaret Chriſtum paſſionibus quaſi victum, eaſq; in poteſtate non habentem. illud verò deſignat tantùm inchoatas paſſiones, C ſeu tales quæ rationis imperium præuertere non poſſent, ad hujus verò ductum, & aſſurgere & conquieſcere ſcirent. Salvâ in omnibus; Animi, tum pace tum libertate, atq; Dominio. Itaq; dicitur Dominus cæpiſſe pauere, tædere, quaſi circumſpectâ per rationem principem neceſſitate; æquitate, congruentiâ, causâ timendi & triſtandi; imperauerit timori, tædio triſtitiæ, facerent officium ſuum, non effictum & emētitum, ſed omnino verũ, ſerium, cauſis objectiſq; par. Ejusmodi in paſſiones ſuas deſpotiæ, habemus aliquomodo exemplum adumbratum in Beato Iob, qui cum pluſquã ſeptem dies, calamitates ſuas ſilentio conſiderâſſet, D Iob. 3. 1. *poſt hæc tandem aperuit os ſuum & maledixit diei ſuo* non quaſi paſſione victus, ſed affectuum ſuorum Dominus, quibus tanquam ſervis utens diceret Matt. 8. 9. *huic vade, & vadit; & alij veni, & venit; & fac hoc, & facit.* Conſimile eſt etiam in Hieremia propheta: Ier. 20. 14. qui cùm ſuas coram Deo injurias queſtus eſſet. eaſdemq; Deo dereliquiſſet ac reuelâſſet, poſtmodumq; laudem DEo pro liberatione de manu malorum ceciniſſet; Mox ad maledicendum diei Natiuitatis ſuæ conuerſus eſt, prophetico utiq; ductus intellectu, nõ humano raptus affectu, imperante rationis liberæ ſenſu, non cogente effræni paſſionis impetu.

13. Peccauit in Deum Homo: & timere tamen peccatorum pœnas à Deo negligebat Homo: tantò magis olim puniendus. quanto minùs nunc timidus; duplici nimirum contritione conterendus; & quia non timebat peccare, & quia peccatorum ſuorum ſupplicia non curabat timere. Sed Miſericors & Miſerator Dominus, adinvenit in ſapientiâ B ſuâ, quomodo Hominem utroq; timore ſalubriter imbueret, timore nimirum ne peccaret, timore etiam, ne in ſupplicijs peccatorum periret. Timet Deus ab homine, peccatorum, quæ non fecerat, pœnas quas non meruerat; ut uel ſic homo diſceret peccatorum quæ fecit, formidare à Deo pænas quas meruit. Si peccatorum ſupplicia innocenti Deo, ab infirma Hominis manu infligenda, tanto timori & horrori fuêre: quantam formidinem incutere debent homini peccatori, pænæ ab Omnipotentis Dei manu vindice, irrogandæ? Diſce tandem, diſce ò peccator, quia *horrendum eſt incidere tibi in manus Dei viventis* Hebr. 10. 31. Dei ulciſcentis! ſiquidem tam horrendum fuit DEo, incidere in manus Hominis infir- C mi & Morientis.

PARAGRAPHUS VII.

JESUS cæpit tædere. Mar. 14. 33.

FIGURÆ.

Abſalon tædio non viſi placati Patris, petit potius interfici à Patre. 2 Reg. 14. 32.

Elias timens ſibi ab Iezabele petivit animæ ſuæ ut moreretur; & ait: ſufficit mihi Domine, tolle Animam meam. 3 Reg. 19. 4.

Cæpit Dominum tædere ſuper Iſraël. 4 Reg. 10. 32

Tædet animam vitæ meæ. Iob 10. 1.

Idcirco tæduit me vitæ meæ videntem univerſa mala eſſe ſub ſole. Eccl 2 17

D

STROMATA.

1. Tædet Chriſtum ut impleretur illud: *Tædet Animam meam vitæ meæ;* Iob 10. 1.

Iſ.38.10. & 11. *vadam ad portas inferi; non videbo hominem ultrà amicum mihi, nec inhabitatorem quietis,* ſed omnes induunt contra me hoſtiles animos: amici etiam mei atq; proximi aduerſùm me appropinquant & ſtant. Diſcipuli ipſi mei diffugiunt à me; aliqui eorum negant & abjurant me; alij etiam pretium pro ſanguine meo accipiunt.

2. Tædio angitur Chriſtus, non quia moriturus, ſed quia non jamjam moriturus. Hoc tædium pertulit totâ antegreſsâ vita ſuâ Hoc enim indicat illa ejuſdem confeſſio: *Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor uſq; dum perficiatur.* Circumdederunt enim ab initio ipſo vitæ, Dominum JESUM gemitus mortis, & dolores inferni jam ex tunc coanguſtabant eum: quidni ergo tædium illi & immenſus angor dominaretur? Paulus Apoſtolus fatetur de ſe, quòd cum aliquando premerent eum 2.Cor.7 5 *foris quidem pugnæ, intus autem timores, neq; haberet requiem caro illius, tæderet eum etiam* 2.Cor.1 8 *vivere, ſed qui conſolatur (idem ſubdit) humiles, conſolatus eſt nos Deus.* & tædia cordis noſtri diſſipavit: ſed in Domino JESU, in anguſtiis Cordis ejus, ejuſmodi ſubſidia remediaq; procul fuerunt, puriſſimum & defæcatiſſimum ſemper moleſtiarum ſuarum calicem ambiente charitate illius.

3. Tædet Chriſtum ſui, ſed non in ſe, neq; cauſâ ſui, verùm in te ô Homo, atq; cauſâ tui: ut videlicet te aliquando tædeat tui; tædeat peccatorum, tædeat ingratitudinum, negligentiarum, contemptuum tuorum, in DEum. Quid enim mirabiliùs, immò quid indigniùs, atq; injuſtiùs, quàm Hominem oblectari ſceleribus; paſci contemptu diuino; volutari in pædore iniquitatum ſuarum; putreſcere in luto ac ſtercore fædiſſimarum cupiditatum; Deum Hominē verò ac Redemptorem Hominis JESUM, pro Homine indigniſſimo, juxtà & ingratiſſimo omnis beneficij laboriſque, affligi, uſq; ad amaritudinum ſaturitatem, uſq; ad dolorum exceſſum, uſq; ad tædium vitæ, uſq; ad portas Mortis? O inuadat nos tandem tandem & odium & nauſea, & tædium & exſecratio & horror ſceleratæ vitæ: occupet autem amor, ſtudium, conquiſitio, exſecutio Diuinorum mandatorum, necnon digna æſtimatio Chriſti Domini pro nobis laborum, dolorum, meritorum!

4. Tædet Chriſtum, ne te Chriſtianum tædeat ſeruire Chriſto, pati pro Chriſto, variè tractari à Chriſto. Non eſt enim poſtremus Chriſtianæ virtutis gradus, ſcire & poſſe, & cupere tædia devorare tribulationum pro Chriſto, pro Iuſtitiâ, pro Innocentiâ, pro veritate. A Magnus, atq; ideo eſt rarus perfectionis paſſus, poſſe Deum ſupportare, poſſe ſuſtinere conſilia DEI, poſſe multa diſſimulare cum DEo, & cum diſpoſitionibus prouidentiæ atq; volūtatis ejus. Non eſt dubium, quin ſæpè hic multa incidant tædioſâ ſed diligentibus ex animo Deum, omnia talia evadunt gratioſa.

5. Tædet Chriſtum: an fortè in eo impletur quod ſapiens dixit de debitore: *quòd in tempore redditionis, poſtulabit tēpus & loquetur verba tædij?* Factus enim Chriſtus pro nobis debitor: aſſumptis ſuper ſe omnibus debitis noſtris ad ſatisfaciendum pro eis Iuſtitiæ ſui Patris. Ecce venit tempus redditionis, ecce poſtulatur B exigiturq; ab eo, quin & ex eo ſolutio, *donec reddat univerſum debitum uſq; ad noviſſimum quadrantem*: Quid ille? poſtulat tempus, & *orat ut tranſeat ab eo hora;* & ait Patri: *Pater, ſi poſſibile eſt transfer calicem hunc à me. Loquitur verba tædij.* Sed verba iſta inferioris infirmioriſq; portionis naturæ ſunt: Cui pronum eſt in aduerſorum, tum ingruentiâ tum in præſentia, verba tædij loqui & ſubmurmurare & tempus cauſari: eò quòd caro infirma ſit. Cæterùm Spiritus ſemper promptus eſt, & verba feruoris, deſiderij, promptitudiniſq; loquitur: perrumpit omnes moras: atq; ait: ecce venio, ecce feſtino, ecce adſum. Pater non mea, ſed tua voluntas fiat. Vt cognoC ſcat mundus, quia diligo Patrem: & ſicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio, ſurgite eamus.

6. Tædet Chriſtum vitæ, cur te non tædet ejuſdem? longè tibi hæc eſt miſerior, infelicior, perículoſior, ſpinoſior. Quid vitam amas inter aſſidua naufragia? inter aſſidua mortis & perditionis etiam æternæ confinia? Caret ſenſu, qui horum non tangitur ſenſu. Tangebatur Dauid ideo rogabat: *Educ de cuſtodia Animam ad confitendum tibi.* Tangebatur Paulus, deſiderium habens *diſſolvi & eſſe cum Chriſto.* Sed eſt aliud tædium in malis, & aliud ad bona. Chriſtum tædia tangebant ob mala ingruentia. Davidem & Paulum urgebant bona ſempiD terna.

7. Hoc tædium Chriſti in Chriſto naſcebatur ex eo, quia omnia faſtidiebat in mundo. (& quidni faſtidiret? qui ſciret, quantum ſibi mali pararet mundus?

Olim

Digitized by Google

Olim cum in propria venientem non receperat, ad mortem quæſiuerat; jam nunc illi crucem parat & mortem turpiſſimam animo deſtinat. Nihil erat quod Humanæ ejus naturæ inferiori placeret; augebatur hoc malum inſuper ex eo, quod, ſpectaret extremam hominum ingratitudinem tunc præſentem, necnon eorum qui compati debuerant oſcitantiam. Inſuper verò noſtram, eſto in Chriſtum credentium, tam numeroſam, tam exaggeratam, in tot ſæcula prolongatam ingratitudinem atq; contemptionem. Quæ tanta utiq; eſt, ut etiam hodie, ſi ſtatus præſens Chriſti ſineret, tædio Chriſtum afficeret & conficeret.

PARAGRAPHVS VIII.

Matt. 26. 37. *JESVS cœpit contriſtari & mæſtus eſſe.*

PRÆDICTIONES.

Pſ. 42. 5. *Quare triſtis es anima mea & quare conturbas me? Spera in Deo.*

Thren. 1. 22. *Multi ſunt gemitus mei & cor meum mærens.*

Ibid. 3. 20. *Memoria memor ero, & tabeſcet in me anima mea.*

STROMATA.

1. Triſtitia hæc fluxit in Chriſto ex noſtris peccatis adeò multis, varijs, grauibus, Divinæ majeſtati inimicis, ſuæ charitati contrarijs, & ipſâ æternitate cruciatuum non expiandis. fluxit etiam ex peccatis à te & ab alijs Hominibus, etiam poſt adeo crudelem Chriſti pro peccatis mortem, nihilominus tam effuſè & projectè continuandis.

2. Nata eſt quoq; hæc triſtitia ex omnibus tribulationibus calamitatibuſq; non ſolùm proprijs, ſed etiam ab omnibus juſtis ſuis perferendis, pro nomine ſuo, ab impijs in hac vitâ.

3. Sciebat Chriſtus pretium animæ ſeu vitæ ſuæ, nulli quidem rei creatæ, condignè conferendæ, attamen mox mox nihili prorſus habendæ, & per omnia malorum extrema jam jam deducendæ.

4. Videbat exiguum valde fructum tantarum paſſionum ſuarum: & ideo dicebat: *ſicut aqua effuſus ſum*, quæ dum in Pſ. 21. 15. viam effunditur, contemnitur, calcatur, in lutum & arenam miſcetur. Salomon doluit quod habiturus eſſet hæredē Regni, quem neſciebat *ſtultusnè an ſapiens* eſſet futurus; at Chriſtus ſciebat clarè hæredes ſuos ex aſſe, futuros inſipientes, prodigos, ingratos.

5. Attendite Chriſtiani, diſcite, & confuſ ſcite ex morte Chriſti Dei veſtri A contriſtari, & mærere, quid dolebit Chriſtianus? ſi Chriſti morte non dolebit? Nemo poterat parem & condignā paſſionibus Chriſti triſtitia habere, præter ipſum Chriſtum, ideo ille ſuper ſe triſtatus eſt. O ubi ſumus nos, qui in morte Chriſti ridemus! quid dico ridemus? ludimus, ſanguinem etiam Chriſti fundimus, proſtituimus, calcamus? Exaſperamus Chriſti dolores, multiplicamus vulnera, exaggeramus omnia contemptuum genera, idq; in animabus & noſtris & præterea multorum aliorum, iterum iterumq; millies & millies Chriſtum crucifigentes, conſpuantes, conculcantes, excarnificantes. Millies Iudæ, millies Lictores, millies Iudæi, millies iniqui judices, millies Deicidæ. Et B quomodo effugiemus qui tantam non negligimus ſolùm ſed etiam contemptui & deſpicatui & ludibrio habemus ſalutem?

6. Chriſtus ad mærorem commovebatur excidio populi conſanguinei, & Urbis Sanctæ, quam videbat, illo enormi occiſionis ſuæ ſcelere conſummare pœnam ſuam: ob quam cauſam ſi flevit olim, quid ſi modo triſtaretur! Commovebatur Iudæ Diſcipuli ingratitudine, duritiâ, pernicie, reuera enim *homo* Luc. 19. 41. Pſ. 40. 10. *pacis ſuæ magnificabat ſuper eum ſupplantationem.* Commovebatur Diſcipulorum ſorte, fugâ, mærore, ſcandalo, orbitate, negatione. Commouebatur Matris ſuæ C Sanctiſſimæ doloribus. Hæc omnia ſimul Chriſto ob oculos erant & hærebant uſq; ad punctum Mortis; & hærebant ita, ut etiam tunc laxarentur potentijs animæ vires ſuæ, ſinerenturq; operari pro ſuâ parte, quicquid ſub præſide ratione rectâ vehementius poterant. O Homo, tu non triſtaberis de tam indignâ Chriſti nece, de tam amaro & triſti corde ejus, de tantis culpis tuis, de tam frequenti ingratitudine tuâ, de tam populoſâ animarum, Chriſti ſanguine redemptarum pernicie?

PARAGRAPHVS IX.

JESVS vigilare & orare Matt. 26. 38.
D *Diſcipulos jubet.*

STROMATA.

1. Chriſtiane; cogita tibi dici, dictum

C 2

Matt. 26. 38. ctum illud ad diſcipulos: *Suſtinete hic & vigilate mecum.* Vigilo ego pro animabus veſtris, vigilate & vos mecum. Vigilo ego, vigilate & vos ad expendendam vigiliam meam. Vigilo ego; vigilate mecum pro veſtra, pro fratrum veſtrorum ſalute, & vigilate mecum, non abſq; me, vos volo vigilare. non volo quieſcente me & dormiente, vos excubare, & ſuſtinere *pondus diei & æſtus* ſed
Matt. 20 12 mecum: ecce ego ſum, qui vobiſcum vigilo. O mi JESV ſi ſuſtinerem tecum labores pro animabus, quas diligis tu: ſi ſuſtinerem mala pro te, quæ pateris tu, pro me, quæ ex gratia ſpeciali immittere digneris mihi ad coronam & gloriam!

2. Hoc monitum Chriſti de vigilando, & orando, perſimile eſt illi Davidico: *os meum aperui & attraxi ſpiritum.* ut enim niſi os aperias, ſpiritum auræ non attrahis; ſic niſi vigiles & ores ſpiritum vitæ non ducis.

3. Oratio & tentatio, duo quædam ſibi repugnantia ſunt: ſicut gladius aggreſſoris & defenſoris. Oratione ſiquidem defenditur, quem tentantio aggreditur. Impoſſibile eſt non vinci tentatione illum, qui ſe non defendit oratione. Tentaris? ora, & viciſti. Non oras in tentatione? vinceris, immò jam victus es, perinde ut ille, qui arma abjicit in prælio.

4. Non pro ſe ipſo, ſed pro ſe ipſis, at ſecum orare Chriſtus Diſcipulos jubet. Non eſt Chriſto neceſſaria oratio noſtra pro ipſo; ſed eſt nobis neceſſaria oratio noſtra, pro nobis, cum Chriſto Creat ille nos ſine nobis: ſed non juſtificat, non ſalvat, non emendat neq. emundat, neq; in vitam æternam inducit ſine nobis.

PARAGRAPHVS X.

Matt. 26. 39. Luc. 22. 41.

JESVS poſitis genibus & proſtrata facie pronus orat.

PRÆDICTIO.

Iſ. 51. 23. *Poſuiſti ut terram corpus tuum, & quaſi viam tranſeuntibus.*

STROMATA,

1. O pondus peccati mei, quantum es, cui tantus Gigas ſuccumbit, nec pondus ejus ferre poteſt? Et cur ego ejus mole non ſentio gravari me? an quia mortuus ſum & omni ſenſu, cadaueris inſtar putridi, deſtitutus? mortuus enim quid ſentiat? an quia creaturæ quidem facile eſt pondus peccati ſuſtinere, cui etiam proprium eſt illud
A admittere: Creatori verò impoſſibile eſt tam facere, quàm ſufferre? Anti-Deus, peccatum eſt: & anti-peccatum Deus eſt. facilius eſt diem nocti, vitam morti conjungi, quàm DEum peccato ſociari.

2. Cadit JESUS ſub pondere peccati, ut peccatum in nobis cadat, in horto ſurrexerat & in ſurrexerat peccatum contra Hominem, vel potiùs in homine contra DEum, in Horto cadit & ſubvertitur idem peccatum in DEo, ne prævalere deinceps poſſit contra Hominem.

3. Erubeſcit Chriſtus propter noſtra peccata, ſibi à Patre impoſita, tanquam propter ſua, imitatur publicanum illum Euangelicum. O Homo, erubeſce tu
B quoq; culpas tuas; & abſconde faciem tuam à confuſione peccatorum tuorum peſſimorum: ſed heu! ſicut ſodoma peccatum ſuum prædicaverunt. Facta eſt nobis *frons meretricis*, nolumus, neſci- *Ier. 3. 3.*
mus etiam, & pudor eſt nobis erubeſcere; laus eſt peccare; gloriatio de ſceleribus gloriari.

4. Impij extremo in judicio dicturi *Luc 23. 30.* ſunt; *montibus, cadite ſuper nos & collibus: cooperite nos.* id nè tibi contingat, erubeſcit jam pro te Chriſtus; tu vide ut tibi rubor & pudor Chriſti proſit.

5. Adam in peccati lapſus, præ pudore abſcondit ſe totum à facie DEI; quidni & Chriſtus, illud ipſum Adæ peccatum indutus, erubeſceret, faciem pudentem tegeret? Solemne hoc & innatum
C illi peccato proſternere, confundere, perterrere, occidere.

6. Sancti Homines, etiamſi Deus ad *3. Reg. 19. 12.* illos *in ſibilo auræ tenuis* accederet, tamen præ pudore tegebant faciem ſuam, aut abdebant ſe in ſecreto loco. Chriſtus ergo comparens coram DEo, ſciens ſuper ſe poſitas iniquitates omnium, erubeſcebat coram DEo talis apparere, quē ſciebat infinitæ pulchritudinis eſſe.

7. Heſter Regina, aſpectu Aſsueri Re- *Eſtr. 15. 10.* gis furorem pectoris ejus prodente, territa corruit, & *laſſum caput reclinavit*, & non remanſit in ea Spiritus. Quidni caderet Chriſtus non in genua tantùm, ſed etiam in faciem ſuam, videns iram Patris, ita contra mundi peccata inflam-
D matam? Non potuit illam Chriſtus flectere (tanta fuit) priuſquam per omnia calamitatum genera afflictus *cla-* *Phil 28.* *mans clamore valido,* & orans cum lachrymis

Digitized by Google

mis in Cruce factus *uſq; ad crucis mortem obediens* tandem *pro ſuâ reverentia exaudiri meruerit.* Hebr. 5. 7.

8. Videbat venire DEum *contra ſe in commotione, in igne, in tempeſtate, in ſpiritu vehementi, in turbine timoris*, & quidem percuſſurum ſe plaga Mortis: quidni corrueret? 3. Reg. 19. 11.

9. Moyſes orabat elevatis non tantùm oculis, ſed etiam brachijs, quæ nè ob laſſitudinem deciderent ad terram, ſuſtentabantur ab Aarone & Hur. Chriſtus è contra demittit genua, deijcit faciem, non virgam elevat, ſed ſe proſternit, dorſum porrigit: quæ iſthæc diſparitas? Nimirum Moyſes, dona ſperat de Cælo, ideo manus elevat; Chriſtus plagas exſpectat, ideò dorſum incurvat. Exod. 17. 12.

10. Deprecatur terram toties à ſe maledictam & afflictam, promittit illi deinceps Amorem & Pacis oſculum; *inſpirat illi primævum vitæ ſpiraculum*, quod olim *non permanſurum in ea* fuerat indignans proteſtatus; vult illi vultûs ſui imaginem tanquam ſigillum imprimere, in ſignum ſecuritatis, & ſolidæ pacis, atq; amicitiæ conſtantis. O terra! ô Homo ſumpte de terrâ, cinis & terra, vides quomodo te amplectatur JESUS, quomodo pacem, gratiamq; tuam ambiat, quomodo te oſculetur; Etiamne illi ſuccenſes & faciem tuam auertis ab eo? ecce jam deinceps amicus eſſe vult, omnes injurias delet, abluit, quæ facta ſunt hactenus, infecta eſſe jubet, tu tantummodò pacis conſilia ne reſpue. Gē. 2. 7. Gē. 6. 3

11. Ictus lethali plagâ Chriſtus cadit in terram; ſimili caſu corruerat Homo, & ſi non à ſimili ictu; Adam quippe ictus eſt à plagâ peccati, Chriſtus à plagâ pœnæ pro peccato. uterq; moritur & *velut aquæ dilabitur in terram: de terra eſt, & in terram ibit.* 2. Reg. 14. 14.

12. Supplicat Chriſtus terræ, cujus contra ſe exacerbatam inimicitiam videbat, cupiens illam ſibi reddere benigniorem. Terra ſpinas & virgas, illi flagellando & coronando, terra funes, catenas, & clavos, illi affigendo, & ligando; terra montes & arbores illi crucifigendo; terra Myrrham, fel, acetum, illi cibando atq; potando erat editura; terra argentum, ipſi emendo; ſepulchrum, ipſi condendo; homines, ipſius mortem deſideraturos, & procuraturos erat ſubminiſtratura, & ſuſtentatura, terra ſanguinem ejus erat hauſtura. Hæc Chriſtus ſciebat & ideo terram ſibi mitiorem reddere cupiebat.

13. Carebat Chriſtus (ut ipſe teſtis eſt) loco tantillo, in quo caput reclinaret, cùm interim & *vulpes foveam. & volucris nidum haberet* quærit ergo foveam A in terra pauper JESUS, demittit in terram corpus & genua & caput. Sed ô Pauper JESU non eſt tam liberalis in te iſta terra, ut det tibi in ſe tantum loci, quantus es vel tu, vel ſolum caput tuum: nimis multum videris occupaturus terræ, ſi foveam inſtar vulpeculæ habueris in ea. Nidum habebis, *in nidulo* tuæ Crucis *morieris* longè à terra. vix tantum ab ea, & ex eâ habebis, quantum affigendo tibi ad crucem, pro ferreis clauis ſatis erit. Prô! quàm cruda eſt in Chriſtū terra: quam Chriſtus in æternum fundavit ſuper ſtabilitatem ſuam: hæc illi trium vix clavorum portionem, idq; nonniſi ad mortem inferendam ſuppeditare dignatur: negans etiam in illo Crucis nido locum, in quo reclinaret ex- B ſangue caput. Matt. 8. 20. Iob 29. 18

14. Vermem ſeſe Chriſtus agnoſcit & fatetur. repit per terram, & cauernam quâ abdatur quærit: ſed non eſt in terra abdi tibi, ô tenelle vermicule Chriſte JESU, dura eſt terra & planè ferrea, ſicut & *Cœlū tibi factum eſt aneum* conterendus es, & in nihilum redigendus ſicut vermis, ſub pedibus inimicorū tuorum. Deut. 28. 23.

15. Præmittit ſummæ, animi, demiſſionis ſigna, deq; ſemet ipſo diffidentiæ, & ſic Patrem oraturus accedit.

16. Summâ cum reuerentiâ, & omni cum ſubmiſſione animi, accedit Chriſtus ad mortem & paſſionem, Nempe docet noſtram inſcitiam, & impatien- C tiam. Neſcimus enim ſic ad Crucem & tribulationem eſſe accedendum ſicut ad aliquod Sacramentum. Nam ſicut Sacramentum eſt quoddam veluti receptaculum, vehiculum, pignus, & ſignum ſanguinis, meritorum & gratiæ Chriſti: ita Crux & tribulatio, idem omnino in nobis, & nobis operatur, offert, repræſentat, eſto foris aliud quiddam, in ſpeciem vile appareat: teſtis eſt Apoſtolus, qui *JESUM crucifixum, Iudæis ac gentibus* aforis eum tantùm intuentibus, *ſcandalum ac ſtultitiam* viſum: at verò electis DEI, *ſapientiam, & virtutem Dei* exſtitiſſe aſſerit. quò recidit & illud ejuſdem, qui dicit, à DEo eum *Filium recipi & diligi, qui caſtigatur ab ipſo.* adeo, ut quiſquis exi- D mitur à conſortio flagellorum, is etiam eximatur à conſortio filiorum. Filius DEi erat Chriſtus, & oportuit eum pati: atq; ad hanc patientiam & ſi in forma

Vide infrà Pa. de Acti potu. n. 18. 1. Cor. 1. 23. Hebr. 12. 6.

DEi eſſet, cucurrit exſultans, *propoſitoq́ſibi gaudio, ſuſtinuit crucem, confuſione contempta*, tali animo fideles Christi, filios DEI germanos, ad paſſiones feſtinare convenit.

Hebr. 12. 2.

PARAGRAPHVS XI.

Matt. 26. 44.

JESVS orat Patrem tertiò.

PRÆDICTIO.

Pſ. 68. 4. *Laboravi clamans, raucæ factæ ſunt fauces meæ, defecerunt oculi mei, dum ſpero in Deum meum.*

STROMATA.

1. Sæpè aliàs orabat Dominus JESUS, ſed nunc orat nouo modo & exotico, interrumpit enim orationem: & nunc Patrem orat, nunc ſuos reviſit Diſcipulos, tum quia eos amabat, tum quia ipſis timebat ab eo, qui illos *ad cribrandum expetebat*, videbatq́; jam ex ijs Iudam capeum.

Luc. 22. 32.

2. Repetit Orationem Dominus JESUS, quia tunc maximè ipſi adverſabatur Diabolus, volens impedire ſalutem mundi: in cujus rei typo, viſus eſt JESUS Sacerdos magnus ſtans & orans pro populo Dei, in veſtibus fædatis, & diabolus ſtare à dextris ejus. Ubi cum Sacerdos ſtare dicitur, orare perhibetur. Non poteſt enim aliter Dæmon repelli, quàm orando. Sicut namq; Leo nō fugatur à grege, niſi ignito aliquo terrore conſpecto, ita diabolus, nonniſi ardenti oratione repellitur. O quàm ignitus torris & carbo Chriſtus in hac oratione, ardens amore, feruens reſignatione, candens deſiderio, æſtuans ſalutis noſtræ curâ!

Zach 3. 3.

3. Orat tertiò. an quia Sanctiſſimæ Trinitati ſupplex eſt, & numen ejus ab humano genere violatum, deprecatur: unde etiam repetit eundem unumq́; ſermonem in oratione ſua triplici, tanquā uni in ſubſtantia, trino in Perſonis Deo eam funderet? An quia pro Trinitatis Divinæ imagine repurganda in Hominibus orabat: idq́; in tribus, in memoria ſcilicet, in intellectu, in voluntate? An quia pro Hominibus, triplicis legis (naturæ, Scriptæ, Gratiæ) præuaricatoribus orabat? An ob tria, per quæ cadimus; Suggeſtionem, Delectationē, conſenſum? An ob tria, in quæ cecidimus: Impotentiam Paſſionis, cæcitatem rationis, immunditiam mentis? An ob ignorantiam noſtram triplicem, in diſcernendo honeſto & turpi; vero & falſo; commodo incommodo? An ob triplicem ſtultitiam noſtam, quam A nobis ineſſe monſtramus, obliuiſcendo, negligendoq́; deflere præterita, amando & captando præſentia, inſtabilia, non præuidendó curandoq́; futura ingruentia. An ut impetret nobis, pro peccatis præteritis veniam, præſentibus emendationem, futuris cautelam? An pro delendis peccatis noſtris, corde, ore, opere admiſſis? An pro impetranda nobis ſpe à Patre, Fide à Uerbo, Charitate à Spiritu? An ut tres concupiſcentias noſtras retunderet, carnis, oculorum, vitæ? An ut tres Hoſtes noſtros 1. Ioā. 2. frangeret, Carnem, Mundum, Diabolū? 16.
Sic orabat David ter in diem *mane, meridie, veſpere*. Paulus, ter oravit pro ſti- Pſ. 54. 18.
mulo ſuo à ſe removendo. idem à Daniele, & Petro Apoſtolo factitatum legi- 2. Cor. 12. 8.
B mus. An quia triplici affectui, quo tunc angebatur, ſcilicet Amoris, Timoris, Triſtitiæ, ſatisfaciebat.

4. Nunquam tanta cauſa à tantis agitata oratoribus: apud tantos cognitores ſive Auditores: ergo etiam nunquam tantis Eloquentiæ certatum eſt viribus ac conatibus. Auditores Sanctiſſima Trinitas. Orator pro utraq; parte, Æternum Verbum Incarnatum. Cauſa ſanguinis eſt ac vitæ Chriſti, incolumitatis mundi atq; ſalutis, Gloriæ DEI: & quæ unquam majores, difficilioresq́; cauſæ? Non ergo ſine cauſa ſæpiùs repetitur oratio, reſumuntur argumenta: innouantur affectus: uſq; ad C agoniam, ad ſudorem, ad ſanguineūm imbrem decertatur.

5. In funiculis Adæ, trahebat Deus ad ſe ſe Hominem: Chriſtus Homo perſonam ſuſtinens Hominum in funiculis ijſdem trahit ad ſe Deum: funiculi Adæ ſunt verba blanda, his utitur Chriſtus ad Deum, *Pater Abba. Pater mi, omnia tibi poſſibilia ſunt &c.* Hos funiculos triplicat, ut difficiliùs rumpantur, ideo triplicat orationem, utq́; à terrâ ad Cælum pertingant, prolixiùs orat.

Mar. 14. 36.

6. Diſcamus Mortales, diſcamus non pigritari ad orandum, & ſupplicandum DEo: vel quia miſeri, vel quia indigi, vel quia mali ſumus, & ſine DEo nihil ſumus, habemus, poſſumus. Vel quia honor noſter eſt, colloqui cum DEo, D quo majorem habere non poſſumus. Orat miſericordia, & non orat miſeria! orat innocentia, & non orat iniquitas! orat Medicus, & non curuatur ægrotus!

Digitized by Google

orat Majeſtas, & non orat vilitas! orat opulentia & Dives Deus, & non orat pauper & Mendicus Homo!

7. Diſcamus etiam modum & normam orandi, quàm in hac Oratione Dominica propoſitam habemus. Idcirco enim nulla Chriſti Oratio ita nobis diſertè explicata eſt ab Evangeliſtis, ut iſta in Horto: planè acſi ea ſola nobis deberet eſſe forma orandi!

Prima igitur qualitas orationis hujus eſt *Solitudo* & ab omnibus non ſolùm curis ac interpellatoribus, ſed etiam ſpectatoribus abſtractio. Baſilius Sanctus, propter tria, ſolitudinem docet requiri ad Orationem. 1. Quia major eſt libertas, & meliùs ſenſa animi interniq; motus exprimuntur. 2. Quia abeſt inanis gloriæ periculum, unde magnæ perfectionis eſt, ita priuatim orare, quomodo oras in publico. 3. Quia abeſt interruptor, & qui obſtrepat.

Secunda qualitas hujus Orationis: *Maxima Reverentia* in ipſo orationis loco, quantumvis ſecreto, *poſitis genibus procidit in faciem &c.* *Matt. 26. 39.*

Tertia qualitas huius Orationis; *Attentio.* *Luc. 22. 41.*

Quarta qualitas: *Fiducia*

Quinta qualitas: licitorum & DEo placitorum *Poſtulatio.*

Sexta. Ex toto corde atq; animo in Divinam voluntatem Reſignatio, propriæq; voluntatis ac utilitatis Abnegatio & oblivio.

Septima: contentio in orando; oravit enim uſq; ad agoniam, uſq; ad ſudorem & quidē ſanguineum Dominus.

Octaua: Perſeuerentia Orationis; orabat enim Dominus prolixiùs, & oravit tribus vicibus repetita oratione.

Nona: Poteſt hoc etiam inter virtutes orationis numerari; ut ita orationi inſtetur, ut tamen ea, quæ officij ac muneris, maximè quæ ad curam ſalutemq; proximorum pertinent; non negligantur: quomodo nunc Dominus noſter, ita Patrem Cæleſtem pro vitâ ſuâ, magis vero ſalute noſtra orabat, & tamen Diſcipulorum curam atq; eorum exhortationem, ad vigilandum orandumq; nō intermittebat.

PARAGRAPHVS XII.

Mar. 14. 36. *JESVS à Paſſione liberari poſtulat.*

PRÆDICTIONES.

Ædificavit in gyro meo: circumdedit me felle & labore: ſed & cum clamavero & rogauero, excluſit Orationem meam. *Thr. 3. 5. 8.*

Clamo ad te & non exaudis: ſto & non reA ſpicis me, mutatus es mihi in crudelem. *Iob. 30. 20*

STROMATA.

PAter mi, Abba Pater, ô Rex gloriæ (Cōfidentiæ ac Amoris verbum eſt) quem enim Filius niſi Patrem Sanctiſſimum amet, & ad quem confugiat? *Si poſſibile eſt* ſi tu decreviſti per meas & propter meas preces mutare Decretum; ſi tibi placet, ſi Mundi ſaluti expedit: Non peto à te, eà, quæ tu non vis peti, nec peto fieri, quæ non decreviſti fieri: *Transeat à me Calix iſte* *Matt. 26. 39.*

1. Hoc Verbum Naturæ eſt, quòd illi pretioſiſſimæ vitæ, omnibus etiam Angelicis vitis præferendæ, parci cuperet, unde ſe ab omnibus malis impendenti-B bus orationis ſcuto liberat.

2. Tranſeat à me, ad meos; bibam illum ego ſolus, *non erit de gentibus vir mecum,* ſed non ſoli mihi bibam; propino illum ſaluti humanæ. *Iſ. 63. 3.* *Hilar. cō. 31. in Matt.*

3. Paucis video profuturum meum Calicem, tam licet longæ & acerbæ Paſſionis meæ. ah! cur tam paucis? Pater mi, nolo ut proſit mihi, modò proſit pluribus, proſit omnibus. *tranſeat à me iſte calix*, portio iſta fructûs, quæ mihi obuenire debet, ex hoc calice, tranſeat à me, ut pluribus poſſit prodeſſe.

4. Tranſeat à me: ô æterne Pater quid facies? Mundus eget, ne tranſeat iſte Paſſionis calix, à Filio tuo: Filius obſecrat, ut tranſeat & amoueatur ab C ipſo. Amas Mundum, amas Filium, quid hic facies? Si tranſierit à Filio, væ Mundo, etenim mundus illum bibere debebit: Si non tranſierit, væ Filio! Quid hic facies Pater? inde vita Mundi, inde vita Filij poſtulante. Conſolamini Filij Adam, conſolamini: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret* pro Mundo. Nimirum Filium veluti poſtpoſuit mundo.

5. *Tranſeat à me calix iſte*: noló ut calix omnis omnino tranſeat, ſed deſidero ut iſte tranſeat: iſte, quem mihi Iudas Homo pacis meæ; iſte, quem Iudæi, gens mea, & pontifices mei; iſte, quem mihi os meum, & caro mea; iſte quem mihi ciuitas mea; quem populus, à me D tot tantiſq; ornatus prærogativis, illuſtratus miraculis, inſignitus miſerationibus, electus è millibus, parat propinare. Volo mi Pater, volo pati; ſed ab Judæis,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

judæis, hoc præſertim, nollem; quare ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte. Eſt quippe miſerrimum & crudeliſſimũ circumueniri ab amico.

6. *Tranſeat à me calix iſte*: per patientiam ego Mundum ſalvo Pater: oportetq; me pati & ſic intrare in gloriam meam. idem fiat in prædeſtinatis meis, per patientiam currant ad bravium ſalu-
Luc. 9. 23 tis. *tollant crucem ſuam quotidie. in patientia*
Lu. 21. 19. *poſſideant animas ſuas, patiantur perſecutionem propter juſtitiam &c.* Et quia ego cali-
Matt. 5. 10. cem meum amanter, ardenter, ſitienter, conſtanter, libenter bibo pro ipſis, bibant & ipſi eodem modo, pro mea, tuaq; Pater mi gloria, pro ſalute propria. Tranſeat ergo hic Calix à me, & qui propter illos inebriat me, inebriet etiam illos propter me: accipe Pater mi de hoc ſpiritu & amore meo feruenti, quo Calicem meum bibo, paſſionemq; ſubeo &
Hilarius can. 31. in Matt. perfero: ac cum electis meis propina & tribue & infunde, & ſic *transfer hunc Calicem à me.*

Marc. 14. 26. 7. *Tranſeat à me Calix*: non diu me mors abſorptum teneat, ſed tantùm pertranſeat me: nè forté lætetur inimica mea ſuper me: ſed magis, ut in illo exaudias me, quod pridem per os Pro-
Pſ. 15. 10. phetæ mei rogaui te: *non dabis Sanctum videre corruptionem.*

Mar. 14. 36. 8. *Pater mi, Pater, Abba Pater.* Olim quando in Horto DEus vocabat Adamũ, fugiebat Adamus & abſcondebat ſe, & & refugiebat audire vocem DEi. Nunc oppoſitum accidit. Novus Adam Chriſtus DEum in Horto quærit, vocat, invocat: ſed DEus fugit & ſe ſe abſcondit & vocem ejus audire abnuit.

PARAGRAPHVS. XIII.

Matt. 26. 39 & 42 Luc. 22. 42.

JESVS permittit ſe voluntati Paternæ.

FIGVRA.

1. Reg. 3. 18. *Heli puniendus à Deo, accepto nuntio comminationis Dei, dixit: Dominus eſt, quod bonum eſt in oculis ſuis faciat.*

2 Reg. 15. 26 *Dauid fugiens Abſalonem dicebat: faciat Dominus quod bonum eſt coram ſe.*

STROMATA.

1. Etiam in Mortis ac talis quidem mortis deprecatione, non vult ſuam, ſed Dei Patris fieri voluntatem Dominus JESUS. ah! infelices nos, qui nuſquam ſive in Divinis, ſive in humanis, ſive in animæ, ſive in corporis negotijs atq; officijs non noſtram propriam volumus fieri voluntatem.

2. Et cujus tandem fiat voluntas bone JESU, ſi tua non fiet? cujus fieri dignum erit, ſi tuam fieri dignum non eſt? A ſed tamen Domine JESV te obſecramus ut petas & efficaciſſimè petas Patrem, ut non tuam ſed ſuam Paternam faciat voluntatem in præſenti: nam ſi tua voluntas fiet, jam Patris non fiet, jam ſalus mundo peribit: ut ergo ſalvetur mundus, ut vivat homo, ut tu Salvator fias, ut honorificetur tuus Pater, non tua, ſed ejus voluntas fiat.

3. Hoc dicere, Domine JESU, mihi magis convenit quàm tibi; nam tua quidem voluntas Sancta, pia, rationalis, juſta & honeſta fuit: at mea qualis? cæca nimirum, perverſa, mala, inconſtans, malè ſana ignara, dura & obſtinata. O non hæc fiat voluntas! ſed fiat B voluntas tua, voluntas æterni tui Patris, & fiat ita in terra, ſicut in cælo fit, ab illis & in illis beatiſſimis cælitibus; fiat ita prout eſt in corde Patris æterni, ſuavis, efficax, abſoluta, guſtabilis, perfecta.

4. O quàm ego felix eſſem, ſi non mea ſed tua fieret voluntas in me, de me, per me Domine Deus meus: an non felix ſtructura ad perpendiculum facta? an non felix imago ad exemplar & Archetypon formata? an non felicitas eſt conformari Regulæ per omnia?

5. Si bona eſt voluntas tua Domine JESU, quare non fiet? ſi mala, quomodo tua? & quomodo abs te poſtulata? At enim & tua eſt, & bona eſt, & poſtulatur ut fiat, & tamen non fiet, quia C meliori cedit, hoc eſt, illi quæ interim placuit magis ei, cujus placitum, Regula eſt volendi. Nam ſi illa demum voluntas bona eſt, quam Deus vult, illa utiq; erit melior, quam Deus magis vult: jam vero, ut aliud nihil ſit: certé melior eſt illa voluntas, quæ non ſuam ſed Dei vult fieri voluntatem, quàm illa, quæ aliquid boni fieri petit à Deo, eſto non ſibi habeat contrariam Dei voluntatem. Itaq; & hoc quod Chriſtus volebat, bonum erat, & hoc quod non ſuã ſed Dei Patris potiùs voluntatem fieri volebat, meliùs longé erat: proinde magis hoc quàm illud Chriſtus Dominus eligens dicebat; Non mea, ſed tua voluntas fiat.

6. Quam olim per prophetas ante ſui D conceptionem, & quam poſtmodum in prima ſui formatione Reſolutionem voluntatiſq; propriæ cum Divina conformationem Dominus JESUS fecerat:

In capite

Digitized by Google

Pſ.39.8.9. Pſ.39.7. (*In capite libri ſcriptum eſt de me, ut facerem voluntatem tuam, Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei. Hoſtiam, & pro peccato non poſtulaſti, aures autem perfeciſti mihi, tunc dixi: Ecce venio*) & in quâ ejus *Conformata voluntate* teſte Apoſtolo *ſanctificati ſumus*, hanc eandem in Præſenti approbat, innovat vocem, habet & in hac voluntate nos omnes, viuificat atq; ſanctificat. O quantum ſitum eſt in voluntatis Divinæ amore atq; conformitate!

7. S. Leo. ſ. 7: de Paſſi. de hác voce Chriſti: *non mea voluntas* &c. ſic ait in fine ſerm: Hæc vox capitis, ſalus eſt totius corporis, hæc vox omnes fideles inſtruxit, omnes Confeſſores accendit, omnes Martyres coronavit. Nam quis mundi odia? quis tentationum turbines? quis poſſet perſecutorum ſuperare terrores? niſi Chriſtus in omnibus patiens Patri diceret: *Fiat voluntas tua*. Diſcant igitur hanc vocem omnes Eccleſiæ filij, magno pretio redempti, gratis iuſtificati.

PARAGRAPHVS XIV.

Luc.22.45. *Jeſus viſitat & tandem excitat à Somno Diſcipulos,*

PRÆDICTIO.

Pſ. 68.21. *Suſtinui qui ſimul contriſtaretur, & non fuit; & qui conſolaretur, & non inveni.*

STROMATA.

1. DOcet activam vitam conjugendam eſſe contemplativæ, tunc enim rectè perfectio ſpiritualis procedit, quando orationi ſeu contemplationi operatio ſuccedit.

2. Ille cum fructu & auctoritate alios corripit & excitat dormientes, qui
Pſ. 5. 5. ipſe dicere poteſt illud Dauidis: *Mane aſta-*
Pſ. 62. 2. *bo tibi & videbo, quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.* Et illud: *Deus Deus me-*
Pſ. 118. *us ad te de luce vigilo.* E illud, *Prævene-*
148. *runt oculi mei ád te diluculò.* Et illud: *Ani-*
Iſa:26. 9. *ma mea deſideravit te in nocte ſed & ſpiritu meo de mane evigilavi ad te Deus.* Qui deniq; inſtar Chriſti pernoctat in oratione Dei,

3. Ne exiſtima ſatis eſſe, ſi Chriſtus pro te oret: oportet inſuper, ut tu quoq; pro te ores, vigiles, labores cum Chriſto, cum auxilio Chriſti. Non ergo dicas: Chriſtus pro me oravit, paſſus eſt ſatisfecit. Verùm id quidem eſt, ſed quid reſpondebis Chriſto obiectanti: *Simon dormis? ſic! non potuiſtis unâ horâ vigilare mecum? vigilate, & orate &c.* Vides quod tuam quoq; requirat collaborationem. Mat. 14. 37. Matt. 26. 40 & 41.

4. Ut quid ſolis Diſcipulis tuis dormitantibus moleſtus es Domine Ieſu!
A Nunquid illi ſoli dormiunt? & cur nō ob eandem cauſam excitantur omnes à te? an non omnibus vigilare contrà tentationes & tecum excubare atq; orare incumbit? Nimirum non tangitur Ieſus ſomnolentiâ ſecularium, vel ſubditorum, ſed ſpiritualium, ſed Prælatorum, ſed ad ſtudium ſtadiumq; perfectionis vocatorum: *Nam quis cæcus* (ait per Iſaiam) *niſi ſervus meus? quis ſurdus, niſi ad quem nuntios meos miſi? Vos eſtis ſal terræ, ſi ſal evanuerit, in quo ſalietur?* ait Dominus. Iſ. 42. 19 Matt 5. 13

5. Adverterat Dominus IESUS malignos ſpiritus eſſe accinctos ad perdendum Apoſtolos, Carnem autem & ſenſum Apoſtolorum infirmum ad re-
B ſiſtendum, ideo illos excitat. viſitat, animat, hortatur, omne boni Magiſtri & paſtoris officium, & ſi aliàs pro ſe ſatis ſolicitus implere non omittit.

6. Indignum videbatur (& ſanè meritò) Chriſto Domino, vigilare Iudam ad perdendum & prodendum eum hoſtibus, dormire vero Diſcipulos ad conſolandum ipſum ſimulq; orandum cum ipſo. Sed ſcilicet *Filij huius ſeculi prudentiores ſunt filijs lucis in generatione ſua.* Luc. 16 8.

7. Plures dormiebant & ſolus Simon arguitur nominatim. Nempe ille nuper amplius locutus fuerat, fervoriſq; & animi promiſerat. meritòq; ſaltem ab illo plus exigitur. Præterea Si-
C mon quaſi Caput erat aliorum, cuius erat, exemplo & verbo præire aliis & monitum Chriſti explere vigilando, orando. Ad hæc, nominatim pro illo oraverat Chriſtus ut confirmaret Fratres, nominatimq; arguitur ſomnolentiæ importunæ. Et cur non Petrus, ſed Simon vocatur? Non Petri quod Chriſtus dederat, ſed Simonis quod ante vocationem Chriſti habuerat, nomine compellatur. Non enim tunc Petrus erat, ſed planè Simon, non fortis, ſed ipſo ſomno victus, non ſequebatur Chriſtum oran-
D do, ſed deſerebat dormitando.

PARAGRAPHVS XV.

Luc. 22. 43. *JESVS ab Angelo confortatur.*

FIGVRÆ.

Ge 32. 28. *Jacob timens fratrem Eſau ab Angelo roboratur.*

Dan. 10. 19 *Noli timere vir Deſideriorum; pax tibi; confortare & eſto robuſtus.*

Ioſ. 1. 6. *Confortare & eſto robuſtus tu enim ſorte divides populo huic terram pro qua juravi Patribus eorum; confortare igitur & eſto robuſtus valde.*

STROMATA.

1. O Quàm durum! quam verè æneum cælum experiris Domine IESU! ter oràſti, ſudâſti, agonizâſti, & neminem tanto conatu atq; ſumptu, præter unicum Angelum exorâſti.

2. O æterne Pater, quare non Tu ipſe, quare non ſpiritus Sanctus conſolatur Filium tuum: ſiccinè indignus ille eſt, quem vos in perſona veſtra viſitetis & ſolemini, ſed locò veſtri ipſorum, Angelum mittitis.

3. O Angeli Sancti! quid hoc tandem Matt. 4. 3. eſt, quòd adeò tardatis ad miniſtrandum Chriſto? olim in deſerto cùm iejunâſſet ac tentatus eſſet, tandem tandem vix ad miniſtrandum acceſſiſtis nunc etiam dum eſt pavidus, tædioſus, mæſtus, dum eſt Anima ejus uſq; ad Mortem triſtis, unicus tantùm, iſq; ſatis tardè conſolator adeſt! Nunquid Humanam naturam, Deo quidem ſemper rebellare ab initio Mundi aſſuetam, etiam in Chriſto perſequimini! refugi-Iob. 19. 22 tis? contemnitis? An fortè & vos *perſequimini Chriſtum ſicut Deus*? An fortè ad Chriſtū nunc tardatis, ut olim ad Chriſtianos promptiùs accurratis? An Chriſtum veſtrâ præſentiâ minimè egere advertitis? An tanta illa IESU Chriſti DEI & Domini veſtri certamina contuentes, admiratione & ſtupore defixi hæſiſtis, officiiq; veſtri erga Chriſtum obliti eſtis?

4. Satis longos & validos atq; fortes Dominus IESUS texuerat funes & in cœlum miſerat, ut ijs Deum ad ſe traheret: neq; tamen traxit præter unum Angelum. Et quomodo verum Matt. 26. 53. eſt, mi *Domine IESU* illud, quod paulo poſt Petro dixiſti: *An putas quia non poſſum rogare Patrem, & exhibebit mihi modo plusquàm duodecim legiones Angelorum?* ſcilicet quando tertiò orabas, per otium, poſitis genibus, proſtratus in faciem tuam venerandam, negligenter tunc orabas? nihil certè minùs. Sudor id ſanguineus & agonia teſtatur. Qui ergo tunc duodecim legiones non impetrabas? Equidem *Domine JESU* credo, quòd Angeli, quando te adhuc liberū & procul à vinculis hoſtibusq; viderent, ad tuum auxilium non feſtinabant: at quando circumdabaris, capiebaris, ligabaris, indigniſſimè tractabaris ab hoſtibus tunc turmatim omnes accurriſſent. Cæterùm Tu neq; tunc ullo eorum egebas neq? duodecim legiones volebas. Nam ſi unò illo, *Ego ſum*, Ioan 18. 5. abiéciſti hoſtes ſimul omnes in terram, quantò magis ſi ad agonem & ſudorem uſq; repugnare hoſtibus voluiſſes, in nihilum illos millies ſolo voluntatis nutu redigere potuiſti.

5. Veniente Chriſto in fine mundi. *Virtutes cælorum movebuntur & ſtellæ cadent* Matt. 24. 29. *de cælo*. Eunte autem Chriſto ad mortem & ad judicium ſubeundum, nullà eſt virtus mota Cælorum, unus tantùm commotus eſt Angelus; ut quid hoc? an indigniùs & periculoſiùs eſt DEUM judicare, quàm judicari, ut tunc aſſiſtentiâ opus habeat Miniſtrorum, nunc non item? Non ſanè. Sed nimirum nec Regnum nec iudicium Chriſti fuit tunc de hoc mundo, & ideo etiam Miniſtros Regni ac judicij ſui, neq; de hoc neq; de alio habere voluit mundo. Ad hæc, horrendior eſt furor & ira judicis Dei, quàm furor humanus; & ideo alia erit forma Chriſti venturi ad judicandos homines, & alia erat euntis ad judicandum ab hominibus. O quis Hominum non timebit judicaturum? *quis poterit cogitare DEum adventûs eius: & quis ſtabit ad videndum eum?* Mal. 3. 2.

6. *Confortat Angelus JESUM.* ô Chriſti humilitatem, Angelicam etiam hoc eſt ſervuli ſui conſolationem non reſpuentem! Ego infelix nullius mihi egere auxilio, conſilio, ſolatio videor.

7. *Confortat* Fortitudinem ſuam Angelus; decet equidem *ut flumina ad mare redeant.* Eccl. 1. 7. Per Chriſtum, Angele fortis es. quid ni illi fortitudo tua in diebus Carnis infirmitatisq; ſuæ ſubſerviat?

8. Ecquæ fuit illa Confortatio, niſi divinæ voluntatis denuntiatio dicebat Angelus. Domine *Exaudita eſt* Heb. 5. 7. *oratio tua à Patre tuo, pro tua reverentia, ſed ſine modo, ſic enim decet te implere omnem juſtitiam.* Matt. 3. 15. *Ecce ſi poſueris pro peccato animam tuam, videbis ſemen longævum Cumq; exaltatus fueris à terra, omnia tra-* Is. 53. 10. *hes ad te ipſum*: implebis ſcripturas, reconciliabis Patrem Mundo, auferes à

conſpectu

Digitized by Google

conſpectu Dei peccata mundi, *alligabit fortem illum*, humani generis adverſarium & *armatum, vaſaq; illius diripies, dabitur tibi omnis poteſtas in Cælo & in terra*: Et inſuper propter hoc, Pater tuus exaltabit te, *& dabit tibi Nomen, quod erit ſuper omne Nomen.* Hæc itaq; quatuor, Angelus ille dixit Chriſto Domino: 1, *quòd ejus morte* glorificandus eſſet Pater æternus per totū Mundum. 2. Quòd Morte Chriſti Nomen ipſiusmet Chriſti clarificandum eſſet toto orbe ſuper omnia alia nomina. 3. Quòd multa Animarum millia eſſent per eius mortem promovenda ad Cælum, & gloriam æternam. 4. quod eius Morte reſtaurandæ & implendæ eſſent ruinæ, cæleſtis illius Hieruſalem ac Beatorum Angelorum. Et hæc forſitan eſſe diciq; poſſet glorificatio Chriſti ab Angelo: quam Theophylactus ex pluribus adducit hoc loco, cùm ita loquitur: *Nonnulli autem ſic dictum explicàrunt curioſiùs, quia apparuit illi Angelus glorificans eum & dicens. Tua eſt Domine fortitudo: Tu enim prævaluiſti contra Mortem, & contra infernum, & liberàſti genus humanum.*

Matt. 12. 29. Matt. 28. 18. Phil. 2. 9. Theophila. enarr. in Luc. c. 22.

9. Quatuor Cauſas reperio, propter quas Dominus IESUS confortari & cōſolari voluit & ſi non eguit. *Prima* eſt: ut naturam veram humanam in ſe oſtenderet, *ſecundùm quam minor erat Angelis.* *Secunda*: ut ſe in illo Mortis & Paſſionis urgentis articulo oſtenderet deſtitutum omni ſolatio. Nam nec à Deo Patre, neq; ex beatifico Animæ gaudio, neq. ab aliis ſolatium habebat, quod etiam multò evidentiùs expreſſit in Cruce iam pendens. *Tertia*: ut doceret orantibus & afflictis propter Chriſtum, ſolatium Cæleſte nunquam defuturum: & licet non impetrabunt quod poſtulabunt, obtinebunt tamen quod ſatis erit. *Quarta*: ut intelligeremus Angelos orantibus adeſſe idq; vel ut orantes dirigant in orando, vel ut ab hoſte inviſibili defendant, vel ut orationes ad DEUM deferant, vel ut ſolatia orantibus de Cælo afferant.

Heb. 2. 9.

10. Sciendum verò quòd hanc Conſolationem & confortationem Chriſto Domino, Angelus ille non internè ſed externè, proferendo verba Conſolatoria dedit; neq; illam ipſi affectivè tribuit (tali enim affectione Chriſtus ab Angelo, non habuit opus) ſed tantùm objectivè ac per modum proponentis, juxta dicta ſupra *n. 8.*

11. Hic Angelus, Chriſti Domini confortator, Supremus Princeps Angelorum, totiusq; Militiæ Cæleſtis fuiſſe creditur, quo apparente apud Chriſtum Dominum dicitur etiam ſub idem tempus illud apparuiſſe Gabriel Angelus Beatiſſimæ Virgini DEI Matri, eamq; ſimiliter confortâſſe & ad perferendos omnes cum Chriſto & pro Chriſto dolores animâſſe atq; corroborâſſe.

12. Modus Confortationis hujus, placet aliquibus talis fuiſſe: quòd Angelus apparens Chriſto quicquid ille tunc faciebat, etiam ipſe faceret ad inſtar eius. Orabat cum orante, gemebat cum gemente; horrebat cum horrente; triſtabatur cum triſtante; flectebat cum flectente; uno verbo confortatio illa fuit imitatio Domini. Sic ſcilicet à nobis quoq; optimè confortatur IESUS, ſi imitamur dolentem IESUM, quod quidem nobis & incumbit juſtiùs & re ipſa præſtare faciliùs & inſuper eſt quàm Angelo utilius.

13 Angelus Sathanæ confortavit Evam, & animavit ad eſum ligni ſcientiæ Boni & mali in Paradiſo ad perditionem; Angelus lucis in Horto confortat IESUM ad eſum ligni Crucis in ſalutem noſtram.

PARAGRAPHUS XVI.

JESUS factus in agonia FIGURÆ.

Jacob cum Angelo luctatur in timore fratris ſui. Ge 34. 5.

STROMATA.

1. AGonia ſignificat Ludum & certamen. quæ naturaliter erat in Chriſto Domino inter partem ſuperiorem & inferiorem, inter vitam & Mortem, inter dignitatem & ignominiam, inter Amorem & Paſſionē. Et erat nihil aliud; quàm repugnantia; ſenſûs dolorem ac Mortem timentis, rationis verò, eandem acceptantis, permittente interim Chriſti Divinitate, pati & agere quamlibet partem id; quod erat eius Naturæ.

2. Denuntiata fuit Chriſto Mortis inevitabilis ſententia ac neceſſitas. Pars ſuperior acceptabat illam, utpotè ſibi pridem expetitam ob Patris vo-

& Honorem & ob alia innumera bona ex illa ſua morte, promanatura Inferior verò portio denuntiationem mortis, morte ipſa magis horruit, *O Mors* Eccl. 41. 1. *quàm amara eſt memoria tua, homini pacem habenti in ſubſtantia ſua!* Dictum eſt Chri- Iſ. 38. 1. ſto: *Cras morieris & morieris* Tu Chriſte *& non vives.* quidni extimeſceret?

3. In illâ horâ dicebat Chriſtus: *Circumdederunt me, dolores Mortis & pericula inferni invenerunt me. torrentes iniquitatis conturbaverunt me.* Quod vero di- Pſ. 17. 5. cebat, hoc ſine dubio & ſentiebat. Hinc lucta cum doloribus Mortis cum periculis inferni, cum torrentibus iniquitatis, hoc eſt, infernalium & iniquiſſimorum hoſtium, atq; inde in tantis anguſtiis agonizatio talis, qualis eſſe ſolet jam jam morientium

4. Erat altercatio inter ſanctiſſimam illam carnem & Animam Chriſti Domini. Dicebat illa ad Animam: O Anima, ut quid deſeris me, & tantis malis objicis, quæ tibi hactenus fui per omnia obſequentiſſima? quid peccavi in te? quid commerui? quid tibi in me diſplicuit? in quo unquam contriſtavi te, vel ad horam? (*Vide infra de Christi à Deo derelictione.*) Reſpondebat Anima: O Caro mea ſatis bonum præſtas mihi in te hoſpitium, nec habeo in quo accuſem & adverſer tibi, ſed tamen, *ſicut mandatum de-* Ioã. 14. 31. *dit mihi Pater, ſic facio,* quòd te hiſce doloribus & tam amaræ morti objiciam, non eſt faſtidium tui, ſed imperii Patris & amor humani generis, de quo & tu ſumpta es. Noli timere, ego reviſam te & reſumam ac reſuſcitabo Pſ. 15. 10. in triduo in æternumq;. *Non dabo Sanctum meum, videre corruptionem:* Sic ergo Matt. 26. 41. in Chriſto Domino *Spiritus erat promtus, ſed caro infirma.* Arma Carnis, Mar. 14. 38. & ſenſûs, hæc erant: *Primò* Naturale eſt (dicebat ſenſus) omni Creaturæ conſervare ſe, refugere deſtruentia, maximè mortem violentam *Secundò* Siccine vita mea & perſona impetetur & excruciabitur? ſiccine de hominibus meritus ſum, propter quos tanta & talia aggreſſus ſum? hacciné *ſterilitate* Pſ. 34. 12. imò immanitate, *retribuent mihi mala pro bonis meis?* *Tertiò* Hem quam injuſta, ignominioſâ, crudelis: mihi paratur mors? *Quartò* Quantus ille furor perdere me volentium & parantium? *Quinto* ſingulæ ſeorſim ſumptæ mihi ingruentes pænæ, en quàm ſunt acerbæ & corpori intolerabiles! & quantò acerbiores erunt omnes ſimul? tali & tam tenero corpori atq; ſenſui, tam arctè tamq; concorditer cum Animâ conjuncto! O Anima, quàm durum tibi erit ab hoc corpuſculo revelli & quidem adeò violenter revelli! O Ratio! vide tu, ne tibi, rationi conſonum, ſic affligi? ſic excarnificari corpus innocens, nullo merito, nullo fructu tuo, nulla neceſſitate? *Sexto* Nunquid non ſuppetunt aliæ rationes commodiores hominum juvandorum & voluntatem Paternam explendi? ſi mori Pater vult, moriar: ſed non adeò violenta, infami morte! Iam verò è contra Rationis arma hæc erant. *Primò* Verum eſt naturam à morte refugere, ſed quàm multi hunc naturæ appetitum ratione fregerunt, morientes animoſè B opportuno tempore & cauſâ. *Secundò* Amor mori vult, Amorem autem morte vinci non decet: quippe fortiór morte debet eſſe dilectio, *Tertiò* Ad hæc, *ſcriptum* hoc *eſt in capite libri* Divini *de me, ut facerem voluntatem* Pſ. 39. 8. *Dei.* *Quartò* Neq; ego contradixi, immo *volui & hanc* Dei *legem* repoſui Ibid. 9. & *in medio cordis mei,* abſq; dubio explendam, in quâ voluntate jam pridem Mundus ſanctificatus eſt *Quintò* Omnino, etiam neceſſarium eſt impleri figuras, & prophetias: quomodo autem implebuntur, ſi *calicem quem dat mi-* Ioã. 18. 11 *hi Pater non bibam?* maximè quàndo hoc ab æterno ita præordinatum eſt de me à Patre, & à me ipſo. *Sextò* Si e- C go calicem hunc, amaræ licèt Paſſionis & mortis non bibero: ergo adhuc Pater meus ceremonijs tantùm vacuis, puerilibus, & egenis elementis colletur; & non habebit veros adoratores, quales quærit, qui *adorent eum in* Ioã. 4. 23. *ſpiritu & veritate.* *Septimò* Scis ô caro mea benè, me *non veniſſe ut ſolverem,* Matt. 5. 17 *ſed ut adimplerem legem* in minimo æquè ac maximo puncto, etiàm in uno apice, Ioã. 19. 30 non implebo autem hæc omnia, niſi moriar & ita moriar tandemq; dixero: *Conſummatum eſt Facilius eſt cælum & terram tranſire,* quàm aliquid ex his, quæ ſcripta ſunt in lege & pſalmis & prophetis de me, à me non impleri. Non enim poteſt ſolvi ſcriptura, niſi for- D tè velis, ut & ego fiam *ſimilis aliis hominibus mendax* *Octavò,* Ad hæc, ego Ioã. 8. 55. iſta omnia facere, pati, & per hæc mori volo, ut poſtquam *ſic poſuero pro peccato animam meam, videam ſemen longævum* innumerabilium Sanctorum, Amatorum & imitatorum meorum, Adoratorumq; Paternorum, merearq; mihi nomen

hi nomen

Iſ. 53. 10. hi, *nomen ſuper omne nomen*, in quo *omne genu flectatur*. A *Nonò*. Inſuper hanc ego mihi rationem ex voluntate etiam Patris mei conſtitui & delegi, Charitatis meæ oſtendendæ erga homines, ut videlicet pro illis Animam meam ponam & ponam talibus in circumſtantiis, in quibus illi evidentiſſimè cognoſcant ineffabilem amorem meum erga ſe. *Decimò*. Deniq; ego pro reverentiâ & obedientia Patris mei æterni; *Ioā. 14. 31.* *& ut agnoſcat totus mundus, quia ego diligo Patrem, ſicut & Pater meus dilexit me, & ſicut ille mandatum mihi dedit, ſic facio*. B Ob hanc utriusq; Patris in Chriſto concertationem (ordinatam tamen) erumpebant ex ore Chriſti Domini, illæ tam *Matt. 26. 39.* diſparatæ voces: *Pater ſi poſſibile eſt tranſeat à me Calix iſte*. Et Contra: *Verumtamen non quod ego volo ſed quod tu, fiat voluntas tua*: *Marc. 14. 38.* *Caro infirma, ſpiritus promptus*: *Transfer calicem hunc à me*. *Matt. 26. 46.* Et *Ecce appropinquavit qui me tradet, ſurgite, eamus*.

5. Erat grande certamen inter omnes Creaturas & Chriſti mortem, Omnis creatura habet aliquam portionem in homine, ideo teſte S, Gregorio, Homo ſeu humanū genus omnis creaturæ nomine intelligitur, quando Evangelium prædicare omni creaturæ C Apoſtoli à Chriſto jubentur, conſequenter, & in aſſumpta per verbum æternum Humanitate, in quâ non tantùm continentur, aliquâ ex parte, omnes creaturæ, ſed etiam ad dignitatem maximam exaltatæ ſunt, iuxta quod Apoſtolus dixit *in ipſo* (ſcilicet Chriſto) *Coloſſ. 1. 16.* *omnia creata ſunt, in cælo & in terra viſibilia & inviſibilia, ſive Throni, ſive Dominationes &c.* Ex quo fundamento ſequitur, quòd Chriſto ſentiente mortem ſenſerunt ſingulæ creaturæ, putaveruntq; ipſo tanquam Auctore & Principe ſuò mortuo, ſe quoque morituras, & veluti arefacto fonte, rivulos, ceſsaturas. Hinc unaquæquè diſſuadere conata eſt Chriſto Domino mortem. Et irrationabiles quidem ajebant: Ergonè fiet hoc ut nos dicamur factæ eſſe à Deo mortuo, & non ſentiente atq; vita in Cruce ſpoliato & ſepulto &c. D Ergonè habebimus Deum Dominum Gubernatoremq; mortuum ſimilem nobis illiq; ſerviemus? Rationabiles vero dicebant ſic: Nos ergo agnoſcemus & adorabimus & colemus Deum-Hominem Crucifixum, excarnificatum? Nos ergo perferemus Deum noſtrum, ſimulq; nos cum illo contemptui haberi, crucifigi, probroſiſſimaq; Morte in medio noſtri a . . . : *Flebant ſuper his Angeli* *Iſ. 33. 7.* *pa . . .* & qui . . . non ſoli ſed cum ipſis pariter creaturæ dicentes: *Durus eſt hic toā* *6. 61.* *ſermo mortis, & quis poteſt eum audire? Domine: non fiet tibi iſtud*, alioqui *ibimus* *Matt. 16. 22.* *& nos & moriemur tecum*. At verò Chriſtus Dominus reſpondebat omnibus creaturis, morte ſua illas longè nobiliores evaſuras, reparanda omnia, quæ ſunt deſtructa, ac deordinatâ, ſive in Cœlo ſurſum, ſive in terra deorſùm. Nihil periturum ulli creaturæ ex dignitate illa, quæ in ipſas redundabat ob unionem Hypoſtaticam ſed potiùs plurimum acceſſurum ex ſua poſt mortem Reſurrectione atq; Corporis glorificatione & in Cælos ſupremos ſuper omnia creata exaltatione. Quare dicebat Dominus IESUS omni creaturæ mœrenti & dolenti ſuper ſe: *Nolite flere ſuper me*, affligentes Cor meum. *Luc. 23. 28.* *ſinite modò, ſic enim decet nos implere omnem* *Mat. 3. 15.* *juſtitiam*. *Et ego ſi exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipſum* exaltabo ; omnia in me ipſo. Hæc lucta gravis fuit Chriſto Domino, nam ut ait S. Leo: *Perire voluit omnis creatura, quoniam per* *S. Leo ſer. 8. de paſſione.* *quem facta eſt, peribat: debebatq; hoc teſtimonium mundus Auctori, ut in morte ejus ceſſare vellet*. Et fortaſſe hoc debitum ſolvit, quando illo, in Cruce, elevato, *obſcuratus eſt ſol, terra mota eſt &c.* de quo ſuo loco.

6. Erat inſuper lucta & agonia ingens in Chriſto, inter Dignitatem & ignominiam eiuſdē Affectu & appetitu Honoris atq; curâ, nihil in Homine potentius: tanto hic eſt potentior, quantò quis eſt, & cognoſcit ſe eſſe illo digniorem. Cùm ergo Chriſto Deo & Homini, propoſita fuiſſet ignominia Crucis, ſtatim occurrerunt, ex adverſo, omnes Divinæ Excellentiæ: v. g. Æternitas; Ergonè morietur Æternus DEUS, principio & fine carens &c.? Impaſſibilitas, Sapientia, Omnipotentia, Veritas, Maieſtas, Felicitas, Bonitas, & conſimiliter abſurda inferebant, qualiâ, & Æternitas inferebat. Deinde occurrerunt omnia indigna, quæ toleranda erant, Iudæ proditio, fuga Diſcipulorum. Negatio Petri. furor, mendacia, obſtinatio, rabies Hoſtium. Populi antiquiſſimi, Dilectiſſimi, Conſanguinei Iudaici abjectio. Ingratitudo Hominum omnium Idololatria . . . rum redundans per omnem Orbem omni ævo. Hæreſes & Apoſtaſiæ Fidelium. Innumerabilis ſcelerum & peccantium multitudo. Salvandorum paucitas. Ex parte altera; occur-

occurrit Amor magnus & juſtus proprii Honoris, debitus ſibi ob infinitam ſuam in perſonâ Dignitatem ob *corporalem plenitudinem Divinitatis in ſeſe inhabitantem*: ut loquitur Apoſtolus, ob merita & beneficia plusquam innumera. Huic Adverſario utriq; (Dignitati & Ignominiæ) reſtitit Charitas victoriamq; obtinuit perſvaſitq; ut ſibi omnes ſervirent potiùs & cederent quàm obſiſterent, idq; tum ſuæ, tum ipſarummet & exaltationis gratiâ, promittens illis bona fide, Paſſionem illam omnem Chriſti IESU proceſſuram in maximam exaltationem atq; æſtimationem, non tantùm perfectionum Divinarum, ſed etiam illarum ignominiarum quas Chriſtus erat toleraturus, oſtendens futurum, ut tota Paſſionis indignitas (teſte Chryſologo) ſepeliretur in gloria Reſurrectionis, & tota mortis acerbitas abſorberetur in vitæ gloria. Charitati ita fortiter obnitenti accedebat in auxilium, DEI voluntas, quæ Chriſto ſummoperè placebat, quâ Chriſtus vivebat, cui Chriſtum mori & pati in decretis erat. Nihil autem illa decernebat, niſi quod, ut in maximam DEI gloriam Chriſtiq; redundaret ſtatuebat. Atq; ita ex his luctis conſurgebat, Agon Chriſti totus in imaginatione & objectatione rerum perpetiendarum in phantaſia conſiſtens.

Coloſſ. 2. 9.

7. Agonizat Chriſtus pro te o Homo! agedum quem unquam tu agonem ſubiiſti & tolerâſti pro Chriſto? Et nunquid meritò deberes reſiſtere usq; ad ſangvinem? nunquid meritò deberes ſervire Chriſto, non tantùm ad defatigationem, ſed etiam ad defectionem, etiam ad exinanitionem.

PARAGRAPHVS XVII.

JESVS prolixiùs Orabat.

FIGVRÆ.

2 Mach. 15. 14. *Hic eſt, qui multùm orat pro populo.*

1 Reg. 12. 23. *Abſit à me hoc peccatum in Dominum, ut ceſſem orare pro vobis.*

STROMATA.

1. PRolongatis angoribus, prolongatur oratio: nempe morbo creſcente creſcere par eſt medelam & quanto graviora premunt mala, tanto

A par eſt, magis inſiſtere orationis remedio.

2. Non faciūt hoc homines, ut in afflictione ad ſtudia orationis ferveāt, remittunt potiùs de fervore orationis, de fiduciæ Spiritu, de contentione ſubiectionis, ſed dant ſe negligentiæ, dant torpori, dant murmurationi & immodeſtiæ, ad ſolatia creata convertuntur, abijciunt arma Animi, quæ tum potiſſimùm capeſſenda & ſtringenda erant. Quādo enim arma capiet miles, niſi hoſte urgēte? Arma noſtra, orationes ſunt, & Arma quidem DEO ipſi potentia, quibus Iacob contra DEUM potens erat.

B

PARAGRAPHVS XVIII.

JESVS ſudat ſanguinem guttatim decurrentem in terram. Luc. 22. 44.

FIGVRÆ.

Rupti ſunt omnes fontes abyſſi magnæ, & cataractæ cæli apertæ ſunt. Gen 7. 11.

Oſtenderunt elephantis ſanguinem uvæ & mori, ad acuendos eos in prælium. 1 Mach. 6. 34.

PRÆDICTIO.

Terra, ne operias ſanguinem meum, neq; inveniat in te locum latendi clamor meus. Iob. 16 19

Pulli ejus lambent ſanguinem. Iob. 39 30

C *Multo labore ſudatum eſt, & non exivit de ea, nimia rubigo ejus.* Ezech. 24 12.

STROMATA.

1. O Verè *ſponſus ſanguinis* Dominus IESUS, qui hunc primum ſanguinis arrhabonem, ſponſæ ſuæ *in die Deſponſationis & lætitiæ* ſuæ largitur. Exo 4. 25. Cant. 3. 11.

2. Sudorem hunc pondus peccatorum meorum expreſſit & oſtendit, quibus & qualibus & quot ex toto corpore profuſis lachrymis diu noctuq; mihi eſſent deflenda peccata mea.

3. Compaſſio, quam Chriſtus Dominus habuit ſuper juſtos ſuos (ita Aug. in libro ſentent. Proſperi) quiD bus quantæ erant propter juſtitiam & propter Nomen ſuum præparatæ preſſuræ videbat, expreſſit hunc ſudorem ſanguineū; diſcebat enim Chriſtus Pontifex Summus noſter ex ijs, quæ tunc ipſe patiebatur & erat paſſurus, compaſſionem, & juſtorum ſuorum Eccle-

Digitized by Google

ſiæ iam tunc oſtendebat, quòd illa A quoq; exemplo ſuo, eſſet etiam ſanguinem Filiorum ſuorum plurimum ſudatura, in tam acerbis Martyrijs ſeu illis violentis rarioribus, ſeu quotidianis voluntariis Eccleſiæ familiaribus.

4. Dum cogitat Paternum Honorem læſum, eumq; reſtaurare contendit, ex zelo & conatu, necnon ex labore ac difficultate ſudat & ſanguinem quidem ſudat. O quali contentione, diligendus es Domine DEVS?

Luc. 12. 50. 5. Ardebat patiendi pro nobis deſiderio & *baptiſmo* Paſſionis pro nobis cupiebat *baptizari*? ut ergo oſtenderet manifeſte, quomodò *coarctabatur* illâ cupiditatè & exſpectatione, rupit & prævenit moras, ſponte ſangvinem o- B mnibus ex membris fudit, tanquam tardantis Paſſionis impatiens. Tardatis (ait) flagella, tardatis verbera, tardatis ſpinæ, tardatis clavi, haurire & fundere iſtum, quem cupio fundere, ſanguinem. Ergo tu cogitatio, tu exſpectatio, tu Deſiderium Flagellationis & coronationis & transfoſſionis, illũ exprime. Heu! ſi tanta fuit vis in exſpectatione! quanta fuit acerbitas in inflictione flagellorum! &c.

6. Mundum debitorem, ſe verò pro Mundo ſponſorem ſciebat Chriſtus Dominus, videbat mundum nec de ſolvendo ſolicitum eſſe nec ſi ſolicitiſſimus fuiſſet parem eſſe, ſe verò pro il- C lo fidem ſuam obligâſſe, ſic dilexit Mundum, ut quàm citiſſimè eum vellet expedire debito, ergo iam nunc cruento ſudore, primam penſionem ſeu Ratam ſolvit, aliâs brevi mox mox ſoluturus,

7. Tenero & delicato Agro DEI, multa & grandia pondera omnium totius mundi peccatorum erant ſuperimpoſita, quid mirum, quòd ea portando ſudet.

8. Sæpé ſcilicet Chriſtus, antea ſudaverat pro nobis: adeò, ut nunc aqueus ſudor fundendus defuerit? deerat ſudor aqueus, & Sudandi neceſſitas non deerat: immo ſi quando, tunc certè aderat; quid ergo ſupererat faciendum aliud, quàm ut ſanguinem ſudaret?

9. Omnibus membris omnibus po- D tentiis, infelix peccabat & ægrotabat & peribat Homo; IESUS membris plangit omnibus, & fuſo per omnes corporis ſui ſangvine, toti noſtræ Naturæ fudit, & exhibuit Medicinam propinavitq; ſalutem.

10 Ajebat Chriſtus: ſi tantoperè ſanguis meus exigitur, eſtq; adeò neceſſarius, ut emundatio peccatorum ſine ipſo fieri non poſſit: ac propterea iſtæ mihi Paſſiones repreſentantur; ecce ego ſponte meâ ſanguinem fundo, non eſt hiſce inſtrumentis opus.

11. Ægypti plagæ inchoatæ ſunt ab aquis verſis in ſanguinem, finitæ in morte primogenitorum. Grandis Ægyptius Chriſtus eſt (*ex Ægypto vocavi Filium meum*) ergò prima ejus pæna pro aqua ſanguis, ultima erit mors primogeniti ex mortuis inter fratres. Chriſtus namq; teſte Apoſtolo: *primitiæ dormientium, primogenitus Mortuorum.* Ex 7.20. Oſeæ. 11 1. 1.Cor.15 20.

12. Toto Corporé ſuo ſudat Chriſtus quia, quid eſt in Corpore ejus (Myſtico)? quod membrum corporis eius eſt, quod eum non fecerit laborare & ſudare? *Laborare me feciſti* (ait cuiq; membrorum ſuorum) *in peccatis tuis.* Iſ. 43 24.

13. Decurrit hic ſanguis in terram, heu me! quod iſtud omen? tam pretioſa res in tam vilem uſum cedit? An parum tui ſanguinis O IESU currit in terram etiam nunc, quando non eſt utilis tot infidelibus; quando calcatur á tot ingratis! &c.

14. Currit in terram hic ſanguis vide, ne Te effugiat! collige illum; O quantum Damnum! ſi perdideris? premium eſt Redemptionis tuæ, vita Animæ tuæ, ſolutio debitorum tuorum. Quid dabis pro his, ſi hunc ſanguinem amiſeris? ſi cõtempſeris? ſi cõculcaveris? Olim fragmenta panum hordeaceorum colligi juſſit Dominus ne perirent, ſanguinis pretioſi guttas colligere pigebit? aut non colectas perire ſine damno nunquid erit? Ioã 6.12

15. Currit in terràm hic ſanguis, nempé Abelis eſt, & clamare vult in Cælum de terra, pro terrà.

15 Currit in terram, feſtinat nimirum, quamdiu calet & fervet lavare & calefacere terram cordium noſtrorum; nimis frigidorum, nimis fædatorum,

17 Currit in terram hoc præſagio dictum fuit primo ſanguini: *De terra ſumptus es & in terram* ibis. Gen 3.19

18. Currit in terram, quo enim aliò? cæli non indigebant, inferis non proderat, terra opus habebat, terra inquam, cui *maledixerat* DEUS, terra Cordium noſtrorum Mortuorum & morientium: hæc enim terra cadaver exſangue erat, ubi vita & vigor gra- Ibid.

tiæ ſervaretur, non erat. ſanguis ergo Chriſti in hoc terrei cordis cadaver A decurrit, ſpes eſt, quòd iſtud cadaver, vitâ gratiæ vivet. Vivunt & reviviſcunt pulli Pelicani, ejus ſanguine reſperſi vivet terra etiam, hoc vivifico ſanguine reſperſa & irrigata.

19. Currit in terram Sanguis: cave ne vox ſanguinis clamet de terra contra te. Si lotus illo, redis ut ſus lota ad volutabrum luti. Etenim ſi terra Heb. 6.7 *venientem ſuper ſe bibens imbrem* maledicta eſt: quid tibi & tuæ terræ fiet, talem ſanguinis IESU Chriſti bibenti pluviam, ſi nullum fructum proferet?

20. Sudoris cauſa pænitentia eſt: Ge. 3.19 hinc Adæ dictum: *in ſudore vultûs tui veſceris pane tuo*: hoc Adamo dictum, ſed à Chriſto factum. O quàm dura B tua pænitentia Dulcis IESV! panis tuus voluntas æterni Patris, dum hoc veſceris, ſudas, & quidem ſanguinem! Vah! talinè potu opus ad talem Cibum? tali opus erat tibi bone IESU, tali opus eſſet multo magìs nobis: tali digna eſt etiam ipſa DEI voluntas, verè enim tam accuratè voluntas Divina implenda eſt, ut nec ſanguineo parcendum ſit ſudori.

21. Agonizabat Chriſtus, hoc eſt, pugnabat, quàm fortiter, ſudor teſtis eſt. Nulla victotia ſine ſudore: credisnè quòd tantus ſudor ſine aliqua victoria eſt? Viciſti Chriſte, & nos liberâſti.

Iud. 6.37. 22. Vellus Gedeonis, (vel area illius) Animæ noſtræ ſunt: ó quis det hoc Divino impleri rore?

23 Currit ſanguis quaſi guttæ in terram; ut guttæ & non flumina? à C guttis incipiunt flumina & fiunt. modicum exſpecta, dabunt hæ guttæ fluvios brevi: en adeſt tempus & hora in qua Chriſto non licebit parco eſſe ſanguinis ſui.

24, Hortus eſt Mundus, Hortulanus Chriſtus, Ira DEI & zelus non permiſerunt rorem Benedictionis Divinæ fluere in hunc Hortum, quid faceret boni Hortulani cura? ut rorem gratiæ eliciat vel obtineat, rorem fundit ſanguinis, & eo gratiæ rorem licetur. O Pater! vel pro iſto pretio largire Horto iſti tuum rorem,

75. Plantabat Chriſtus Novum Paradiſum, ſcilicet Eccleſiam: jam in eo poſuerat Arborem vitæ, ſcilicet Eu- D chariſtiam, jam Lignum ſcientiæ boni & mali erat in eo, nempe Fidei & legis ejus Doctrina: opus erat fonte ex quo haberet Paradiſus irriguum ſuperius & inferius: Ecce fons corpus totum Chriſti: & omnia ejus membra rivi ejus, effuſiones ejus, veræ *emiſſiones Paradiſi* O Fontem nobilem, cujus aquæ irrigant ſuperficiem univerſæ terræ, quæ ſaliunt in vitam æternam quibus abluantur cæli, terra,, inferi. Ioſu. 15. 19. Cat. 4.13.

26. Animæ piæ hunc oliveti Hortum ingredimini, vocem Chriſti clamantis, inſtar Iobi audite: *Terra, terra, ne cooperias ſanguinem meum.* Non eſt quòd abomineris hunc ſanguinem, mundiſſimus & virgineus eſt; non eſt quod eum erubeſcas, meus eſt. Eras antea & terra impudens *frons meretricis erat tibi, noluiſti erubeſcere*! ecce intingo te ſanguine meo ut ab hac ceruſſâ ſi non erubeſcas, ſaltem rubeſcas. Ne cooperias ſanguinem meum, væ enim, tibi ſi cooperueris. immo illum Patri æterno objice, & illo tanquam ſcuto & muro te contra iram eius defende. ſanguis Agni in poſtibus arcuit per- Ex. 12.8 cuſſorem Angelum, à Domibus Iſraëlitarum in Ægypto: hoc utiq; præſtabit efficaciùs Sanguis Filij DEI, contra iram Patris ejus. Sit ergo tibi ſanguis meus tanquam ſcutum inexpugnabile, quo te circumcingas, ſit tibi paratiſſima contra morbos omnes Medicina. Sit tibi pignus mei erga te Amoris, ſit Tibi in Teſtimonium mei propter te laboris. Ne cooperias ſanguinem meum, habe illum expoſitum ſemper, ut omnibus quantum & quando volunt haurire ex illo liceat, & in uſum convertere. Ne cooperias, nec claudas os ſanguini meo, aperi potiùs, meliùs enim ſanguis iſte clamabit quàm Abelis, aut Zachariæ, vel allorum interfectorum populi DEI: illorum enim ſanguis clamat vindictam, iſte veniam, unde ne illum cooperias, ſed potiùs illo cooperias peccata tua, quæ quia clamant in cælum contra te pro pæna, tu ſanguine meo os illorum obtura, & clamori eorum, clamorem illius oppone, vocalior erit ſangvis quàm ſcelus.

27. Ex odoriferis herbis vi caloris extorqueri ſolent & deſtillare aquæ medicæ. ſic in Chriſti Paſſione factum. ex Floſculo illo Corporis IESV, ignis Charitatis per Animam corpori inſitam odoriferum & medicatiſſimum ſuccum expreſſit. Quis mihi det ut ſit *Caput meũ plenum* hoc rore *& cincinni mei* iſtis *guttis noctium*! aſpergat me *gutta* Cant 5.2. hæc vel una *roris antelucani* o Dulcis Sap. 11. 23. IESU.

18. De

28. De peccatoribus renuentibus A
Ezech. 24. pœnitentiam agere, dicitur: *Multo labo-*
12. *re ſudatum eſt ut exiret ab ea* (vineâ) *rubigo*
ejus, & non exivit. Heu quanta noſtra
immunditia! ſi ea per tantum Chriſti ſu-
dorem non potuit mandari.

29. Corpus Chriſti guttis ſanguine-
Gen. 26. 4. is reſperſum, eſt cœlum ſtellatum, A-
brahamo DEUS promiſit tot filios quot
Gē. 22. 17. ſtellæ eſſent in Cœlo. Chriſto tam mul-
tiplicati ſunt Filij ſeu fideles, quot gut-
tæ, quot vulnera, quot dolores eſſent in
corpore.

30 Gutta lapidem cavat; & in eo
petræ loco, in quo flexit,&ſanguine flu-
xit Chriſtus, veſtigia impreſſa ſunt ge-
nuum. An non cor meum ſaxis & pe-
tris durius, quod tam multis ſanguinis
guttis non ceſſit, non cedit hactenus.

31. Perfuſa eſt jam hoſtia non tan- B
3. Reg. 18. tùm aquâ ſed etiam ſanguine. Vide
21. ergo ô Munde, vide Cor meum *ne am-*
Iob. 39. 30. *plius claudices in utramq; partem.* Imple-
Vide Greg. atur in te illud potiùs Iob. *Pulli ejus lam-*
31. Mor. *bent ſanguinem*, & vivent & vegetabun-
c. 21. tur. &c,

32. Ferunt Chriſtum Dominum ab-
luiſſe ſudorem ſuum aquâ Cedron. Ma-
lum omen, modicum ſolatii Chriſto fu-
turum ex fuſo & ſudato ſanguine: A-
qua ſunt Homines frigidi, mutabiles,
inconſtantes, quorum *pedes veloces ad faci-*
Pſ. 13. 3. *endum malum* & deficiendum à bono,
currentes, ſimiles homini *contemplanti*
Iac. 1. 23. *vultum Nativitatis ſuæ in aqua* & oblivi-
ſcentis ejus

33 Hanc eſſe ajunt vermiculi pro-
Hugo Car. prietatem qui de lignó naſcitur, ligno-
in pſ. 31. q; vivit ac illud terebrat, quòd cùm
Ego ſum experitur lignum durius, ſuo illud C
vermis. ſudore madefaciat, quò faciliùs ro-
dere ac perforare poſſit. Tenerrimus
ligni vermiculus Chriſtus IESUS, de
Synagogæ lignis natus. quoniam ea æ-
quò duriora experitur, quoniam in Cor-
dibus Filiorũ Synagogæ fructũ optatũ pro
ducere, neq; corda ſaxea emollire po-
teſt, ideo ſudat, non humorem quemli-
bet, ſed cruentum, ut ejus efficaciâ cor-
da mollire, & eſcam ſuam electam ex
eis facere poſſit. O Filij Hominum! uſ-
q;quo gravi ad credendum & amandum
corde, emolleſcite tandem ad vermi-
culi hujus ſudorem tam pretioſum.

34. *Teſtamenti novi Mediatorem IESUM*
& ſanguinis aſperſionem melius loquentem D
quàm Abel. qui contra Fratrem vindi-
ctam à DEO inclamabat, iſte autem
Chriſti ſanguis, mundo miſericordiam
poſtulat *videte ne recuſetis loquentem*

Monet graviter Paulus & addit: *ſi enim* Heb. 12.
illi non effugerunt recuſantes eum qui 24.
ſuper terram loquebatur: multò magis nós
qui de cœlis loquentem nobis, avertimus

35. Sudat IESVS ſanguinis guttas.
Ireneus legit *globos.* An fortè ſunt iſti
globi tormentarij ex fiſtulis membro-
rum Chriſti ejaculati ad expugnandam
terram? ô si globulus aliquis feriat
cor, ut expugnetur in obſequium Amo-
remq; IESU Chriſti!

36 Sudar Sanguinem IESUS: & bonus
nimirum & diligens hortulanus eſt,
qui novellas plantationes ſuas exareſce-
re præ ſiti nolens, aquis & imbre ſan
guinis proprij eas rigandas putavit:
gnarus alioqui nullum fructum allatu-
ras, qui manere poſſet in vitam æter-
nam, Hinc illud Ambroſii dictum:
Conſummaturus IESUS ſuſceptæ Carnis officia, Ambr l. 3.
cum perfectionem in Diſcipulis jam videret, de Spiritu
quos verborum ſuorum radice, fundaverat S. c. 18.
Hortum ingreditur ut olearum novellas in Do-
mo Domini plantaret: & juſtum palmæ floren
tem modo; vitemq; fœcundam rivo ſui ſangui-
nis rigaret. Ab hac ergo rigatione, & oleæ
pinguedinem, & vites palmitesq; dul-
cedinem, & palmæ fæcunditatem, &
Cedri proceritatem multiplicationem-
q; quidni participent? quidni jam glo-
reântes dicant plantationis iſtæ per ſin-
gulas: *Radix mea aperta eſt ſecus aquas* Iob 29. 19
& ros morabitur in meſſione mea.

27. Sudat ſanguinem IESUS. Ecce
rupti ſunt omnes fontes Abyſſi magnæ, & ca Gen. 7. 11
taracta cæli apertæ ſunt. Inundavit ergo
Diluvium, non quo peccatores ſed quo
peccata peribunt. Abyſſus magna IE-
SUS, Fontes ejus, Corporis partes; &
venæ poriq; ejus &c.

PARAGRAPHVS XIX.

JESVS ſurgit, & obviam Hoſtibus Vadit. Ioā. 18. 4.

FIGVRÆ.

David pugnaturus contra Goliath progreditur. 1. Reg. 17. 40.

STROMATA.

1. NOn eſt fugiendi tempus, obviam eundum eſt tribulationi,

2. Quouſq; ſedetur? quouſq; ſtertitur? ſurgendum, eundum eſt Chriſti Diſcipuli: & eundum obviam malis;

F obviam

obviam periculis, obviam contumeliis, obviam Morti, ubi Chriſti gloria, ubi Animarum ſalus vocat.

3. Surgit Chriſtus, jacebis tamen? Vadit Chriſtus, hærebis tamen in loco? ſiccine ſequeris, ſiccinè aſſequeris Chriſtum?

4. Non vult Chriſtus ſolus ſurgere, ſolus ire, quærit ſocios ſurrectionis & itionis; dum oraret, dum ſudaret, dum mæreret, dum agonizaret, non urſit ad iſtorum conſortium ſocios, connivebat infirmitati, at dum ſurgeret

Matt. 26. 46. dum iret, ait: *Surgite eamus.* Heus Vos Socij quiqui eſtis ſurgite, *eamus & nos*

Ioā 11. 16 *moriamur cum illo*, moriamur, conculcemur, vilificemur, pro illo.

5. Satis ſatis datum ſopori & torpori ſatis infirmitati, ſatis carni & ſenſui. Habeat jam ſua regna Ratio & Spiritus, tempus eſt attendere, non quid caro poſſit, ſed quid Spiritus velit. Satis timuimus, ſatis tæduit nos, ſatis triſtes & abjecti fuimus, ſatis proluſimus, ex umbra in lucem & arenam eundum eſt. Non eſt jam timere, non eſt jam fugere? ſurgere opus eſt, ire, progredi, congredi. O quis det talem animum aſſeclis tuis Domine IESU, &

Luc. 9. 57. inter hos primùm mihi *ut ſequar te quocunq; ieris* & ſi me oportuerit pro te in Carcerem & mortem ire!

6. Surgite eamus: ecce ſpiritus ante faciem noſtram Chriſtus Dominus; ecce ſcutum & murus; ecce Paſtor ante oves vadit: nolite expaveſcere, paveant illi contra quos vadit, illi etiam paveant, qui præeuntem aut non ſequuntur aut deſerunt.

PARAGRAPHVS XX.

Matt. 26. 46. *JESVM traditurus Iudas unus é duodecim appropinquat*

STROMATA,

1. HEu quid video! ex Amico Hoſtem; ex ſecutore perſecutorem; ex Aſſecla proditorem: ex Conviva Occiſorem! O Iudicia Dei Abyſſus multa! quàm fidendum non eſt, nec de Sanctitatis ſtatu, aut profeſſione blandiendum. Iudas à Chriſto ad ipſum Apoſtolatum vocatus & evectus; ab ipſomet Chriſto immediatè inſtructus, Apoſtolatu excidit, apoſtatavit, perijt! quis mihi pollicebitur ſecuritatem & quis me jubebit eſſe abſq; metu?

2. Tantì intereſt in timore ſtare, ſincerè converti, minimos etiam defectus horrere: Exemplum ſi Iudas non eſt evidens & ſufficiens, nullum ſatis eſt. Iudas ille electus Chriſti Diſcipulus & Apoſtolus in tali diſciplinâ Diabolus factus eſt: heu quàm non Hieroſolymis fuiſſe, ſed iſthic benè vixiſſe; non Chriſtianum fuiſſe, ſed in Chriſti ſchola Chriſtianè vixiſſe laudabile eſt! Multi ſunt in ſeculo Religioſi, multi in Religionibus Seculares, nemo miretur, nemo iraſcatur. Iudas inter Apoſtolos Chriſti, in ſchola & domo Chriſti, Diabolus inventus, immo factus eſt. Contra verò Cornelius, Miles, Centurio, Ethnicus, inventus eſt, Religioſus ac timens DEUM, cum omni Domo ſuâ.

3. Ah! de quàm multis hoc tempore Chriſtus poteſt dicere: *Ecce appropinquavit qui me tradet.* Confitetur hodie, communicat hodie, tundit pectus hodie, lacrymatur hodie, templa obit hodie, ſed poſtridie, poſt unum quadrantem horæ, me tradet & peccata nova, veteribus addet. Matt. 26. 45.

PARAGRAPHVS XXI.

JESVS oſculo traditur hoſtibus á Diſcipulo. Matt 26. 49 Mar. 14. 45.

FIGVRÆ.

Dixit Ioab ad Amasam: Salve frater, & tenuit mentum ejus quaſi oſculans eum. 2 Reg 20 9.

STROMATA.

1. VErè *non eſt pax impijs dicit Dominus.* Hoc eſt apud impios & in animo impiorum. Quæ pax apud eos, quibus ipſum Pacis oſculum proditionis ſignum? ſcilicet diligentibus maledictionem, omnia cooperantur in malum: virtutes quippe ipſæ fiunt eis miniſtræ nequitiæ. Iſ. 57. 21.

2. Fugite fugite omnes, qui ſalutem veſtram amatis, oſcula peccatorum, blanda verbula, fulgida promiſſa, magnas ſpes, adulatorias laudes, admiratorias ſpectationes, montes aureos. Blanda ſunt & pulchra ſed proditoria. Non eſt alia apud impios mundities niſi fallax, de-

cipiens, proditoria.& Mundus ſolâ mun- A
ditiei externæ ſimulatione Mundus eſt,
cæterà nihil Mūdo immundius. utq; bellum, bellum eſt. ſic mundus, mundus, id eſt minimè mundus.

3. Tradi voluit IESVS oſculo, notans IESUM tradere, hoc eſt peccare frequentiſſimè oſculo. An non oſculo IESUM tradit, qui blanda voluptate ineſcatus peccat? qui amore ſui & complacentiâ propriâ, æſtimationeq; nimiâ cæcatus delinquit? Ergo delectatio inordinata, & amor proprius, immo omne peccati motivum, oſculum eſt. Sic illa
Prou. 7. 13. apud ſapientem *Meretrix occurrit in platea adoleſcenti & oſculatur eum: Vota,ait, hodie feci pro ſalute tua &c.* & hoc eſt oſculum impudicitiæ.Eſt & aliud Oſculum Adulatio- B
onis & Ambitionis, qualia fuēre Abſalo-
2. Reg. 15 5. nis, *omnem venientem in porta oſculantis.* Nec deeſt oſculum fraudis & doli, quale hoc Iudæ ad Chriſtum, quale fuit
2.Reg.20. 9. Ioabi ad Amaſam dicentis: *Salve mi frater.* Eſt & Oſculum ſacrilegij eorum, qui indignè Euchariſtiæ communicant. Eſt etiam ſeductorium Hæreticorum, & eorum qui ſpecie pietatis, incautas animas decipiunt, oſculantur, Biblia & Chriſtum produnt, Chriſtianum autem perdunt. Addamus & Oſculum politicum eorum, qui omnia oſculantur & nihil amant, omnia confitentur & nihil credunt, omnibus pollicentur, & nulli præſtant, omnes admittunt & nulli fidunt, omnia jurant & ubiq; men- C
tiuntur, ubiq; boni & ſemper impij; quia nimirum in corde ſuo dixerunt:
Pſ. 13. 1. *Non eſt Deus,* ſunt enim Athei. Oſculis iſtis eſt etiam adjungendum Oſculum perjurii, eorum qui jurando, DEVM oſculantur, ſed pejerando eundem execrantur. Reperiet qui volet plura oſcula, quibus proditur Chriſtus, offenditur DEUS, nullum enim peccatum abſq; oſculo eſt. Eſt etiam oſculum ſanctum quod exigit Chriſtus à
Luc. 7. 4. Phariſæo: *oſculū mihi non dediſti* & imperat
2.Cor 13 12. Paulus *Salutate in oſculo Sancto.* Eſt Oſculum Divinum quod petit Sponſa; O-
Cant.1. 1 ſculetur *me oſculo oris ſui.* Eſt Oſculum Amicitiæ quale dedit Iacob Racheli veniens in Meſopotamiam, tanquam conſanguineæ, quale ſibi ſubtractum La-
Gē.31.25 ban dolet *ut oſcularer filias meas.* D

4. Tanta fuit Chriſti Comitas & affabilitas, ut Proditor Iudas non dubitaverit hoc ſignum dare hoſtibus tanquam certus, ſe à Chriſto, admittendum ad oſculum, & ſi is fraudum ſuarum minimè ignarus eſſet.

5. O Quantum Exemplum Manſveti & Amantis hoſtium Animi! Chriſtus qui Matrem ſuam Sanctiſſimam, ad oris ſui oſculum admiſiſſe nunquam legitur, cujus pedes oſculari Magdalena veretur. Cujus corrigiā Calceamenti ſolvere Ioannes maximus de filijs Ioā 1. 22.
mulierum non eſt dignus. Cujus Matt. 8. 8
ingreſſum refugit centurio. Quem à ſe Luc. 5. 8.
exire deprecatur Petrus. Cujus fim- Luc. 8. 44.
briam Hæmorrhoiſſa furtim tantùm contingit: Ad hujus Divini vultus oſcula Iudas Proditor, & venditor admittitur & pæne etiam invitatur. O Miraculū Manſvetudinis! Ubi ſumus nos? qui verbulo irritati aut ſigno, ſæpe nec ſic quidem, ſed ſolâ ſuſpicione provocati, furoribus nec modum nec menſuram, nec tempus ponere novimus? &c.

6. In Pſalmo ait Chriſtus: *In via, qua ambulabam, peccatores abſconderunt la-* Pſ. 141. 4.
queum mihi. Via Chriſti fuit Charitas & Manſvetudo, in hac, Iudas laqueum Chriſto poſuit & abſcondit, quia illum oſculo Amicitiæ & Charitatis prodidit.

7. Tam horrebat Dominus hoc Iudæ Oſculum, ut recordatus illius in ultima Cæna, teſte S. Ioanne *turbatus ſit ſpiritu, & proteſtatus dixerit: Amen amen dico vobis, quia Unus. &c.* porrò in pſalmo vocat hoc ipſum Oſculum Iudæ, Calcanei percuſſionem: *levavit contra me calcaneum ſuum*: ac ſi ergo calcaneo eſſet percuſſus Dominus, ſic ſenſit quando eum Iudas eſt oſculatus.

8. Oſculum eſt Symbolum 1. Salutationis fauſtæq; apprecationis. 2. Animorum Reconciliationis. 3. Pacis, ſecuritatis & Concordiæ, ſeu Amici congreſsûs. 4. Intimæ Cordialiſq; Dilectionis: At hoc Iudæ oſculum oppoſito modo ſe habet. Eſt enim Symbolum. 1. proditionis & perditionis, 2. Animorum abalienationis. 3. Periculi, necis, & hoſtilis Congreſſûs. 4. Intimi odii & Cordialis contemptûs.

PARAGRAPHVS XXII.

JESVS Iudam Amici nomine dignatur.

FIGVRÆ

Venit Nicanor ad Iudam & ſalutaverunt ſe pacificè. 2. Mach. 7. 29.

STROMATA.

F2 1. Itané

PARAGRAPHVS XXIII.

Matt. 26. 50. *JESVS Iudæ proponit, ad quid venerit?*

FIGVRÆ

1. Reg 16. 4. *Pacificusné eſt ingreſſus tuus?*

4. Reg 9. 22. *Cum vidiſſet Ioram Iehu dixit: Pax eſt Iehu? at ille reſpondit: Quæ pax?*

STROMATA.

1. NOn eſt ignorantis, ſed Admirantis impudentiam, vox illa IESU Chriſti: *Amice ad quid veniſti?*

2. Eſt vox commiſerantis & infelicẽ Iudæ ſtatum caſumq; illi ipſi proponentis. O Iuda! videsne, unde, quò deveniſti? *memento unde excideris*, quo incideris? Parabat, immo paratus erat Chriſtus exponere Iudæ, ad quid veniſſet ſeu deveniſſet, ſed infelix ille audire nec parabat, nec paratus erat, ideo ſuſpensâ oratione & interrogatione Chriſtus alloquitur ipſum, & poterat ille percelli hac oratione moxq; ad cor redire, ſi obſtinatio permiſiſſet miſero. Tanta eſt Cordis humani, ſuæ malitiæ & miſeriæ relicti obſtinatio, ut omnes Miſerationis Divinæ machinas eludere, omnes veritatis Divinæ radios, tenebris ſuis, C obſcurare poſſit. Quàm difficilè eſt creare homini ſeipſum ſine creante DEO, tam difficilè eſt converti peccatorem, per ſemetipſum ſine convertente DEO. Unde verè dictum eſt ab Auguſtino: *Majus eſſe miraculum Potentia DEI, in juſtificatione impii, quàm in creatione totius etiam mundi. Creans enim DEVS mundum non reſiſtentem, ſuperat Nihili ejus miſeriam, convertens autem Impium reluctantem & rebellem, vincit obſtinationis ejus Malitiam.* Accedit quòd DEUS creaturus Mundum, ſuam voluntatem obſequentem ad id habet, at converſurus peccatorem odientem & obluctantem habet voluntatem ſuam: *odio enim DEO eſt impius & impietas ejus.* Atq; ita deterior etiam ſtatus peccati impii quàm nihili. Ad D quod reſpiciens Chriſtus, de Iudæ atq; adeò cujusſuis peccatoris ſtatu dixerat: Matt. 26. 24. *Melius erat, ſi natus non fuiſſet.*

3. Quoties hæc vox in corde peccantium inſonat: Chriſtiane ad quid veniſti? ab Innocentia ad reatum, à DEO ad Diabolum, à Cælo ad infernum! A ubi eſt illa in baptiſmo, in confeſſione promiſſio? ubi illa emendationis voluntas? ubi prima illa virtus? primus fervor? &c.

4. O Iuda! ſi ſcires donum DEI, & quis eſt iſte, quem tradis, quem vendidiſti, vel oſculo demonſtras, ad quem veniſti & acceſſiſti nunc, qui dicit tibi hoc, quod audis! O quantæ ſaluti appropinquâſti Iuda! O quantam iſto oſculo ſalutem inchoas, ſi illam ſalutarem tibi facere ita nôſſes, ſicut ſalutare noſti! ò quàm ad paratum acceſſiſti miſericordiæ & gratiæ thronum! reſpice tantummodo & vide, ad quid veneris? Amicus eris ſi volueris, immo ſi vis Amicus eſſe, jam amicus es. Non B facilè tibi iterum talis occaſio obtinget, quæres illam apud ſacerdotum Principes, ſed dicent tibi: *quid ad nos? tu videris. &c.* Matt. 27. 4.

5. Si quis ſcire vult, quantum DEUS auxilij peccatoribus præbeat, vel ne peccent vel ut à peccato ſurgant, Iudam & Chriſtum conſideret. Certè deprehendet clarè ex Homine, perditionem ipſius eſſe Hominis, Deum autem jure dicere: *Quid ultrà potui facere vineæ?* Iſtâ Domini ad Iudam compellatione, rupta fuiſſent ſaxa: ſenſiſſent illam inſenſibilia: cor autem Iudæ non eſt illâ commotum. Nempè tam durum eſt cor, quod peccato obſeſſum eſt! tantum habet obſtinatio voluntatis pravæ C ad reſiſtendum DEO, ut nemo pereat niſi volens, nemo etiam ſalvetur nolens.

PARAGRAPHVS XXIV.

JESVS Iudæ proditorium Oſculum exprobrat. Luc. 22. 48.

FIGVRA.

Innotuit ſermo Machabæo, quoniam (Nicanor) *cum dolo venerat ad eum: & conterritus eſt ab eo, & ampliùs noluit videre faciem ipſius.*

PRÆDICTIONES

Hæc Chriſti Domini ad Iudam verba: (*O Iuda oſculo Filium Hominis tradis*) reſpondent illis Pſalmiſtæ verbis. 2. Mach. 14. 30.

Si inimicus maledixiſſet mihi ſuſtinuiſſem utiq; tu verò Homo unanimis &c. Pſ. 54. 13.

G Homo

Effugere poteras manus illorum Domine, quod ut ipſi hoſtes adverterent, quàm parum in ſe poſſent, oſtendiſti illis, quòd te, ante ſe, ſtantem non agnoſcerent! quàm verò manus illorum non fugeres, te illis ipſum oſtendendo declarâſti. Pepperciſti labori Hoſtium Tuorum; evacuâſti induſtriam Proditorum, te nec fraude circumventū, nec vi captum abundè demonſtrâſti. ultro obviâſti, ultro non agnoſcentes agnoviſti, ultrò non agnoſcentibus te obtuliſti & per hoc, ultrô te Paſſioni pro nobis devoviſti, & ſic *oblatus es, quia voluiſti.* Iſ.53.7.

11. Vſq; in hunc diem Iudæi Meſſiam quærunt & non inveniunt, quia Proditorem in eo inveniendo ſequuntur, quia inventum non cognoſcunt. Uſq? hodie Meſſias per ora Prædicatorum dicit Iudæis: *Quem quæritis Ego ſum*, dicit per miracula, per gentes converſas, per Prophetias impletas, & tamen abeunt retrorſum, & cadunt in infernum, amore terræ Carniſq; cæcati & irretiti ſic Auguſtinus: Quod ipſum hodie videas fieri in Verbi-Deiſtis, Hæreticis, quærentibus Chriſtum, Idem, Eccleſiam, ſcripturæ ſenſum, Religionem, quæ illis dicit: quem quæritis? ego ſum: at illi cadunt abeuntes retrorſum & pereuntes deorſum. Iob.18.5.

PARAGRAPHVS XXVI.

JESV reſpondent Hoſtes, quòd quærant IESVM Nazarenum.

STROMATA.

1. HOc nomine vocatur Dominus IESUS, ut ex Evangeliis conſtat, IESVS Nazarenus, vel IESUS à Nazareth.

2. Nazarenum quærunt, ſed non ut Nazarenum faciant, verùm ut omni flore, omni decore & ſpecie ſpolient. Quàm floridus enim erit? cùm in Caiphæ concilio erit? cùm ad populum producetur, *Ecce Homo*! cùm in cruce, ferrei flores in manibus ejus erunt?

3. Nazarenum quærunt IESUM, ſed ô ſtulti, non eſt hic Nazareth; Gethſemani eſt vallis, ſcilicet pingviſſima; Mons etiam olivarum. Totus nunc IESUS non floridus, ſed oleo Miſericordiæ affluens & effuſus & profuſus.

4. Nazarenum quærunt IESUM ſcilicet Nazareni ipſi, de valle Tophet oriundi ex Patre Diabolo nati, cujus & opera moliuntur perficere.

5. Paſſim pleriq; quærimus IESUM, ſed Nazarenum, non Crucifixum. Mater Zebedei Filiorum, cum filiis ſuis, quærebat quoq; IESUM Nazarenum, ſed quòd non talem quærere debuerat, mox audit à Chriſto cum Filiis: *Poteſtis bibere calicem quem ego bibo? aut baptiſmo quo ego baptizor baptizari?* Eſt quidem quærendus IESUS Nazarenus hoc tempore, ſed non pro hoc, verùm pro futuro tempore. Nunc magis quærendus eſt IESUS Paſſus, pauper nudus, crucifixus, ſtultus, contemptus, ut olim inveniatur floridus. Talem ſe nunc quærendum dixit illi IESUS, cui dixit: *Vulpes foveas habent, volucres Cæli nidos &c* Talem omnibus edixit, cùm dixit: *ſi quis vult venire poſt me, abneget ſe & tollat Crucem ſuam.* Sicut enim ex ſpinis ſuccreſcunt roſæ, ita poſt IESUM Crucifixum naſcitur vel acquiritur Nazarenus. Talem prædicabat Paulus, qui prædicabat *Crucifixum Chriſtum. &c.* Marci.10.38. Luc.9.23 1. Cor. 1. 23.

5. Nomen IESU, Nomen eſt Honoris, præmii, & Mercedis Chriſti, quod Chriſto datum eſt, teſte Apoſtolo, pro obedientia Patri præſtita uſq; ad Mortem crucis. Idcirco audito Chriſtus Dominus hoc verbo: IESUM Nazarenum quærimus: quaſi laborum mercedem optatiſſimam, promiſſam audiret, quaſi hamum hac eſcâ glorioſi nominis velatum, rapuit, devoravit, & capi ſe permiſit. Utinam hoc etiam nomen ſanctum ſit nobis eſca, ſit hamus, quo corda noſtra capiantur. Ibat Paulus in Damaſcum *ſpirans minarum & cædis.* audit de cælo. *Saule Saule, quid me perſequeris?* at Saulus animoſe & liberè: *Quis es Domine* cui Dominus: *Ego ſum IESUS, quem tu perſequeris.* & mox Paulus tremens ac ſtupens dicit: *Domine, quid me vis facere!* En piſcem, en Hoſtem captum hamo Nominis IESU. Act.9. 3 Ibid. 4. Ibid. 5. Ibid. 6.

PARAGRAPHVS XXVII.

JESVS dicit hoſtibus: Ego ſum. Iob.18.5.

FIGVRÆ

Rex Ochoſias Eliam in monte ſedentem, miſſis quinquagenariis, primò & ſecundò militibus, adduci juſſit, qui combuſti ſunt igne de cælo: tertius ſupplex acceſſit, cum quo Elias deſcendit. 4. Reg. 1. 10.

Digitized by Google

A

STROMATA, PARAGRAPHVS XXVIII.

1. EXclamat ſuper hæc verba S. Auguſtinus: *Ubi Militum cohors? ubi terror & munimentum armorum? vox Ego ſum, tantam turbam ſine ullo telo percuſſit, repulit, ſtravit! ſcilicet DEUS latebat in carne. DEUS occultabatur membris humanis!* Ita validus eſt DEUS! ita invalidus eſt omnis Homo reſpectu Creatoris! ut verbo Creatoris, omnis multitudo proſterni, omnis impetus ſiſti, omne robur frangi, omnis exiſtentia exſtingui poſſit. Et vox exigua in ore; & arundo fragilis in manu Chriſti, non eſt exiſtimanda debilis: *quod infirmum eſt Dei, fortius eſt omnibus Hominibus.*

S. Auguſt. tr. 112 in Ioan. — *1. Cor. 1. 25.*

2. Cognata & congenita Chriſto vox, atq; ſui appellatio: *Ego ſum.* ſolus enim DEUS eſt, quia ſolus verè eſt, abſolutè eſt, omnimodè eſt: Creatura magis non eſt, quàm eſt & præſertim coram DEO eſt, quaſi non eſſet.

B

3. O mi IESU, uſurpas hanc vocem *Ego ſum*, ſed ecce venit hora, quando non erit tibi dicere. *Ego ſum;* quando ſcilicet dices de te ipſo: *Ego ſum vermis & non Homo, opprobrium Hominum & abjectio plebis;* quando dicetur de Te: *Ecce Homo!* quando dicetur de te: *Inclinato capite, tradidit ſpiritum!* quando inter Mortuos & ſepultos annumeraberis, tunc utiq; non dices: *Ego ſum,* ſed potiùs *Ego non ſum.* quia mortuus ſum.

Pſ. 21. 7. — *Ioã. 19. 30.*

4. Ut IESUS ſolet quæri tàm ab impiis quàm à piis, ita etiam tam his quàm illis ſolet ſe manifeſtare dicens: *Ego ſum.* Cæterùm hoc impiis fulmen eſt & rugitus leonis, piis autem vox Agni, vox ſponſi, vox Dilecti, vox ſalutis eſt. Nempe juſtiſſimè! nam quia impii quærunt IESUM, ut perdant IESUM, ideo quoq; IESUS obviat illis ut perdat eos. Unde *ſicut fluit cera à facie ignis, ſic pereunt peccatores à facie DEI.* Quia verò pii quærunt IESUM ad ſalutem, ideo IESUS obvians illis, ait ad eos: *Salus tua Ego ſum.* Hinc vide, quòd IESUS talis Tibi ſit, qualem tu tibi eſſe vis vel facis, ut non IESU, ſed tibi perditionem tuam imputes. Ita Caimo olim dictum: *Nonnè ſi bona egeris recipies? ſin autem mala, ſtatim in foribus peccatum tuum* & ejus pæna *aderit?* Et Iudæis: *Si audieritis me, bona terræ comedetis, ſin autem me ad iracundiam provocaveritis. &c.* Nimirum quiſq; ſuæ fortunæ faber eſt, etiam apud DEUM.

C

Pſ. 67. 3. — *Pſ 34. 3.* — *Gen. 4. 7.*

D

IESUS Verbo ſuo Hoſtes retrocedere, in terramq; ſupinos cadere facit. Ioan 18. 6

FIGURA

Cùm Machabei cohors prima apparuiſſet, timor Hoſtibus incuſſus eſt ex præſentia DEI, qui univerſa conſpicit. 1. Mach 12. 22.

PRÆDICTIO.

Dominus ſicut fortis præliator egredietur ſuſcitans zelum, & ſuper inimicos ſuos confortabitur. Iſ. 42.

STROMATA.

1. O Vox Maieſtatis & potentiæ plena! quam armati non ſuſtinentes corruunt, & nolentes inimici tui Domine IESU terram lingunt, ſpoliantur viribus & retrò cadunt ſupini! Ferunt, ad conſpectum aut rugitum leonis omnia alia tabeſcere, & exſanguia metu reddi; quis neget hîc catulum leonis Iudam rugiiſſe, & ad rugitum ejus rabidas quamvis beſtias iſtas corruiſſe? *Quis jam ejus iram tolerabit, cujus manſuetudo non poterat tolerari?*

Vide præcedentem Paragraphum. — *Greg. 27. mor. 21.*

2. Sic Domine IESU, qui te tuoſq; ad injurias quærunt, ab omni beneficio tuo, ab omni ſuſtentatione excidunt, Cadunt cæci retró lapſu ſanè cæco, periculoſo.

3. Dulciſſime DEUS, dic hoſtibus meis in corde meo; dic Miſeriis meis; *Ego ſum,* & ad hanc potentem vocem tuam, abeant retrò, corruant, nec adijciant, ut reſurgant in me.

4. *Timete Dominum etiam Sancti & Electi eius!* Nam ſi *Ego ſum* Infirmitatis ejus, peccator etiam armatus non ſuſtinet: *Ego ſum* Majeſtatis ejus atq; Potentiæ ſuſtinere quis poterit? Quis ſtabit peccatorum tunc, quando in ultimo Iudicii die in Majeſtate & poteſtate & virtute ſua magna percutiet fulmine oris ſui, omnes peccatores: & perdet eos de terra, quando judicandi vocem nemo ſuſtinere poterat?

Pſ. 33. 10.

4. Notat Gregorius: quòd retrò abire & cadere in ſcriptura ſignificet caſum reproborum; ſicut prona facie cadere ſignificat caſum Electorum, Prior caſus

rior caſus Iudæ fuit, poſterior Pauli.

6. Caſus hic potiùs Cohortis omniumq; miniſtrorum Phariſaicorum, & ipſorum Dominorum cum eis ac Iudæ etiam cum ipſis ſignificavit ultimam ruinam Iudaici populi ab Iuda ducentis originem, ſignificavit abjectionem & abſceſſum Iudæorum à facie Chriſti: Hunc caſum prædixit Iſaias dicens: Iſai. 28. 13. *Vadant & cadant retrorſum, illaqueentur & capiantur.*

7. Quid ajebat IESUS id temporis, quo hoſtes ad ejus vocem abierunt retrò & ceciderunt, & Iacuerunt? ſanè non intelligo quid aliud, quàm commiſeratione motum Dominum eſſe, & virtute ſua rurſus illos erexiſſe, optâſſe & orâſſe, illis ſanam mentem, ad quam, cum obſtinatione impediti non converterentur, permiſit ut facerent, quod faciebant, ut nempe rabiem ſuam in ipſum promerent.

B

8. Ad vocem Chriſti abire & cadere malitia potuit, frangi & mutari non potuit, perſeveravit impietas non cedens virtuti, non Majeſtati, non poteſtati, non miraculo, non periculo. Ex tot lapſis & proſtratis, ad verbi unius ſonum, nemo reſipiſcentiâ motus, nemo perterritus, nemo compunctus à ſcelere reſiliit, ſed inſtar verè ac plusquam Cæcorum amentiumq; in ſcelere perrexerunt.

Iob. 9. 4. 9. Nullus unquam Hoſtis DEI ſtetit. *Quis enim reſtitit ei & pacem habuit?* immo hoc ipſũ eſt, cecidiſſe, hoſtẽ DEI eſſe, quis enim caſus, quæ ruina major eſt? quã odiſſe ſũmũ bonũ, & odio haberi à ſũmo Bono? O inimici DEI, quid contra DEUM erigimini, & invaleſcitis? ſtare vobis videmini, florere, immobiles eſſe, & vos, iam corruiſtis! Jam ſupini, & emortui jacetis! Præivit vobis in hoc ille Dux veſter, qui, cùm vellet aſcendere, cùm ex oppoſito DEI ſublimis, in ſolio ſimilis Altiſſimo ſedere, cecidit miſer retrò, *& tanquã ſulgur*, prolapſus eſt, *rudentibus inferni detractus*, ad Abyſſos *Nolite ergo multiplicare loqui ſublimia glorіantes &c.*

C

Luc. 10. 18. 2. Petr. 2. 4. 1. Reg 2. 3.

PARAGRAPHVS XXIX.

Ioan. 18. 8. ***JESVS cavet ſuis Diſcipulis, nè comprehendantur.***

D

STROMATA.

A 1. Dixi vobis quia ego ſum: ſi ergo me quæritis, ſinite hos abire: Nolo illos mecum capi, quia prò illis volo capi: nec oportet hos mecum pati, pro quibus me oportet primum & ſolum pati; uenient tempora quandò & ipſi capientur pro me.

2. Unus ego pro omnibus; nolo de gentibus eſſe virum mecum; torcular calcare ſolus volo; ſolus calicem bibere volo, exiguus eſt præ mea ſiti, ut quid ergo illum cum aliis dividam? ſinite eos abire.

3. Verè Domine IESU, Murus es in circuitu noſtro. Voluiſti igneòs illos dolorum & injuriarum globos excipere, ut nos ab ultione peccatis noſtris debita liberares. Zach. 2. 5.

4. Non eſt vox rogantis ſed imperantis, & pro Diſcipulis caventis, ſimilis illi: *Nolite tangere Chriſtos meos* in me poteſtatem habebitis, in meos nolo habeatis interim. 1. Paral. 16. 22.

5. Hic ſeſe Chriſtus Paſtorem pro omnibus animam ponentem; hîc gallinam pullis ſuis providentem oſtendit. Ovis erat, ipſe ducendus mox ad occiſionem, ſed tamen ſe quoq; paſtorem ſciebat, ideo oviculas etiam tunc defendebat.

6. Servandus eſt ordo; ſecundùm enim ætatem hominis eſt etiam robur ejus. Diſcant priùs pugnare à me, ut ſciant poſtmodum pugnare pro me. Sciant primùm & videant quid egò fecerim & ſuſtinuerim prò eis; ut poſthac illis leve ſit facere & pati pro me, & pro ovibus meis, fratribus ſuis. Difficile eſt pugnare inermibus adhuc: *induantur* priùs *virtute ex alto*, & me in carne paſſo etiam illi eadem cogitatione armentur, ut veſtigia mea ſequantur, Luc. 24. 49.

7. Hæc dicit Dominus ſæpè, animabus requirentibus eum & capere volentibus: *Si me quæritis, ſinite hos abire*: Si mihi vultis ſervire, adhærere, uniri, aſſimilari; ſinite à vobis abire, hos rerum inanium amores, hos deſideriorum tumultus, hos affectuum populos; hos curarum fluctus, hos quotidianos defectus. Faceſſat hæc turba tumultuans; recedant hi tibicines vanè concrepantes & Chriſtum deridentes, ut ſuſcitetur mortua puella, ut reſurgat tener & collapſus Spiritus, puſilla & infirma virtus &c. Matt. 9. 24.

8. Scriptum eſt: *Os non comminuetis ex eo* (ſcilicet agno paſchali) oſſa Chriſti ſunt ejus Sancti. Si ergo Apoſtoli Exod. 12. 46.

A

STROMATA.

1. EXclamat ſuper hæc verba S. Auguſtinus: *Ubi Militum cohors? ubi terror & munimentum armorum? vox Ego ſum, tantam turbam ſine ullo telo percuſſit, repulit, ſtravit! ſcilicet DEUS latebat in carne. DEUS occultabatur membris humanis!* Ita validus eſt DEUS! ita invalidus eſt omnis Homo reſpectu Creatoris! ut verbo Creatoris, omnis multitudo proſterni, omnis impetus ſiſti, omne robur frangi, omnis exiſtentia exſtingui poſſit. Et vox exigua in ore; & arundo fragilis in manu Chriſti, non eſt exiſtimanda debilis: *quod infirmum eſt Dei, fortius eſt omnibus Hominibus.*

S. Auguſt. tr. 112 in Ioan. — *1. Cor. 1. 25.*

2. Cognata & congenita Chriſto vox, atq; ſui appellatio: *Ego ſum.* ſolus enim DEUS eſt, quia ſolus verè eſt, abſolutè eſt, omnimodè eſt: Creatura magis non eſt, quàm eſt & præſertim coram DEO eſt, quaſi non eſſet.

3. O mi IESU, uſurpas hanc vocem *Ego ſum*, ſed ecce venit hora, quando non erit tibi dicere. *Ego ſum*; quando ſcilicet dices de te ipſo: *Ego ſum vermis & non Homo, opprobrium Hominum & abjectio plebis*; quando dicetur de Te: *Ecce Homo*! quando dicetur de te: *Inclinato capite, tradidit ſpiritum*! quando inter Mortuos & ſepultos annumeraberis, tunc utiq; non dices: *Ego ſum*, ſed potiùs *Ego non ſum.* quia mortuus ſum.

Pſ. 21. 7. — *Io. 19. 30.*

4. Ut IESUS ſolet quæri tàm ab impiis quàm à piis, ita etiam tam his quàm illis ſolet ſe manifeſtare dicens: *Ego ſum.* Cæterùm hoc impiis fulmen eſt & rugitus leonis, piis autem vox Agni, vox ſponſi, vox Dilecti, vox ſalutis eſt. Nempè juſtiſſimè! nam quia impii quærunt IESUM, ut perdant IESUM, ideo quoq; IESUS obviat illis ut perdat eos. Unde *ſicut fluit cera à facie ignis, ſic pereunt peccatores à facie DEI.* Quia verò pii quærunt IESUM ad ſalutem, ideo IESUS obvians illis, ait ad eos: *Salus tua Ego ſum.* Hinc vide, quòd IESUS talis Tibi ſit, qualem tu tibi eſſe vis vel facis, ut non IESU, ſed tibi perditionem tuam imputes. Ita Caimo olim dictum: *Nonnè ſi benè egeris recipies? ſin autem malè, ſtatim in foribus peccatum tuum* & ejus pœna *aderit?* Et Iudæis: *Si audieritis me, bona terræ comedetis, ſin autem me ad iracundiam provocaveritis. &c.* Nimirum quiſq; ſuæ fortunæ faber eſt, etiam apud DEUM.

Pſ. 67. 3. — *Pſ. 34. 3.* — *Gen. 4. 7.*

PARAGRAPHUS XXVIII.

IESUS Verbo ſuo Hoſtes retrocedere, in terramq; ſupinos cadere facit. Ioan 18.6

FIGURA

Cùm Machabei cohors prima apparuiſſet, timor Hoſtibus incuſſus eſt ex præſentia DEI, qui univerſa conſpicit. 1. Mach 12. 22.

PRÆDICTIO.

Dominus ſicut fortis præliator egredietur ſuſcitans zelum, & ſuper inimicos ſuos confortabitur. Iſ. 42.

B

STROMATA.

1. O Vox Maieſtatis & potentiæ plena! quam armati non ſuſtinentes corruunt, & nolentes inimici tui Domine IESU terram lingunt, ſpoliantur viribus & retrò cadunt ſupini! Ferunt, ad conſpectum aut rugitum leonis omnia alia tabeſcere, & exſanguia metu reddi; quis neget hic catulum leonis Iudam rugiiſſe, & ad rugitum ejus rabidas quamvis beſtias iſtas corruiſſe? *Quis jam ejus iram tolerabit, cujus manſuetudo non poterat tolerari?*

Vide præcedentem paragraphum. — *Greg. 27. mor. 21.*

C

2. Sic Domine IESU, qui te tuoſq; ad injurias quærunt, ab omni beneficio tuo, ab omni ſuſtentatione excidunt, Cadunt cæci retró lapſu ſanè cæco, periculoſó.

3. Dulciſſime DEUS, dic hoſtibus meis in corde meo; dic Miſeriis meis; *Ego ſum*, & ad hanc potentem vocem tuam, abeant retrò, corruant, nec adjiciant, ut reſurgant in me.

4. *Timete Dominum etiam Sancti & Electi eius!* Nam ſi *Ego ſum* Infirmitatis ejus, peccator etiam armatus non ſuſtinet: *Ego ſum* Majeſtatis ejus atq; Potentiæ ſuſtinere quis poterit? Quis ſtabit peccatorum tunc, quando in ultimo Iudicii die in Majeſtate & poteſtate & virtute ſua magna percutiet fulmine oris ſui, omnes peccatores: & perdet eos de terra, quando judicandi vocem nemo ſuſtinere poterat? *Pſ. 33. 10.*

D

4. Notat Gregorius: quòd retrò abire & cadere in ſcriptura ſignificet caſum reproborum; ſicut prona facie cadere ſignificat caſum Electorum, Prior caſus

Digitized by Google

or caſus Iudæ fuit, poſterior Pauli.

6. Caſus hic potiùs Cohortis omniumq; miniſtrorum Phariſaicorum, & ipſorum Dominorum cum eis ac Iudæ etiam cum ipſis ſignificavit ultimam ruinam Iudaici populi ab Iuda ducentis originem, ſignificavit abjectionem & abſceſſum Iudæorum à facie Chriſti: Hunc caſum prædixit Iſaias dicens:
Iſai. 28. 13. *Vadant & cadant retrorſum, illaqueentur & capiantur.*

7. Quid ajebat IESUS id temporis, quo hoſtes ad ejus vocem abierunt retrò & ceciderunt, & Iacuerunt? ſanè non intelligo quid aliud, quàm commiſeratione motum Dominum eſſe, & virtute ſua rurſus illos erexiſſe, optâſſe & orâſſe, illis ſanam mentem, ad quam, cum obſtinatione impediti non converterentur, permiſit ut facerent, quod faciebant, ut nempe rabiem ſuam in ipſum promerent.

8. Ad vocem Chriſti abire & cadere malitia potuit, frangi & mutari non potuit, perſeveravit impietas non cedens virtuti, non Majeſtati, non poteſtati, non miraculo, non periculo. Ex tot lapſis & proſtratis, ad verbi unius ſonum, nemo reſipiſcentiâ motus, nemo perterritus, nemo compunctus à ſcelere reſiliit, ſed inſtar verè ac plusquam Cæcorum amentiumq; in ſcelere perrexerunt.

Iob. 9. 4. 9. Nullus unquam Hoſtis DEI ſtetit. *Quis enim reſtitit ei & pacem habuit?* immo hoc ipſũ eſt, cecidiſſe, hoſtẽ DEI eſſe; quis enim caſus, quæ ruina major eſt? quã odiſſe ſũmũ bonũ, & odio haberi à ſũmo Bono? O inimici DEI, quid contra DEUM erigimini, & invaleſcitis? ſtare vobis videmini, florere, immobiles eſſe, & vos, iam corruiſtis! jam ſupini, & emortui jacetis! Prævivit vobis in hoc ille Dux veſter, qui, cùm vellet aſcendere, cùm ex oppoſito DEI ſublimis, in ſolio ſimilis Altiſſimo ſedere, cecidit miſer retrò, *& tanquã fulgur,* prolapſus eſt, *rudentibus inferni detractus,* ad Abyſſos *Nolite ergo multiplicare loqui ſublimia gloriantes &c.*

Luc. 10. 18. 2. Petr. 2. 4. 1. Reg. 2. 3.

PARAGRAPHVS XXIX.

Ioan. 18. 8. ***JESVS cavet ſuis Diſcipulis, ne comprehendantur.***

STROMATA.

A 1. Dixi vobis quia ego ſum: ſi ergo me quæritis, ſinite hos abire: Nolo illos mecum capi, quia pro illis volo capi: nec oportet hos mecum pati, pro quibus me oportet primum & ſolum pati; venient tempora quandò & ipſi capientur pro me.

2. Unus ego pro omnibus; nolo de gentibus eſſe virum mecum; torcular calcare ſolus volo; ſolus calicem bibere volo, exiguus eſt præ mea ſiti, ut quid ergo illum cum aliis dividam? ſinite eos abire.

3. Verè Domine IESU, Murus es in circuitu noſtro. Zach. 2. 5. Voluiſti igneòs illos dolorum & injuriarum globos excipere, ut nos ab ultione peccatis noſtris debita liberares.

4. Non eſt vox rogantis ſed imperantis, & pro Diſcipulis caventis, ſimilis illi: *Nolite tangere Chriſtos meos* in me 1. Paral. 16. [illegible]
B poteſtatem habebitis, in meos nolo habeatis interim.

5. Hic ſeſe Chriſtus Paſtorem pro omnibus animam ponentem; hic gallinam pullis ſuis providentem oſtendit. Ovis erat, ipſe ducendus mox ad occiſionem, ſed tamen ſe quoq; paſtorem ſciebat, ideo oviculas etiam tunc defendebat.

6. Servandus eſt ordo; ſecundùm enim ætatem hominis eſt etiam robur ejus. Diſcant priùs pugnare à me, ut ſciant poſtmodum pugnare pro me. Sciant primùm & videant quid ego fecerim & ſuſtinuerim pro eis; ut poſthac illis leve ſit facere & pati pro me, & pro ovibus meis, fratribus ſuis. Difficile eſt pugnare inermibus adhuc:
C *induantur* priùs *virtute ex alto,* & me in Luc. 24. 49. carne paſſo etiam illi eadem cogitatione armentur, ut veſtigia mea ſequantur.

7. Hæc dicit Dominus ſæpè, animabus requirentibus eum & capere volentibus: *Si me quæritis, ſinite hos abire:* Si mihi vultis ſervire, adhærere, uniri, aſſimilari, ſinite à vobis abire, hos rerum inanium amores, hos deſideriorum tumultus, hos affectuum populos; hos curarum fluctus, hos quotidianos defectus. Faceſſat hæc turba tumultuans; Matt. 9. 24. recedant hi tibicines vanè concrepantes & Chriſtum deridentes, ut ſuſcitetur mortua puella, ut reſurgat tener & collapſus Spiritus, puſilla & in-
D firma virtus &c.

8. Scriptum eſt: *Os non comminuetis ex eo* Exod. 12. 46. (ſcilicet agno paſchali) oſſa Chriſti ſunt ejus Sancti. Si ergo Apoſtoli

ſtoli cum Chriſto paterentur, oſſa agni
cominuerentur.

9. Semper ita fit, & ſi noſtris inſipi-
entibus oculis aliter videri ſoleat. Iuſti
dum pati videntur, non juſti patiuntur,
ſed Chriſtus in eis patitur. Se ſemper
DEus exponit conatibus improborum,
juſtos autem protegit ab impietate eo-
rum. *Qui tangit vos* (ait ipſe DEUS juſtis)
Zach 2. 8. *tangit pupillam oculi mei. Non te abjecerunt*
1. Reg. 8. (ait idem Samueli) *ſed me, ne regnem ſu-*
7. *per eos. Saule Saule quid me* (ait Chriſtus
Act. 9. 4. Paulo) *perſequeris? Quod uni ex his minimis*
Matt. 25. (boni malive) *feciſtis, mihi feciſtis* prote-
40. ſtatur etiam idem Chriſtus. Deniq;
Ex. 16. 8. Moyſes eodem ſenſu dixit: *Non eſt mur-
mur veſtrum contra nos, ſed contra Dominum.* B
Ergo ſemper dixit DEUS impiis, quid-
libet mali contra juſtos machinantibus:
Me quæritis, me impetitis, me perſequi-
mini immo me perſequamini *hos autẽ ſinite
abire.* O mirã DEI pro ſuis curã! ô vanã
impiorũ in juſtos irã! ô periculoſam, &
impiis, nocẽtiſſimã in juſtos iram! Non
Iſaac immolatur ſed Aries. Ut quid nos
ergo pati pro Chriſto perſecutiones,
detractiones, & odia malorum nolumus?
quando hæc omnia non cadunt ſuper
nos, nec afficiunt nos, ſed afficiunt i-
pſum Chriſtum, nobis liberis & inte-
gris manentibus?

10 Non ſolùm dolores noſtros in ſe
ſuſcipit & portat Chriſtus, etiam labo-
res. Cum laboramus, non nos labora- C
Matt. 10 mus, ſed ille pro nobis & in nobis. *Non*
20. *vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus Patris ve-
ſtri.* Nos enim quid oremus, neſcimus.
Rom. 8. *Spiritus autem Sanctus poſtulat pro nobis gemi-*
26. *tibus inenarrabilibus qui habitat in nobis.* De-
Iſa: 26, niq; ait Iſaias.: *Omnia opera noſtra opera-*
12. *tus es in nobis Domine.* Et Paulus: *In i-*
Act. 17. *pſo enim vivimus movemur & ſumus.* Et
28. iterum: *In ipſo omnia conſtant.*
Coloſſ. 1.
17.

PARAGRAPHUS XXX.

JESUM Petrus defendit gladio: vulnerat Malchum.

STROMATA.

1. INſurgentibus in Chriſtum impiis, D
abſcinditur Malcho auricula; quia
nemo DEUM offendit, niſi prius aurem
amiſerit in corde, ne clamorem audiat
Num. 25. conſcientiæ.
5. 2. Teſte S. Ambroſio, Petrus in hoc
A ſuo facto æmulatus eſt zelum Phinees,
gladio peccatores confodientis.

3. Dum Chriſtum capiunt Iudæi, Pe-
trus auriculam abſcidit Malchi Pontifi-
cis ſervi: nempè ſignum fuit Iudæos
deinceps dextra aure carituros, ad au-
diendum cum fructu Evangelium Chri-
ſti ſeq; ſubmittendum ſpirituali pote-
ſtati Petri. Itaq; Malchus Pontificis ſer-
vus hoc eſt *Regale ſacerdotium Iudæorum,* 1. Pet. 2.
Et Gens Regio genere ſuperba (nam 9.
Malchus Regem ſonat) retinet auricu-
lam ſiniſtram, amiſſã dextrã quia reje-
cto Meſſia vero & lege gratiæ, retinet
legem ſervilem. atq; ita & velamen ha-
bent ſuper faciem Moyſis, ne intendant
in eam: & aure carent dextra, ne quan-
do audiant & convertantur, & DEUS
ſanet eos. Utinam aliquando auferatur 2. Cor. 3.
velamen de cordibus eorum? Utinam 16.
reſtituatur auricula dextra! ut ſal- Rom. 9.
tem *Reliquiæ Iſrael, ſalvæ fiant.* 27.

4. Petrus gladio ſuo, auriculam dex-
tram etiam hodie abſcindit rebellibus;
quos enim excommunicat, hos bonis
ſpiritualibus, ſolo auditu percipiendis
privat, Uti ſunt: Miſſa, Prædicatio ver-
bi DEI, Confeſſionis, Sacramenta, ita
ut excommunicati fiant *ſicut Ethnici &* Matt. 18.
Publicani. 17.

5. Novitius eſt iſte Petri Spiritus,
indiſcretè fervet, & quia in ſchola Chri-
ſti nondum didicit eſſe patiendum, idcir-
co id, quod in ſchola mundi didicit,
exſequitur. ſcilicet: eſſe vim vi repel-
lendam. In nulla re tardiùs Chriſti Di-
ſcipuli proficiunt, quàm in patiendo,
in cognitione, æſtimatione, amore, per-
peſſione, quæſitione, gaudio Crucis.
Nempè tardiſſimè diſcunt cujus ſpiritûs
ſint.

PARAGRAPHUS XXXI.

IESUS Petrum compeſcit variis rationibus. Mat. 26. 52.

FIGURA

Eliſæus dixit ad puerum ſuum noli time-re: plures ſunt nobiſcum quàm cum illis. 4. Reg. 6. 16.

STROMATA.

1. SEmper odit vindictam DEUS nec
ſi ipſius propria vindicetur injuria
ſine ipſo probare poteſt. Hinc Petro argu

itur hinc

Digitized by Google

ſtur, hinc compeſcitur, hinc confunditur, hinc pæne morti addicitur, & audit: *qui acceperit gladium, gladio peribit.*

2. Sicut cum ſitienti valdè ſubtrahitur poculum oblatum, moleſtum eſt, ita Chriſtus moleſtè fert, à Petro ſubduci ſibi calicem manu paterna propinatum. *Calicem* (ait) *quem dedit mihi Pater, non vis, ut bibam illum?* Et quid bibam, ſi calicem tanta manu confectum, conditum, oblatumq; non bibam? qua fronte vocabo alios ad bibendum Calicem meum, quem miſcui, ſi non ipſe bibero eum, quem Pater miſcuit?

Ioan. 18 11.

3. Fit ſæpè, ut cum Medicus, alicui offert medicamentũ, alii videntes ſtulta commiſeratione ſuper bibiturum commoveantur, ſed bibentes, ſi ſapiunt, magìs curam Medici, quàm commiſerationem ſtultam attendunt. Ita Chriſtus fecit medicinale poculum à Patre oblatum æterno, accipiebat bibiturus, miſeratur ſtultè ſapiens Petrus, ſed ſapientia vincit ſtultitiam. O utinam ſapere ſic à Chriſto in medicatis (eſto alioqui ſenſui, guſtui, honori, amori amaris) poculis oblatis, ebibendis diſcamus! & ſtultis commiſeratoribus aut impeditoribus noſtris, vel potiùs nobismetipſis dicamus cum Chriſto, *Calicem quem dedit mihi Pater, non vis, ut bibam illum?* Quid ſapiet Chriſtiano? ſi Calix Chriſti non ſapiet? unde ſumet poculum, ſi de manu voluntatis & ordinationis Divinæ non ſumet?

4. Paratis, ad defenſionem ſui, plusquam duodecim legionibus Angelorum, Chriſtus non utitur, quin nec eas optat aut advocat. Et ubi iſtiusmodi ſapiẽtia in nobis? in nobis, inquã, qui Chriſtum crepamus, qui Crucifixum Chriſtum in nobis gloriamur habitare! quantis ad tutelam noſtri conatibus inſurgimus! quantis induſtriis utimur! quantos ſumptus fundimus! quanta pericula Animæ, Corporis noſtri & alieni devoramus! quantis amaritudinibus tabeſcimus, ſin minus vindictis proficimus!

Matt. 26. 53.

5. Petrus etiam Chriſtum vindicans & defendens compeſcitur & arguitur; tu in tui, tuarumq; improbitatum, tuorumq; errorum defenſione aut excuſatione, in tuarum injuriolarum vindicatione non te compeſces, non à Chriſto compeſceris? Non audies tibi dici: *Converte gladium tuum in vaginam?* Non percutieris fulmine: *Omnis qui acceperit gladium* (defenſionis vindictæ) *gladio peribit?* Aut illo: *Qui ſervat iram, à Domino inveniet vindictam?* Aut illo: *Sic & Pater veſter cæleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis de corde veſtro, unusquiſquè fratribus veſtris?* Quisquis ergo iraſceris, converte gladium in vaginam; qui enim acceperit gladium iræ aut vindictæ, gladio iræ, gladio vindictæ peribit. *In quâ enim menſura menſi fueritis, eadem remetietur vobis.*

Ioan. 18. 11. Matt. 26. 52. Matt. 18. 35.

6. Poterat Chriſtus ſe ipſo teſte, nullo negotio liberari à periculo Mortis, ſed majorem duxit rationem noſtræ ſalutis. Ergo oblitus ſui, ſolicitus eſt noſtri, & defenſorem ſui coercet, quia impeditorem omnium ſalutis videt. Hæc eſt Charitas *non quærens, quæ ſua ſunt*, ut & nos non quæramus nos, non noſtra, ſed quæ Chriſti, quæ proximi, quæ communitatis.

1. Cor. 13. 5.

7. Incredibilis Chriſti & fiducia in Patris erga ſe benevòlentia, & ſubjectio ad ejus voluntatem. Tantum confidebat de Patris amore, ut, ſi rogâſſet *plusquam duodecim legiones*, ad ſui tutelam, obtinuiſſet? tam nihilominus erat voluntati Paternæ addictus. ut ſciens Patrem oppoſitum velle, interim à rogando ſuperſederit!

PARAGRAPHVS XXXII.

JESVS tangit & ſanat auriculam Malchi.

Luc. 22. 51.

FIGVRA.

David, & ſi Saulem necare poſſet, parcit; particulam tamen veſtis ſecat. Chriſtus auriculam reſectam ſanat. 1. Reg.

STROMATA.

1. Utitur Chriſtus miraculo ad alienum bonum, quo non utitur ad ſuam incolumitatem; Sic ſemper Chriſti pietas, magìs aliena eſt, quàm ſua! & Charitas Christi ſemper quærit aliena bona, non ſua.

2. Ne quis crederet Christum miraculorum virtute, in Paſſione caruiſſe, & tanquam impotentem evadere, captum, ac vinctum eſſe, utitur, & jam antè dicto & hoc præſenti miraculo!

3. Docet Hoſtibus eſſe bene faciendum, etiam tunc, quando actu malè illi faciunt, & injuriam irrogant. Charitas quippè nunquam excidit: ſi excidit, Charitas non fuit.

4. Hoc beneficio & miraculo dabat anſam Hoſtibus à furore & rabie contra ſe quieſcendi, aut, ſaltem eam mitigandi.

5. Dum in Chriſtum irruit, vulneratur Malchus, interim tamen ſanatur, & quidem non in ſola auricula, ſed etiam in tota Anima, juxta illud ſanctorum Patrum axioma de Chriſto, quòd quemcunq; aliquando ſanavit in corpore, ſanavit etiam & quidem priùs in Anima. DEUS bone! quæ tua iſthæc pietas! & quàm ſæpe exercita ſuper nos, probata à nobis! Dum peccamus, dum offendimus, tu Domine vulnerari ſinis nos, ſinis confundi, ſinis deprehendi, ſinis puniri! ſed interim vulnera noſtra, ſanitates ſunt noſtræ. Reſipiſcimus enim, & revaleſcimus. & ubi abundavit delictum, abundat gratia.

6. Nō erat decēs fūdēre Chriſto ſāguinem, prò omnibus etiam Hoſtibus, fundere Hoſtem Chriſti ſanguinem, occaſione Chriſti, & quaſi pro Chriſto, miſceriq; impium cruorem piiſſimo ſanguini.

7. Ne vel hanc haberent anſam Judæi contra Chriſtum, quaſi fauciaſſet ſervum Pontificis & juſtitiæ adminiſtrum.

8. Ut inexcuſabiles eſſent Judæi, qui miraculis, qui gratiis, à ſcelere revocati non fuerint.

9. Auriculam Chriſtus tangit & ſanat. Principium ſalutis ab auditu eſt.
Rom. 10. 17. *Fides enim ex auditu.* Ideo ſanatur auricula, ut ſanetur Anima. O Domine,
Pſ. 39. 7. mane erige mihi aurem, & quàm optimè! *aures perfice mihi juxta* Pſal.

PARAGRAPHUS XXXIII.

IESUS *alloquitur comprehenſores: Tanquam ad latronem &c.*

STROMATA.

1. QUid ſaxis aut beſtiis loqueris mi IESU; hoſné movebunt verba, quos non movit ruina? movebunt hos verba, quos non moverunt miracula? cadent citiùs ad vocis tuæ ſonitum quàm flectentur ad manſvetudinem. Conſumata impietas frangi poteſt, flecti non poteſt!

2. Alloquitur impios IESUS, ne nihil illis loci & medii præbeat ad reſipiſcendum. Sic facit quando impii impleant menſuram peccatorum ſuorum, etiam tunc inſtigat illos ad bonum, *ut ſint inexcuſabiles* cùm in ultimum inciderint malum. Rom. 1. 20. Et ut pietas ac longanimitas DEI nulli unquam deſit ad ſalutem, O verè dictum à Domino: *Nolo mortem impii.* Ezech. 33. 11.

3. Mi IESU indignaris eos, tanquam ad latronem ad te venire, eos, inquam, qui te latroni Barabbæ poſtponent? qui te medium inter latrones ſtatuent? Non tu eis latro mi IESU, ſed plusquam latro!

4. Non veniunt ad latronem, ſed tanquam ad latronem Domine IESU, verè enim latro quidem non eras, ſed tamen tanquam latro eras. Gerebas enim tanquam formam latronum, quin & gerebas latrocinia omnium noſtrum. Latro erat Adam, tu tanquam Latro qui portabas figuram & naturam Adam. Tanquam ergo ad latronem venitur ad te, quia ſpecies latronis (cujusq; noſtrûm) inventa eſt in te, O quantus ego unus Latro! quantis præferendus latronibus! quantis latrociniis plenus! quantus latro totum humanum genus! usq; hodie latrocinamur Domine.

5. Voluit Chriſtus oſtendere illis impiis, nullam rabiem, nullos furores nullos impetus, nullos conatus, nullam, poteſtatem, contra ſe eſſe, antequam ille, eam daret eis ſuper ſe. Unde & præſenti ſermone ad illos, tanquam ligatos detinet illos, & exprobrat illis Mat. 26. 44. dicens: *quotidie apud vos eram docens in templo, & non me tenuiſtis?* an quia noluiſtis? non: ſed quia permiſſi à me non eſtis. Nondum enim venerat hora mea, quam traderem vobis, ut fieret veſtra.

6. Quotidie docet nos DEUS, quotidie mane erigit nobis aures & loquitur, ad corda noſtra, ut audiant illum tanquam Magiſtrum; & ecce quale minerval pendimus tibi Doctori noſtro? parce Domine barbariei noſtræ & ne ceſſa docere viam vitæ.

7. Juſtè quereris mi IESU, quòd tanquam ad latronem venerint ad te, qui ipſi latrones ſunt & latronum more invadunt te, ſed & corda ſua fecerunt ſpeluncas latronum, quod utinam & nos non faciamus ſæpe! aut ſemper cum cordibus noſtris, cum corporibus noſtris, cum proximis noſtris, cum templis tuis, cum bonis & perſonis Eccleſiaſticis.

PARAGRAPHVS XXXIV,

Luc. 22. 53. *JESVS ſe Hoſtium poteſtati permittit: Hæc eſt hora veſtra. &c.*

STROMATA,

1. SEnſus eſt: Hactenus nihil vobis in me licuit, nihil diabolico furori tenebrarumq; poteſtati nunc vobis datur poteſtas à me. Eſto ergo hæc *hora veſtra & poteſtas tenebrarum.*

2. Iulius Cæſar Patriæ bellum illaturus, antequam Rhodanum transmitteret, ſecum diu deliberavit, tandem profunda nocte ait: *Iacta eſto alea,* ſeq; mox fluvio dedit & ſimul bello. Ita Chriſtus illaturus bellum Tartareis poteſtatibus, & Iudaico furori patrio, ſeq; extremis commiſurus periculis, & per mare rubrum Paſſionis ſuæ tranſiturus, quaſi deliberabat diu, tandem nocte profunda cùm jam veniſſet in horam hanc, ait: *hæc eſt hora veſtra.*

3. Hæc eſt vox, quam Amor Chriſti annis triginta tribus exſpectavit, nec niſi eâ auditâ triumphavit. Ergo videas quantis tripudiis exſultet amor Chriſti! quàm inſultet illudatq; captivo! Eſt quidem verum, multum licuiſſe iræ & ſceleri tartareo & Iudaico in Chriſtum, ſed abſq; dubio, longè plùs Amori: igitur vel Amor Chriſti Hoſtibus ait: *Hæc eſt hora veſtra;* vel Chriſtus Amori ſuo in Patrem & nos: *Hæc eſt hora veſtra.* Obi dehinc totam Chriſti Paſſionem & ubiq; triumphos Amoris videbis.

PARAGRAPHVS XXXV.

Luc. 22. 54. *JESVS comprehenditur & ligatur.*

FIGVRÆ

Gen. 37. *Ioſeph ductus in Ægyptum vendente Iuda.*

76. *Frater veſter unus ligatur* (nempe Ibid. 42. Simeon obediens)

19. *Philiſtiim capto Samſone.* (quod ſæpiùs Iud. 16. fruſtra tentârant) *exſultant, Idolum Dagon*

21. *adorant, Samſonem excæcant, in piſtrinum & 1. Reg. 4. molam detrudunt.*

11, *Arcam DEI capiunt Philiſtæi.*

2. Reg. 17. 13. *Civitas funibus circumdata trahitur in torren tem Paſſionis, ut non remaneat lapis ſuper lapidem, ſed dinumerentur omnia oſſa Chriſti.*

Ecce data ſunt ſuper te vincula & ligabunt te in eis, & non ingredieris in medio eorum. Ezech. 3. 25.

PRÆDICTIO.

Ab inſurgentibus in me libera me Domine, quia occupaverunt animam meam.

STROMATA.

1. IAm tandem in funiculis Adæ traheris, *ô Nutricie Ephraim!* utinam aliquando ſciat quòd curares eum. Oſe. 11. 3.

2. Mi IESU, ecce tibi injectæ manus & vincula propter me, & poſſideris ab Hoſtibus tanquam mancipium! Ecquando tandem injicies tu mihi manus & vincula tua jugumq; tuum, ut ſervus tuus fiam?

3. Abjeceras jugum ô Anima, ô Homo! ruperas vincula, dixeras: *non ſerviam!* en ſuperbiam & rebellem contumaciam tuam luit IESUS ligatus. Nonne exnunc ſponte tuâ, hic te indues vinculis & injicies pedes tuos, in compedes Divinos & glorieris in eis? Ier. 2. 20.

4. Injecerat Adam rapaces manus in lignum ſcientiæ: injiciunt in Chriſtum qui eſt theſaurus ſcientiæ DEI & Sapientiæ, raptores manus.

5. Illum ligant qui venerat ut ſolveret eos, ait *Cyrillus;* A quo ſolvi deberent. *Aug.* Sic Samſonem viri Iuda trahebant & tradebant, ligatum novis funibus, in manus Philiſtinorum cum Samſon exueret eos de manu Philiſtæorum.

6. Injiciuntur manus creatæ in Creatrices; redẽptæ in redẽptrices; infirmæ in omnipotentes; ſolutæ in ſolventes; noxiæ in innoxias; beneficiis innumeris oneratæ in Benefactrices! Eheu! *iſtæ hæccinè reddis Domino popule ſtulte & inſipiens.* Deut. 32. 6.

7. Venatores ſi veſtigia feræ deprehendant, cum omni apparatu venatorio, retibus, laqueis, venabulis. canibus bombardiS lanceis, accurrunt, cingunt, loco movent, terrent, ad retia pellunt, pro ſe quiſq; feræ inhiat, & eâ captâ inſultat & exſultat. En *Qui cogitaverunt* (ait Dominus per Prophetam) *ſupplantare greſſus meos, abſconderunt ſuperbi laqueum mihi: & funes extenderunt in laqueum, juxta iter ſcandalum mihi.* Et per alium: *Venatione ceperunt tanquam avem, inimici mei gratis.* Diabolus venator robu- Iſai. 9. 3. Pſ. 139. 1. Thr. 3. 52.

tor robuſtus ut Nemroth, canis ejus Iudas, qui inventâ prædâ latrat: *Ave Rabbi.* Cohors & Tribuni & Seniores inſtar Moloſſorum ſunt, hortus Sylvæ vicem obit, fera Chriſtus: *Cant.* *Hinnulus cervorum, & ſimilis capreæ* capitur comprehenditur, ligatur, raptatur, tanquam fera à Canibus; *Pſ. 21. 13.* *Circumdederunt me* (poteſt dicere Dominus) *Vituli multi, tauri pingues obſederunt me, aperuerunt ſuper me os ſuum, ſicut leo rugiens & rapiens.*

8. Quando tormentorum ictibus effringuntur portæ, aut muri Civitatis obſeſſæ, ad apertam ruinam Hoſtis denſus ingruit & irruptionem parat. Atq; ſiquidem obſeſſi defendant ſe ſtrenuè, & ruinam tormentis tueantur, lentior Hoſtis irrumpit, ſed ſi nulla ſit defenſio, ſi muri tanquam Ierichuntini ſimul omnes corruant, aut deſerantur à defenſore, *Ioſ. 6. 5.* quiſq; facilè accedit, irruit, vaſtitatem infert. Talis eſt, prorſus Chriſti præſens comprehenſio inſtar Civitatis, diripitur & ſpoliatur & expilatur: *Iſai. 9. 3.* *Sicut victores exſultant captâ prædâ quando dividunt ſpolia.*

9. Quando tempeſtas marina oritur, fluctus marini, alii aliis ingruentes petram tundunt, & in eam impingunt, ſic ſæviente tempeſtate furoris tartarei & diabolici, quiſq; pro ſua parte raptorum illorum, inſtar feri fluctus ad Chriſtum tanquam Petram alliſus eſt, & furorem effudit, rabiemq; ſpectatoribus Senioribus populi & principibus oſtendit, ut poſſit dicere modo D. IESUs: *Pſ. 87. 8.* *Omnes fluctus tuos induxiſti ſuper me.*

10. Ligantur manus Chriſto etiam nunc paſſim, non tantùm ab impiis & improbis per enormia facinora ſed etiam à piis & juſtis per imperfectiones, per ſcandala, per tepiditates, ne manus illæ benefaciant illis ipſis, ne Communitatibus, ne Eccleſiæ, ne Regnis, ne mundo, quibus alioqui paratæ eſſent optimè facere, niſi obſtarent jam dicta obſtacula. Quis ligaverat Chriſto manus, ne poſſet virtutes multas facere in Nazareth? Quis ligaverat Eliſæo manus, ne ſanaret ullum ex leproſis Iſraëlis? aut Eliæ, ne ulli viduæ præterquam ſareptanæ benefaceret? Nempè iniquitates noſtræ faciunt nobis DEUM parcum & ſterilem, ita ut exprobret etiam ipſe nobis: *Agg. 1. 6.* *Seminaſtis multum intuliſtis parum,* non deerat *1 Cor. 3. 7.* labor, cura, induſtria, ſumptus tamen non ſucceſſit, quare? *quia neque qui plantat, neque qui rigat, aliquid eſt, ſed qui incrementum dat DEUS.* Cur autem DEUS non dat? ligatæ ſunt ei manus à nobis, ſolvantur & benedicent atq; incrementum dabunt illæ.

11. Iſaac relicturus Benedictionem Filio Eſau, mittit eum venatum. *Gen. 27. 3.* *Et cùm venatione aliquid ceperis fac* (ait) *inde mihi pulmentum, ſicut velle me noſti.* Rebecca ſubordinavit Iacobum, coxit pulmentum ex duobus hædis optimis, ſicut velle noverat Patrem ejus, pelliculis quoq; hædinis, colli & manuum Iacobi nuda & lævia circumligavit & protexit: Sic & Chriſti Domini collum & manus proteguntur, & circumdantur circumliganturq; ut videatur non Iacob qui fuit, ſed Eſau qui non fuit. Tu jam vide quàm avidus ſis Mortificationum, catenularum, flagellationum, quàm horum fugitans omnium, quæ affligere poſſunt lævorem & mollitiem tuam?

12. Hæc Comprehenſio & captivitas, fuit Paſſionis Chriſti initium & exordium, & veluti menſura ſecuturorum tormentorum: unde neceſſe fuit eam eſſe pleniſſimam omni genere injuriarum & afflictionum, quibus & Anima & Corpus & Perſona Chriſti Sanctiſſima cruciabatur ſupra modum. E contra autem ſicut impii illi oſtenderunt tunc, quo furore & ſcelere erant Chriſtum deinceps afflicturi, ita Dominus IESUS oſtendit quâ cum virtutum excellentiâ erat omnes afflictiones toleraturus. Tunc oſtendit humilitatem ſummam quando *qui ſedet ſuper Cherubim,* *Pſ. 79. 2.* factus eſt ſuppedaneum pedum viliſſimorum, & dedit in conculcationem & abjectionem plebis, ut dixerit per Prophetam: *Pſ. 55. 2.* *tota die conculcavit me Homo, tota die tribulavit me, conculcaverunt me inimici mei tota die, quoniam multi bellantes adverſùm me.* Utinam & ego non ſim conculcator Chriſti! utinam ſinam, & cupiam me honoremq; meum conculcari pro Chriſto, qui toties & tamdiu conculcavi legem Chriſti! Tunc oſtendit manſuetudinem & patientiam; tunc verè potuit dicere: *Matt. 11. 29.* *diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde,* in tanta injuriarum tempeſtate. Nos viles homunculi ad minimas injuriolas exardeſcimus ſicut ignis in ſpinis: Tunc etiam oſtendit, *Eph. 2. 4.* *Charitatem ſuam nimiam qua dilexit nos.* Poterat enim non capi, poterat captus vincula diſſolvere citiùs Samſone, ſed tenebant eum funes commiſerationis, ſuper peccata noſtra, funes peccatorum funiculi Adæ, vincula Charitatis,

Digitized by Google

ritatis. Quis non ſinet ſe vinciri à Chriſto in ejus obſequio; videns Chriſtum, pro ſe vinctum & pro ſuo peccato?

13. *Lupi rapaces circumdederunt* Agnum; prædones, Cuſtodem; Vigilem Paſtorem & Principem Paſtorum; Degeneres Filii Patrem optimum; inſolentes & diſcoli Diſcipuli Magiſtrum; Phrænetici Medicum; Filii tenebrarum lucem veram; ſeditioſi Milites et rebellis populus, Imperatorem; impii & peccatores DEUM factorem ſuum invaſerunt!

14. Quò diutiùs tenetur aggeribus fluvius, eò impetuoſiùs ruit, rapit, vaſtat omnia obvia: & horum impiorum impetus, quò magis diutiùsq; differebatur in Chriſtum furor, eò impotentiùs data facultate erumpebat: nempè ita eſt, etiam noſtris ſceleribus modum ponit DEUS niſi cogatur per B noſtram obſtinationem ad malum tendentem, quaſi equus ad bellum, removere obſtacula, & dare nequitiis noſtris poteſtatem tenebrarum, quâ conceſſione nihil peſtilentius Hominibus perniciòſiusq; poteſt evenire.

15. Comprehenſionis ſuæ injùrias; graphicè narrat Dominus per os David dicens: *Miſerere mei DEUS, quia* Pſ. 55. 1. &c. *conculcavit me Homo; tota die impugnans tribulavit me: conculcaverunt me inimici mei* Pſ. 79. 2. *tota die, multi bellantes adverſùm me.* Proh! *qui ſuper Cherùbim ſedet*, hunc pes Hominis conculcat! Meritò Pater ponit Inimicos Chriſti, ſcabellum pedum Chriſti, qui non horruerunt eſſe conculcatores Chriſti.

PARAGRAPHUS XXXVI.

JESVS à Diſcipulis relinquitur in manibus Hoſtium. Matt. 26. 56.

PRÆDICTIO

Pſ. 87. 9. *Longè feciſti notos meos à me, poſuerunt me abominationem ſibi.*

Pſ. *Caligaverunt oculi mei à fletu meo, quia elongatus eſt à me, qui conſolabatur me.*

Job. 6. 15. *Fratres mei præterèrunt me, ſicut torrens, qui raptim tranſit in convallibus.*

STROMATA.

1. NOndum idonei erant Apoſtoli ad comprehenſionem ſuſtinendam cum Chriſto, ideo fugere & abire permiſſi ſunt, cavente & protegente Chriſto: itaq; non reprehenſione ſed commiſeratione digni ſunt, quia captò Paſtore, oves formidine diſperſæ ſunt.

2. Hæc eſt inconſtantia noſtra in bono, hæc in propoſitis infirmitas nuperrimè gloriabamur ituros nos ad Mortem, cum Chriſto, & ecce rapto Domino nulli Animus eſt ut capiatur cum ipſo. Tam multa nobis ob oculos ponuntur ad robur auxilia, tot vidimus miracula, tot beneficia percepimus, tot doctrinas audivimus, toties præmoniti ſumus, nihil profecit Dominus tot curis & impenſis. nihilominus *nos in-firmi ſumus.* 1. Cor. 4. 10.

3. Non eſt quod fidamus Amicitiæ humanæ! non eſt, quod confidamus viribus humanis! & fides fluxa & vires hominum fragiles ſunt! Fidere ergo illis non poſſumus, quia fallere poſſunt & ſolent; quia prodeſſe ſemper non poſſunt & ſæpè nolunt, immo frequenter cùm prodeſſe (velle ſaltem) debuerint, obeſſe laborarent. Multò verò minùs quiſq; debet confidere in ſeipſo. Quis enim non experitur ſe in his, in quibus maximè de ſe confidit, quæ maximè proponit & ſatagit, ad minimam immo ad nullam cauſam occaſionemq; deficere, mutari reſilire, fatigari & pigritari, à DEO Diviniſq; recedere? Quàm magni ſibi videbantur Apoſtoli, cùm contendebant inter ſe, *quis eorùm eſſet major*? quàm Luc. 22. 24. robuſtos ſe præſumebant, qui ſe ad mortem paratos offerebant! quàm ſibi fi- C debant; qui Domino, quòd ex eo, nocte illâ, ſcandalizandi eſſent, atq; diſpergendi quiſq; in ſua, prædicenti non credebant.! Et tamen poſt hæc omnia ubi magnitudo & robu., & fiducia illa? En ejus præconium: *Relicto eo fugerunt omnes*! Etiamné Petrus? Matt. 26. 56. etiam. Etiamnè Thomas ille? qui dicebat: *eamus & nos moriamur cum illo*? Ioan. 11. 16. etiam. Etiamné alii qui ſimiliter cum Petro loquebantur & pollicebantur? etiam. Nè unus quidem remanſit ex eis, ſed juxta verbum Chriſti Domini, *reliquerunt eum ſolum.*

4. Quia Chriſtus Dominus ex hac horâ nudatus fuit ab omni ſocio & ſolatio, uſq; ad horam Mortis ſuæ, D juxta illam Prophetæ prædictionem? *Longè feciſti notos meos à me, poſuerunt me abominationem ſibi*, Pſ. 87. 9. ideo in Eccleſia, per omnia templa, hoc triduo nudátur altaria, eò quòd Altare noſtrũ Chri-

ſtus ejus

ſtus etiam nudatus & derelictus fuerit, ab omni humano ſubſidio, ſolatio & ſpe illius. Quanquam illa Altarium denudatio etiam deſignat detractionem veſtium Chriſti, ac Diviſionem.

5. Solemus condolere Chriſto Domino à Diſcipulis tanquam timidis inconſtantibus, ingratis, relicto! quid verò factitamus nos, qui non ob periculum mortis, verberum, vinculorum, ſanguinis, ſed leviſſimas ob cauſas, Chriſtum & ejus exemplum, DEIq; cauſam & gratiam facillimè relinquimus (unius lucri occaſio, unius illecebræ ſpes & ſpecies, irriſio & cenſura una, unus metus contradictionis, vel oculi humani, repellit nos à Chriſto, quàm longiſſimè, nec ſinit nos unâ horâ vigilare cum Chriſto; nec ſinit nos *ad ſanguinem reſiſtere* pro Chriſto.

PARAGRAPHVS XXXVII.

Matt. 26. 58. Mar. 14. 51. Ioan. 18. 15.

JESVM captum quidam Diſcipulorum, ſequuntur: In his Petrus à longè: Adoleſcens amictus ſyndone, & Diſcipulus Pontifici cognitus.

STROMATA.

Vide infra §. 39.

1. NOn planè exſtinctus erat amor Chriſti in Diſcipulis. Reperti ſunt, qui nonnullo reſumpto Animo, à longè ſaltem & ut finem viderent ſecuti ſunt Chriſtum. Talis Petrus, talis Ioannes, talis & ille Adoleſcens ſyndone amictus, quem &ſi non ex Apoſtolis unum, at ſaltem ex notis aliquibus Chriſti Domini, credibile eſt fuiſſe. Duæ igitur erant hujus ſequelæ cauſæ, una quidem commiſeratio & Amor, altera cupiditas videndi finem &c.

2. Communiſſimum eſt nobis ut Chriſtum, dum capitur, dum ligatur, dum raptatur, vel deſeramus, vel ſequamur nonniſi à longè, & extra periculum aleamq; ſiti. eſtò enim nobis incumbat ex ſtatu, ex officio, ex vocatione, DEI & Chriſti cauſas tueri periclitantes, ab Adverſariis, fidei & Eccleſiæ & Animarum, in diſcrimen vocatas, tamen nos non niſi ex tuto defendere, ſi tamen hoc eſt defendere, & non potiùs effeminatâ ac timidâ defenſiunculâ, hoſtes, DEI animoſiores facere, in ſcelere cô-

A firmare, conſcientiam propriam palpare, & inani velamento, tanquam probè functi ſimus, eam excæcare. EEUM verò contra nos tanquam contra canes ignavos & mutos, tanquam contra mercenarios & non bonos paſtores, ad iracundiam provocare. Inde etiam ſumus ſimiles huic Adoleſcenti ſequenti Chriſtum in ſyndone ſuper nudum, quæ poſtquam apprehenditur ab Adverſario fidei, illicò eam abjicimus, & nudi Charitate, nudi fortitudine, nudi zelo honoris DEI profugimus, & cauſas Chriſti deſerimus: quin & tueri parantibus obſiſtimus, & fervori eorum frigidam affundimus, dum mala tempora, dum æmulorum audaciam & potentiam, dum nimium fervorem, dum zelum ſine ſcientia objectamus & conatus eorum pro eo, ac juvare debue-

B ramus, infringimus, Adverſariis DEI prodimus, ac eos eſſe qui obſtēt, qui obſtrepāt Hoſtibus Eccleſiæ, invidioſè gannimus.

3. Hic Adoleſcens amictus ſyndone ſuper nudo, Chriſtum ſequens, ſed poſtea relicta ſyndone, eundem deſerens, typus eſt malè ac non ſolidè, nec integro corde convertentium ſeſe ad DEUm, qui ſcilicet non obſervant illud monitum ſapientis. *Fili accedens ad ſervitutem DEI, ſta in timore & præpara animam tuam ad tentationem.* Eccl. 2. 1. *Qui non priùs computant ſumptus, ſi habeant neceſſarios ad ædificandam turrim, aut ſi poſſint cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad ſe.* Luc. 14. 28. Ibid. 31. *Qui mittentes manum ad aratrum reſpiciunt retrò.* Luc 9. 62. *Qui non ædificant do-*

C *mum ſuam, ſuper petram; ſed ſuper arenam* Matt. 7. 26. ventis, pluviis, fluminibus & ruinis ludibrio futuram. Minima quippe adverſitate occurrente, moleſtiâ ingruente, tentatione provocante, voluptate invitante, occaſione irritante exemplo ſuadente, ſyndonem & ſequelam Domini, quâ temerè ſuſceperât, temerarii abjiciunt, & *canes ad vomitum redeunt* Pr. 26. 11. cum illo alio Adoleſcente, qui cùm ex Chriſto quæſiviſſet quid ſibi adhuc deeſſet ad perfectionem? audiſſetq; à Chriſto: *Si vis perfectus eſſe vade vende omnia, quæ habes &c.* Matt. 19. 21. auditis his, *abiit triſtis à Domino.*

4. Quid eſt captum ſequi IEſum? Eſt inſpirationi à DEO perceptæ grati-

D æq; inmiſſæ obſequi. Eſtq; pro honore IESU à peccatoribus, offenſi, deſpecti, indignè tractati zelare. Eſt veritati manus dare. Eſt non erubeſcere Evangelium & imperium Chriſti. Eſt crucem ſuam portare poſt IESUM.

5. Vide

5 Vide hic, alii quòd rapiant captivét-q; Chriſtum alii eũdem captivum ſequantur. Neq; enim eſt omnium fides, multò minus omnium eſt Charitas, multò minimè omnium eſt zelus pro Chriſto, aut conſtantia in zelo. Plurimi ſunt qui Chriſtum blaſphemant, raptant lacerant; pauciſſimi qui talem non dico zelent, tueantur, profiteantur, ſed vel à longè ſequantur. Ex quorum, & ex qua claſſe ſumus? an ex eorum, qui veritatem DEI in injuſtitia detinent? qui non deſiſtunt, *pervertere vias Domini rectas*? [*Pſ. 10. 3.*] qui *ſagittant in obſcuro rectos corde?* [*Act 7. 51.*] qui *ſemper reſiſtunt Spiritui Sancto* & eundem non tantùm contriſtant, ſed etiam effugant & blaſphemant irremiſſibili nequitiâ & obſtinatione? An verò ex eorum numero ſumus, qui ſequuntur Chriſtum quocunque ierit, parati cum eo non habere ubi caput reclinent, parati cum eo & in carcerem & in mortem ire, parati ex eo nunquam ſcandalizari; parati & potentes bibere calicem, quem ille bibit; parati nudi nudum ſequi Chriſtum, & omnia *detrimentum facere: ut Chriſtum lucrifaciant*; [*Phil. 3. 8.*] eſtò propter illum debeant ſtulti exiſtimari, eſto debeant eſſe tanquàm Oves occiſionis propter ipſum, *& mortificari tota die.* [*Rom. 8 36.*] O Beatos, qui ſic Chriſtum ſequuntur! hi ſunt Domeſtici ſapientiæ! *Veſtiti duplicibus*; [*Prou 31. 21.*] & non Syndone ſolâ amicti ſuper nudo! hi Chriſtum ſequuntur. de prope & veſtigia ejus premunt: hi portant Crucem Chriſti & ſuam poſt IESUM, abnegantes ſemetipſos &c.

6. Captivum, Chriſtum ſequuntur tres, *Petrus* ſcilicet *à longè ut videret finem; Adoleſcens amictus ſyndone ſuper nudo; & Diſcipulus notus Pontifici*; qui Petrum in Atrium Pontificis introduxit; ſed Petrus frigidè & à longè, peregrini caloris egens, tandem & negavit cum juramento Chriſtum. Adoleſcens captus relicta Syndone nudus profugit à Chriſto. Diſcipulus ſolus (qui vulgò Ioannes creditur fuiſſe) innocuus perſeveravit cum Domino. Hem quàm paucos habet Chriſtus in Paſſione ſuâ & ad Paſſionem ſuam Sectatores veros, conſtantes & qui eum inoffenſo pede innocuoq; corde ſectentur!

7. Qui à Chriſto nudus profugiat, facile invenire eſt. Qui Chriſtum Nudus ſequatur, rarum & difficille eſt! Quis enim non nudus eſt, qui Chriſtum deſerit? Non eſt. quo induatur, qui Chriſto indutus non eſt. Exuerat Chriſtum Adam, & nudus repertus eſt, fugitq; ideò à facie Domini. Nemo nudior, quàm qui Chriſto caret: ſicut nemo meliùs veſtitus, quàm qui Chriſtum induit. Ideo monet Apoſtolus: *Induimini Dominum JESUM Chriſtum. Beatus qui cuſtodit veſtimenta ſua, ne nudus ambulet!* Beatus, qui cætera omnia exuit, ut Chriſtum induat.

PARAGRAPH. XXXVIII.

JESVS captus & ligatus ducitur ad Annam. [*Ioan. 18. 13.*]

STROMATA.

1. PRima iſta eſt Chriſti præſentatio coràm Anna, ſocero ſummi ſacerdotis Caiphæ. Nunquàm legimus à Chriſto aditos aliàs Principes: nunc vinctus primùm & captivus, quando eſt quando humiliatus nimis, & humiliandus inſuper ampliùs, nunc inquam, ſeſe oſtentat viris etiam Principibus. Nempe hæc eſt dies lætitiæ cordis ejus! hæc eſt ſolemniſſima cordis ejus feſtivitas! Nunc triumphum agit Charitatis ſuæ de ſeipſo, & ideo, incipiendo à Principibus usq; ad extremum quemq; oſtentat lætitiam ſuam.

2. Ad ſocerum Principis Sacerdotum ducitur IESUS, ut ſcilicet veluti Pater Caiphæ, hac præſentatione, captæ exoptatæ prædæ, inviſiq; capitis vinculis, prior ſaturetur & recreetur, & ex itinere illi gratificetur. Ita ſcilicet injuriis Divinis, Magnatibus, plerumq; gratificationes fiunt ab his, qui talia numina adorant; qui quæſtum æſtimant Pietatem; qui cum Dominis fidem mutant; qui hominibus placuiſſe, ſummum bonum ducunt; qui Rationem ſtatûs pro DEO colunt; qui venales habent Animas apud Dominos, pro ipſorum favore; qui deniq; pro eo, quod debebant eſſe lux dominans, fiunt & ſunt lux ſerviens, lux adulãs, lux tenebras adorans, lux timorem hominum timens;

3. Iuſſerat etiam ita fieri Caiphas de Chriſto capto, ut priùs præſentaretur Annæ; partim viciniæ & opportunè in viâ, quâ Chriſtus erat ducendus, ſitæ domûs; partim honoris gratiâ; partim, quia Annas erat, qui pactus fuerat Iudæ pretium ſanguinis Chriſti, & mercedem proditionis; partim, ut condemna-

Digitized by Google

Gul. in Ioan. lib. 11. c. 37. demnatio Chriſti majorem haberet Au- A ctoritatem apud Pilatum & apud plebem omnem, cùm eſſet condemnatus ad mortem, jam à duobus Pontificibus (Annâ ſcilicet & Caiphâ) fuiſſe autem Annam magnæ Auctoritatis & Dignitatis illâ ætate apud Iudæos, illud argumentum eſt: quod refert Ioſephus lib. 20. Antiq: *Annas (ait) geſſit Pontificatum ad ſatietatem, & quinq; ejus filii, quos genuerat, quilibet eorum Pontifex fuit, quod nulli ad eam ætatem contigerat.* Ex quibus Annæ filiis (referente eodem Ioſepho) unus erat ille, qui juſſit occidi Iacobum fratrem Domini. Docet etiam Euthymius ſuper 25. Matt. Unam fuiſſe Domum Annæ & Caiphæ, & unum Atrium ſed habitationes diſcretas, quarum una Annæ, Caiphæ altera erat. Cujus oppoſitum tradit Adrichomius in Deſcriptione Hieroſolymæ, & duas diſſitas à ſe Domos utriq; aſſignat.

PARAGRAPHVS XXXIX.

Ioan. 18. 24.

IESVS in domo Caiphæ Pontificis.

STROMATA.

Eſt quidē inter ſacros interpretes, magna ambiguitas; An ea, quæ à S. Ioanne dicuntur geſta in Pōtificis Domo (introductio Petri in atrium, ejusdem ibidem Negatio, galli cantus, alapa Chriſto impacta) ſint tribuenda, Domui Annæ, an verò Caiphæ? quia tamen certiùs videntur geſta hæc omnia in domo Caiphæ idcirco de geſtis prædictis, hoc loco tractabimus. Conſtat enim hæc geſta eſſe in Domo Pontificis, quia geſta C hæc ibi eſſe aſſerunt Evangeliſtæ: v. g. Omnes dicunt Petrum eſſe ſecutum Chriſtum & ingreſſum in atrium, in quo etiam negavit; Quod atrium Ioannes vocat *Atrium Pontificis.* Matthæus vocat: *Atrium principis Sacerdotum.* Marcus. *ſummi Sacerdotis.* Lucas. *Principis Sacerdotum.* Is autem erat Caiphas, eo anno. teſte Ioanne: *Erat autem Caiphas Pontifex anni illius, qui conſilium dederat Iudæis, quia expedit &c. in Pontificis* ergo *domo,* iſta cōſtat eſſe geſta, conſtat Pōtificē fuiſſe tūc Caiphā, ergo conſtare debet hæc geſta fuiſſe in Domo Caiphæ.

Ioan. 18. 15. Matt. 26. 58. Mar. 14. 54. Luc. 22. 54. Ioan. 11. 49. & 18. 14.

1 Dices conſtat de negatione Petri, factam eam eſſe apud Caipham, D ſed non de Alapa? &c. Reſpondeo: Ex Evangeliſtis tribus, Matthæo, Marco, Lucâ conſtare, ibidem datam eſſe alapam IESU, ubi negavit Petrus. Si ergo negâſſe Petrum, conſtat apud Caipham, conſtat & alapam datam eſſe IESU apud eundem.

2. Dices: In Evangelio non unum ſed plures Pontifices non rarò vocari, immo & Sacerdotum Principes Reſpondeo: Diſertè ex Ioanne haberi, eo anno, quo Chriſtus paſſus eſt, Caipham Pontificem fuiſſe, & ita à Ioanne vocari eum ſolum: Annam vocari Pontificem, non habetur præſertim anno iſto; Quodſi quando in plurali, Pontifices, ſummi Sacerdotes, Principes Sacerdotū, dicuntur, tunc ſignificantur vel illi, qui aliquando geſſerunt Pontificatum (non enim jam tunc erat hæc Dignitas perpetua & advitalitia, ſed annua, immo emptitia, & ad Regum voluntatem atq; Romanorum Præ- B ſidum) vel qui aliquando erant capita, 24. familiarum Sacerdotalium. Nunquam autem in ſingulari vocatur Pontifex, niſi ille, qui tunc temporis erat Sacerdos.

3. Dices: At Ioannes refert Chriſtum, cùm eſſet captus, ductum eſſe ad Annam primùm, & exponit geſta inibi cum Chriſto, & negationem Petri, & deinde dicit: *Et miſit eum Annas ligatum ad Caipham Pontificem.* Manifeſtum ergo negationem Petri, & Alapam IESU contigiſſe apud Annam. Reſpondeo: Hanc clauſulam Ioannis eſſe cardinem difficultatis totius. Cæterùm ſi expendatur, poteſt commodè enucleari. Nam poſitâ hac clauſulâ, adhuc conſtat ex relatione Ioannis, Petrum inductum ad petitionem Diſcipuli in atrium Pontificis, Diſcipulum illum notum fuiſſe Pontifici. Negationem Petri factam eſſe in atrio Pontificis, Chriſtum interrogatum eſſe de Diſcipulis & doctrina à Pontifice: Eum, qui alapam IESU dedit, allegâſſe cauſam Alapæ, violationem auctoritatis Pontificiæ; ergo conſtat hæc omnia geſta apud Pontificem & in Domo Pontificis. At etiam conſtat Pontificem illius anni, teſte Ioanne, fuiſſe Caipham, ergo conſtat hæc geſta in domo Caiphæ: maximè quando Annas nunquam dicatur ab illo Evangeliſta, Pontifex. Quòd autem ad clauſulam illam (*& miſit eum Annas*) attinet, primùm hæc ipſa verba oſtendunt, in ſupra dictis à Ioanne, nomine Pontificis, non Annam ſed Caipham intelligi; dicit enim: *miſit eum Annas ad Caipham Pontificem,* quem titulum Pontificis neque hic, nec

Ioa. 18. 24.

Digitized by Google

hic nec uſquam alibi dat Annæ, Caiphæ ſemper. Deinde illam clauſulam Ioannes ſubjungit, tum ut oſtendat, non apud Annam ſed apud Caipham Chriſtum moratum, atq; judicatum examinatumq;, ad quod neceſſe erat exponere eundem ab Anna Caiphæ remiſſum, licèt verò illam, ultimo velut loco ponat, nihil obſtat, ſed quia dixerat IESUM ad Annam deductum primùm, tanquam ad Caiphæ ſocerum, feceratq; mentionem Caiphæ. mox ſubjecerat hac occaſione, à Caiphâ conſilium datum de morte unius Hominis pro populo, conſequenter narravit geſta Petri, & alapam tanquam connexa cum Caiphæ perſonâ, officio, & domo, & quia non dixerat: quomodo ab Anna ad Caipham tranſiſſet Chriſtus? ſubdens exponit: *Et miſit eum Annas ad Caipham*, cui ſuffragatur textus Græcus; tum quia non habet particulam conjunctivam (*Et*) tum quia (ùt notat Gagneius) pro eo, quod noſtra vulgata habet (*miſit*) legit ille in Græco: *Apeſt-len*: Quod ſecundùm illum eſt plusquam perfecti temporis *miſerat*: Quæ explicatio valde firmat jam poſitam explicationem. Quò etiam facit lectio Cyrilli, apud quem ſtatim [Ioan. 18. 13.] poſt verba illa (*adduxerunt eum ad Annam primùm. erat enim* (ſive *autem*) *ſocer Caiphæ, qui erat Pontifex anni illius*,) ſequitur mox: *miſerat autem ad Caipham; erat autem Caiphas, qui conſilium dederat*, & quæ ſequuntur in vulgata noſtra. Ex quo patet omnia ſupra dicta, geſta apud Caipham Pontificem, nec obſtare clauſulam illam, licèt illo loco poſita legatur. Ad extremum, confirmari totum hoc poteſt ex eo, quia ante illam clauſulam (& miſit eum) Petrus introductus ab Ancilla in atrium Pontificis ad preces Diſcipuli, jam ibi poſitus negaverat ſemel ad vocem ancillæ, ut refert Ioannes ubi ſtatim referuntur Miniſtri ſtetiſſe ad prunas, & Petrus cum eis ibidem ſe calefaciens. Quo expoſito narrat Ioannes, quomodo Chriſtus à Pontifice interrogatus ſit de Doctrinâ & Diſcipulis? quomodo reſponderit Chriſtus ad interrogationem? quomodo à Miniſtro, alapa ſit data IESU? alapæ datæ ſubnectitur (*Et miſit eum Annas*) huic clauſulæ ſubdit Ioannes, continuationem narrationis de Petro ſtante cum Miniſtris ad prunas & ſe calefaciente, atq; Chriſtum bis negante: quæ ſine dubio continuata narratio reſpicit Petrum, in eodem atrio Pontificis ſitum, in quod ante intromiſſus ab Ancilla fuerat, & in quo ad vocem Ancillæ primò negaverat, & in quo ad prunas cum miniſtris calefaciens ſe ſtabat. Aut ergo fatendum eſt illud atrium fuiſſe Caiphæ, & in eo Petri negationem contigiſse omnem triplicem, & conſequenter ibidem à Caipha, Chriſtum in Domo examinatum, à miniſtro alapâ percuſſum & clauſulam illam (*Et miſit eum Annas*) non obſtare: aut certè dicendum, Petrum in Annæ atrio negâſſe primò ad vocem ancillæ, ibidem ſtetiſſe cum Miniſtris ad ignem, & licèt remiſſus eſſet Chriſtus, ligatus ab Anna ad Caipham Pontificem, manſiſſe tamen in atrio Annæ cum Miniſtris, ab ijsq; exagitatum, bis negâſſe Chriſtum, quod ſtare nequit cum veritate. Quia ſi Petrus manſiſſet in atrio Annæ, nec ad Caiphæ Domum ſecutus fuiſſet Chriſtum, quomodo Chriſtus manens in Caiphæ Domo reſpexiſſet Petrum morantem & negantem in atrio Annæ? quomodo Petrus advertiſſet, ſe à Chrirto reſpectum, ab ea domo ſejunctus? quomodo miniſtri, qui utiq; Chriſtum, ùt ad Annam adduxerant captum, deducere debuerant ad Caipham, manſerunt in atrio Annæ ad prunas, & Petrus cum eis? Aut deniq; dicendum eſt: Petrum ſemel quidem negâſſe in Domo Annæ, bis in Caiphæ, quod ſtare etiam nequit cum contextu Ioannis, ſicut prædixerat Petrum cum Miniſtris ad ignem ſtetiſſe, ante alapam IESU; ita poſt alapam & poſt illam clauſulam (*Et miſit eum Annas*) regreditur narratione ad Petrum ſtantem cum Militibus & miniſtris ad ignem, continuatq; narrationem de negationibus ejus. Ergo ſupponit immo oſtendit, eodem in atrio & loco ad ignem factas continuatasq;; in quo etiam loco, Chriſtus Petrum negantem, ut teſtatur Lucas, reſpexit. Aut deniq; dicendum [Caietan] reſtat, Petrum negationes feciſſe duplices, alteras quidem in atrio Annæ, alteras verò in atrio Caiphæ, utrobiq; ternas vel quaternas, ſed hoc nullo modo conſonat veritati, nec Chriſti prædictioni, nec narrationi Evangeliſtarum, & ridiculè gratisq; excogitatur. Ex dictis ergo valde probabile eſſe relinquitur, Chriſtum apud Annam breviter moratum, & tantùm illi præſentatum, gratificationis gratiâ, Iudæ pretium Chriſti venditi eſſe numeratum, ſtatimq; remiſſum Chriſtū ad Caipham; poſt eundem, Petrum à longè iviſſe; ad interceſſionem Diſcipuli noti Pontifici,

deductum in atrium ad ignem acceſſiſſe.

PARAGRAPHVS XL.

Ioan. 18. 15. *JESVM Petrus á longè ſequitur in atrium Pontificis.*

FIGVRA.

Iob. 2. 12. *Amici Iob à longè contemplati ſunt eum.*

PRÆDICTIO.

Pſ. 37. 12. *Qui juxta me erant, de longè ſteterunt.*

STROMATA.

Vide ſupra §36.

1. Quamdiu Chriſtus liber erat, tamdiu & Petrus audax, proximus & fervens ſectator; ventum ad vincula, ad catenas, ad probra, ad examina, ad verbera, Petrus timet, ſubducit ſe, à longè trahit pedes, tepet, friget, negat. Veritatem, virtutem, pietatem, Religionem, Diſciplinam, Fidem, Charitatem, profitemur omnes, dum extra periculum & periclitationem ſunt iſta omnia; at poſtquam judicia, contradictiones, cenſuræ, reprehenſiones ſunt ſubeundæ, reſiliunt multi & vel ipſi Petri, ipſæ Petræ concutiuntur: quiq; videbantur eſſe Petræ & Baſes & Columnæ, longè fiunt, puſillo animo fiunt. *Socii conſolationis, non item tribulationis. Amici menſæ, non item Crucis. Conſortes gloriæ, non item confuſionis.* 2. Cor. 1. 7.

2. Expreſſit Petrus imaginem ſecularium Chriſtianorum, qui à longè ſequuntur Chriſtum, & cupiunt quidem amore adeſſe, ſed timore ante atrium retinentur; niſi à Diſcipulo in atrium ſaltem inducantur, inducti etiam facilè ceſpitant, facilè negant, facilè reſiliunt à propoſitis, erubeſcunt virtutem, ſic Chriſto volunt adeſſe, ejusq; obſequium profiteri, ut ſua ſolatia tamen intacta & integra velint; ut tamen in promptu habeant velum, quod Profeſſioni Chriſtianæ obtendant & oſtendant ſe de communi licentioſorum eſſe, nec ſcrupuloſè Chriſto inhærere, nec eſſe ſervos præceptorum ac exemplorum Chriſti. Sic ſequuntur, ut ingruente quavis occaſione, in promptu ſit eis fugere & relinquere Chriſtum virtutemq; in manibus perſecutorum.

3. Non eſt cujusvis ſequi IESVM in atrium Pontificum & Principum. Petrus ipſe, licèt Petrus, á longè vix ſequitur, & ingredi etiam timet. Principum aulas, converſationes, familiaritates, nec ſi Petrus ſis, facilè ãbias, facilè adeas, Petri iſthic corruerũt, quãtò magìs hi, qui inhabitant domos luteas! quantò magìs hi, qui adhuc lacte opus habent! Et longè (ait quidam) *Nomina magna fuge.*

4. Sic eſt hodie quoq; perverſum ſeculum Eccleſiæ, ut Diſcipuli IESU, in atria Pontificum IESU timeant ſequi IESUm: nec abſq; periculo illum, vel iſthuc, vel ipſi etiam Petri ſequantur. Et quò tandem tutum erit Chriſtum ſequi? quando in atriis Pontificum, ſequi illum periculum eſt? Certè ſi ſtatûs Pontificii naturam expendamus, nusquam ſecuriùs deberet vivere IESUS, nusquam liberiùs ſervi Chriſti deberent ſequi & profiteri IESUM, quàm in atriis Pontificum. Iſti enim ſunt Patres Paſtores, Nutritores ſequentium IESUM. Fuerit hæc laus antiquarum ætatum; an autem eadem nunc ſit! viderit Dominus IESUS, qui novit Oves ſuas, novit & Paſtores Ovium ſuarum.

5. Sequitur Petrus in atrium Pontificis IESUM, auſpicaturus credo Pontificatum: aut probaturus, quid virium & animi haberet ad Pontificis officium: aut in duobus Pontificibus ſummis, Chriſto ſcilicet & Caipha ſpectaturus, ad cujus olim normã eſſe, ad cujus; non eſſe olim Pontifex debeat.

6. Nonnè ſatis erat dixiſſe: Petrus ſequebatur; ut quid additum à longè? an miraculo ſimile eſt, quòd Petrus à longè Chriſtum ſequatur? & longè ſit Petrus à Petrâ originali ſuâ? an notatur evanuiſſe citò fervor Petri, proximè parati ire ad carcerem & mortem cum Chriſto? modò jam à longè vix à valente ſequi & ſpectare captum Chriſtum; An notatur ſecularis prudentia non paucorum? qui ſe Petros & Petreos Chriſti ſectatores credunt, & qui creduntur crediq; volunt, qui tamen nonniſi à longè Chriſtum, & de ſecuro, de ſuis integris Chriſtum ſectantur? An notatur tempor ordinarius noſter? qui vix ad horam conſolationis, Chriſto proximi ſumus, horâ autem tentationis, procul, procul, recedimus, à longè ſequimur! An notantur Delicati Martyres & teneri imitatores Chriſti? qui in ſpecioſis Chriſtum ſequuntur libenter, proximè, quin etiam humiliter: ſed in

contem-

Digitized by Google

contemptu, in cruce, in adverſariorum linguis, longè fiunt, & amaro ac puſillo corde redduntur, & impediri ſe in curſu virtutis, poſt IESUM quiritantur; nec vident ſe non impediri, ſed potiùs juvari & propelli; ut Chriſtum contemptum, ſtultum, abjectum, Crucifixum, per ignominiam & bonam famam, in fame & ſiti &c. ſequantur. Verum eſt, quòd impediantur, ne ſequantur Chriſtum delicatum, ſanum, integrum, laudatum, glorioſum, mirabilem, à talis Chriſti ſequelâ præpediuntur; aufertur enim illis talis Chriſtus, ſed Chriſtus contemptus, abjectus, odioſus, ſtultus, illis non tantùm non aufertur, ſed offertur etiam: & ad eum talem ſequendum, occaſione invitantur; quod quia iſti delicatuli non advertunt, nec ſe in hoc errore verſari agnoſcunt, ceſſant, à longè ſtant, anguſtiantur, queruntur, qui ſi verè fortiter, prudenterq; Chriſtum ſequi vellent, & non tantùm dulciter, gauderent ſibi Chriſtum objici abjectum, & amicos ducerent irriſores ſuos, cenſores rerum ſuarum, & ſicut Apoſtoli poſt acceptum Spiritum Sanctum

Act. 5.41. *ibant gaudentes à conſpectu concilii, quia digni habiti ſunt pro Nomine IESV contumeliam pati.* id eſt, virgis benè cædi: quo ſpiritu caruerunt Apoſtoli, caruit Petrus, quãdo à longè ſecutus eſt &c. quando Chriſtum captum reliquerunt omnes, quando Chriſtum loquentem de Paſſione ac morte, nihil omnino intellexerunt. Atq; ita ſi ſapimus, non debet nobis remoram & anguſtiam facere perſecutio, invidia, detractio, difficultas in bono aut virtute, aut diſciplinæ rigore, ſed potiùs debet eſſe ſtimulus & aculeus & calcar. Tunc enim proponitur nobis Chriſtus Paſſus & abjectus; nec aliud quicquam fit nobis, niſi proponitur, objicitur, à linguis à cenſuris, ab invidis, ab impeditoribus; & quia proponitur, hoc ipſo invitatio fit, occaſio & commoditas offertur. Si ergo terremur & timemus, non eſt in objicientibus, aut proponentibus culpa, ſed in nobis, & in parva, infirma, frigida, noſtra Charitate, in delicata & puerili virtute, lactis opus habente, & ſolidum cibum non ferente! Nobis ergo iraſci, de noſtra imbelli & fœminea perfectione quiritari debemus, æmulos autem, invidos, detractoreſq;, tanquam benè nobis facientes (eſtò præter mentem ſuam, non tamen reverà præter rem ipſam & utilitatem occaſionemq; noſtram ac Diſpoſitionem Providentiamq; Divinam) amemus, acceptemus, & DEO pro eis gratias agamus, atq; bonum illis optemus aut reddamus.

PARAGRAPHVS XLI.

IESV ingreſſo Domum Pontificis, Petrus ſtat ad oſtium foris. Ioan. 18. 16.

STROMATA.

1. PRomiſeras Petre etiam in carcerem, etiam in mortem ſequi Chriſtum: Nondum eſt IESUS in carcere, nondum in morte, in domo Pontificis eſt, & jam piget vel in atrium, poſt eum ingredi. O miſeras reſolutiones noſtras atq; charitates & firmitates! quæ ne atrium quidem ingredi crucis, quæ ſalutarẽ Crucem IESU, ne à limine, ne in atrio quidem ſuſtinent, remanent foris ad oſtium, frigent, timent, deficiunt!

2. Præſagiebat ſcilicet (ut mos eſt Animis Hominum) Petrus malum ſuum, quod atrio illo fuerat ſibi eventurum, & ideo refugiebat ingredi, neſcius vel oblitus fati, præſagus tamen futuri. An non malum, trina eaq; tam fœda negatio? O ſi etiam Petre rediiſſes ab janua procul!

PARAGRAPHVS XLII.

JESV Diſcipulus quidam intrat cum JESV in atrium Pontificis. Ioan. 18. 15.

STROMATA.

1. SUnt, qui credunt Ioannem hic intelligi, notumq; Pontifici dici: eò, quòd familiare ſit Ioanni ſe Diſcipulum nominare in ſuo Evangelio: & quia Ioannes amplam in Galilæa Domum hæreditariam vendiderat Pontifici, ut tradit Niceph: lib. 1. Hiſt. c. 28. &c, atq; hac occaſione notum, quia & gratum Pontifici fuiſſe. De cujus aſſerti probabilitate non diſputo.

2. Credibilius eſt Ioanni pauperculo homini, & abjectæ ſortis; & aliàs à triennio moranti, nec licuiſſe, nec libuiſſe ſummi Sacerdotis limina terere frequenter, quod

Digitized by Google

ter, quod utiq; ad notitiam ſeu familiaritatem requirebatur. Fuit ergo Diſcipulus iſte aliquis ex occultis Chriſti amicis & fidelibus nobilibus Hieroſolymæ viris, conſequenter Pontifici notis & in aula apudq; familiam ejus auctoritatem habentibus, quorum mentio habetur in Evangelio, & de quorum numero Nicodemus & Ioſeph ab Arimathia fuit, qui Diſcipulus ſecurus ſui potuit & Petro introitum impetrare, aut imperare in atrium Pontificis. Nam Ioanni idem periculum erat, quod & Petro, ſi in atrio Pontificis conſpectus fuiſſet cum Petro.

PARAGRAPHVS XLIII.

IESV Diſcipulus introducit Petrum in atrium Pontificis.

STROMATA.

1. Hæc diligentia & charitas Diſcipuli pro introducendo Petro, ruina fuit Petro. Beneficium credebant, & ille feciſſe & iſte accepiſſe, ſed revera ad ruinam & damnum, occaſio fuit & aditus. Ita humani favores ſuſpecti ſunt, & gratiæ fallaces. Nocent dum benefaciunt! profunt dum negantur! Profuiſſet Petro Diſcipulus, ſi repuliſſet Petrum etiam ab oſtio! Et tamen nos plùs amamus oſcula favoreſq; periculoſos, quàm vel monita aſpera quidem, ſed ſalutaria.

2. Uſq; hodie Diſcipuli IESU introducunt Petros in atria Pontificis, & perdunt in eis, atq; periculis negandi Chriſtum, inter Ancillarum & miniſtrorum voces exponunt. O quanti enim Clericulorum greges, atria Pontificum terunt! beneficia & curas Animarum venantur! ſanguinis prærogativas & merita prætendentes, & nexum generis atq; conſanguinitatis in occaſionem vocationis ad gradus Eccleſiaſticos, trahentes! qui alioqui remanerent foris, & ſi remanerent, extra ſalutis periculum fierent, nec inter delicias divitiasq; Eccleſiaſticas, ex patrimonio pretioq; ſanguinis Chriſti, otio, luxu, ſuperbia diſtenti, ad negotia ſeculi, toti converſi, de cura Animarum, quarum peccatis ſaginantur, nihil ſoliciti; ac utinam non etiam ſcandaloſis vitæ exemplis, illarum peremptores facti, perirent cum his, quos ſalvare unà ſecum debuerant! Ita ſcilicet Diſcipuli IESU introducunt alios in atria Pontificum, periculoſam ad vitæ rationem, in qua & ipſi parùm ſecuri ſunt.

3. Bona erat Charitas Diſcipuli in Petrum, agens, ut introduceret Petrum in atrium Pontificis, ſed Petro timor & tepor ſuus obfuit. Sic ſæpe optima documenta, conſilia, exempla, munia aliis concredita & data malè cedunt, non vitio dantium, ſed vitio, infirmitate, mutatione accipientium! Sic Iudæ non hoc obfuit, quia ad Apoſtolatum vocatus est, ſed quia vocatus, in tanta ſalutis opportunitate, potiùs elegit eſſe perverſus &c.

PARAGRAPHVS XLIV.

JESV falſa crimina per quæſitos teſtes falſos objiciuntur. Matt. 26. 59.

FIGVRÆ

Naboth, quia vineam hæreditariam vendere noluit, per falſos accuſatus, damnatus, & lapidatus eſt teſtes. 3. Re. 21. 13.

Suſannam innocentem, duo Senes accuſant falſò. Dan. 13. 34.

PRÆDICTIO.

Locuti ſunt adverſùm me linguâ doloſâ, & ſermonibus odii circumdederunt me, & expugnaverunt me gratis.

STROMATA.

1. NAboth est Chriſtus; vinea Eccleſia, ſive Animæ; Iezabel Synagoga Iudaica; teſtes falſi, inimici Chriſti.

2. Uſa eſt iniquitas Iudaica teſtibus ad occidendum Chriſtum. Uſus eſt poſtea & utitur Chriſtus Martyribus, ſeu teſtibus ad prædicandum toto mundo Evangelium ſuum.

3. Ea est natura Malitiæ, ea cæcitas, ut quantumvis manifeſtam innocentiam aut veritatem, non tam non cernat (non poteſt enim non cernere) ſed cernens & palpans, falſitatibus adſcitis, atq; ſubordinatis velare, atq; noxiè & falſo vultu obnubilare, atq; pro nocente falſitate, omnibus probare conetur. Propter quod, & inexcuſabilis & inſanabilis eſt.

Digitized by Google

nabilis eſt. Quis enim & quomodo exA cuſet eum? qui ſciens & volens, verum, dicit falſum, & innocentem, facit reum, & hoc agit, ut reus videatur, quin eſſe reus etiam ipſi malitiæ patet? Quis ſanet illum? qui hoc, per quod ſolùm ſanari poſſet, cognitionem ſcilicet veritatis atq; confeſſionem, non tantùm non admittit, ſed etiam falſis quæſitis coloribus obtenebrat ac aliis obtrudit? verè improbi & malitioſi non ignorant veritatem & æquitatem; ſed eſſe eam nolunt veritatem aut æquitatem. &c.

4. Contra IESUM falſi teſtes quæruntur ſemper ab Hæreticis. Hic eſt enim illorum continuus labor, ut veritas Christi, falſis argumentis, detortis teſtimoniis ſcripturæ, oppugnetur.

5. Nullum eſt evidentius ſignum pravi animi, perverſi zeli, mali ſpiritûs, quàm quando quis in alio oppugnando incipit pravis & falſis, aut ultra verum & modum, exaggeratis rationibus & oppugnationibus uti. Quàm ridiculum crimen objiciunt Chriſto, hi ſiue teſtes, ſive teſtium auditores: *Nos audivimus eum dicentem: Ego diſſolvam templum &c.* dixiſſet hoc Chriſtus; jamne reus Mortis ideò erat? nonnè hæc Mortis cauſa, ipſi Pilato ridicula fuiſſet? Et tamen hic fuit Achilles Phariſaicus contra Chriſtū, hoc caput Criminum ejus. *Mar. 14. 58.*

6. O quàm innocentem opus erat, vitam Chriſti fuiſſe, cujus vitæ, capitaliſſimi Hoſtes, ne falſò quidem poterant gravem maculam atq; infamem notam inurere!

7. O quantum præſidii eſt in innocentiâ & veritate! Cui Malitia nè volens quidem & poteſtatem habens nocere poteſt ita, quin inter ipſa Malitiæ nocumenta erumpat & eluceſcat integraq; maneat!

8. Quàm ſunt ridendæ, & nihil timendæ malitiæ humanæ! quæ, etiam cùm peſſimè veritati aut virtuti volunt, tum illi optimè faciunt; cùm illam obterunt, tunc efferunt; cùm maculant, tum purgant! Ita ſcilicet omnis Malitiæ robur à Domino temperatur, ut nihil poſſit in Sanctos ſuos ampliùs, quàm illi permittitur: Non permittitur autem plus, niſi quantùm ſat eſt; ut virtus quidem probetur, purificetur, ſolidetur, creſcat: ipſa autem Malitia, ridicula, ſtulta, impotens, malitioſè effæta, & effætè malitioſa appareat, ipſaq; in perniciem ſuam, more viperino, malitiam exerat, & ex ea tabeſcat. Nempe nunquam eſt improbitatis conveniens teſtimonium, nunquam conatus validi, ſemper plumbeæ vires, ſemper glaciales ictus. Proinde rectè monentur juſti. *Timorem eorum, ne timueritis.*

9. Neſcientes, verū afferebāt teſtimoniū pro Chriſti morte, nec tantùm afferebant, ſed etiam faciebant. Re enim ipſâ, tunc jam ſolvebatur templum DEI, tàm ſcilicet veteris Synagogæ ſtructura & teſtamentum vetus ſolvebatur & evacuabatur, quia implebatur, quàm etiàm Templum Humanitatis Chriſti, jam ad diſſolutionem per mortem approximabat, in triduo per Reſurrectionis gloriam, & per Eccleſiæ novæ Chriſtianæ, perfectam conſummationem, reædificandum. Conveniens ergo teſtimonium & verum erat, ſed improbitati cæcæ non apparebat. Et ideo poſtmodum B Apoſtolus objicit Iudæis: quod *ſcripturas impleverint in morte Chriſti, ignorantes.*

PARAGRAPHUS XLV.

JESUS ad falſa teſtimonia tacet. *Matt. 26. 53.*

PRÆDICTIONES

Poſui ori meo cuſtodiam, cùm conſiſteret peccator adverſùm me: obmutui & humiliatus ſum, & ſilui à bonis, & dolor meus renovatus eſt. *Pſ. 38. 2. 3.*

Qui inquirebant mala mihi, locuti ſunt vanitates, & dolos tota die meditabantur. Ego autem tanquam ſurdus, non audiebam: & ſicut mutus non aperiens os ſuum; & factus ſum ſicut homo non audiens, & non habens in ore ſuo redargutiones. *Pſ. 37. 13.* C

STROMATA.

1. Falſa erant, non convenientia, malè detorta, non intellecta teſtimonia; non erant ergo reſponſione digna. Quid enim diluerentur, quæ ipſa, per ſe, falſa erant, & per ſe, corruebant? & quæ in Authorum conſcientiis, falſa eſſe & Chriſtus videbat, & conſcientiæ clamabant. *De ſilentio Chriſti in Paſſione vide infra parag. 78.*

2. Tacet Chriſtus quia teſtimonia non ſolùm approbat; ſed re ipſa exſequitur: diſſolvit templum! & ideo non ſolvit teſtimonium. D

3. Nequaquàm tacet Chriſtus. Clamat ſed non auditur; reſpondet ad teſtimonia, ſed non ſunt aures; ex-

cæcati ſunt oculi, aggravatæ aures. Clamabat veritas, & falſa teſtimonia cõſcientiæ vociferabátur, & hoc faciebat Chriſtus; qui veritas eſt, ſed improbi, auribus ſuis graviter audiêrunt. Talis eſt ſtatus peccatorum: non audiunt conſcientiam clamantem: & obtendunt ignorantiam veritatis; indignantur & dolent, ſcilicet ſibi veritatem non exponi, quæ, oculos etiam eorum effodit, remorſu interno. Non relinquit unquam ſe, DEUS, Chriſtus, veritas, ſine teſtimonio; lux ſeipſâ, & alia & ipſam ſe manifeſtat. Cur ergo non videtur? Non quia non videtur, ſed quia *dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem.* (Ioan. 3. 19.) Malè agunt, ideo non veniunt ad lucem, ne arguantur opera eorum.

4. Tacet Chriſtus utquid enim loqueretur iis, apud quos ſe prædamnatum & præocciſum ſciebat?

5. Ut quid loqueretur? à quibus legitimè non accuſabatur, non judicabatur?

6. Ut quid loqueretur? quibus non veritatis ſtudiū, ſed calumniæ arripiendæ cupido erat, & quos videbat, omne reſponſum ſuum, in mortis ſuæ cauſam tracturos.

7. Ut quid reſponderet pro ſe? qui in illam horam venerat, non ut reſponderet pro ſe, ſed ut pro nobis reſponderet Patri Æterno; reſponderet inquam tacendo, patiendo, moriendo: Adami & Evæ, & noſtrûm omnium frivolas excuſationes in peccatis, expiando.

8. Ut quid reſponderet? qui ob unum reſponſum, (ſi tamen jam præceſſerat) crudeli alapa mulctatus eſt!

9. *Accuſatur Dominus & tacet,* (verba ſunt Ambroſii) *& bene tacet, qui defenſione non indiget. Ambiat defendi, qui timet vinci: non ergo accuſationem tacendo confirmat, ſed deſpicit non refellendo.* (lib. 10. in Luc.) Parum eſt, deſpicit; etiam deſtruit, etiam vindicat: qui enim injuriam ſuſtinens à reſponſis abſtinet, damnat injuriantem & vindicat; damnat contemptu vindicat patientiâ. *Fatigatur enim improbitas patientia, cæditur improbus ſuſtinendo.* ait Tertulianus. (lib de Patient. c. 8.) Sicut, qui manu ſaxum tundit, à percuſſo vindictam refert, ſic, qui tacentem injuriâ afficit, jam ab ejus ſilentio vindicatus eſt. Servit hic illud, quod in lege dicitur: *Mihi vindictam & ego retribuam:* (Deut. 32 35.) Lectio enim alia habet: *Mihi patientia & ego retribuam.* Scilicet *Pati & Vindicare,* vel idem vel, ejusdem eſt.

A

PARAGRAPHUS. XLVI.

JESVS examinatur de Diſcipulis & ſilet de eis. (Ioan. 18. 15.)

STROMATA

1. TAcet IESUS de Diſcipulis; quia, honorificam eorum mentionem facere non poterat: & tu quæ nequis laudare, cave tamen reprehendere; Hoc enim Chriſtianum & Divinæ Charitatis propriū eſt. O ubi illi, qui nodum in ſcirpis quærunt? ungues in ulcere ſunt? qui tanquam muſcæ ad putida convolant? (B) qui quorum cauſam neſciunt, effingunt, & ſemper malignam? qui non vivunt niſi alienâ famâ & detractione, & quandoq; eorum, quorum honori ex paterna cura, fraternaq; Charitate proſpicere deberent; quandoq; eorum quorum defectus celare debuerant & occultare ex juſtitia. Vulgatum vitium, & magnis juxta parvisq; familiare; etiam Sanctorum præcordia occupat virus hoc!

2. Tacet Chriſtus de Diſcipulis; quia ex reſponſo de Doctrina patebat reſponſio.

PARAGRAPHUS XLVII.

C

JESVS examinatur de Doctrina & reſpondet. (Ioan. 18. 20.)

PRÆDICTIONES.

Sapientia foris prædicat: in plateis dat vocem ſuam: in capite turbarum clamitat. (Pr. 1. 20.)

Non ſum locutus abſcondita, nec in tenebroſo terræ loco. (Is. 45. 19.)

Expandi tota die manus meas, ad populum &c. (Iſ. 65. 2.)

D

STROMATA

1. SAcerdotes, Præſides, & cuſtodes Doctrinæ ſunt: ad eos ergo inquirere ſpectat de Doctrina. Unde & Chriſtus ad hoc quæſitum tanquam legitimum reſpondet; Sacerdotibus enim Animæ ſubjectæ ſunt, Animas autem, fidei doctrina ſpectat & morum. Sacerdotes quoq; decet Eruditio in lege DEI juxta illud: *Labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcien-* (Malach. 2. 7.)

in ſcientiâ. Ad hæc, ita lege Domini, fuit præceptum, ut Sacerdotes de Doctrina *Deut. 17.* cognoſcerent. In hunc etiam finem, datum eſt Sacerdotibus, tantùm ab aliis curis otium, ut curarent ſcilicet Animas & animabus providerent ſanas doctrinas; ideo enim vacant à curis aliis, ut vacent animabus curandis, juxta il- *Tim. 2. 3.* lud. *Nemo militans DEO, implicat ſe negotiis ſecularibus.* Præcipuè autem, ideò Sacerdotio adnexus eſt cælibatus in Chriſti Eccleſia, ut puritate ad Divina cognoſcenda ſublimarentur, idoneiq; fierent. Quare cùm jure legitiméq; de Doctrina ex Chriſto inquireretur, ideo etiam incunctanter reſpondet.

2. In ſuo Reſponſo tres dedit Chriſtus, ſanæ Doctrinæ Notas. 1. eſt: Pu- *Joa. 18. 20.* blicum: *Ego (ait) palàm locutus ſum mun- Joa. 3. 20. do, &: Omnis qui male agit, odit lucem. &: Quæ Matt. 10. 27. in aure auditis prædicate ſuper tecta.* Iob 24. dicitur: *Oculus Adulteri obſervat cali- Iob. 24. 13. ginem.* 2. Nota eſt, ſacer locus. *Semper locutus ſum in ſynagogis, in templo.* quodſi *Joa. 18. 20.* quando extra, tamen in publico, in monte, in Campis, in plateis. 3. Teſtimonium etiam adverſariorum. *Ecce hi ſciunt quæ locutus ſim ego.* Maximum veritatis argumentum inimicos in teſtimonium adducere, ait Chryſoſtomus: Ideo & Auditores ſuos, digito oſtendit præſentes, (ut notat Cyrillus, & illa Chriſti verba volunt: *interroga eos qui me audierunt, ecce hi ſciunt &c.*) multos ex Phariſæis, ac Miniſtris, & legisperitis, ac ſcribis. Quòdſi quædam quandoq; Chriſtus, Diſcipulis ſuis privatim dicebat, eadem tamen, ut ea publicè prædicarent, ac ſupra ipſa tecta, mandabat. Imò & eadem ipſa dicebat populo, & ſi alio modo quandoq; in parabolis, ſcilicet.

3. Reſpondet Chriſtus de Doctrina; hoc enim poſcit ratio Doctrinæ, ut quæ quis docet, eorum rationem reddere poſſit, cùm res poſcit; quod etiam Apoſtolus monuit à Doctoribus faciendum Chriſtianis.

4. Voluit Chriſtus examinari etiam de Doctrina, cùm alioqui eſſet ipſamet Doctrina & Sapientia: ut poſtmodum non miraretur ſtultitia, ſi à DEO examinaretur. Ut item non mirarentur ſervi Chriſti, ſi eorum examinaretur Doctrina, ſi ſuſpecta haberetur, ſi carperetur vita, mores, inſtitutio, ſcientia, &c.

5. Tam multi erant, tempore illo, Doctores, legisperiti, Sapientes, Magiſtri in Iſraël; neminem tamen legimus examinatum de Doctrina; ſoli, hoc, Chriſto contigit, & quidem cum tanto apparatu, tam importuno tempore, tam inſtanter, nocte ferè media, in Concilio ſubitaneè coacto, corrupto etiam, mercede, Diſcipulo, & empto Chriſto, ut examinari poſſet! quæ iſta Chriſti Doctrinæ ſors? & ſolius quidem! Num aliena docuit à lege? nunquid non legem docebat? non publicè, non in templo, non pleno ore? non quotidie? non ex ſcripturis? Non dicebat *ſcrutamini ſcripturas*? Omnino ita! Quid ergo opus interrogatione, & quidem tali tempore? Conſolamini Chriſti Diſcipuli, & ingenium Chriſti noſcite! Quantò propiores eritis vero, quantò Chriſti ſenſui, Exemplo, Doctrinæ, viciniores, quantò rationabiliùs ex mente DEI, legis, voluntatis Divinæ clariùs, quantò ex ſinceriore Spiritu, quantò ad germanam antiqui ſpiritûs & inſtituti normam propiùs, vel egeritis, vel docueritis, vel mores alienos, veſtroſq; exegeritis; tantò mirabilior, ſuſpectior, inſolentior, novior, junior, & juvenior Doctrina veſtra, Spiritusq; veſter videbitur; his etiam, qui Columnæ erunt, qui ſuper Cathedram Moyſi ſedebunt, qui Magiſtri populorum erunt. Gravis perſecutio & formidoloſa, puſillis Cordibus, paratum exitium ferens, in errorem inducens, & in ruinam impellens, etiam ipſos, ſi fieri poſſit, electos. Quis enim inferiorum non habeat ſuſpectum? quos ſupremi reprehendunt, vel in dubium vocant? Quis non refugiat ſequi hoc, ob quod, paratam ſibi Magnorum perſecutionem, æqualium irriſionem, ſubſannationemq; præſentit? Attamen his non obſtantibus, ſtandum eſt! & juſtitia, quæ cæpta eſt teneri, non deſerenda! fidendum veritati! quia veritas fortiſſima; veritas liberat.

6. Examinatur Chriſtus de Doctrina: Nunquid ut intellecta approbetur & acceptetur? Nunquid ut populis ſequenda proponatur? Nūquid ut explorata laudetur? Non utiq;. Atqui examinatur tamen, & fit inquiſitio, & ſcrutinium, & Examen. Ah! quàm *mentitur iniquitas ſibi*! *Pſ. 26. 12.* Quàm imponit aliis, & in foveam ducit! Examinat, excutit, explorat, ſcilicet hoc, quod nihilominus firmum habet explodere & damnare, qualecunque tandem, eſto optimum ſaniſſimumve ſit. Examinat hoc, quod jam pridem rejecit, reſpuit, & inimicum atq; odiendum ſibi odibileq;

 perſuaſit

perſuaſit & fecit! Ut quid ergo exa- A minat? quod jam damnavit? Examinat, non ut cognoſcat, ſed ut quaſi examinatum malumq; eſſe cognitum, ac multorum judicio publico diſcuſſum, juridicè, rationabiliter, non ex præoccupato affectu, damnâſſe, reſpuiſſeq; credatur; utq; & ab aliis damnandũ eſſe, certiùs iisdem perſuadeatur! Ita ſibi, ita & aliis, iniquitas illudit, mentitur, & regreſſum ad veritatem intercludit, ut nec, ſi velit, poſſit; nec, ſi poſſit, velit, reſpiciat!

7. Examinatur Chriſtus de Doctrina. Quàm meliùs fuiſſet, ſi examinata fuiſſet propria vita, conſcientia, Affectio! ſed quæruntur tenebræ in luce, nox in
Matt.23.24. die, & in nocte nox non videtur *Excolatur culex, glutitur camelus.* feſtuca quæritur, trabs non cernitur. In auro quæritur vitium; in vaſculo cietur fluctus; contra Agnũ concitantur turbæ; lupis impunè graſſantibus, procellis inſanè omnia ſubruentibus, fraudibus & malitiis, univerſa pro libitu, vitiantibus, atq; pervertentibus.

PARAGRAPHVS XLVIII.

Ioan. 18. 22. ## *JESVS Alapam à miniſtro aſſiſtente accipit & inſuper arguitur.*

FIGVRÆ

3.Re. 22. 24. *Michæas cùm Achabo Regi, inſauſtum belli finem nuntiaret, à pſeudopropheta alapam accipit.*

Hier.20.2 *Hieremias denuntians Iudæis, mala impendentia, alapa percutitur à Phaſſur Sacerdotum Principe.*

Act. 23.2. *Paulus, juſſu ſummi Sacerdotis, jubetur in faciem cædi.*

STROMATA.

1. PRimi noſtri Parentes in Paradyſo, obedientes magis verbo Diaboli, quàm imperio DEI, impegerant D alapam DEO (ut advertit hic Cyrillus) æquivaluit enim alapæ corporali, ille contemptus Creatoris DEI. Et quia honeſtis perſonis, impactio colaphi, graviſſima contumelia eſt, Chriſtus ideo hanc DEI injuriam ſarciturus, ignominioſâ iſtâ alapâ, voluit percuti.

2. Ecquodnam fulmen, aures verberat? inflicta Chriſto alapa eſt: nec tamen exhorreſcimus! Si videremus, coram nobis, hac alapa vel ſimili, Chriſtum affici, quanta eſſet in mentibus & cordibus commotio, horror timr,o indignatio, dolor, gemitus, exſecratio! En quotidie & ipſi alapis cædimus, & cædi videmus IESUM; quoties ſcilicet peccari videmus in Deum, quoties injuriam irrogari, Nomini, gloriæ, Religioni, Eccleſiæ, Animabus Chriſti, & diſſimulamus, & corridemus, & colludimus, & ſtimulamus, & defendimus!

3. Videsnè in gratiam Hominum & favorem Principum impingi alapā hanc Chriſto? Prô! Reſpectus Humanos! quàm frequenter ob hominum linguas, B judicia, ſpes, timores, in faciem cædimus IESUM! reſilimus à bono! malum committimus! perſeveramus in errore & ſcelere! applaudimus ſceleratè agentibus! ſuggerimus improba conſilia!

4. O Miniſtri Aſſeclæq; Dominorum & ſectatores Aularum, vos hæc concernit Parabola, *Unus Aſſiſtens Miniſtrorum dedit alapam IESV dicens: Sic reſpondes Pontifici?* veſter hic typus, veſtra imago, Ioan. 18. 22.
vos in dies & horas, Patriarcham hũc veſtrum, Chriſti percuſſorem, Pontificis Adulatorem, imitamini & æmulamini; vos quotidie Patronos ac Dominos veſtros ad mala inducitis, inſtigatisq; vos ſuſurris veſtris, & venenatis relationibus mẽdacibusq; augmentis, C auctisq; mendaciis, ſimplicia Principum corda, nimium vobis credula, nequitiæ veſtræ ignara, præcipitatis in peccata; exaſperatis contra innocentes & probos; aggravare onera ſuper ſubditos docetis & facitis. Vos eſtis fabella Diaboli, Calcaria Sathanæ, Dæmonum prodromi, cupiditatum adminiſtri, ſcelerum Magiſtri & famuli; Vos innocuas & ſimplices, aliasq; rectas Dominorum, naturâ ſuâ, animas, ſuggeſtionibus veſtris oportunis, ex arte & tempore, obtruſis, in foveas peccatorum, ſuperbiæ, rapinæ. detractionis, judicii temerarii, crudelitatis, immiſericordiæ, faſtûs, luxûs, luxuriæ, æmulationis, rixarum, prodigalitatis, temulentiæ, invidiæ, odii, ambitionis, pſeudopolitiæ, atheiſmi, &c. præcipites agitis. Vos à recto & verò abducitis, à ſanis piisq; conſiliis, ab Eleemoſynis, à cultu DEI, à defenſione juſtitiæ vel Eccleſiæ, à Propagatione Divinæ gloriæ, à cura publicæ rei ac privatæ, à cura ſalutis propriæ, avocatis & in transverſum agitis. &c.

5. Hæc

5. Hæc eſt infelix calamitas, aut calamitoſa Felicitas Principum! ut præterquam, quòd ipſi caudata, fœcunda, ramoſaq́; peccata committant, etiam, dum ipſi non peccant; habent tamen, qui ipſis non cogitantibus, in eorum gratiam, favorem, ſpem, voluntatem, peccent. Infelix ſtatus & maledicta hæc magnitudo! DEUS ordinavit Poteſtates atq́; Principes in hunc finem, ut ſint terrori mali operis non boni, ut timeantur ab improbis, ut ſub umbra poteſtatis eorum, fiducialiùs agerent, probi & virtutis cultores. Nequitia humana quid fecit? Poteſtatem, quam DEUS contra illam armavit, ipſa contrà probitatem, innocentiam veritatemq́; convertit & in ipſummet DEUM militare pro ſe fecit, & ipſâ ſuâ malignitate, poteſtati blanditur, ac ejus patrocinio & magnitudine, tuta eſt.

6. *Sic reſpondes Pontifici?* Tantâ diligentiâ producebantur audiebanturq́; teſtes, contra IESUM; qui aliquod, illi, ſcelus objicerent, & non inveniebantur, nec teſtimonia convenientia habebantur: ſed quod tam meditata & accurata non reperit malitia & invidia, invenit ſubitò nata & captata adulatio. En objicit Chriſto: Sic, ait, reſpondes Pontifici: Objicit in uno ſcelere plura, objicit audaciam, arrogantiam, ſtultitiā, irreverētiā, ſuperbiā, incivilitatē, ſtatûs & conditionis ſuæ ignorantiam. Nec objicit tantùm, etiam convincit, etiam damnat, etiam punit & caſtigat. Quis crederet, tantum ineſſe virulentiæ, adulationi? quæ alioqui blanda eſſe, & palpare, mulcereq́; tantùm poſſe videtur: Mulcet Adulatio, ſed non innocentiam, ſed non Chriſtum, ſed non veritatem, ſed non æquitatem; his enim omnibus, inimica Adulatio.

7 Imperioſè vocatus Elias ad Re-
4.Re.1.10 gem duos quinquagenarios cum ſuis tur-
3.Re.13.4 mis, igne de cælo, evocato exuſſit.
2.Re.6.7. Manus Ieroboam, contra prophetantem
1.Re.6.19. DEI ſervum, extenta aruit. Oza arcam ne delaberetur ex plauſtro, ſuſtinens, interfectus eſt coram Domino. Bethſamitarum ſeptuaginta. millia, quòd aſpicere arcam DEI, auſi eſſent, morte punita ſunt: Nonnè plusquam Elias? nonne plusquam Arca DEI? filius & Chriſtus DEI? & tamen alapâ cæditur! & qui cædit, vivit! neq́; terra aperit os ſuum, ut deglutiat vivum!

8. Genas ſponſi, comparat ſponſa
Cant. areolis, dein liliis diſtillantibus Myrrham primam. Hæc alapa Chriſti vultui impacta, ſeu nuda ſeu armata (ut cenſent aliqui) manu, impreſſit veſtigia ſui talia, ut meritò vocari potuerint genæ Chriſti ſicut areolæ Hortorum, ſulcos habentes diſtinctos. Livor vultus referebat lilia, ſed cruor & dolor & confuſio, myrrham primam optimè exprimunt; erat enim prima præcipua inſignis myrrha, Chriſto, talis alapæ inflictio.

PARAGRAPHVS XLIX.

JESVS Percuſſori & arguenti ſe reſpondet: Quid me cædis? *Ioan. 18. 23.*

STROMATA.

1. INfelix ille miniſter, Chriſti percuſſor, cùm percuſſiſſet, cauſam percuſſionis adjecit: *ſic reſpondes Pontifici?* quaſi juſtam ſuam percuſſionem, ex injuſtâ Domini reſponſione arguens. Sed Dominus & percuſſionis & objectionis iniquitatem oſtendit. *Si inquit malè locu-* *Ioan. 18.*
tus ſum, teſtimonium perhibe de malo. Per- *23.*
cuſſiſti me ob reſponſū quaſi iniquum; hoc erat antè comprobandum, tum poſtea puniendum. Perverſiſti ordinem, certam pœnam irrogâſti, propter incertam & non probatam culpam, quod iniquum eſt! *Si autem benè locutus ſum, quid me cædis?* Utrinq́; tua percuſſio injuſta eſt. Hoc Domini reſponſo cohiberi poſſent omnes (quales ſumus paſſim) præcipitatores judiciorum ſuorum, in cenſuris atq́; pœnis alienorum morum vel verborum. Perpetua hæc noſtra vitia ſunt in communi & omni convictu; præcipitamus, damnamus, punimus, poſt pœnam, examinamus. Hinc etiam innumeri innocentes cùm Chriſto aſſiduè clamant: Quid me cædis? neq́; frequentior in ore Hominum (omnis ætatis ſtatûs, gradûs, ſexûs, conditionis) querela eſt, quàm hæc, unius de alio, quid me cædis?

2. Cùm Balaam ſine cauſa & miſeratione, miſeram aſinam ſuam cæderet,
aperuit Dominus os Aſinæ, ut expo- *Num. 22*
ſtulare cum Balaam poſſet. Tu mi IE- *28.*
SU, quaſi jumento poſterior eſſes, unâ hâc ſolâ vindictâ contentus es! dicere percuſſori: Quid me cædis? Auguſtinus quodam loco dicit: Quid verius reſponſione Domini, manſuetius, juſtius? cur nos cogitamus, quis fuerit,

Digitized by Google

qui alapam accepit? Nonnè vellemus percuſſorem illum, aut cæleſti igne conſumi, aut terra dehiſcente abſorberi, aut aliâ quâcunq; graviore pœnâ puniri? quid enim horum non poſſit jubere per ſuam potentiam, per cujus virtutem, factus eſt mundus?

3. Audiant oppreſſi & injuriati ab iniquis; arma defenſionis ſuæ, tantò validiora, quanto breviora, & in DEI potentiam juſtitiamq; magìs rejecta & tradita. &c. Audiant Oppreſſores & injuriatores aliorum, præſertim infirmorum ac infimorum, & vel ob virtutem vel ob imbecillitatem, aliter repugnare reſiſtereq; vel nolentium vel non valentium: Nulla tonitrua æquè formident, nulla fulmina, nullas vires, ac iſtas voces contra ſe, coram DEO judice, vibratas: quid me cædis? Hæc vox auribus DEI inſonans à paupere, ab injuriato, ab afflicto, contra Oppreſſorem, Calumniatorem, Detractorem, exedit DEI viſcera, & rapit manum DEI ad vindictam. Dico vobis oppreſſores & injurioſi, illorum vindictam maximè timete, quorum minimè vires ad vindictam timetis, vel quos injuriis laceſſitis occultis; tales enim, dum ulciſci non poſſunt, dum neſciunt, dum nolunt, in DEUM refundunt & remittunt: ac DEUS ulciſcitur illorum injuriam, & pro ſe & pro illis, & ſuâ & illorum irâ, & ſuâ & illorum voluntate, & ſuâ & illorum poteſtate. Nec in ſpem aut condonationis, aut deprecationis, aut ſatisfactionis peccate! ipſa enim illorum, qui læſi ſunt, manſuetudo, modeſtia, condonatio, patientia, exaſperat & exacuit iram DEI, acceleratq; ultionem. Validiſſimum eſt ultionis genus non ulciſci, validius non poſſe, validius nolle, validius condonare, validius ut etiam DEUS non ulciſcatur, Orare! Tales enim vel hoc ipſo, quia tales ſunt, tantò magìs merentur; ut in eorum ultionem accingatur DEUS.

4. Non ſoli Miniſtro percuſſori, Chriſtus reſpondet iſto reſponſo, reſpondet ſimul omnibus circumſtantibus, & in illam percuſſionem conſentientibus, quibus injuſtam eſſe hanc & percuſſionem, objectionemq; Miniſtri, & illorum conſenſum, ſilentium, inſultationemq; comprobat; ut vel ex hac occaſione, illorum conſcientias conveniat, periculumq; in quo verſentur, oſtendat, & quàm contra jus omne, ſecum agant, illis demonſtret. Dum enim dicit miniſtro: Quid me cædis? ſi malè locutus ſum, teſti- A monium perhibe, &c. ſtatim etiam dicit omnibus, qui ad eum judicandum damnandumq; convenerant, qui in ejus necem conſpirabant, qui in captivitate, & aliis malis, gaudebant, his inquam, omnibus ſtatim dicit: Si malè quid egi vel docui, teſtimonium perhibe ô cōcilium! ſin autem bene omnia feci & dixi, utquid me vultis interficere? utquid in cædem meam feſtinatis, falſos teſtes quæritis? utquid emiſtis ſanguinem meum, quem effundatis? utquid gaudetis in malis meis? Sed nimirum malitia omnis argui, convinci, perſtringi poteſt, ad ſanitatem autem, ad reſipiſcentiam, ad horrorem ſui non utiq; tam facile reduci poteſt. Cæca eſt, & excæcat; dura eſt, & indurat; excors eſt, & cor aggravat; amat malum ſuum, *& in rebus peſſimis exſultat*; omniſq; *Pr. 2. 14.* dulcedo ejus in malo eſt; bibit ſicut B aquam, ſicut mulſum iniquitatem! O quàm ſunt rari, ita mali, qui in malitiis ſuis habeant oculum reflexionis liberum! ut Divinæ lucis veritatis monitioniſq; radios, diſpicere & reſipiſcere poſſint; ut ad cor redire,, ut ad ſe ipſos reverti valeant! *Verberaverunt me, Prou 23. & non dolui, traxerunt me & non ſenſi,* *35.* ajunt de ſe ipſis, recalcitrant contra ſtimulum, rebelles ſunt lumini, impugnāt agnitam veritatem, durantur flagellis, aſperantur monitis, obſecrationibus contumaciores fiunt. *Fruſtra* (ait Dominus) *percuſſi eos.* *Ierem 2. 30.*

5. Cùm Chriſtus Dominus dixerit: *Si quis te in dexteram maxillam percuſſerit, Matt. 5. præbe illi & alteram* *39.* ſcilicet ſiniſtram: cur C in præſenti occaſione, hoc ſuum documentum non ſervaverit, ſed percuſſorem redarguerit? Ad quod quæſitum poſſet reſponderi: Chriſtum Dominum & percuſſorem redarguiſſe rationabiliter, & nihilominus alteram quoq; maxillam *Thr 3. 30.* non ſubtraxiſſe, ſi percutere libuiſſet; *Epiſt. 5.* impleviſſeq; illud prophetæ: *dabit percutienti ſe, maxillam &c.* *ad Marcell.* Aliter quoq; dici poteſt cum Auguſtino. Qui iſta Chriſti Verba, de percuſſione maxillæ, ait intelligenda eſſe, non ſecundùm literam, ſed per parabolam; Non enim percuti ſolet, dextra maxilla, ſed ſiniſtra, cùm in eam directè feratur manus percuſſoris. Alio autem loco, idem Sanctus ſolvens hanc ipſam Quæſtionem, ait, Conſilium hoc Domini D ſervandum, eſſe, ſecundùm Animi præparationem, re autem ipſâ tantùm eo tēpore, exſequendum, quando inde vel gloria DEI, Vel fructus proximi major, poſſet ori-

Digitized by Google

poſſet oriri, nullum autem horum, in præſenti, commodorum fuit; ſicut nec in illâ percuſſione Pauli. (*Act. 23. 2.*) Eſt igitur erga percuſſores intùs ſervanda benevolentia, arcendumq; odium ſemper, ipſa autem realis exhibitio maxillæ alterius, aliquando ſervanda eſt, aliquando non eſt, quãdo fructûs cõpetentis ſpes juſta eſt, vel non eſt. Nec enim conſilium iſtud propriè & ſimpliciter intelligendum eſt, ſed per figuram. Significatur enim, illo, eum, qui accipit injuriam, ſatiùs eſſe, ut alteram graviorem etiam ſubeat, quàm patientiam & modeſtiam, & Charitatem perdat, ultionemq; meditetur. Idem S. Auguſtinus; eodem loco addit: Qui te in dexteram percuſſerit, hoc eſt qui tua ſpiritualia bona impedire voluerit, quæ per dexteram ſignificantur à Domino, tunc ei præbe ſiniſtram; potiùs patere jacturam bonorum temporalium, quàm ut Animæ patiaris ſpirituale detrimentum; juxta illud: *Si oculus tuus ſcandalizat te &c.* & illud: *Quid prodeſt homini. &c.* Adhuc etiam ad Quæſtionem dici poteſt, Dominum noſtrum, illis verbis, docuiſſe nos: præſtare, ut acceptâ unâ injuriâ, ad aliam quoq; excipiendam nos paratos exhibeamus, quàm ut in verba vel opera ultionis, contra injuriantem prorumpamus. In hoc enim valde difficilis eſt moderatio, adeò, ut ſit minoris difficultatis, novam injuriàm pati, quàm moderatè, poſt unam acceptam, injurianti aliquid reſpondere. Quod ergo facilius eſt nobis, præcepit Chriſtus, quod difficilius ipſe præſtitit, illud quidem ad ſecuritatem noſtram, hoc autem ad exemplum: quod tamen imitari eſt difficiliùs, quàm illud explere,

6. Expendens Euthymius hanc Domini reſponſionem ad Miniſtrum percuſſorem; ait: (*Euthym:*) *Perhorreſcite cæli & obſtupeſcite terra, vel tantam viliſſimi ſervi audaciam, impietatemq;, vel magis incomparabilem Domini manſuetudinem & patientiam! qui, cùm poſſet omnes hoſtes ſuos unico verbulo ad nihilum redigere, voluit tamen nobis & ſuam innocentiam, & illorum injuſtitiam demonſtrare.*

7. O quoties ad vos Mortales, ad vos Chriſtianos, clamat Chriſtus IESUS, plenas has querelarum indignitatumq; voces, inculcans unicuiq; Veſtrûm, dum peccatis, dum profusè in DEI injurias effundimini, præcepta violatis, in fidem, in Charitatem, in ſpem, in timorem, in ſubjectionem DEO debitam malignè incurritis; dum Sanguinem

A Chriſti propter vos, & ſuper vos effuſum conculcatis, dũ & minas ejus, & beneficia, & promiſſa, & bonitatem & dignitatem & juſtitiam & miſericordiam ejus contemnitis, quoties, inquam vobis inclamat ad conſcientiam, ad animam, ad cor, ad voluntatem: *Quid me cædis?* quid in me peccas, quid me crucifigis? quoties clamat interno inſtinctu, externis damnis, internis peccatorum pœnis, tuorum Charorum Afflictionibus, æmulorum, inimicorumq; immiſſionibus, malis curarum & laborum, & ſumptuum, & conſiliorum & votorum ſucceſſibus, multis, in immeritos, immo malè meritos, profuſis beneficiis, plurimis aliorum, ob oculos; poſitis exem-

B plis, caſibus, damnis, quoties inquam clamat & inclamat: Quid me cædis? quamdiu me cædis? quid inveniſti in me iniquitatis? quid potui ultra tibi facere? &c. Interrogate & convenite, vos ô peccatores conſcientias veſtras, & deponite ſurditates veſtras. Ceſſate ab injuriis Creatoris Redemptoriſq; veſtri & capiat vos tempeſtiva, ſalubriſq; miſeratio DEI patientis, non tantùm pro vobis, ſed etiam à vobis. Alioqui venient dies, quando & vos inclamabitis DEO, *Quid me cædis?* quando quæretis ſpatium pœnitentiæ & invenire non poteritis; quando pulſabitis clauſam miſericordiæ januam, & Dominus non exaudiet, non reſpondebit, niſi for-

C tè durum illud: *Neſciò vos.* Durum & aſperum illud: *Diſcedite à me, operarii iniquitatis, &c.*

8. Illi tantùm debent percuſſoribus ſuis alteram maxillam præbere (percuſſi ab eis in unam) qui percuſſi ſunt in priorem inviti: at Dominus noſter maximè volens percuſſus eſt, ideò non tantùm non debuit præbere ſed etiam debuit non præbere alteram maxillam, ne in priorem videretur invitus eſſe percuſſus. Teſtatur verò apud Iſaiam Dominus, ſe libenter dediſſe *genas ad vellendum*, vel ut 70. legunt: *genas ad alapas.* (*Vide Velaſq t. 1. in Ep. ad Phil. c. 2. v. 8. ann. 3. mor. ſol. 452 n. 10. Iſa. 50. 6.*)

9. Verba hæc Domini ad Percuſſorem, *Quid me cædis?* videntur eſſe miſerationem ſuper ſe in percuſſore com-

D moventis, non verò indignitatem declarantis: unde ad commiſerationem motus percuſſor ille, colligi poteſt ex eo, quòd percutere ſecundò non adjecerit: Quanquam & indignitas facti monſtrata, potuerit compeſcere audaciam injuriantis, præſertim verbo Incarnato loquente.

10. Ne quis diceret non licere Chriſtiano reddere rationem pro ſe, quando injuſtè arguitur: dedit rationem, pro ſe, Chriſtus. Ne autem nimii eſſent Chriſtiani in defenſione innocentiæ ſuæ, ſemel tantùm pro ſe dixit Chriſtus.

11. Non eſt ſine conſideratione prætereundum: Chriſto Domino crimen irreverentiæ in Sacerdotem impactum, & idem, enormi pœnâ, caſtigatum eſſe. Ex parte alia, Chriſtum ad alia omnia tacitum, hoc ſolum objectum crimen & ſibi probari, & ab eo innoxium ſe probare voluiſſe ſtuduiſſeq;. Scilicet ipſa ſubſtantialis Sanctitas & innocentia voluit Sacerdotum cultui, tam eſſe, quàm videri impensè addicta, B & nullatenus injurioſa, nullatenus etiam ſibrâ injurioſitatis in eos tolerare. Væ nobis! quibus de nulla re, ſermo crebrior, ſuavior, facundior, quàm de moribus vitiisq; Sacerdotum! nullus congreſſus, aut pæne nullus, qui non hac materiâ ſcateat. Quanquam etiam Sacerdotes ipſi, cauti eſſe deberent, ne darent non dico juſtam, ſed nè putatam quidem cauſam, ejuſce calamitatis. Si enim mala Sacerdotum in ſermonem vocare impium eſt, Sacerdotes, ipſa mala patrare, quàm impium erit?

PARAGRAPHVS L.

JESVS à ſummo Sacerdote adjuratur per Deum, ut dicat, ſi ipſe eſt Chriſtus.

STROMATA

1. TAcebat Chriſtus ad falſa, non convenientia, ruentiaq; per ſeſe, teſtimonia: reſponderat adæquatè & irrefragabiliter ad quæſitum de Doctrinâ propoſitum, idq; non tam ex ſuo quàm ex ipſorummet aſtantium teſtimonio atq; ſcientiâ, & auctoritate. Pertæſus ergo ſummus pontifex circuitionum & moræ, quando ambages & doli non procederent, ſed ſponte ſuâ corruerent, directè, & ubi erat cardo, ſummaq; rei, admovet quæſtionem; non ignarus, Chriſtum, virtutem pietatemq; D in DEVM, ſemper ſolitum profiteri, partim etiam uſurus ſummi Pontificis Auctoritate, ad majus Orationi pondus addendum, & præcludendum effugiis lo- A cum, rotundè interrogat atq; etiam adjurat Dominum IESUM, ut ediſſerat palam: *eſſetnè ipſe filius DEI vivi, DEI Benedicti?* Et ſanè, ſi ab hac interrogatione abſuiſſet Animus improbus, perdendiq; Chriſtum atq; opprimendi avidus, ſi adfuiſſet ſtudium veritatis, nihil erat hac quæſtione, Chriſto optatius, DEO gratius, Iudaico populo ſalubrius, Sacerdotum & legiſperitorum indagini opportunius, ſcripturarum & legis univerſæ veteris intellectioni, accommodatius, atq; utilius. Verùm quia longè alia fuit in inquirendo (ut dixi) mens, aliudq; ſtudium, idcirco expreſſerunt quidem illi, à volente Chriſto, veritatis Confeſſionem, longè luculentiſſimam, ſed non expreſſerunt, à ſe, veritatis ejusdem acceptationem benevolam. Præjudicaverat veritati improbitas; obſederat aures cordis, odium; invidia aſſenſui locum præcluſerat; idcirco veritas audita illa quidem eſt, ſed audita, non ut acceptaretur, ſed ut condemnaretur. Ad hunc ſcopulum offendunt ſemper hoſtes veritatis, illi, qui oderunt veritatem hanc, quam non eſſe vident eam, quam amant falſitatem, ſed eam, quam nollent falſitatis everſionem. Inde enim fit, ut talibus quantumlibet pateſcat veritas, tamen non tantùm non probetur, ut etiam majus & apertius, impotentiusq; ejus odium inflammetur. *Matt. 14. 61.*

C 2. Adjurandi vox & formula multiplicem habet ſenſum præſertim in ſcripturâ. Ac Latinis quidem adjurare aliquid, idem eſt, quod jurare, ſeu juramento confirmare, ſed phraſi ſcripturæ, Adjurare ſignificat, facere aliquem jurare, ad juramentumq; provocare, vel ſub Juramenti obligatione aliquid exigere, quomodo Abraham adjuravit ſeu juramentum exegit à ſervo, ne filium ſuum Iſaac, vel reduceret in terram Chaldæorum, vel daret illi, uxorem Chananitidem. Sic etiam Ioſeph ſe adjuratum dicit à Patre Iacobo: id eſt, dicit ſe juſſum jurare, ac juramento ſubjicere. Rurſum adjurare ſignificat phraſi ſcripturæ, idem, quod ſubjicere maledictioni & exſecrationi. Ita Num. 5. 19. Sacerdos adjurat Mulierem Adulterii ſuſpectam, id eſt maledictionibus ſubjicit, ſi rea ſceleris ſit. Et Saul dicitur adjurâſſe populû dicens. *Maledictus vir.* Præterea adjurare ſignificat adigere aliquem ad faciendum vel dicendum aliquid, metu violandæ Religionis, Deumq; offendendi. Sic *Gen. 24. 3.* *Gen. 47. 31.* *1. Reg. 14. 24.*

Michæam

.Michæam Ptophetam adjurauit iterum atq; iterum Rex Achab. *2.Reg.22 14.* Sic etiam ſponſa in Canticis & ſponſus adjurant ſodales, &c. *Cant.2.7. & 5. 8.* Sic etiam exorciſtæ adjurant nequam Spiritus. Sic etiam in præſenti adjuratur Chriſtus à Principe Sacerdotum. Notandum autem ex D. Thoma: Adjurari poſſe DEUM, Angelos bonos, Dæmones, Homines, Creaturas irrationales. Rurſum adjurationem fieri duobus modis, 1. per modum Obſecrationis: hoc modo, adjurari poteſt DEUS, Angeli boni, ſuperiores Homines. 2. Per modum coactionis & compulſionis: ſic adjurantur Dæmones, & inferiores ſubditiq; à ſuperioribus Hominibus. Irrationalis Creatura, ſecundùm ſe, ſpectata, adjurari non poteſt, quia id fieret ſtultè, quatenus autem à DEO agitur, ſic adjurari poteſt deprecatoriè: quatenus verò à Diabolo ad nocendum hominibus applicatur, adjuratur compulſoriè deterrendo: quo tẽpore, adjuratio, non ad creaturas ipſas, ſecundùm ſe, ſed ad DEUM vel Dæmonem refertur dirigiturq;. Adjurare Dæmones deprecatoriè, petendo, ab eis auxilium, non licet, & impium ac proprium veneficorum eſt.

3. Callido conſilio adjuratur Chriſtus, eâ ratione, quâ deſugere non poſſet crimen, & quamcumq; ſe, in partem, vertiſſet, teneri ſceleris reus poſſet. Si enim adjuratus non reſponderet Chriſtus, reus eſſet irreligionis impietatisq; in DEUM, per quem tam ſolemniter eſſet adjuratus, reus quoq; eſſet læſæ auctoritatis Pontificiæ, à quâ legitimè interrogatus obſtinatè ſiluiſſet. Sin autem reſponderet tunc, vel fateretur ſe eſſe Meſſiam, id eſt, Iudæorum Regem, & ſic eſſet reus affectatæ Dominationis, reusq; læſæ Cæſaris Romani Majeſtatis aut ſi negaret ſe eſſe Meſſiam; eſſet reus ac teneretur falſi, atq; veteratoriæ fraudis, ùt, qui nunc negaret ſe Meſſiam Chriſtum, pro quo ſe tamen geſſit, tum aliàs, tum ante ſex dies, cùm Hieroſolymam triumphanti ſimilis intraret, ac inclamari ſibi ſineret à populis: *Chriſtus Rex Iſràël: Benedictus qui venit in Nomine Domini: Oſanna filio David!* *Matt. 21. 9.*

PARAGRAPHVS. LI.

JESVS adjuratus per DEI benedicti Nomen reſpondet. *Matt. 26. 64.*

S T R O M A T A,

A 1. ADjuratus IESUS ſatisfacit Religioni in DEUM, obſequitur Pôtificiæ auctoritati, perhibet veritati teſtimonium, expreſſiſſimâ & abundanti confeſſione, omnem ignorantiæ prætenſionem, Iudæis præſentibus eximit; præbet magnam dubitationis indagationisq; anſam, in ſcripturis & in ſeſe inquirendi veritatem, agnoſcendiq; eũ, quem in manibus, in sũi medio habebant Meſſiam. Dicit ergo IESUS Pontifici adjuranti: *Tu dixiſti Ego ſum* (intellige filius Benedicti: per quem me adjurâſti) & converſâ ad omnes, tum oratione, tum facie, ait: *Verumtamen dico vobis, amodò videbitis filium Hominis ſedentem à Dextris virtutis DEI & venientem in nubibus Cæli.* *Matt.26. 64.* B Grande & luculentum teſtimonium, ſi cupientibus nôſſe veritatẽ diceretur. Faſſus eſt Chriſtus, & faſſus cum juramento, quia adjuratus per DEUM à Summo Sacerdote, in concilio & juridicè, faſſus inquam eſt clarè & rotundè, ſe eſſe Filium DEI Vivi, DEI Benedicti, per quem erat adjuratus. Faſſus eſt præterea ſe eſſe Filium Hominis, faſſus eſt ſe ſeſſurum eſſe à dextris virtutis DEI; faſſus eſt ſe, venturum in nubibus cæli ad judicandum ſcilicet vivos & mortuos, faſſus eſt ſe, in hac majeſtate Iudicis, conſpiciendum ab ipſis illis tunc præſentibus, & hoc ex ore ſuo, audientibus. Quid hac confeſſione luculentius? Hæc unà C ſanè confeſſio, ſi non aperire veritatem, ſaltem januam oſtendere ad veritatem poterat. Eâ Iudæi cognitâ & auditâ tam liberè, clarè, rotundè, poſt pontificiam adjurationem, ſaltem ſuſpensò dilatoq; tantiſper judicio, melius & certius aliquid cognoſcere, pluraq; ex Chriſto de veritate, pronuntiatæ confeſſionis exquirere debuerant; & ſiquidem dilucidâſſet ſcripturis omnia in ſe congruere oſtendiſſet, tum crederent; ſin autem, tum juſtè damnarent. Sed horum nihil facientes, ac omnia prætermittentes, quæ rationis & judicii ſani æquiq; ſunt, præcipitatâ cauſâ ad damnationis clamores prolapſi ſunt. Quid enim mali fuiſſet in mora unius diei vel alterius? quid obfuiſſet inquirere in vitam, Mores, Miracula Chriſti? quid nocuiſſet deputatis Docto- D ribus & legisperitis, conferre cum Chriſto de ſcripturis Meſſiam prædicentibus? Hoc ſanè ſapientum erat! hoc ab illis tam ſerium, tam clarum, tam aſſertivum, tam juratum reſponſum Chriſti expoſcebat! ſed cæca malitia, omnia

Digitized by Google

egit transverſùm; & perdita eſt, ſapiĕtia à Sapientibus.

2. Quemadmodum Pontificiæ interrogationis: *(adjuro te per Deum Vivum, ut* Matt. 26. 63. *dicas nobis; ſi tu es Filius DEI Vivi)* ſenſus fuit ſcilicet iſte: dicas nobis, an tu ſis Meſſias, qui á nobis expectatur; ita etiam Reſponſionis Chriſti *(Ego ſum: tu dixiſti)* ſenſus, Ego ſum Meſſias veſter, Filius DEI Vivi. Sciebant Judæi præſertim legiſperiti, Meſſiam futurum Deum-Hominem; eſtò ea notitia obſcurior erat, & ideo hâc formulâ interrogatus fuit Dominus, maximè, cùm ſcitum eſſet de Chriſto, quòd ille, ſe Filium Dei aliàs vocitâſſet. Et Chriſtus ad mentem interrogãtis Sacerdotis reſpondit: ſtatimq; adjecit Filiationem ſuam humanam, ita, ut unâ reſponſione, ſe & Filium DEI Vivi Benedicti, & filium Hominis oſtenderit aſſerueritq;. Quodſi Iudæi tunc Meſſiam non ſciebant futurum Deum-Hominem (ne ſcilicet cõcedatur notam fuiſſe illis Perſonam Trinitatis diſtinctam, quòd tamen apud ſapientiores conſtitiſſe, etiam ante Chriſtum certum eſt) tantùmq; nomine Filii DEI, intellexiſſe Hominem excellentioris gratiæ & gloriæ à DEO acceptæ, & in hoc ſolo ſenſu Pontificem locutum Chriſto in ſuâ adjuratione (quanquam reverà plus videtur voluiſſe & intellexiſſe dicendo: *adjuro te per DEUM Vivum ut dicas nobis: ſi tu es Chriſtus Filius DEI Benedicti)* tamen manifeſtum eſt, Chriſtum ſuppleviſſe imperfectum illum de Meſſia ſenſum, & expreſſè dixiſſe de ſua Filiatione duplici, confeſſumq; ſe eſſe & Filium DEI Benedicti Chriſtum, & Filium Hominis. Ut vel ex hoc improbitas Ariana cognoſceret veritatem, quem ipſa veritas DEI (immo DEUS) teſtata eſt de ſe cum juramenti Diviniq; Nominis & ſupremæ Auctoritatis reverentia. Ob quam cõfeſſionem etiam veritas illa ipſa damnata eſt, & ad mortis ſupplicium deducta. Quod ſanè paſſus Dominus noſter non fuiſſet etiam à Iudæis, ſi ſe tantùm Filium DEI Benedicti in ſenſu Ariano, vel in ſenſu non veri conſubſtantialiſq; Filii DEI appellâſſet.

3. Advertamus Chriſtum Dominum, Confeſſioni ſuæ jam dictæ adjeciſſe prædictionem ſecundi Adventus ſui, ad judicandum in gloriâ & majeſtate. (id enim ſonat *à dextris virtutis DEI & in nubibus cæli)* in quibus verbis, præterquam, Daniel 7. 13. quod reſpexit Dominus ad viſionem Danielis: ubi Daniel ita ſe vidiſſe Filium Hominis venientem in nube &c. quæ prophetia nota Iudæis erat, ſed inſtruere etiam Iudæos voluit, ut non attenderent tantùm præſentem ſuum Adventum in mundum, humilem, pauperem, abjectum, ſed ſimul ſcirent meminiſſentq; ſecundi Adventus ſui, prædicti in Prophetis ſuis ad judicandum. Ita Dominus IESUS in illa extrema licèt hora, quæ jam non erat prædicandi ſed patiendi, nihil tamen omiſit eorum, quibus ſanare & informare corda cæca Iudæorum, de veritate poſſet, niſi invidia veritati aditum omnem obſtruxiſſet.

4. Voluit etiam Dominus commonefacere, tunc illos iniquos ſuos Iudices, ut ſic ſe gererent in ipſo judicando, ut ſcirent ſe ab eodem judicandos, hoc enim ſonat illud: *Amodo videbitis Filium Hominis ſedentem.* Scitote venturum aliquando (tardiùs, citiùs) tempus, in quo, vos, qui, me modò tanquàm abjectiſſimi Hominis Filium judicatis, videbitis oculis veſtris, eundem me ſedentem in gloria DEI & venientem in Majeſtate & virtute multa, ſuper nubes elevatum ad judicandum, tam vos, quàm omnes alios. O mi IESU, qui nunc vinctus humilis & abjectus judicaris pro nobis, fac quæſo, ut cùm ſederis judicaturus, experiamur te nobis benignum, manſuetum, pium judicem. O ſi Iudices etiam hodie ita judicia exercerent aliorum, ut ſe interim judicandos à DEO non obliviſcerentur! Certè optima conſuetudine introductum fuit à Majoribus noſtris, ut in loco judicii propoſita eſſet judicibus ob oculos, imago vel Divini judicii vel Chriſti Crucifixi, quâ ſcilicet admonerentur, ſe judicare nunc; olim judicandos ipſos, vel ſe olim ab his, ſi quos fortè per injuriam vel incuriam, vel affectum pravum, nunc malè judicarent, ita judicandos, ſicut Chriſtus malè judicatus ab Iudæis, eſt olim judicaturus eoſdem Iudæos.

5. Chriſtus, qui aliàs ſilebat, in præſenti paſſu reſpondit. Tum quia de fundamento & columna doctrinæ fideiq; ſuæ, interrogatio erat, pro cujus confeſſione olim Petrus, non tantùm laudatus, ſed & Petra Eccleſiæ, fuerat inſtitutus. Tum quia iſto reſponſo volebat docere ſuos, ut cum quovis periculo, fidem ſuam ſcilicet Chriſtianam profiteri minimè formidarent; maximè ſi legitimè interrogatio fiat, ut hîc, cum Chriſto fieri videri poterat, & ſi re ipſâ non erat. Tum ut omnem præ-

textum

Digitized by Google

textum ignorantiæ, Iudæis præſcinderet. Tum ut à ſe omnem infirmitatis, timiditatis, excuſationis. prætextum, ſpeciemq́; amoveret. Tum, ut non facilè proſiliendum eſſe ad infringendam auctoritatem majorem, eſtò injuſtè exortam doceret.

PARAGRAPHVS. LII.

Matt. 26. 65.

JESV reſponſo audito, Pontifex ſcidit veſtimenta ſua, & damnat JESVM.

STROMATA.

1. Auditâ adeò diſertâ copioſâq́; reſponſione Chriſti, Pontifex, ſtatim oſtendit, quo animo, illum interrogâſſet, & Divini Nominis interpoſitâ reverentiâ adjurâſſet; Erupit enim in hæc quinq́;. 1. Scidit veſtimenta ſua. 2. Exclamavit & Chriſtum blaſphemiæ condemnavit. 3. Hanc unam cauſam ſufficere ad Chriſtum, neci, dandum aſſeruit. 4. In flagranti crimine Blaſphemiæ, publicè omnibusq́; teſtibus Chriſtum eſſe convincit, 5. Sententiam aliorum jam à ſe, præjudicatam, in re notoriè malâ ſcilicet exquirit. Ita nimirum in uno odio invidiaq́;, quâ in Chriſtum ardebat cum omnibus ſuis, nullum non latebat facinus, nullum non inerat ſcelus, Simulatio zeli, Religionis, Reverentiæq́; DEI, Fervor ad ejus defenſionem adſcitus ſimulatusq́;, præcipitatum Iudicium, violata lex, ſcindi veſtem à Pontifice prohibens. Damnatio ad mortem nondum convicti; Ubi maximè opus erat veritatem vel agnoſcere vel ſaltem ſuſpicere, atq́; indagare & tantiſper hærere; ibi, tanquam ſcelus notorium flagransq́;, ac in manibus haberetur, aſſerere. &c. Quanti intereſt præcipitatione non uti! nec condemnare quenquam, ſine pacato, prævio, debitò judicio, & indagine!

Lev. 21. 10.

2. Prohibuerat lex, nè ſummus Sacerdos unquam caput aperiret, neve ſcinderet veſtimenta. Sed Caiphas, ut Chriſto impingeret blaſphemiam, nihil fecit committere legis violationem veram.

Gen. 37. 34.

3. Sciſſio veſtium, multis de cauſis, fieri ſolebat, ut ex ſcriptura colligi poteſt. 1. ad ſignificandum dolorem, eumq́; ſubitum & vehementem, ſive in privatis, ſive in publicis calamitatibus: quomodo Iacob ratus devoratum Ioſephum à beſtiis; Iob ad Nuntios cladium ſuarum; Ioſue, cæſo ſuo exercitu, præter ſpem; David auditâ nece Saulis & Ionathæ, ſciſſione veſtium expreſſerunt dolorem animi, veluti in partes, dolore, ſciſſi. 2. Scindebatur veſtis in deteſtationem exſecrandi facinoris, præſertim blaſphemiæ in DEUM: quomodo Ezechias Rex, auditis blaſphemiis Rapſacis, ſcidit veſtimenta ſua.; Et Achab auditâ contentione duarum Mulierum, de negato Filiolo unius ad comeſtionem, comeſtoq́; alterius, ſcidit quoq́; veſtimenta ſua. 3. Sciſſio veſtimenti ſignum fuit Diviſionis, & diſſenſionis Regni, detractæq́; Dignitatis. Sic Ahiæ Prophetæ juſſu, Ieroboam novū pallium ſcidit in 12. partes, à quo accepit decem partes, dicente Prophetâ. Sciſſum eſt Regnum Salomonis, & tibi dedi decem tribus. Sic etiam cùm Saul abeuntem Samuelem, pallio tenere voluiſſet, pars, quam apprehenderat, ſciſſa eſt, in manu Saulis, & Samuel ſubjecit: *ita ſciſſum eſt Regnum tuum.* 4. Sciſſa veſtis ſignum erat pænitentiæ, ad quem ritum reſpexit Ioël Propheta dicens: *Scindite corda veſtra & non veſtimenta veſtra.* 5. Sciſſio veſtis hæc præſens à Caiphâ, facta ex ſimulatione illius, ſignificabat dolorem de injuriâ DEI, ſed re ipſa ſignificabat ſciſſionem veteris legis & cerimoniarum legalium, quæ jam jam patiente & moriente Chriſto inſtabat; unde etiam poſthac mortuo Domino, *velum Templi ſciſſum eſt à ſummo usq́; deorſum.* Atq́; ita Caiphas ſicut olim prophetaverat verbo, dicens: *Expedit ut unus homo moriatur pro populo,* Sic & nunc prophetat facto inſtare reſciſſionem & evacuationem veteris legis, & Pontificatûs antiqui, & regni Iudaici, exoriente novo teſtamento & Pontificatu & Regno Chriſti. Unde etiam notat *Hieronymus* hoc loco, & *Leo,* quòd Caiphas condemnans Chriſtum, diſceſſerit à ſuâ ſede eamq́; vacuam reliquit, tanquam cedens locum. novo Pontifici, & oſtēdens Cathedram Moſaicam, poſt Chriſti mortem, futuram vacuam, auctoritate & poteſtate. Quin immo ſcidit veſtimenta ſua, tanquam judicans, ea deinceps fore ſuperflua, & inutilia novo Sacerdotio, novo Sacrificio, ſubnaſcente.

Iob. 1. 20. Ioſu. 7. 6. 2. Re. 1. 11. Iſai. 37. 1. 4. Re. 6. 30. 3. Reg. 11. 30. 2. Rg. 15. 28. Ioel. 2. 13. Matt. 27. 51. Ioän. 11. 50. Hieron. Leo ſer. 6. de Paſſ.

Digitized by Google

PARAGRAPHVS LIII.

JESVS ab Univerſo concilio re- A
Matt. 26. 66. *us mortis damnatur.*

PRÆDICTIONES.

Captabunt in animam juſti, & ſanguinem innocentem condemnabunt.

STROMATA,

1. AD exemplum ſummi Pontificis, zelavit universũ illud cõciliabu
lũ, Honorẽ DEI & Chriſtũ blaſphemiæ
reum, Morte dignum pronuntiavit. *verè*
Ier. 8, 9. *mendaciũ operatus eſt ſtylus mendax ſcribarum.*
Confuſi ſunt ſapientes & ſapientia nulla eſt in B
eis. Quomodo dicitis. Sapientes nos ſumus
& lex Domini nobiſcũ eſt. Usq; adeo peccatoribus & datis in ſenſum reprobum,
& voluntariè peccantibus *omnia cooperantur in malum, in meridie offendunt, palpant quaſi cæci!*

2. Reus es mortis Domine IESU; reus omnino; quippe qui ad mortem deſtruendam omnium noſtrũm, in te ipſo, deſcendiſti: ergo, te Mors inimicũ ſuum cùm teneat, quomodo non exclamet: *Reus eſt mortis!* Maximè cùm factus ſis Mortalis, qui fuiſti immortalis, per quod ſanè ſubjectus & ſubditus & reus es mortis. Struxiſti inſidias Morti, ut eam, Morte tua vinceres. & nobis o-
mnibus in ſomnum brevem, inq; vitam C
æternam commutares. Incidiſti deprehenſus in foveam, quam fodiſti, Reus es Mortis.

3. Certè tanquàm aſinæ Balàam, a-
Num. 22. 33. ut inſtar Caiphæ Pontificis, omnes iſti
ignorantes prophetant, quando IESUM reum Mortis proclamant. Veriſſimè enim Dominus IESUS reus erat Mortis: quia enim factus erat per omnia ſimilis nobis, etiam quoad peccatum, non quidem quaſi à ſe commiſſum, ſed quaſi ſuper ſe, pro nobis, expiandum ſuſceptum, hoc ipſo, quod peccata noſtra portanda delendaq; & expianda ſuſcepit, reus eſt Mortis factus, tam quidem reus, quàm nos omnes eramus rei, qui peccaveramus, & quorum ini-
quitates depoſitæ erant, ut punirentur D
& delerentur.

4. Non ſolùm ob peccata noſtra, Reus eſt mortis Dominus IESUS, ſed etiam ob Charitatem ſuam in nos, ob Charitatem ſuam in Patrem, ob Charitatem Patris erga nos, ob obedientiam ſuam ſubjectionemq; erga voluntatem & mandatum Patris. Hæc enim omnia fecerunt Chriſtum reum mortis; ſiquidem iſta omnia non tantùm ſimul juncta, ſed etiã ſeparata, ſufficientẽ Chriſto obligationem neceſſitatemq; Mortis imponebant: ita ut Reus exſtiterit Mortis, quia nos (v, g.) tali Charitate dilexit, quâ & cujus vi obligaretur ad moriendum pro nobis, non ſolùm, in quãtum amicis, non enim eramus amici, ſed Hoſtes; verùm etiam inquantum inimicis, quos tamẽ ex inimicis, Charitate faceret amicos, nec facere poterat, niſi priùs mortem pro nobis obiret. Talis enim exceſſus ejus Charitatis erga nos erat, ut moriendi, pro nobis, debitum obligationemq; illi Charitati in nos connexam aſſumeret, ſicq; ſtatim cum aſſumptâ Charitate, obligationem mortis ſubiret, reusq; mortis fieret. Nimirum ſub Charitate iſtâ ſicut hamus ſub eſcâ Mortis pro nobis, neceſſitas latebat. Comedit hunc IESUS, bolum Chari-
tatis noſtræ, & cum eo hauſit ſtatim ne- Thr. 4. 20.
ceſſitatem Mortis noſtræ *captusq; eſt in peccatis noſtris* & ita factus eſt reus mortis. Idem & à fortiori quidem dicendum de illa Charitate Chriſti, quâ dilexit Patrem: & illa enim Charitas talis fuit, ut in primo ſui erga Patrem impetu, motu, actu,. oſtenderit ſe paratam, immo fecerit obligatam, ad faciendum in gratiam Patris, quidquid colliberet Patri. Vidit ergo vulnus in corde Patris inflictum illi, à peccantibus, in ejus honorem & bonitatem, creaturis ſuis, quod ſanari non poterat, niſì reditu ad Patrem, reditus eſſe non poterat, niſì ſanatio ipſarum & ſalus, & emendatio reparatioq; creaturarum, præcederet. Chriſtus ergò, quò cordi Patris mederetur, ad ſanandas creaturas vulneratrices Divini cordis, violatricesq; ejus majeſtatis, ſe obtulit, in quo opere quia mortis negotium erat, cui creaturæ juſto judicio DEI ſubjectæ erant & Mortis juri juſto ſatisfieri ante omnia opus erat, idcirco Chriſtus etiam. ut hunc obicem, à ſanitate Creaturarum & curatione cordis Paterni amoveret. morti ſeipſum obtulit, atq; in pretium dedit, pactus cum ea ut ſua Morte expleta; reliquas DEI Creaturas Morti obnoxias, à ſuo jure immunes liberasq; faceret. Atq; ita propter Charitatem, quâ Patrem ſuum dilexit Chriſtus, factus eſt reus & debitor mortis ipſi Morti.

Sinu-

ti. Similis diſcurſus fieri poteſt de Charitate Patris in Chriſtum, & in nos. Item de obedientia Chriſti erga Patrem, & ex ea deduci obligatio ad moriendum, conſequenter concluſio iſta nimis vera, quòd Chriſtus reus eſt mortis.

5. Si Chriſtus reus eſt mortis, tu Homo, tu Anima cujus es, rea? Non es rea ſaltem Amoris? Amore tūi factus eſt IESUS reus Mortis, te amor illius & mors ejus, non faciet Amoris ream? Immo fecit te ream: Quia tu debes illi amorem: ſed tu hujus debiti in ipſum oblita non effundis amorem tuum in eum, cui debes illum, ſed in eas res, quibus non debes quibus inimicam te Chriſto ejuſq; Amori cōſtituis. B Pro pudor! Amor IESU, in te, ſi te voluiſſet eſſe ream Mortis, ſubire læter debitum debueras, nunc te Amoris ſolius ream fecit, & amare abnuis! & nonné ob hoc, æternæ Mortis rea exſiſtis!

6. Adverte quòd ex omni illo Doctiſſimorum, optimorum, Selectiſſimorū Concilio, nullus ſit inventus, qui de Chriſto non cōdemnādo ſaltē hæſitaverit, ſaltē remoram aliquā fecerit, & ſcrupulū, de meliùs re cognoſcenda diſcutiendaq; injecerit: ſed omnes uno furore perciti, ad eum condemnandum reumq; Mortis proclamandum, ſe ſe proripuerint. Admiratione ſané digna res quomodo Principibus, Sacerdotibus, ſcribis, C Legis peritis, Septuaginta duobus Senioribus, Capitibus totius Populi Sapientiſſimis atq; præcipuis, quin, & humano judicio, optimis atq; Sanctiſſimis, unum odium & invidia contra Chriſtum concepta, oculos mentis excæcavit, & lumen rationis ademit! O quàm timendum eſt nobis ab affectibus noſtris? ô quàm trepido & tardò, & fluctuante gradu ad alienos mores damnandos procedendum eſt! In quo tamen omnes (ut præſens noſtra fert ætas) ſummè & extremè faciles ſumus: etiam qui nobiliſſimi, etiam qui Sanctiſſimi & qui Sapientiſſimi, etiam qui rerum peritiſſimi, etiam Religioſiſſimi, & à ſæculi peccatorumq; moribus remotiſſimi, etiam qui Magiſtri populorum atq; morum videmur. D Sumpſit hoc malum tantas ubiq; vires, ut nullus ſtatus ſit ab hoc ſcelere immunis, (utinam non poſſit dici: Nullus Homo) utq; jam ſenſus & metus peccati hujus, inter omnes mortales eſſe deſierit. Ita omnes hâc ſagenâ linguæ, judicii, detractionis, cen- A ſuræ, damnationis alienorum morum trahimur, ad gehennā! Et quidem quod eſt maximè formidandum juxtà ac deflendum) qui nocentiſſimi ſumus, hi damnamus Innocentiſſimos; & quibus maximè vitiis affectibusq; laboramus, ipſi horum innoxios, & ignaros tanquam notoriè, & ſine controverſiā. reos dicimus, vulgamus, traducimus, juramus; quò fit ut non ſit in nobis faciens bonum noſtro judicio. Dum enim judicamus & condemnamus alios horum omnium, quorum alios, reos facimus, ipſi rei efficimur, & impletur in nobis irrefragabilis illa veritas Spiritûs S. per Apoſtolum intimata, paucis vel nulli credita *ô Homo in quo alterum judicas, te ipſum condemnas &c.* nec non illa Domini: Rom 2. 1. *In quo judicio judicaveritis, judicabimini, & in qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis.* Matt. 7 2. Immo verò *qui feſtucam in alieno oculo conſpicis, trabem in tuo oculo inventam* cognoſces. Matt. 7. 3.

PARAGRAPHVS LIV.

Matt. 26. 66. Matt. 14. 65.

JESVS conſpuitur.

PRÆDICTIONES

Non averti faciem meam, ab increpantibus & conſpuentibus in me. Iſ. 50. 6.

Pro nihilo habuerunt (legunt alii *deſpuerunt*) *terram deſiderabilem.* Pſ. 105. 24.

STROMATA

1. Condemnatus IESUS tractatur etiam illicò tanquam damnatus: quo furore damnârunt, eodem ad injurias ejus prorumpunt, ac omne quidem injuriæ & contumeliæ procul dubio genus effuderunt in eum. Verùm de multis, quatuor tantùm Evangeliſtæ recenſent. Quorum Primum fuit *Conſputatio.* Uſitatum & infame genus contumeliæ atq; contemptûs. Num. 12. 14. In lege, Uxor defuncti ſine liberis, ſi frater eam ducere nollet, jubebatur conſpuere faciem nolentis. Deut. 25. 9. Nolebat IESUS Mortui Moyſis Uxorem Synagogam ducere (aut potiùs ipſa nolebat duci) ideo ſpuit in faciem illius, ſed non ad IESU, verùm ad ſuam contumeliam.

2. Illam faciem, *in quam deſiderant Angeli proſpicere.* Pſ 79. 8. illam quam videre antiqui Patres optabant dicentes: Pſ. 66. 1. *Oſtende nobis faciem tuam.* Exod 33. 13. *Illumina vultum tuum ſuper nos.*

ſuper nos. *Oſtende mihi faciem tuam.* Illam, in quam faciem conſputant Impii & procaces! Non erat ſcilicet in tota Caiphæ domo, vilior locus vultu Chriſti, in quē exercerentur fæces pectorum! A

3. Qui ſpuunt ſurſum in Cælum, hoc habent lucri, quod in ſputatores recidant ſputa ſua; ſic iſta impietas inimicorum Chriſti, jactavit ſputa ſua iu Cælum, in ſolem, immo in DEUM fructu non alio, niſi propriæ confuſionis.

4. Conſpuunt faciem IESU omnes, quotquot cogitata cordium ſuorum obſcænorum, immundorum, quomodolibet impiorum publicare & prædicare non verentur, gloriantes, cùm malè fecerint.

5. Conſpuunt faciem IESU, qui aliorum rectè facta, ſana conſilia, optimè ordinata & incæpta, ſiniſtris interpretationibus, capitum & cordium ſuorum excogitatis figmentis, velut quibusdam ſputis oblinunt & conſpurcant, & quia opus non poſſunt, intentionem in pravum torquent, voluntatem carpunt, ſubdolam eſſe, & aliud tegere, aliud proferre, tanquam ex tripode folioq; Sybillæ pronuntiari. B

6. Conſpuunt faciem IESU, qui innocentes ſimplicesq; ac rectos ſubſannant & illudunt, bonâ & ſimplici mente operãtes atq; gradientes. Quaſi enim ſalivâ & ſputis reſpergunt, qui alios bene operantes, propter bonam operationem ipſam irrident & irrideri ab aliis faciunt. Ut enim, qui in facie conſpuitur, erubeſcit; ita, qui de recto opere ridetur confunditur, & pudore ſuffuſus, à bonis vel abſtinere omnino, vel ſaltem in publico ea non facere cogitur. Quaſi ergo in facie conſpuitur, qui propter rectum, opus alienâ irriſione confunditur Et heu! quot ſunt tales conſputatores vultûs Chriſti! quot ſunt, qui alios à bonorum operum ſtudio, ſuis ſarcaſmis, ſannis, irriſionibusq; avertunt! parum eſt illis, damnari ſolis, aſſociati, peccatis alienis onuſti, perire volunt. C

7. Achis Rex Davidem ſprevit, videns Salivam oris ejus defluere, eumq; ejecit à facie ſuâ tanquam inſanum, (1. Reg. 21. 14.)

8. O dolor! vultum illum Patriarchis & prophetis & Angelis ipſis deſiderabilem, ſtellis lunâ ſole ſereniorem, fex orbis & viliſſimi Mortalium conſputant! Ah qualibus maculis Sol Iuſtitiæ abundat! quàm cilicino craſſiorem fædioremq; ſaccum induit! D

9. Exſpueras tu olim mi IESU & ſalivâ tuâ cæcum illuminâſti & ſurdum (Ioan. 9. 6.) audire feciſti, Nēpe ſalivâ tuâ ſapientiam & intellectum & guſtum præbet in bono. (Mar. 7. 33) O ſi, vel tuo ſputo, vel hac conſputatione tui vultûs, ſapor noſter, repararetur *ut glutiamus ſalivam noſtrã!* (Iob. 7. 19.)

PARAGRAPHUS LV.

JESVS oculis velatur.

Mar. 15. 65. Luc. 22. 64.

FIGURÆ

Ezechieli dixit DEVS faciem tuam velabis, quia portentum dedi te.. An non portentum IESUS talis? Ezech. 12. 6.

Moyſes ob conſortium DEI, debuit velare faciem ſuam. Chriſtus ob conſortium impiorum velatur in facie, Exod. 36. 35.

Apud Iſaiam Seraphini alis ſuis velabant faciem Domini ſedentis ſuper ſolium. Iam non eſt opus veſtro hoc miniſterio ô ſpiritus igniti; Ecce peccatores velaverunt faciem illam! Iam irretortis intueamini oculis Regem, & videte: ſit nè illa ejus majeſtas, quæ veſtros reverberabat oculos? Iſai. 6. 2.

Daniel ait: Tibi Domine iuſtitia, nobis autem confuſio faciei. Sed modò mutatæ ſunt vices! confuſio ſuper faciem Domini eſt! Dan. 9. 7.

PRÆDICTIONES

Cumq; obduxero nubibus cælum, recordabor fœderis mei vobiſcum. Gen. 9. 14

Operuit confuſio faciem meam. Pſ. 68. 8.

STROMATA

1. ALterum hoc injuriæ contumeliæq; genus Chriſto, irrogatum, *Velatio* ſcilicet faciei illius Theandricæ. Non poterat nimirum Malitia impietasq; Iudæorum ac Miniſtrorum ſuorum fulgorem illum Divinitatis ex facie Chriſti (út ait Hieronymus,) eluceſcentem ſuſtinere, non poterat ferre illam Angelicam immo Divininam Modeſtiam ſimul, ac Majeſtatem, quâ ſe vel nolentem cohiberi ſentiebat à ſcelere, & manſueſieri iu furore: ideoq; ut liberiùs ferociret ac inſaniret, velavit faciem illam, & aſpectui ſuo ſubduxit.

2. Fortè nimia fæditas fædaq; copia ſpurciſſimorum phlegmatum ſputorumq; in faciem Chriſti ejecta, nauſeam delicatis illis improbis movebat ipſaq; ſe impietas nauſeabat, ideo velaverunt, fæ-

Digitized by Google

verunt, fœdam ſputis faciem ejus.

3. Illo velamine oculorum Chriſti atq; faciei ſignificârunt Iudæi, faciem Chriſti ſemper ſibi velatam, & fuiſſe ante adventum ejus figuris, & fore poſt mortem, aſcenſionemq; ejusdem, obduratione ſui cordis, quod *velamen uſq; hodie* (teſte S. Paulo) *manet in cordibus eorum*, ut Chriſtum, fidemq; ipſius, toti mundo luceſcentem, ipſi ſoli non videant, ſitq; ipſis Chriſtus velatus: Unde impletum eſt id, quod prædixerat Chriſtus Iudæis: *Ego veni in nomine Patris mei, & non recepiſtis me &c.* Et illud: *Quæretis me & non invenietis & moriemini in peccato veſtro.* Et illud: *Abſconditus vultus ejus*, quia ſcilicet illuſores illi, tanto aſpectu digni non erant. Et illud *Nubes latibulum ejus, nec noſtra conſiderat.*

2. Cor. 3. 15.
Ioā 5.43.
Ioā. 7. 36.
Iſ. 53. 3.
Iob. 22. 14

4. Qui ex affectata ignorantia, ex voluntariâ Malitiâ ſcientes volentes peccant, qui oderunt veritatem, & prædicatores ejus, qui dicunt DEO: *recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus*; qui dicunt: *Nolite nobis loqui timorem Domini, loquimini nobis placentia*, hi ſunt qui velant faciem Chriſti, ut liberiùs, licentiùs, impunitiùs, impudentiùsq; peccent. Tales illi erant, qui dicebant: *circumveniamus juſtum, opprimamus eum, quia inutilis eſt nobis, improperat nobis peccata legis &c.*

Iob. 21. 14.
Iſ 30. 10.
Sap. 2. 12.

5. Velant faciem Domini, quicunq; peccata ſua, DEO, quantum in ipſis eſt, ignota eſſe volunt, qui ſcelera ſua celant in confeſſionibus, qui peccata ſua excuſant, qui juſtitiæ pſeudopoliticæ, frivolarum ratiuncularum pallio, iniquitates, injuſtitias, peccataq; ſua, in DEUM, & proximum integunt & obvelant, qui etiam in peccatis ſuis perſeverare, C ſordeſcere, putreſcere deſiderant, omnes iſti faciem Domini velant, ſed fruſtra; ſed in ſuam certiorem damnationem. O impii! ô cæci! ô ſtulti! venient tempora quando auferetur hæc omnis ſcena, & vela iſta ſubducentur, & dicetur de quolibet veſtrûm: *Ecce Homo & opera ejus! Neſcitis, quia in fine hominis denudatio operum ejus? Neſcitis, quia nuda & aperta ſunt, omnia oculis Dei? Nunquid qui fecit oculum non videbit?* Ah! quantò ſatiùs foret, tollere velamen à facie Domini: ab anima, ſcilicet, in qua relucet imago Trinitatis, & confeſſione verace detergere, detegere, deflere omnes maculas! Tibi infelix impietas, tibi velas faciem, obligasq; oculos, non D DEO: te excæcant ſcelera tua non Deum. Velles ut DEUS ſcelera tua vel neſciret vel nollet, vel non poſſet punire: & hoc eſt velle DEUM non eſſe DEUM; hoc eſt, non velatos tantùm habere, A ſed etiam excæcatos planè mentis oculos.

Luk. 12. 29.
Hebr. 4. 13.
Iſ. 93. 9.

6. Velaverunt faciem Domini, ut ſequentium injuriarum & illuſionum gradum erigerent de quibus num: ſeque.

7. Iſta velatione vultûs Chriſti, impleta eſt vox illa: *Abſconditus vultus ejus, & deſpectus, unde nec reputavimus eum.* Abſconditus eſt ſub velo, deſpectus ſub ſputis & alapis: Unde nec reputaverunt eum in cordibus ſuis Iudæi atq; Miniſtri, ſed inſtar viliſſimi jumenti tractaverunt, traxerunt, ceciderunt. Iſ. 53. 3.

8. Nequaquam hodie opus eſt velari faciem tuam, Domine IESU, pridem ipſe velâſti, quando ſcilicet, cùm in forma DEI eſſes, formam ſervi accepiſti.

9. Ferè ſemper DEUS velatos habet oculos ſuper peccata noſtra, diſſimulans illa propter pænitentiam; ſed nunquid ſemper erit? Non dico vobis: B ſed *Niſi pænitentiam egeritis, omnes ſimiliter peribitis* ait Dominus. Luc. 13. 5.

10. Iſto velo oculorum Domini & vultûs ſublatum eſt velum Ignorantiæ noſtræ, quâ tenebamur, & velum confuſionis, quæ operuerat faciem noſtram.

11. Adam in Paradyſo affectavit videre, ſcire ultra, quàm debuerat; Hinc oculi Chriſti ſunt velati. Initium peccati Evæ, fuit ab oculis, *vidit Mulier pomum pulchrum viſu & aſpectu delectabile.* Gen. 3.

12. (Ad contegendum viſum noſtrum, exemplum Salvator noſter tradidit, qui nec proprios velari oculos in deriſionem recuſavit. Quocirca, ſcandalizantem oculum ſecundùm Domini Cõſilium eruamus, ut viſum, videlicet ne vanitates hauriat, avertere ſtudeamus.) Hæc Humbertus qui dè hac oculorum cuſtodia, plura etiam habet in Regulâ S. Auguſt: c. 78. & ſeq.

PARAGRAPHVS LVI.

JESVS oculis velatus, colaphis, alapis, palmis, pugnis cæditur, prophetare jubetur. Matt 26. 68.

PRÆDICTIONES.

Corpus meum dedi percutientibus &c. Iſ. 50. 6.
Poſui faciem meam ut Petram duriſſimam. Ibid. ỽ. 7
Dies tribulationis & blaſphemiæ, dies iſte. 4. Reg. 19. 3.

Digitized by Google

STROMATA.

1. TErtium & Quartum injuriæ Chriſto illatæ Genus fuit, colaphizatio omnimoda. Velatis enim oculis Chriſti, quaſi per tenebras & ludibrium, cœperunt ab ante, à retrò, à lateribus, caput, collum, genas, faciem, nares. pugnis, palmis percutere, & de percuſſore innocentem ac patientem Dominum conjectare atq; prophetare: per hæc non tantùm dolorem inferentes; non tantùm contumeliam multiplicem irrogantes; non tantùm illudentes, ſed etiam falſum prophetam, impoſtorem, ſeductoremq; innuentes, ut qui populis impoſuerit ſe prophetam jactando, interea verò percuſſorem ignorando. Ex tam durè ludicrâ & ludicrè durâ Dominici B vultûs tractatione, neceſſariò defædatus eſt totus Domini vultus, tumorem, livorem, ſanguinolentiam contraxit,; ita, ut illi tunc, *Non fuerit ſpecies neq; decor.*

2. Verberatur & de percuſſore prophetare jubetur Dominus, planè ac ſi mendax tua ſit veritas, ô Prima veritas!
Pr. 14. 9. ſic ſcilicet quaſi per riſum *ſtultus operatur malum; ſtultus illudet peccatum.* & quantò diriorem infert DEI gloriæ honoriq; contumeliam, tantò jucundiùs applaudit ſibi! Heu quàm multi dicunt etiam
Eccli. 5. 4. hodie: *peccavi & quid accidit mihi triſte!* quàm multi ſana Conſilia, jocis & ſannis eludunt! quàm multi, Amatores Animarum ſuarum detractionibus lacerant, ſarcaſmis lancinant, mendaciis denigrant, odio gratuito perſequun-
Pſ. 108. 4. tur! *Pro eo* (ait talium juſtorum Dominus) *quòd me diligerent, detrahebant mibi &c.* C

3. O Animæ pietatis ſequaces! hæc ecce eſt occaſio pietatis! Veſtris profectibus iſthæc petra tunditur, ut poſſitis ſugere *mel de petra oleumq; de ſaxo duriſſimo,* quo caput veſtrum impinguetur. Et quid tandem vos ad Sanctitatis (id eſt, ad conſtantis, Solidæ & fructiferæ pietatis ſtudium adducet? Si iſtæ Chriſti ignominiæ in veſtris oculis, ab ipſo, toleratæ non adducent? Tam duras ambulat Caput noſtrum vias: nos ejus membra molliculas ſectabimur? O Chriſtiane ibi fige curſûs profectûsq;, tui metam ubi Chriſtus poſuit ſuam. Si hæc
Luc. 24. 26. *oportuit Chriſtum pati & ſic intrare in gloriam ſuam,* quid nos oportebit ſuſtinere D ut intremus in gloriam Chriſti? Sanè ſi deliciis hic affluentes, gloriam Chriſti intrare ambiverimus, dicet nobis, *Amice quomodo huc intraſti. non habens ve-* Matt. 22. 12.
A *ſtem nuptialem* tribulationis, propter me, quâ ego fui indutus propter te? Prò! quis mihi, quis cuilibet delicato Martyri Leu. 16. 21. tunc erit æſtus? quis pudor?

4. In lege veteri, Sacrificium expiatorium fuit, in quo caper producebatur & à Sacerdotibus maledicebatur, omniſq; populus manus ſuas imponebat ei, atq; totius populi manibus attactus & peccatis onuſtus expellebatur in deſertum. Hæc fuit imago præſentis actûs. Caper Chriſtus, maledicitur à Principibus Sacerdotum: imponuntur ei manus, immo impinguntur ei pugni, palmæ, colaphi; tandē ejicietur in deſertū, tradetur in manus Gentium.

5. Qui Chriſtum percutiunt oculis velatum, & prophetare jubent, ſunt hodierni Hæretici, & Hæreticorum Fratres (an Patres?) Pſeudopolitici, Illi enim (Hæretici) oculos veritati clauſos habent, & veritatem oppugnant, fidemq; orthodoxam: & nihilominus, perpetuò ſcripturas crepant & ſcrutantur non ut veritatem inveniant, ſed ut quo veritatem oppugnent, & ſuos errores in ſpeciem firment, ſeſeq; ac ſuos ſequaces decipiant, habere poſſint. Quaſi ergo Chriſtum prophetare jubent & percutiunt, quando ex ſcripturis errores ſuos probant, quibus veritatem oppugnēt. Id ipſum & Iudæi faciunt uſq; hodie: ſcrutantur ſcripturas de Chriſto, Chriſtum in eis quærunt. quaſi futurum & venturum: & interim Chriſtum verè oppugnant ac illudunt præſentem ac exſiſtentem. Iſti verò (Pſeudopolitici) Chriſtum ſub velamine vel potiùs pro velamine habent, Religionem ac Pietatem tanquam veſtem, vel calceum, gerunt, ponunt, mutant, æſtimant, & abjiciunt, prout ſcilicet Idolo ſuo hoc eſt, rationi ſtatûs, & deſignationibus politicis commodum judicant: percutiunt Chriſtum, quia pietatem ac impietatem ſûs deq; habent: prophetare jubent, quia omnem profeſſionem cultumq; pietatis, futuris ſuis commodis ſervire volunt, & DEUM nonniſi ad ſuum proprium fructum guſtumq; colunt. Non abſimiles ſunt utriſq; ſpiritualium quidam, qui propterea Eccleſiaſticas occupant dignitates, ut quos diabolus ſuperbus cum ſuo mundo, ad luxus ſuos admittere non dignabatur, hi ſub Chriſto paupere Militantes in Patrimonio Crucifixi luxurientur: velant iſti oculos Chriſto, Eccleſiaſtici ſtatûs ordiniſq;

Digitized by Google

ordiniſq́; ſignaculo, prophetare Chriſtum jubent, quia ſub miniſterio Eccleſiaſtico ad opes perveniunt, percutiunt tamen Chriſtum & illudunt, quia ad propria & ſæcularia ſive lucra, ſive oblectamenta vacantes, DEI cauſam negligunt, animas ſibi commiſſas & proprias ſuas perire ſinunt, ſanguinem Chriſti abliguriunt, animas illo ſanguine emptas, & lotas, dæmoni devorandas immolant.

6, Pro eo, quod in Matthæo, vulgata verſio habet: *& colaphis eum ceciderunt* Matt. 25. verſio Græca legit: *& crepidis eum ceciderunt.* Nempe explicatur inſtrumentum, quo Dominus IESUS non tantùm ad dolorem, ſed etiam ad contemptum contumeliamq́; colaphizatus eſt. Et certè Iudæis fuiſſe in more conſtat, quos odiſſent aut contumelioſè tractare vellent, detractis calceis aut crepidis in faciem cædere atq́; in os, oculoſq́; conſpuere. Idq́; factum eſſe ab iiſdem Chriſto Domino, dubitari non debet. quin & Revelationes quædam referunt, inter alias injurias, Chriſtum Dominum calceis, ſive crepidis, ſive calcibus centies quadragies percuſſum eſſe.

PARAGRAPHVS LVII.

JESV genæ velluntur & capilli.

PRÆDICTIONES

Iſ. 50. 6. *Dedi genas meas vellentibus.*

STROMATA.

1: Quintum hoc genus contumeliæ, præteritum ab Evangeliſtis, expreſſum ab Iſaiâ Prophetâ, quod propriè contemptiſſimis hominibus, & ludibrio propoſitis irrogari ſolet, inter temulentos & ſcurras proprium. Ex quo colligere eſt facilè, quàm contemptim habitus ſit Dominus noſter in illa horâ, & quàm multis ſit blaſphemiis & ſannis, & doloribus, vexatus; quàm certatim ab uno quoq́; appetitus contumeliis & injuriis. Tractionem capillorum & vulſionem genarum expreſſit Propheta ſpecialiter, non ſolùm quòd hæc afflictio fuerit Domino magni doloris cauſa, ſed etiam quòd cum ſummo contemptu ſummaq́; irriſione & deſpectu conjuncta. Percutientibus alijs atq́; aliis, hinc inde caput, collum, faciem, alii atq́; alii, diverſas in partes diſtrahebant capillos capitis & genarum & menti non abſq́; concuſſione cerebri, infractione colli, A diſtractione cervicis, concuſſione malarum, ſuffuſione oculorum, ruptione labiorum, fracturâ vultûs, decalvatione capitis, denudatione genarum! O quàm grandis malorum, acerbitatumq́; procella! Tunc impletum eſt, quod dixit David in perſona Domini: Pſ. 21. 7. *Ego autem ſum vermis & non Homo, opprobrium Hominum & abjectio plebis.* Et Iob ait in Domini perſona. Iob. 16. 11. *Aperuerunt ſuper me, ora ſua. & exprobrantes percuſſerunt maxillam meam, ſati* & ſequẽt. *ati ſunt pœnis meis. Concluſit me DEUS apud iniquum, & manibus impiorum me tradidit. Tenuit cervicem meam, confregit me, & poſuit me ſibi quaſi in ſignum.* Similiter illud: *Corpus meum dedi percutientibus, &* Iſ. 50. 6. *genas meas vellentibus, faciem meam. Non averti à ſputo & ignominia,* Hebr: habent: *Non averti ab increpantibus & conſpuentibus in me.* B Similiter illud: Iob. 30. 9. 10. *In eorum Canticum verſus ſum, & factus ſum eis in proverbium: abominantur me & faciem meam conſpuere non verentur.* Similiter: *Dabit percutienti ſe,* Thr. 3. 30. *maxillam, ſaturabitur opprobrijs.*

2. Advertendum vero circa omnes haſce Chriſti injurias, quod omnes in judæos ipſos, tandem pœnâ finali, reciderint: ſecundùm illud: *Qui in altum* Eccli. 22. 25. *mittit Lapidem, ſuper caput ejus cadet, & plaga doloſa dividet doloſi Vulnera &c.* Nam uſq hodie velamen habent ſuper corda ſua & aſſiduò in ſcripturis ſcrutantes, eas non tantùm non intelligunt, ſed inſuper in ſtultiſſimos, ac puerorum inſa- C norumq́; riſu dignos deveniunt ſenſus. Factum eſt eis, quod poſtulabat Iſaias *Excæca Domine cor populi hujus, & aures ejus* Iſ. 6. 10. *aggrava, ut videntes non videant, & audientes non intelligant, ne quando convertantur & ſanem eos.* Et Davidis votum: *Obſcurentur oculi eorum ne videant. & dorſum eorum* Pſ. 68. 24. *ſemper incurva.* Revera enim abſconditi ſunt oculi eorum, non tantùm à luce fidei, ſed à luce etiam ſplendoreq́; Hominum. Quid enim eis abjectius, contemptius, ſordidius, fœtidius, & quidem apud omnes gentes, in totoq́; mundo, per tot jam ſæcula & ætates? Impletum eſt in eis, illud Ieremiæ, & impletur hucuſq́;: *Dabo eos in vexationem affli-* Ier. 24. 9. *ctionemq́; omnibus Regnis terræ; in opprobrium* D *& in parabolam & in proverbium & in maledictionem in univerſis locis, ad quæ ejeci eos.* Et illud Moyſis: *Quomodo perſequatur unus mil-* Deut. 32. 30. *le & duo fugent decem millia.* (id eſt Iudæorum) *nonnè ideo quia DEUS ſuus vendidit eos, & Dominus concluſit illos?* Sed

Digitized by Google

nos, qui iſta in Iudæis cernimus, ſic cernamus, ut nè in ſimilia DEI Iudicia incidamus, laboremus: laboremus dico, vitæ emendatione ac morum, facientes fructus dignos pænitentiæ. Nemo dicat
Rom. 11. 23. *fracti ſunt rami, ut ego inſerar.* Nam ſi DEUS Naturalibus ramis non pepercit (vide) ne fortè, nec tibi parcat. Vide ergo bonitatem & ſeveritatem DEI, in eos quidem, qui ceciderunt ſeveritatem, in te autem bonitatem DEI, ſi permanſeris in bonitate; alioquin & tu excinderis.

Matt. 26. 71.
Mar. 14. 68.
Luc. 24. 58.
Ioan. 18. 25.

PARAGRAPHVS LVIII.

JESV, Diſcipulatus Petro ab Ancillis, à Militibus, objicitur.

STROMATA

DUm ita, prout dictum eſt, à Sanctis Evangeliſtis, per varios modos & examinatur & accuſatur & adjuratur, & factionis universæ clamore condemnatur, & innumeris omnium injuriis, contumeliis, illuſionibus verberationibus exagitatur Dominus JESUS, non parum temporis nocturni inſumptum eſt, interea Petro certamen ſuſcitatum eſt, in quo & ſuccubuit. Prædixerat Petro JESUS, multa de ſe etiam ſupra Cæteros Apoſtolos, quoàd conſtantem Domino adhæſionem, præſumenti C atq; pollicenti, prædixerat inquam Petro Dominus negationem ſui ternam, eâ ipsâ nocte ab illo faciendam, & quidem ante ſecundum galli cantum; prædixerat porro non ſemel, ſed tribus vicibus, ùt ex diverſis Evangeliſtis, diverſas prædictionum occaſiones, & ſi ſemper propter conſtantem Petri, ſui fiduciam, referentibus, videtur ſatis clarè colligi.
Ioan. 13. 33. 1. enim refert S. Ioannes quòd cùm Chriſtus dixiſſet Apoſtolis: *quò ego vado, vos non poteſtis venire; dixit illi Simon Petrus: Domine quò vadis? reſpondit JESUS: quò ego vado non potes me modò ſequi, ſequeris autem poſtea. dicit ei Petrus: quare non poſſum te ſequi modo? animam meam pro te ponam. Reſpondit ei JESVS: Animam tuam pro me pones? Amen amen dico tibi: non cantabit gallus donec ter me neges,* D Hæc una prædictio. & prædictionis occaſio à Ioanne deſcripta:
Luc. 22. 31. Aliam deſcribit Lucas: *Ait autem Dominus: Simon Simon ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret ſicut triticum: Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando converſus confirma fratres tuos. Qui dixit ei: Tecum paratus ſum & in carcerem & in* A *mortem ire. At ille dixit: dico tibi Petre: non cantabit hodie gallus donec ter abneges noſſe me.. Et dixit eis: quando miſi vos ſinè ſacculo. &c:* Hæc eſt ſecunda prædictio & prædictionis occaſio. Tertiam deſcribit
Marcus & Matthæus, ſed ex Marco tantùm verba appono: Ait eis JESUS: omnes *ſcandalizabimini in me in nocte iſta, quia ſcriptū eſt: Percutiā Paſtorē & diſpergentur Oves, ſed poſtquam reſurrexero, præcedam vos in Galilæam; Petrus autem ait illi: etſi omnes ſcandalizati fuerint in te, ſed non ego. Et ait illi JESUS: amen dico tibi, quia tu hodie in nocte hac, priusquam gallus bis vocem dederit, ter me es negaturus. At ille ampliùs loquebatur: Etſi oportuerit me ſimul commori tibi, non te* B *negabo: ſimiliter autem & omnes dicebant.* Mar. 14. 27. Matt. 26. 31.

Hæc eſt tertia prædictio & prædictionis occaſio. Inter quas prædictiones quid interſit, ſeu quòd diſtinctæ ſint, oſtendunt occaſiones diſtinctæ ſingulæ, & omnes à ſe multum diverſæ. Oſtendunt præterea, quia diſtinctis valde temporibus ſunt factæ, ùt colligere licet ex Evangeliſtis. Nam ea occaſio atq; conſequenter prædictio, quam Ioannes refert facta eſt ſtatim poſt cænam, poſt Iudæ diſceſſum è cænaculo, ſtatim ad initium ſermonis quem Dominus JESUS bene longum ordiebatur ad Diſcipulos, patet ex. c. 13. à ℣. 31. quâ prædictione factâ, ſermo à Domino habitus eſt, ut refertur à S. Ioanne, totis, 14. 15. 16. capitibus in fine autem c. 16. 32. Dominus prædicit Diſcipulis diſperſionem in propria, quæ eſt eadem prædictio cum ſcandalizatione prædicta, & explicata apud Marcum 14. 27 & Matthæum 26. 31. Qua diſperſione prænuntiatâ, rurſus Dominus Orationem fecit ad Patrem, ſublevatis oculis in cælum, quam idem Ioannes refert, c. 17. integro. eâq; finita, Dominus egreſſus eſt cum Diſcipulis trans torrentem, ut idem Ioannes initio c. 18. refert. Iam verò Secunda occaſio, quàm refert Lucas, facta eſt, antequam egreſſus eſſet Dominus è Cænaculo poſt Cænam, ùt patet ex hac ſerie narrationis Lucæ, quæ talis eſt. 1. explicatur transactio Cænæ. 2. Notatus proditor refertur. 3. Attingitur disquiſitio diſcipulorum inter ſe, quisnam notaretur proditionis. 4. Explicatur nata inter diſcipulos contentio de primatu, quâ diſcuſſâ per orationem Domini & Monitionem. Mox 5. Dominus alloquitur Petrum Simonem, quomodo ſatanas ex-

ſatanas expetiverit Diſcipulos ad cribrādum; quomodo pro Simone oraverit Dominus, ne fides ejus deficiat, utq; converſus confirmet fratres ſuos: hac oratione Domini, Simon commotus 6. profitetur ſe cum Domino paratum in carcerem & mortem ire hic verò 7. prædicitur Petro Negatio trina. poſt prædictionem negationis, interſeruntur à Domino quædam pluſcula. Tandem 9. cum dixiſſet Dominus: *Satis eſt.* Subjūgitur ab Evangeliſta: *Et egreſſus ibat ſecundùm conſuetudinem, in montem olivarum* (Luc. 21. 39.) 8. quæ ſeries videtur non obſcurè indicare hanc prædictionem Negationis Petri factam in cœnaculo, ante egreſſum, versùs hortum & montem olivarum. At tertia prædictio ſecundùm Matthæum atq; Marcum facta eſt, quando Dominus peractis in cœnaculo omnibus, cum Diſcipulis: *Hymno dicto exiverūt in Montem oliveti*, (Matt. 26. 30. 31.) tunc dicit illis IESUS: *omnes vos ſcandalum patiemini in me in iſta nocte &c.* Moxq; Petro animoſitatem ſuam proteſtante, prædicitur illi negatio. Ex quo patet, hanc prædictionem factam, poſt egreſſum jam in via, ac proinde diuerſam eſſe à præcedente prædictione, tam relatâ per Lucam, quàm per Ioannem, quas in cœnaculo factas penè conſtat certò, maximè eam, quàm exponit Ioannes. Confirmari hæc omnia poſſunt diverſis valde Petri Reſponſis ſive verbis, quibus ſuam Chriſto fidem Animoſitatemq; proteſtatus eſt, à ſingulis quippè Evangeliſtis, alii & alii modi loquendi recenſentur, nihil habentes inter ſe conformitatis, niſi quòd omnes fiduciam ſuî redoleant. Neq; obſtat, quòd dici poſſet, incredibile videri, ut Petrus repreſſus in ſua fiducia nimia à Domino ſemel ſat expreſsè, nihilominus impingeret in eundem ſcopulum, non tantùm ſecundò, ſed etiam tertiò. Nam imprimis non eſt etiam credibile, Evangeliſtas, unam eandemq; Prædictionem negationis Petri, tam diverſimodè quoàd occaſiones, tempora, loca modosq; referre. Deinde fervor iſte, Petri ab ingenio non eſſe alienus dignoſcitur, tum ex aliis occaſionibus, in quibus ille provectus longiusculè, crebro deſcribitur in Evangelio, tum etiam ex hac ipſa occaſione, quàm Matthæus, Marcusq; referunt. Cùm enim illi animoſitatem ſuam, ſupra reliquos condiſcipulos, efferenti, Dominus prædixiſſet ternam ſuî negationem, ante binum galli cantum, cum ſeriâ & Domino ſolitâ aſſeveratione: *Amen dico tibi, quia tu hodie in nocte hac &c.* nihilominus non tantùm Petrus nihil deferbuit aut remiſit, verùm etiam longiùs progreſſus eſt: dicit enim Marcus: *At ille ampliùs loquebatur: & ſi oportuerit me ſimul commori &c.* adeò, ut ejus ſpiritu incitati reliqui, ſimiliter etiam dicerent. Ex his omnibus prædictis hactenus, videtur valde probabile, ter fuiſſe Petro à Domino prænuntiatam negationem, in qua etiam ſententia eſt D. Auguſtinus l. 3. de conſ. Evang. c. 2. Item, V. Beda & D. Thomas ad 26. caput Matthæi in catenâ & Alii. His igitur explicatis de prædictione negationis, ſuppoſitis etiam his, quæ refert Ioannes, de introductione Petri in atrium Pontificis, à quodam Diſcipulo Pontifici noto, de quo ſupra paragr. 42. vidimus. Jam quomodo ad Negationem ipſam devolutus ſit Petrus? hoc eſt, quomodo Diſcipulatus Chriſti, Petro ſit objectus ab ancillâ unâ & alterâ tum à militibus? deveniamus, quâ in re, quia eſt ingens difficultas, ob miram variationē Evangeliſtarum narrantium, commodiſſimum puto, ad tollendam omnem, quoad fieri poteſt, difficultatem, ex ipſiſmet Evangeliſtarum verbis inter ſe coordinatis, eam expedire. Introducto igitur, operâ Diſcipuli Pontifici noti, Petro in atrium, Petrus ſedebat foris in atrio, & cùm eſſet in atrio deorſum, venit una ancilla, quædam ex ancillis Summi Sacerdotis *Oſtiaria, quem cùm vidiſſet ſedentem ad lumen, acceſſit ad eum & cùm vidiſſet Petrum calefacientem ſe,* & eum fuiſſet intuita, aſpiciens illum dixit: *Et hic cum illo erat. dicit ergo Petro: Nunquid & tu ex Diſcipulis es Hominis iſtius?* Et tu cum IESU Nazaræno Galilæo eras. *At ille negavit cum coram omnibus dicens: Non ſum, Mulier, non novi illum neq; ſcio neq; novi quid dicas; & exivit foras ante atrium & gallus cantavit.* primâ nimirum vice, circa mediam noctem, quo tempore primi galli cantus eſſe ſolent, exiit autem Petrus poſt primam negationem non planè ex palatio Pontificis, quod ſi feciſſet, in ulteriora progreſſus non fuiſſet, ſed ſcilicet veritus ne ſi abiret omnino, augeret ſuſpicionem miniſtris, qui illum perſequi & tenere tentâſſent, ideo diſſimulato metu tantiſper digreſſus quaſi ad veſtibulum atrii, rediit rurſus ad milites ad ignem. *Exeunte autem illo jannam vidit eum alia ancilla,* & rurſus cùm vidiſſet illum, *cæpit dicere circumſtantibus hic, qui erāt ibi: quia hic ex illis eſt, & erat cum IESU Nazaræno* Et poſt puſillū, alius videns eū dixit: *Et tu de illis es; ſtabant autem ſervi & miniſtri*

miniſtri ad prunas, quia frigus erat & cale-
faciebant ſe; erat autem & Petrus cum eis
ſtans & calefaciens ſe, dixerunt ergo ei: Nun- A
quid & tu ex diſcipulis ejus es? Negavit ille &
dixit: Non ſum, ô homo non ſum; & ite-
rum negavit cum juramento: quia non novi ho-
minem. Et poſt puſillum rurſus, inter-
vallo facto quaſi horæ unius, alius qui-
dam affirmabat, dicens: *Verè & hic cum*
illo erat, nam & Galilæus eſt: & acceſſerunt
qui ſtabant & dixerunt Petro: *Verè &*
tu ex illis es. nam & Galilæus es, & loquela tua
manifeſtum te facit (&) dicit ei unus ex ſervis
Pontificis, cognatus ejus, cujus abſcidit Petrus
auriculam. Nonne ego te vidi in horto cum il-
lo? Iterum ergo negavit Petrus & ait: Homo
neſcio quid dicis. (&) tunc cæpit deteſtari, a-
nathematizare, & iurare, quia non noviſſet Ho-
minem: (&) quia, neſcio hominem iſtum quẽ
dicitis. Et ſtatim adhuc eo loquente gallus ite-
rum cantavit. Et converſus Dominus reſpe-
xit Petrum, & recordatus eſt Petrus verbi Do-
mini JESU, quod dixerat ei JESUS: priusquam
gallus cantet bis, ter me negabis. Et cæpit Pe-
trus flere, & egreſſus foras flevit amarè. Ex
hac ſerie ac veluti Catena Evangeliſta-
rũ Evãgelicorũq; verborũ, cõſtare videtur
nõ eſſe ullã contrarietatẽ apud ſcriptores
ſacros, ſed omnes idem referre, hoc eſt,
tres Petri negationes, & ſi ex diverſis
quodámodo occaſionibus natas, quæ ta-
men in re, diverſæ non ſunt, ſed tantùm
partes trium diverſarum. Quia enim Pe-
trus erat in turba atq; tumultu & fre-
mitu miniſtrorum ac Militum, quorum
alii atq; alii, hinc inde, prout animus fe-
rebat in Petrum compellandum incur-
rebant, & ille nunc pluribus, nunc uni
reſpondens, negabat; ideo Evangeliſtæ
diverſi diverſos compellatores ponunt,
eaſdem tamen negationes referunt. Ma-
ximè cùm non inuſitatum ſit Evangeli-
ſtis narrare non attento ordine geſto-
rũ; dicũt enim dicta priùs, geſta poſteri-
ùs, & è contra: dicunt etiam facta vel
dicta plurium tanquam ab uno, unius
tanquam à pluribus, ſi nimirum vel men-
tio poſterioris geſti patiatur ſe priùs di-
ci, vel ſi unus motor fuerit plurium ad
agendum vel dicendum, tunc enim unus
Evangeliſta narrabit factum ab uno tan-
tùm, alius autem dicet factum à pluri-
bus illud ipſum, non aſſertione, ſed reſpe-
ctu, diverſa. His ita expoſitis.

1. Iam videamus, quanta mala præ-
ſumptio & fiducia ſui, homini etiam
valde (ut ſibi videtur quis forſan) fun-
dato in ſpiritu & virtute ingeneret. Lu-
culentiſſimum ejus rei exemplum, Pe- D
trus eſt, qui videbatur ſibi planè Petrus
eſſe ſeu Petra, nulli ceſſurus timori,
periculo, morti: at ecce Ancillulæ vo-
ci ceſſit & perculſus eſt, expalluit, ne-
gavit! Magno ſanè documento Sanctiſ-
ſimis quibusq; non altum ſapiendi ſed
timendi ſemper: non ſibi fidendi unquã,
diffidendi aſſiduè, & in ſolo DEO con-
fidendi.

2. Roboris humani conſtantiæq; ſpe-
cimen ſanè ſingulare, Petrus eſt, in pro-
ſpera adverſaq; fortuna, affluentia cor-
dis & deſolatione. Quamdiu ille Chri-
ſto fruebatur pacato, extra periculum
poſito, quid non animi habebat, quid non
ſpirabat roboris? Capto Chriſto, vin-
cto, ligato, inter manus hoſtium poſi-
to, mutatã in adverſitatem & deſolatio-
nem proſperitate, atq; abundantiã cor-
dis, ecce tibi fuga à Domino! ecce à
longè ſecutio! ecce, in qualibet pericu-
li umbra, trepidatio, anguſtia, averſio,
negatio! O ſi ita columnæ cæli cadunt!
ſi ita Petræ ſolidiſſimæ nutant! ſi ita
fumigant montes! quid fiet foliolis, &
B vento & plumis leviſſimis? quomodo,
non dabunt ventis ludibrium, ſi manus
Domini amota fuerit, & ſubtracta pro-
tectio Omnipotentis? Sumus omnes
inſtar puſionum, greſſus figere ſtabiles
ad momentum non valentium, ſi nos nu-
tricatoria manus, vel tantisper noſtris
viribus permiſerit! ſumus omnes inſtar
folii, *quod à vento rapitur;* inſtar *pulveris,* *Iob. 13.25*
quem projicit ventus à facie terræ; fumi ſpon- *Pſ. 1. 4.*
te ſuã, in auram diffluentis, inſtar um-
bræ fugientis.

3. Ecce pravæ familiaritatis, ecce pe-
riculoſæ occaſionis fructus! Nemo Apo-
ſtolorum tam fœdè offendit, quàm Pe-
trus impegit; nec enim ullus ſe occa-
ſioni expoſuit, nullus ſe pravorum con-
C tubernio immiſcuit. O virtutes ô viri
virtutum! ô Homines potentes virtu-
te! pulchritudinis ſtudium habentes!
fugite ab occaſionibus! cadunt ſolidæ;
& quid fiet tenellis? ſi extra occaſio-
nẽ vix ſubſiſtunt, in occaſionibus, inter e-
xẽpla, inter ſtimulos, inter impellẽtes, in-
ter trahẽtes, inter rapientes, & volventes
ſecum, ad malum, malos Socios, quo-
modo ſtabunt? quomodo infractæ reſi-
ſtent? Occaſio facit furem, vulgo dici-
tur: non tantùm furem, facit & adul-
terum, & homicidam & ſuperbum, & a-
varum, & invidum, & vindicativum,
& timidum, & deſperatum, & tepidum.
Magna vis occaſionis & paucis nota!
Quod eſt congrua ad bonum gratia DEI,
D hoc eſt, oportuna ad malum occaſio
mali.

4. Sic eti-

4. Sic etiam Petræ molleſcunt ad voculas Muliercularum! & erunt homines alioqui cerei, & teneri, qui commorari, colludere, cohærere ſe putabunt A poſſe fæminis? Si poterit terræ aqua miſceri, nec fieri lutum, ſi paleæ eſſe in igne poſſunt nec ardere, ſi cera poteſt non fluere ad ardorem ignis, poterit etiam fæminarum inter colloquia & conſortia, quiſpiam non periclitari. Qui eſt durior petrâ, firmior Petro, hic incutius in familiaritate non erit.

5. Etiamne Petræ tentationibus tunduntur! & quid fiet carni aut ſanguini? quid fiet voluptati aut indulgentiæ? quid fiet mollitudini & ſocordiæ? Tentatur Petrus, & cadit! vaſa fragilia, vaſa figuli non tentabuntur? non cadent? non confringentur? Erat ſtatua Nabuchodonoſoris, ſolido ex auro, argento, ære, ferro facta, exiguus tamen lapillus extremitates pedum teſtaceas, ferreaſq; permixtim cùm inveniſſet ac percuſſiſſet, ita ſta- B tuæ ſoliditatem, elegantiam, ſpeciem, proceritatem, pretium, aurum, argentū, æs, ferrum teſtam commiſcuit, ut nulli metallo ſuus locus, ſpecies, valor, decor, pondus, ſitus, manſerit. Tales ſunt noſtræ ſoliditates, ſpecies, pretia, altitudines, ſitus, licèt ferrei, ærei, argentei, aurei, extrema tamē noſtra, radices noſtræ, ſunt terra, ſunt teſta, de nihilo ſumus de merâ fæce, ac ſede, ac nidulo infirmitatis, iſthuc ſi tāgamur, ſi percutiamur, omnia noſtra pretia, roboraq; in ſuam originem, in nihilitatis fragilitatem revolventur. Neq; opus eſt montibus, rupibus, cautibusvé ingentibus, ad nos conterendos, lapillus ſatis eſt, immo vocula ſatis eſt, C occaſio ſatis eſt, tentatiuncula ſatis eſt!

6. En quibus procedit gradibus & tentationum & lapſuum ſeries! à minimis proponendis, labefactandiſq; incipit diabolus; tunc ad graviora progreditur. Non à ſummis incipit, non ad graviſſimos lapſu provocat; ſcit enim, quod iſti repente & primò objecti ipſâ ſui gravitate terrerent tentatum, explodi facerent tentatorem: ſed à minimis incipit, quæ ſŭi parvitate contemptum prætendant, & tanquam minimè noxia, facili negotio tollenda, emendandaq; quandocunq; collibuerit, ſinè labore ad ſui perpetrationem illiciunt; deinde ad re- D petitionem ſŭi provocant, & nihil penè ſe nocere, nihil etiam periculi offerre mentiuntur: tum ad majora ſenſim ducunt, animum faciunt, ex commiſſis jam, ad committenda trahunt, tandem tandem in extremè gravia trudunt ut aqua tenuiſſimis primum inſerpit guttis, inſerpendo autem tenuiter laxat viam majuſculis rivulis, tandem torrentis inſtar labitur, tandem tandemq; plenis fluminibus, fluctibuſq; aggeres rumpit, ex fundamentis ſubruit, obvia quæq; rapit, nec patitur obſtaculum, donec totâ vi, ſeſe effundat atq; exhauriat. Et quis intuens minima, quòd ſint minima, ſecuturam ex eis crederet extremam ſummamq; ruinam? non ſunt minima ſpectanda, quia minima, ſed quia viam ſternunt ad mala maxima, quia ſine illis non ſtant, immò quia non niſi in illis conſtant, pericula damnaq; maxima. At enim quoties eſt, qui timeat, qui æſtimet, qui curet, qui cuſtodiat, qui caveat, qui teneat minima? hujus rei, ſive curæ ſcientiam practicam, perfectam aut ſaltem perfectiorem, auſim dicere nemo habet. Si Iacobo S. licuit dicere: *qui non offendit in verbo, hic perfectus eſt vir,* quanto ma- Jac: 3.2.
gìs licebit dicere: qui non offendit in minimis, hic perfectus eſt vir. Ex minimis enim unum eſt verbum, quare, ſi in uno minimo non offendere, perfecti eſt: quomodo in omnibus minimis non offendere, perfectiſſimi non erit?

7. Prima, cujus ad vocem, Apoſtolorum Princeps cecidit in negationem, fuit puella: ſecunda, quæ eidem ad ſecundum caſum viam ſtravit, alia fuit itē puella, ſive Ancilla. Quis jam Sacerdotum Eccleſiaſticorumq;, non ſibi metuet à conſortio, & convictu fæminarum? quando tantum ab eis creatum eſt, vel capiti Eccleſiæ periculum! Nunquam integrâ famâ, nunquam fortè & ſalvâ virtute, integrâ caſtitate cohabitavit, aut, familiariùs inſuevit mulierculis Sacerdotium. Quiſquis Eccleſiaſticorum caſtè ambulare vult, ambulet cautè: tantò ambulabit cautiùs, quantò à fæminis remotius. Ac omnium quidem conſortium vitandum eſt: ſed imprimis earum, quæ ſunt oſtiariæ: quæ fidentius ſeſe offerunt, atq; aperiunt, quæ frequentius colloquia, ſub ſpecie & colore boni ſui profectûs, affectant, quæ benevolentiâ munuſculiſq; ſuis hoc volunt, ut redamentur, hoc eſt ut affectum erga ſe capiant, ac tandem dominentur. Rara, brevis, ſevera, publica, neceſſaria converſatio cum fæminis, hæc eſt Sacerdoti tolerabilis, ſi omnis alioqui eſt inevitabilis.

8. Rectiſſimè S. Franciſcus aſſeruit: Carnem noſtram eſſe Diaboli baculum, quo ille nos ad placitum ſuum cædit; hæc eſt Ancilla quæ Petrum intromittit,

Digitized by Google

intuetur, alloquitur, & ad negandum IESUM, Diſcipulatumq; IESU deducit! Hæc eſt Dalila, quæ Samſonem fortitudinis capillis ſpoliatum, in manus tradit Philiſtinorum, ab eis excæcandum, &
Judic 16. ad piſtrini labores damnandum! Hæc eſt
20. Bethſabee Davidis ſanctitatem peſſun-
2. Reg. 11. dans. Blanditiis corporalibus deditus,
40. nemo unquam, ſine noxâ, ſine injuriâ ſpiritûs & Animæ, & DEi exſtitit. alioqui cur Apoſtolus dixiſſet: *Si Spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis; ſi autem ſecundùm*
Rom. 8.13 *carnem vixeritis, moriemini?*

9. Animadverſione dignum eſt, quòd in hoc Petri ad negandum Dominum impulſu, tam multi & varii fuerint, qui tot modis eum impellerent, adfuerit nullus, qui eum ſuſtentaret: hic quidem eſt fructus converſationis pravæ; ſed præter hoc, eſt etiam typus hominum, in mundo degentium piorum, qui in hoc mundo, innumeros habent ad mala provocatores, incentoresq; infinita ad peccandum invitamenta, & auxilia; innumera perditionis media: pauciſſimos verò ac prope nullos, ſalutis & pietatis ſuæ fautores, nulla auxilia, nulla media.
Mich: 7.6 Quippe etiam ipſi *domeſtici, inimici hominis ſunt.* Immo & oculi ejus, prædones Animæ ejus! Et à quo jam ſecurus erit,
Jerem: 51. 6. qui à ſe ipſo ſecurus non eſt? *Ergo fugite de medio Babylonis*: recedite de medio nationis pravæ, quicunq; certam ſalutem veſtram facere vultis.

10. Prædixerat aliquando Dominus Petro: *Simon, Simon: Ecce ſatanas expeti-*
Lu: 22.31 *vit vos, ut cribraret, ſicut triticum.* En impletum videmus. Satanas quidem cribrator, ſed mulier cribrum. Raro Dæmoni hoc cribrum non ſucceſſit, quoties illud, ad cribrandum, vel ipſas rupes petraſq; adhibuit. Teſtantur: Adam; Filii DEi; Filii Iſraël; Samſon; David; Salomon; Petrus. O Homo quantumlibet te reputes granum, tamen fuge Diaboli cribrum.

PARAGRAPHUS LIX.

Mat: 26. 69. & ſequ. *IESUM Petrus negat, tribus vicibus.*

FIGURÆ

2. Reg. 16 *Chuſai jungitur Abſaloni, etſi corde maneat penes Davidem.*

STROMATA.

1. Ter Petrus Dominum negavit, & A qualibet vice, graviùs priore: ſicut etiam ter præſumpſerat de ſe, & ſemper impotentiùs. Nam 1. dixerat Chriſto: Animam meam pro te ponam. 2. Domine tecum paratus ſum, & in carcerem, & in mortem ire. 3. Etſi omnes ſcandalizati fuerint in te, ſed non ego. Inſuperq; etiam ampliùs loquebatur: Etſi oportuerit me ſimul commori tibi, nõ te negabo. Itaq; primæ præſumptioni, opponitur negatio prima ſimplex. Secundæ, opponitur ſecunda cum perjurio. Tertiæ item, opponitur tertia, cum perjurio & exſecratione.

2. In præſumptione Petri triplici, triplex fuit gradus & aggravatio. 1. Quia in ſuis viribus, & fervoribus confidebat. B 2. Quia ſe cæteris Apoſtolis præferebat. 3. Quia Chriſto præſumptionem ſuam rotundè infringenti, ac negationem prædicenti, non credebat, non acquieſcebat; ſed inſuper ampliùs loquebatur, & præſumebat. Ideo etiam à Domino permiſſus eſt, ter cadere in negationem, aliam aliâ graviorem.

3. Digna notatu ſunt verba Cajetani: *Cajet. in c.*
Conſidera (ait) & treme vir juſte. Nam *26. Mat:*
Petrus, ex teſtimonio Chriſti, mundus erat, & erat in gratia DEi, ob quam etiam habebat charitatem, hinc etiam Sacramentum Corporis & Sanguinis, (& *Vide? Leo*
Ordinis) dignè acceperat, & præmoni- *ſer. 9. de*
tus à Chriſto futuræ ſuæ tentationis for- *Paſſ.*
tior, & ardentior erat, cæteris diſcipulis. Poſtremò, paratus erat tunc pro C Chriſto mori. Hic tamen, unius puellæ Oſtiariæ voce perterritus, negat Chriſtum! Cur hoc? ut appareret, quantum differat inter habitum gratiæ, & uſum gratiæ, ad ſuperandas tentationes: non eſt ſatis habere habitum gratiæ in Anima, ſed opus eſt, uti in tempore & loco: ad hunc uſum, continuò opus eſt ſpeciali Dei auxilio, quo Petrus deſtitutus corruit. eſt verò deſtitutus, quia de ſe, non de DEo præſumpſit, unde per hoc, quod tam graviter cecidit in tentatione, didicit quid poſſent humanæ vires, atq; noſtri fervores, ſine Dei gratia adjuvante. O præſumptio! ô ſuperbia! ô fiducia ſui! ô infidelitas in Deum! ô cordis elatio, ex gratiâ & ex Dei donis, quantum D periculi parturis, quotidie, aſſiduè animabus Sanctis! Tu es ſcopulus, ad quem impactas frangunt naves perdunt virtutum & ſanctitatis merces, viri divitiarum.

rum. Tu es charybdis, & vorago devorans bona. Tu es obex, obſtruens meatum & influxum gratiæ Dei, in animas. Tu es fovea, in quam incidunt ſimplices & incauti præſumptores. Tu es laqueus rectorum, & in ſimplicitate ambulantium. Tu es *Coluber in via, ceraſtes in ſemita, mordens ungulam equi, ut cadat Aſcenſor ejus retrorſum.* Tu es medulla veneni ſuperbiæ. O juſti quotquot eſtis, ab hoc malo timete; quantò ditiores eſtis, tantò vobis hoc malum inſidiatur periculoſiùs, nocet graviùs, obeſt certiùs. Scitote, nullam eſſe virtutem lapſui viciniorem, quàm eam, quæ de ſe roboreq; ſuo, aliquam concepit præſumptionem. Sit exemplo Petrus, qui quoniam ſe Petram credidit: arundinem, plumam, & ſtipulam ſe eſſe invenit. Per ſpeciale illud auxilium Dei, quod Cajetanus in juſto & gratiam habente requirit, intellige debitum ipſi gratiæ habituali, quaſi connaturaliter. Nam ſine ſpeciali extraordinario actualis gratiæ auxilio, poteſt juſtus operari aliqua opera bona, & tentationes ſuperare aliquas ordinarias. Etſi ad heroica opera, graves tentationes, extraordinariis in occaſionibus, utq; perſeveret, opus habeat ſpeciali auxilio, ut docent Theologi.

Gē. 49. 17.

Vide. Suar. tom. 3. de grat. l. 10 c. 3. n. 12.

4. Lapſus Petri, documentum eſt durioribus Medicis Animarum, & cenſoribus alienorum lapſuum: erat ex hoc numero, judicio S. Auguſtini, Petrus: & quia caput futurus erat Eccleſiæ, habiturusq; poteſtatem ſolvendi & ligandi, ideo permiſſus eſt à Chriſto, labi in fragilitatem, ut de ſe ipſo diſceret, exhibere fragilibus miſerationem.

Ser. 124. de Temp.

Greg. in Euan. hō. 21.

5. Ut eſſet inſigne exemplum ſpei, miſerationisq; Divinæ, nec non fragilitatis metûs, & inconſtantiæ humanæ: datus eſt quaſi in exemplum Petrus, in cujus lapſu & juſti diſcerent, ſibi ſemper timere, nunquam præſumere, & peccatores poſſent ſalutem ſperare, nunquam veniam deſperare.

6. Verè dictum eſt, Tepidorum & ſuperborum medicina, non eſt niſi publica gravis ruina. præſumpſerat Petrus, intepuerat, fugerat à Domino; à longè ſecutus fuerat; improbis ſe immiſcuerat, nec poſt primam ceſpitationem reſipuerat, ſed ad conſortia pravorum redierat: cadere permiſſus eſt, ut lapſus à ſuperbia ſanaretur. & periculo gravi ruinâ, torporem excuteret, & ad fervorem revocaretur. Præclarè ait Arnoldus Carnotenſis: Caſtigatur ſæpe ex caſu ſuperbia, & præſumptio ex ruinâ;

Arnol. tr. de 7. verb. Dni. in Cruce.

Et ſuperiùs dixerat: Deſerimur nonnunquam, cùm hanc (ſpiritualem) curam negligimus, & commovent nos contumeliæ propulſantes, ut ſoliciti ſimus. Et medetur quandoq; negligentiæ, Confuſio: compelluntq; ad remedia confeſſionum nonnullos (cùm ſe erubuerint vel extimuerint erràſſe) ipſa tentationum ludibria.

7. Permiſſus eſt cadere Petrus ut ejus exemplo diſceremus (teſte Hierony.) vim pænitentiæ tantam eſſe, per quam non ſolùm veniam conſequi, ſed majorem etiam dignitatem recuperare, vel obtinere poſſimus: unde tantùm abeſt, ut Petrus factus ſit indignus, vel incapax primatûs Eccleſiæ, prout Hæretici moderni fingunt, ut potiùs, ideo ſit nunc cadere permiſſus, ut olim caput Eccleſiæ factus, ſciret compati lapſis, juxta ſupra dicta, ex Auguſt. & Greg. *Epiſt. 149.*

8. Mirabilis DEI Sapientia, quæ ſcit facere cum tentatione proventum, quæ ex venenis facit medicinas, quæ caſibus, firmat cadentes, quæ ex malis, bona eruit; quæ facit, ut lapſi ſtent firmiùs, poſt lapſum, immò fere ex lapſu, quàm ſtetiſſent, ſi nunquam cecidiſſent. Præſumpſerat, ſuperbierat Petrus: Si non cecidiſſet, longè ampliùs & ſolidiùs, in ſua præſumptione ſuperbiaq; firmatus fuiſſet. Bonus Medicus IESUS, videbat hoc non expedire Petro, cadere permiſit, ut infidelitatem fragilitatemq; ac diffidentiam ſui diſceret. cecidit, didicit; DEO non ſibi confidere cæpit. itaq; in Dei virtute, in ſua humilitate ſtetit, fortior factus eſt, quando ſe infirmum, caſu proprio repetitoq; expertus eſt. Vide illum poſt Reſurrectionem Domini, à Domino interrogatum ter: *Petre amas me* reſpondentem: *Amo Domine.* Vide inquam tantò certiùs, quantò timidiùs reſpondentem: *Tu ſcis Domine quia amo te.* Contriſtatus hæc dixit, anxius hæc dixit, ſolicitus dixit. Meminerat ſe ter præſumpſiſſe, & ter negàſſe. audiebat ter ſe interrogari, ter ad reſpondendum provocari; timet in reſponſo præſumptionem, & quia timet, contriſtatur, ſimulq; cavet, quia cavet, evadit; quia evadit, ſtat firmus; & quia ſtat firmus, paſcere jubetur infirmos. *Paſce,* (dicitur illi,) *oves meas, agnos meos.* Ecce quomodo impletur Domini prædictio: *Ego oravi pro te Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando converſus, confirma fratres tuos.* Ecce quomodo (redditur trinæ negationi, trina confeſſio) ait Auguſtinus tr. 123. in Ioan: nè minùs Amori lingua ſerviat,

Ioan. 21. 15.

Luce. 22. 32.

R quàm

quàm timori, & plus vocis elicuiſſe videatur Mors imminens, quàm vita præſens &c.) Ecce quomodo (trinam negationem (ait Hieron: Ep: 149. ad Marcel.) trina confeſſio delevit. Ecce quomodo Petrum ter negantem (idem Ep. 39.) amaræ in ſuum locum reſtituere lacrymæ non ſolæ lacrymæ ſed ea quæ cum lacrymis negationem conſecuta eſt, diffidentia ſui, & memoria fragilitatis propriæ, nec tantùm in locum ſuum, ſed etiam in meliorem, quia in ſolidiorem.

9. Non fuit leve peccatum, nec levis ruina Petri, hæc negatio cum perjurio, cum execratione, cum anathemate: fuit contra charitatem, contra veritatem, contra fortitudinem, contra fidelitatem, tum alias debitam, tum recenter ſanè ſeriò ad promiſſam, contra gratitudinem, erga tantum benefactorem ſuum, à quo & beneficiis auctus tot, & honoratus ſupra alios, tantùm fuerat! Accedit, quod poſt præmonitionem tam crebram, atq; ſeriam, in eam ſe injecit occaſionem, atq; periculoſitatem. Quare non immerito Chryſoſtomus, vocat hoc Petri peccatum, tetrum & inſolitum crimen. *Chryſoſt. hom. 83. in Matt.* Et Auguſtinus ait, perverſo favore duci eos, qui excuſare Petrum nituntur. Non accuſemus (ait idem) *Aug tr. 6. in Ioan.* Chriſtum, cum defendimus Petrum. Et Hieronymus, interpretationem quæ excuſat Petrum vocat ridiculam, quia mẽdacem facit Salvatorem. *Hier. in Matt. 26 & Ep 149 ad Marcel.* Neq; veriſimile eſt, Petrum peccâſſe, ſeu negâſſe Chriſtum, amore Chriſti, ne ſcilicet ab eo dimoveretur, ſed timore mortis, ne propter Chriſtum pateretur, unde etiam confiteri timuit, & inſuper atrociter negavit, quod ex objecto ſuo, grave & mortale peccatum eſt. accedente præſertim ratione ſcandali, quæ hic non defuit. Conjunctior enim & intimior fuit Chriſtus Petro, Diſcipulorum caput, & cæteris apparebat fortior, atq; conſtantior. Quare attenta ratione objecti & prædictis circumſtantiis, neceſſe eſt concedere gravem eſſe lapſum Petri; *Ambr: L. 10 in Luc. c. 22.* unde Ambroſius, alioqui excuſator aliquantus Petri, ait de illo: Maluit (Petrus) ipſe ſuum accuſare peccatum, ut juſtificaretur fatendo, quàm gravaretur negando. Quare flevit? quia culpa obrepſit. Non diffiteor tamen, poſſe dici elevatam eſſe gravitatem culpæ, ex eo, quia non proceſſit ex malitiâ, aut odio, contemptuve Chriſti, ſed ex repentina paſſione, & perturbatione timoris, ex præſentia periculi gravis, ex infirmitate &c. Similiter & ex eo, quia non diu hæſit in peccato, ſtatim enim reſipuit, & amarè culpam deflevit.

10. Dum Petrus Chriſtum negavit, A perdidit charitatem Chriſti, non tamen fidem Chriſti, ſeu in Chriſtum, immo neq; exteriùs negavit Chriſtum DEum, aut Meſſiam, ſed tantùm notum ſibi hominem, aut illius ſectatorem fuiſſe. Itaq; non conſtat à Petro negatum Chriſtum, diſſenſu aliquo fidei oppoſito directè, ſed tantùm negatione externâ, quæ opponitur confeſſioni fidei, & non fidei repugnat, neq; illam tollit, ſed tantùm charitatem. *Suar. t. 2. 3. p. d 35. ſ. 3. n.* Poſſet verò nihilominus trifariam Petrus dici, in fidem peccâſſe. 1. Quia actum exteriorem confeſſionis fidei in Chriſtum, non exercuit, quando res exigebat. Etſi enim *corde creditur ad juſtitiam, ore tamen fit confeſſio ad ſalutem* *Rom. 10. 10.* ut ait Paulus. 2. Quia perdidit fide-B litatem, non enim fuit fidelis Chriſto ſuo Magiſtro, & Domino, pròut debebat, & promiſerat. 3. Ratione ſcandali, quoàd ſenſum aliorum, qui audientes Petrum abnegantem Chriſtum, exiſtimare & præſumere poterant, eum à Chriſto deſciſcere, Chriſtum abjurare. Hæc tamen omnia tria, non tam ſunt in fidem, quàm in charitatem peccata.

11. Trina negatio, qua Petrus Dominum negavit, adumbravit trinam quoq; negationem, quam deinceps paſſus eſt Chriſtus ab infidelibus, & quibus Eccleſia Chriſti, valde afflictata eſt. 1. Negatio erat Iudæorum, ante faciem Pilati judicante eo dimitti, Iudæis autem petentibus crucifigi, & dicentibus non C habemus Regem, Meſſiam &c. Sanguis ejus ſuper nos &c. 2. Erat, & eſt negatio Gentilium, qui Chriſtum negant, Deum & Salvatorem. 3. Hæreticorum, qui Chriſtum innumeris modis negârunt, & negant. Quidam negârunt Hominem verum; quidam DEum verum &c.

12. Negatur Chriſtus trifariam: Corde; ore; opere. idq; ex triplici occaſione ſeu Concupiſcentiâ, Carnis; oculorum; vitæ ſuperbiâ.

PARAGRAPHUS. LX.

JESUM Petro negante gallus cantat. D *Mar. 14 68. 72. Luc. 22. 60.*

STROMATA

1. SIc ſcilicet CHRISTUS prædixerat: *ante-*

Digitized by Google

antequam gallus cantet bis, ter me negabis. Sed quid galli cantui, & Petri negationi? An gallus cantans, eſt conſcientia clamans? gallus nocentes arguit, quod & conſcientia facit. Dictum eſt Caimo: A
Gen: 4. 7. *Si male egeris, ſtatim in foribus tuis, peccatum aderit.* Peccatum dictum eſt, pro conſcientiâ peccati, mox animam remordente, poſtquã peccatum admiſſum eſt: Et alibi de peccatoribus dicitur, quòd traducent eos, ex adverſo cogitationes eorum: mordebuntur ſcilicet, & torquebuntur verme immortali, conſcientiæ ſcelus, in faciem objectantis.

2. Peccante Petro, Gallus cantat: cadente (potiſſimùm) juſto Diabolus exſultat. Nimirum ſicut *gaudium eſt Ange-*
Luc. 15. 7. *lis DEi, ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, magis quàm ſuper nonaginta novem juſtis, qui non indigent pœnitentiâ:* ſic vice verſâ gaudium eſt dæmonibus, ſuper uno juſto peccante, magis, quàm ſupra nonaginta novem peccatoribus, qui non ſectantur juſtitiam.

3. Petrus Chriſtum negat, gallus autem cantat; quia dum aliquis, præcipuè ex magnatibus, delinquit, adulatores applaudunt, peccatum elevant, ſolatiis, & ludicris vaniſſimis conſcientiam mulcent, vel voluptatibus abſorbent, vel ebrietate obruunt.

4. Petrus negat, gallus cantat: negatur veritas, ſed ſe prodit veritas:
Pſ. 26. 12. *mentitur iniquitas ſibi,* & ideo non mentitur quia ſibi. lucet enim ipſa ſibi, & manifeſtat ipſa ſibi, quòd mentiatur ſibi. Et hæc eſt hypocritarum potiſſima damnatio, quia latere volunt, & putant; & non poſſunt: quia à ſe ipſis videntur,
Mat: 7. 16. & produntur! *ex fructibus enim eorum, cognoſcetis eos.,* ait Dominus, planè galli cantus, ſunt eorum fructus.

5. Peccat Petrus, cantat gallus. Omnis Petrus habet ſuum gallum, qui eo peccante canit: omnis enim peccans, habet ſuum prætextum, & velamen, quod peccato prætendit. Quod peccatum eſt; quod non excuſat peccator? Cælat, dum poteſt; ſi non poteſt, excuſare gaudet. at cantus excuſationis non prodeſt: plùs prodeſſet accuſatio, ſi enim accuſaretur peccatum ab homine, excuſaretur apud Deum, *non enim punit DEus, bis in idipſum.* accuſatio, pæna eſt ſicut excuſatio culpa; culpa autem non excuſat, non diminuit, ſed auget & gravat culpam.

6. Peccat Petrus, cantat gallus: peccat impius, & prædicat facinus. *Sicut*
Iſa. 3. 9. *inquit Sodoma, peccatum ſuum prædicaverunt.* *Peccavi, & quid accidit mihi triſte?* Dediſti Eccli: 5. 4.
dicitur cuidam, *mercedem amatoribus tuis.* Ezech: 16. 33.
Frons meretricis facta eſt tibi, noluiſti erubeſcere. Iere: 3. 3.

7. Peccat Petrus, cantat gallus: dum ſuperbit impius, incenditur pauper. delirant Reges, plectuntur Achivi. Lupo turbante aquam, accuſatur agnus. Luxuriantur potentes, fame pereunt pauperes, emunguntur inopes. Epulabatur Luc. 16. 19
Dives, cantabat, vel potius gemebat Lazarus.

8. Peccat Petrus, cantat gallus. Peccant homines: cantant, clamant, arguunt, obſecrant, inſtruunt, increpant concionatores, Spirituales Prælati, atq; Patres. Sed iſti cantus eſto ſint compoſiti, facundi, pathetici, ornati, ſerii, aures tantùm verberant, ad cor non admittuntur: ac utinam iſtis cantatoribus, non idem faciant Chriſtiani, quod B olim gallis Sybarithæ, qui in ſua civitate, gallos ſervari nolebant, ne eſſent, qui illorum nocturnos ſopores atq; delicias, interturbarent! Sic utinam non faciant Chriſtiani; utinam non faſtidiant, non perſequantur, non proſcindant, non proſcribant concionatores, peccata ſua reprehendentes. Prætenduntur multa contra eos, qui veritatem ad cor loquuntur. Sed ſi quod res eſt fateamur; non tam læſit concionator, quàm læſus eſt Auditor, non tam cantavit gallus, quàm peccavit, & Chriſtum negavit Petrus.

9. Petrus negat; gallus cantat. Quia extrema gaudii occupat luctus; vel extrema peccati, occupat planctus. Lu- C cem nuntiat gallus: Iudicium, & examen atq; rationem peccati reddendam, inclamat reatus, & remorſus, ac pænæ animo obverſantis metus. Unde nemini impunè peccare licet, ſed ſtatim portat pænam ſecum; quia pænæ metus, verberat (vel ante pænam) conſcium malè animum. Deniq;, ſic ab æternâ lege ſancitum eſt; ut omnis culpa, habeat ſuam pediſſequam pænam.

PARAGRAPHUS LXI.

JESUS Petrum reſpicit, & convertit ad pœnitentiam. Luc: 22. 61.

D

STROMATA,

1. NEgabat Petrus Dominum, ſed

Digitized by Google

Dominus non negabat Petrum: qui di-
ligebat negaturum; non abjecit negan-
tem. Reſpexit, convertit, & ad pæni-
tentiam adductum, ad gratiam quoq;
Nũ:23.19 admiſit. *Verè non eſt DEus, quaſi Homo &c.*
Sap:7.30. *Vincit Sapientia malitiam; Charitatem, flumi-*
Cant:8.7. *na non obruunt.* Verè Domine IESU, *cùm*
Ioã: 13.1. *dilexiſſes tuos, uſq; in finem dilexiſti eos,* etiam
profugos; etiam deſertores, etiam ne-
gantes, etiam abjurantes te, tu tamen
diligis, reſpicis, recipis.

2. *Converſus JESUS, reſpexit Petrum.* Hæc
converſio Chriſti corporalis fuit, & re-
ſpectum etiam ad Petrum Corporalem
fuiſſe, oſtendit. Ut quid enim conver-
ſio, ſi non ad reſpectum? alioqui ſi tan-
tùm internis oculis reſpecturus erat,
converſione opus non habebat.

3. Si quando ingens aliquis caſus,
vel ruina, vel inſolens fragor obvenit,
converſi homines reſpiciunt: Columna
cæli nutabat, ingens Petra collabebatur, B
& fragorem negationis, & perjurii ede-
bat. Apoſtolus Chriſti primarius, caput
Eccleſiæ concidebat: converſus ergo
IESUS reſpicit, & caſum miratur, dolet,
condolet, ſublevat collapſum.

4. Negante Petro, cantabat gallus,
nec tamen ad ſe redibat Petrus, quia nõ
reſpiciebat IESUS. Sic nimirum *neq; qui*
plantat, neq; qui rigat aliquid eſt, ſi incremen-
tum non dat DEus, non prodeunt Mortui
Ioã.11.43. de ſepulchris quatriduani: niſi *Lazare*
Luc.7.14. *veni foras,* vel *Adoleſcens tibi dico ſurge,* in-
clamet IESUS. Converſio peccatorum,
opus eſt ſolius Dei. Nos qui animas,
quaſi curamus, loqui & ſtrepere poſſu-
mus, mulcere aures, terrere poſſumus:
Sed niſi Dominus converſus ad animã, C
eam gratiæ ſuæ oculo reſpexerit, radio
perſtrinxerit, igne calefecerit, ſuavitate
4. Reg. 4. demulſerit; baculi Eliſæi, & puero Ge-
31. zi, non proderunt. Non ſurget puer *non*
vox, non ſenſus, non vita erit in illo.

5. O quàm diligens eſt IESUS, & ſo-
licitus pro ſuis! ſatis ipſe tunc miſerè
habebatur, cùm Petrus negationes Chri-
ſti exerceret; non eſt tamen inter ſuas
calamitates oblitus, pereuntis oviculæ.
reperit quã reſpiceret, & ſublevaret pe-
reuntem, & pedibus planè conculcantis
inimici ſubduceret, faucibusq; lupi de-
vorantis, & trahentis eriperet! O ſi, &
nos, oculis iſtis tuis reſpiceres Domine
IESU, & ad te converteres! ut non do-
Pſ.118. minentur nobis nationes. *Non dominetur* D
133. *nobis omnis injuſtitia, ne quando dicat inimicus*
Pſ.12.5. *noſter; prævalui adverſus eos. Ne quando di-*
Pſ.34.21. *cant: euge, euge, viderunt oculi noſtri, devo-*
& 25. *ravimus eos.*

6. Averſo Domino, negabat Petrus
Dominum; converſo Domino, reverte-
batur ad Dominum, Semper nos ſumus
in oculis Domini, ſed non ſemper in o-
A culis Domini, converſi ad nos, ſæpe in
oculis, averſi à nobis. O averſi oculi
Dei, quàm tremendum eſt, in vobis, aut
ſub vobis eſſe! O quàm luctuoſum eſt,
averſum à ſe Dominum habere! Quid
mihi proſint oculi omnium ad me con-
verſi creaturarum; ſi oculi, Creatoris,
Redemptoris, Salvatoris, averſi ſunt à
me; *Contemplantur quidem oculi DEi, bonos* Prov.15.3
& malos, ſed bonos converſi, malos aver-
ſi. O Domine *averte obſecro faciem tuam,* Pſ.50.11.
& oculos tuos, à peccatis meis, ſed non à me
peccatore. *Convertere Domine ad me, &* Pſ.6.9.
eripe animam meam: Veniant mihi miſeratio- Pſ.118.77
nes tuæ, & vivam.

PARAGRAPHUS LXII.

JESU Prædictionis recordatur Luc.22.61
Petrus, exit foras, flet amarè.

FIGURÆ

Loquimini ad Petram & illa dabit vobis a- Nũ 20.8.
quas.

Percutiens Moyſes virgà bis ſilicem, egreſſæ Nũ.20.11
ſunt aquæ largiſsimæ.

Audivi orationem tuam, & vidi lacrymas 4.Reg.20.
tuas, & ecce ſanavi te, die tertio, aſcendes tem- 5.
plum Domini.

Converte me & convertar, quia tu Dominus Ier.31.18
DEus meus, poſtquam convertiſti me, egi pæni- 19.
C *tentiam; & poſtquam oſtendiſti mihi, confuſus*
ſum, & erubui.

Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea, Gẽ.49.3.
& principium doloris mei, prior in donis, ma-
jor in imperio: effuſus es ſicut aqua.

STROMATA.

1. OCuli Domini & converſio ad Pe-
trum, movit memoriam Petri,
reducendo illi in memoriam ejus pro-
miſſa, ejus præſumptionem, ſuamq; præ-
dictionem, Movit intellectum Petri, ut
videret veritatem prædictionis Domi-
ni, conſideraret lapſum ſuum, videret
D ejus gravitatem. Movit etiam volunta-
tem Petri dolore, negati Domini tam
amabilis, cui tantùm de ſe promiſerat,
quem tam fœdè negârat. Inde Petrus
non tam cæpit flere; ſed ut græca vox
ſonat.

Digitized by Google

ſonat. erupit in fletum. vel conjecit ſe in fletum, conjecit caput & oculos in pallium, vel pileum, & ita involuto capite exiit foras & flevit amariſſimè, obſtupeſcens præ dolore, præ confuſione, præ ſuo tam indigno inſperatoq; caſu & eventu.

2. Vide decurſum Pœnitentiæ Petri. 1. Cito à peccato ſurrexit & vix in eo duabus horis permanſit, ad ſummum tribus. 2. Exiit foras, receſſit ab occaſionibus peccandi, ab igne ſe ſubduxit, à Sociis, à mulierculis. 3. Recepit intuitum Domini, audivit cantum galli. recordatus eſt verbi Domini, ad ejus aſpectum, reſpexit etiam ſe.. 4. Ingratitudinem ſuam & negationem agnovit, & non ad excuſationes ſed ad accuſationes ſui converſus eſt; ipſoq; concuſſo corde & fletu erumpente, Domino culpam ſuam confeſſus eſt. 5. Non eſt Iudam imitatus, ſed ad miſerationes Domini converſus, ad veras contritionis lacrymas, ſpei conjunctas. 6. Recedit ſeorſum, & animam effundit, deflet peccatum, in pudore, dolore, ſpe, amore, amarore. Cognoſcit quàm malum & amarum ſit reliquiſſe ſe Dominum Deum ſuum. O in quas voces non erupit, pœnitentiæ indices, pænitentiæ filias, pænitentiæ faces: Ah me! ut quid vivo, qui negavi vitam! Hæccinè fides? itanè ad mortem & carcerem cum Domino itur? itanè animam pro illo poſui? O verè poſui animam, ſed non pro te Domine! poſui animam, & meam negando te, & tuam abjurando te! O lingua cur non in petram potiùs ſilicēq; tranſiiſti, quàm mihi ad negationem ſervivisti? &c.

3. Hunc ſuum lapſum Petrus non tantùm in præſenti, & quaſi flagranti ſed in omni vita ſua deinceps deflevit à galli cantu excitatus de ſomno. Nimirum non eſt ſatis peccata qualicunq; pænitentia defleſſe ſemel; peccatum noſtrum contra nos ſit ſemper, opus eſt:

Iſ. 38. 18. *recogitandi ſunt anni noſtri in amaritudine animæ.*

4. Talis fuit pænitentia Petri, ut nō tantùm ad culpam ſed etiam culpæ pænam delendam ſufficerit. Major quàm Davidis cujus ſtatim culpa quidem, at non pæna remiſſa eſt. S. Leo tales fuiſſe Petri lacrymas ait, quæ ad diluendam culpam negationis, virtutem ſacri habuere baptiſmatis. & certè hos veriſſimile facit, tum illa vox Evangeliſtæ, flevit amarè, tum fervor ſolitus Petri, tum flagrans Paſſio Chriſti. Nam ſi latroni ſtatim paradyſum obtulit Dominus, cur non & Petro veniam omnem.

2. Reg. 12. 13.

Leo. ſer. 9. de Paſſ.

5. Conſideranda ſunt quæ ad Petri negationem, quæ ad converſionem & pænitentiam concurrerunt. Ad negationem fecerunt: 1. Tepor & ſomnolentia, & præſūptio fiduciaq; ſui. 2. Mulier. Sicut Adæ, ſic Petri initium peccati à muliere. ut ait Sapiens. 3. Societas malorum & mora inter malos 4. Non negavit Petrus Chriſtum niſi nocte, dum eſſet frigus, dum ſe non igne Divino, non oratione, non auxilii Dei invocatione, ſed igne terreno, ſolatiis temporalibus calefaceret. refrigeſcit charitas, ubi abundat iniquitas; & concupiſcentiam hujus mundi (quæ ignis eſt) qui ſequitur, neceſſario Chriſtum negat, & deſerit. 5. Timor & reſpectus humanus. Ad converſionem profuerunt. 1. Converſio Domini & reſpectus ad Petrum. qui niſi fuiſſet, omnia nihil profuiſſent: aſpectu Chriſti Petrus ſolutus eſt, ſicut cera vel glacies aſpectu radioq; ſolis. 2. Auditio galli cantûs. 3. Recordatio verborum Domini. 4. Egreſſio foras, 5. Amarus fletus, & quæ ſupra hic poſita numero 2.

6. Moyſes petram virga bis percuſſit, & illa dedit aquas. Dominus intuitus eſt & veluti percuſſit duobus oculis Petrum: & ille flevit amarè.

PARAGRAPHVS LXIII

JESVS in carcere pernoctat.

FIGVRÆ.

Irati Principes contra Ieremiam, cæſum eum miſerunt in carcerem, qui erat in domo. Ierē. 37. 14.

Ingreſſus eſt Ieremias in domum laci & in ergaſtulum & ſedit ibi Ieremias. Ierē. 37. 15.

STROMATA.

1. Satiati pænis Domini IESU tam Iudæi, qui erant in concilio, quàm miniſtri qui tenebant illum, tandem dimittunt concilium, domos digrediuntur læti & ſecuri, tanquam re benè geſtâ cum Chriſto, Chriſtum interim tradunt cuſtodiendum militibus, ſeu miniſtris qui Dominum, dum è concilio educunt deorſum, dant occaſionem & opportunitatem reſpiciendi Petrum, & aſpectu ſuo convertendi ad ſanum ſenſum, pro-

S. inde

in .te ferè eodem tempore Petrus ex atrio flens exibat, & Dominus carcerem in quo pernoctaturus, reliquam noctis erat introibat. Quam noctem in noctè ſilentii reliquit Spiritus Sanctus, nec voluit ab Evangeliſtis geſta illius deſcribi: Unus Lucas pauculis his omnia concluſit: *Et alia multa blaſphemantes dicebant in eum.* ex his volens oſtendere indicibilia eſſe, & indigniſſima, quæ tunc illo noctis reliquo tempore in Dominum exercitata ſunt à fæce Miniſtrorum.

Luc. 22. 65.

Guer. ſer. 1. in Ramis palmarum.

2 Guerricus Abbas Igniacenſis, ſic poſt multa ait: (Chriſtus contumeliâ & tormento interrogatus fuit, veluti ſervus aut latro ſubditus quæſtioni, quâ cõfeſſio extorqueatur criminis) quæ ſententia habet aliquid fundamenti tum in ſcriptura, ubi dicunt Iudæi, quorum in illo capite rabies, in Chriſtum, graphicè

Sap. 2. 19. depingitur: *contumelia & tormento interrogemus eum.* tum in malignitate Iudaica odioq; in Chriſtum, ex quâ poterant induci ad Chriſtum tormentis examinandum, maximè cùm viderent ſe nihil ſpecioſum afferre poſſe contra Chriſtum apud Pilatum, ob quod ille induceretur ad Chriſtum condemnandum. Quamvis aliâ ex parte non videntur indiguiſſe Iudæi, hoc per quæſtiones atq; tormenta Chriſti examine, quoniam ſat idoneam mortis cauſam ſe reperiſſe, ex ejus proprio ore putabant, ob quam, omnes condemnaverant eum eſſe reum mortis.

3. Credunt aliqui hac nocte Chriſtũ eſſe in carcere verberatum ſeu flagellatum; cujus meditationis penes Auctores ſit fides.

4. Cæcæ hujus noctis ſuppliciis atq; indignitatibus, Chriſtus expiavit flagitia nocturna hominum, & nocte latentia: de hac ſpecialiter (& quaſi ad lite-

Luc. 22. 53. ram) nocte dici poteſt illud: *Hac eſt hora veſtra & poteſtas tenebrarum.* Invenerē peccata opportunum tempus ad affligendum Chriſtum ſcilicet noctem. ergo faciunt in eo fanda infanda, quæcunq; nimirum voluerunt; quæcunq; ſub nocturnis tenebris latere potuerunt, ac voluerunt. Omne quidem peccatum

Ioan. 3. 20. 1. Theſſ. 5. 7. noctem quærit, *qui enim facit peccatum non venit ad lucem ut non arguantur opera ejus. Et qui ebrii ſunt nocte ebrii ſunt.* quinimmo ipſum peccatum nox eſt: ſpecialiter tamen nocturna peccata nocte gaudent; nocturna dico abſurda, quæ turpe eſt & dicere. Illa ergo nox, quâ Chriſtus in carcere ſervatus eſt, tantum pænarum Chriſto intulit, quantum ad expiandas nocturnales Hominum fæditates ſatis erat: talesq; pænas Chriſto ingeſſit, quæ maximè reſponderent nocturnis ſceleribus, ob quod & ſilentio eas præteriri voluit Spiritus Sanctus. Tunc verè in-

A ſultabant tenebræ lumini, nox diei vel potiùs Soli.

5. De quadam nocte dixit Iob: *Noctem illam tenebroſus turbo poſsideat: non computetur in diebus anni; nec numeretur in menſibus: ſit nox illa ſolitaria, nec laude digna. Apprehendet eum quaſi aqua inopia, nocte opprimet eum tempeſtas.* quæ ſanè quàm juſtiſſimè in noctem hanc quadrant. Verè enim turbo tenebroſus, infernalis, diabolicus, ab externâ inſolentiâ, petulantiâ, licentiâq; profectus, tunc regnavit & Chriſtum poſſedit. Verè licentioſiſſima & impunitiſſima, & impudentiſſima vexandi libido tunc Chriſtum oppreſſit. Iob. 3. 6. Iob. 27. 20

6. Cogita quas voles injurias nocte

B illa Chriſto illatas, non totas excogitabis; ſed dicet tibi Evangeliſta *inſuper & alia plura blaſphemantes dicebant facie- bantq; in eum.* Quod Ioannes dixit de factis Chriſti: *Multa & alia fecit JESUS quæ ſi ſcribantur per ſingula, arbitror mundum capere non poſſe hos, qui ſcribendi ſunt libri,* hoc prorſus etiam in geſta noctis hujus tenebroſæ & Domino IESU graviſſimæ quadrat. Veré non caperet mundus ſed aut obſtupeſceret, aut deficeret, aut ſcãdalizaretur. Luc. 22. 65. Ioã. 21. 25

7. Chriſtus in carcere pernoctans & patiens, quid aliud eſt, niſi Deus omnium peccatorum peccantiumq; latebris & conſcientiis, & arcanis, præſens & offenſus ſimulq; infenſus. Nolite pecca-

C tores fidere tenebris, nolite fidere latebris, nolite fidere noctibus, nolite fidere cælanti conſcientiæ; Deum iſta non excludunt; Deum iſta non latent; ipſæ tenebræ lucent ei; ſicut tenebræ, ita & lumen ejus, peccatoribus ipſa lux in tenebras vertitur, ſed Deo ipſæ tenebræ lux & dies ſunt. Deniq; putatis ibi eum non eſſe, ibi non videre, ubi & patitur & offenditur, & crucifigitur, & occiditur à vobis? offendi certé, non poſſet, ſi non adeſſet. Offenditur? ergò adeſt. Si autem ille adeſt, quomodo vos eum latetis, qui ipſe ſibi ad vos videndos lux eſt, ad vos puniendos, poteſtas eſt, ad vos judicandos Sapientia eſt, ad vos damnandos juſtitia, veritas, Auctoritas & Lex eſt?

D 8. Quidam (apud D. Chryſoſtomũ) Noctem ab opificio Dei ſeparabant: falsò id quidem, ſed tamen ſi quæ eſſet ſeparanda; hæc eſſet præſens ob enormitatem,

mitatem, indignitatem, multitudinemq; eorum, quæ in ea DEus-Homo paſſus eſt; ut verè fiat hæc nox, vel hac nocte Poteſtas tenebrarum.

9. Olim Deus ſerviens populo ſuo, ut ſe ulciſceretur de hoſtibus ſuis in diebus Ioſue, duos dies in unum compegit exexcluſâ nocte, ſtante Sole & luna. Nunc iſta nox inſtituitur, ut in ea ulciſcantur ſe inimici Dei de Deo ſuo & injuriis ejus ſatientur.

PARAGRAPHVS LXIV.

Matt. 27. 1. *IESVS ad Concilium Sacerdotum manè coactum producitur.*

FIGVRÆ.

Gē. 49. 5. *Simeon & Levi fratres, vaſa iniquitatis bellantia: in Concilium eorum non veniat Anima mea: & in cœtu illorum non ſit gloria mea: quia in furore ſuo occiderunt virum: & in voluntate ſua ſuffoderunt murum. Maledictus furor eorum, quia pertinax; & indignatio eorum, quia dura.*

STROMATA.

1. QUod heſternâ nocte actum tumultariè videri poterat cum Chriſto, & concluſum contra Chriſtum: Manè inito de novo conſilio, & habito principum ſeniorumq; concilio, opus erat reaſſumi, & negotium recognoſci, & reum de novo examinari, reſponſa ejus, ſi cum heſternis conſtarent, expendi; tandem de ſumma rei, maturâ præhabitâ deliberatione concludi. Ergo manè facto confeſtim conſilium initur: IESVS in medium adducitur, interrogatur, auditur, urgetur, & quia conſtans in ſuis reſponſis deprehenditur: pro convicto ex ore ſuo proprio habetur: indubitatè ergo reus inventus, morti de novo adjudicatur. Ita malitia voluntaria ſemper agit, maximè in eo caſu, in quo injuſtitiam ſuam juſtitiæ & æquitatis colore imbuere vult; ita, inquam, agit ut quaſi diligenter expendat cauſam, momenta examinet, repetitò trutinet: ad nidum tamen erroris voluntarii, & mentientis ſibimet iniquitatis, animum non advertit. qui nidus malitia eſt, odium, depravatus affectus, invidia, cupiditas, qua ſe, in negotio rapi & regi non neſcit, ſed neſcire & neſciri vult. Talis genius expreſſus eſt à Salomone in Sapientia, ubi iſti inimici Chriſti prædicuntur ſic dicere: *Venite, circumvenia-* Sap. 2. 12.
A *mus juſtum &c.* Iuſtum ſciunt, fatentur, vident, eum tamen circumvenire cupiunt & gaudent; circumvenire inquam, hoc eſt, ita opprimere, ut non injuriam feciſſe ſed pro juſtitia contra illum zelâſſe videri velint. In quo non illi juſtum circumvenerunt, ſed ſe ipſos in ſua malitia perdiderunt.

2. Illi nocte IESUm condemnant, & poſtea de die manè, concilio habito morti nihilominus addicunt, & vinciunt: qui peccatum, affectu, cæcitate, impotentiâq; rapti, commiſſum: pro eo, quod retractare compoſitâ mente, & ortâ luce rationis debuerant, obſtinatione, perverſitateq; defendunt, approbāt, & inventis cauſis tuentur atq; in eo per-
B ſeverantes, partim illud prædicant de eoq; gloriantur: partim ſui ſimilium, vel ſibi obnoxiorum adulatorum calculo confirmant. Hi peccatum peccatō addunt, dum culpæ defenſionis velamen adjungunt. Et plerumq; gravior eſt culpa approbans, quàm fuerat primò commiſſa: approbatio enim malitiam repetit dum defendit: & inſuper cumulat dum voluntariè ac malitioſè defendit. in priore delicto cæcitas affectus rapuit, in poſteriore voluntaria malitia ſponte deliriquit, prius peccatum, aliquid aliud magìs, quàm malitiam intendit; poſterius ipſam peccati malitiam exploratam reſpicit, & non tantùm non reſpuit, ſed etiam apprehendit. Secus faci-
C unt illi, qui & ſi rapiente ac præcipitante affectu quandoq; delinquunt; dilucescente tamen poſtmodum ratione, & turbâ affectuum conquieſcente, quæ fecerē damnant, & præcipitationem ſuam accuſant, & pænitentiâ ducuntur: talium peccata non tranſeunt in affectū cordis & veniabilia ſunt. Sed Iudaica præſens malitia talis non fuit.

3. *Manè facto concilium inierunt omnes* Mat. 27. 1. *Principes Sacerdotum & Seniores populi adverſùm IESUM ut eum morti traderent.* (Hoc manè Iudæi non ortus vobis lucis contigit ſed occaſus: nec veſtris oculis ſolitus dies prodiit, ſed impiis mentibus nox tetræ cæcitatis incubuit. Hoc manè vobis templum & altaria diruit, legem & prophetas ademit, regnum & Sacerdotium ſuſtulit in luctum æternum omnia feſta convertit. In iſtis enim (feſtis) inſanum cruentumq; conſilium, *tauri pingues, vituli multi,* frementes be- Verba sūt S. Leonis ser. 3. de Paſſ. circa finem.
D

 ſtiæ,

ſtiæ, canes rabidi, ut morti Auctorem vitæ & Dominum gloriæ traderetis, & tanquam extenuanda eſſet furoris veſtri immanitas, ſi ejus ſententiâ, qui Provinciæ veſtræ præſidebat uteremini, vinctum IESUM ad Pilati judicium deduxiſtis, ut clamoribus improbis trepido cognitore ſuperato, interfectorem hominum eligeretis ad veniá (Barabbam,) & Salvatorem Mundi peteretis ad pœnam. Hæc S. Leo.

PARAGRAPHVS LXV.

Luc. 22. 70. *JESVS interrogatur an ſit Chriſtus? & eſſe reſpondet.*

STROMATA.

1. *Si tu es Chriſtus dic nobis.* ajunt Congregati, in illo concilio ad IESUM: non quærentes veritatem, ſed captantes occaſionem. quem eorum animum Chriſtus reſpondens tangere non omiſit, ſi fortè vel ſic in corde ſuo tacti, affectus ſuos reſpicerent, & pravas cordium intentiones agnoſcerent. Ait enim illis Dominus: *Si dixero vobis,* me Chriſtum eſſe ſicut dixi heri, & ſicut revera ſum. *Non credetis;* neq; enim me, indagandi animo & credendi interrogatis, aut huc adduxiſtis, aut ſanguinem meū heri à Diſcipulo traditum ideo licitati eſtis. Neq; etiamſi interrogavero ex vobis aliquid, & ex ore reſponſoq; veſtro, probare voluero, veritatem meam, mihi reſpondebitis, ſed omiſſa veritate & pacatâ reſponſione, ad calumnias, dolos & clamores cōvertemini, & anſam damnationis meæ captabitis, & me non dimittetis: proinde quòd ex me quæritis, vobis inutile; mihi damnabile eſt. & vos enim non credetis, & me nihilominus damnabitis, & reum mortis conclamabitis. Verumtamen ut veritas cognita ſit, & vos inexcuſabiles ſitis: ſcitote me & Chriſtum eſſe DEi Filium; & ex hoc, quòd modò à vobis judicor iniquè, tanquam Filius hominis, apud vos abjectus & deſpectus: ego idem Filius hominis ero ſedens à Dextris virtutis Dei, judicans vivos & mortuos, judicans vos judices meos. Hoc reſponſo audito, & certè ſic intellecto Domini reſponſo, univerſum Concilium impotentiâ raptū, aut aviditate quaſi paratæ jam jam prædæ (id eſt, damnandi Domini indubitatæ cauſæ) compulſum exclamat; & dixerunt omnes ad IESUM: *Tu es ergo Filius Dei?* quibus ait Dominus: *Vos dicitis ego ſum;* Rectè intelligitis reſponſum meum hoc aſſero de me, quia Filius Dei ſum. Tum verò ſatisfactum eſt vobis, tunc deventum in cauſam plusquam propalatam & manifeſtam & juſtam damnandi IESU. Dixerunt ergo ad invicem uno ore omnes: quid adhuc deſideramus teſtimonium de ejus blaſphemiis in Deum? *ipſi audivimus de ore ejus,* tenetur, convictus eſt ore ſuo proprio. Reus eſt mortis! Ecce hoc eſt ſcrutinium fraudulentæ & virulentæ malitiæ! Ecce hoc prodeſt reprobis induratis, cæcatisq; affectibus veritas propalata! Hoc proſunt gratiæ, inſtinctus; ſicut incus quò crebriùs tunditur hoc magis duratur, ſic talium corda atq; voluntates. O mi JESU quàm ſæpe vocamus te in concilium & conſilium noſtrum; quærimus ex te: Si tu es Chriſtus dic nobis. Tu es cui in baptiſmo nomen & fidem & obſequium dedimus juravimusq;, tu es à cujus lege, doctrina, exemplis receſſimus? tu es quem in ſervis tuis juſtis, humilibus, propter te tota die mortificatis, perſequimur? tu es quem in pauperibus, in innocentibus, in humilioribus opprimimus? tu es cujus Eccleſiam negligimus, affligimus, deprimimus? tu es quem quotidie luxu, faſtu, compotationibus, iris, rixis, detractionibus, blaſphemiis, impudicitiis, avaritiâ, rapinis, turpiloquiis defœdamus? tu es cujus gloriam, & nomen & fidem cultumq; ab impiis, à Judæis, ab Hæreticis, à Schiſmaticis irrideri, ſupplantari, oppugnari, permittimus, diſſimulamus, ridemus, juvamus? Hæc & ſimilia ſæpe conſcientia noſtra ex Chriſto per gratiam corda noſtra pulſante, ac quaſi ante nos ſtante quærit: ſed quo fructu? Etiamſi dixerit Chriſtus, non credimus; etiamſi interrogaverit, non reſpondemus, nec ſceleratam vitam (quâ Chriſtum occidimus) dimittimus. Ex hoc autem (ſcitote vel inviti peccatores) erit Filius hominis ſedens à dextris virtutis Dei: dijudicans damnans puniens: quæ vos nunc impunè impudenterq; patratis, univerſa.

PARAGRAPHVS. LXVI.

JESVS damnatur, ligatur, ad Pilatum ducitur. Luc. 23. 1. Matt 27. 2. Vide infra Par. 72.

STRO-

STROMATA.

1. SIc invento, reo & digno Mortis IESU: ſurgens omnis multitudo eorum, vincientes IESUM, duxerunt eum ad Pilatum. Tantâ uſi ſunt diligentiâ tanto tam repetito examine, præſente toto Concilio uſi ſunt Sacerdotum Principes, Pontifices, Legis Doctores, Scribæ, Phariſæi, Seniores populi; quis credat errâſſe? tantâ in multitudine, tantorum virorum judicium ſubverſum eſſe, & innocentum oppreſſum? Ita in perniciem innocentiæ, in calumniam juſtitiæ, in oppreſſionem veritatis, malitia, rabies, odium, invidia, calliditas, malè-politiciſmus, invenit evincentes fallacias! Conſtat tamen damnatum in tantâ & à tantâ diligentiâ atq; Sapientia Iudæorum, damnatum, inquam innocentem, oppreſſum invidiâ juſtum, dolo circumventum, odio ad mortem adjudicatum, pium, rectum & nullius ſceleris reum. Conſtat inquam hoc: quin & tunc jam conſtabat, non Nicodemo ſolùm, nolenti conſentire in conſilium eorum; ſed etiam Pilato gentili: qui ſciebat, quòd per invidiam tradidiſſent ſibi Dominum. quod ergò cõſtabat Pilato, non conſtabat Concilio univerſo? Bene optabat olim Iacob: non intret in Concilium eorum anima mea, maledictus furor eorum, quia pertinax &c. Conſolamini Innocentes, & recti corde & juſti coram DEo, conſolamini in hac Chriſti damnatione: ut & vobis cenſuræ, detractiones, calumniæ, malignæ interpretationes, ingratitudines & reliqua ingratitudinis leges dulceſcat cum Chriſto: non eſtis innocentiores illo; nolite etiam eſſe feliciores ipſo. Ubi dominium ſortitur, odium, invidia, vindicta, detractio, cenſura, calumnia, inſultatio, ingratitudo, depreſſio & oppreſſio hiſq; ſimilia: nullum eſt remedium, præſentius, ſalubrius efficacius, quàm conquieſcere in voluntate Sancta Dei, & accedere ad exemplum damnati, odioq; oppreſſi innocentis IESU!

2. Non liber aut vinculis ſolutus prodierat ad Concilium illud Dominus: haud dubiè manibus revinctis ſtabat in medio. Confirmatâ tamen in eum da-
D mnationis ſententiâ aggravantur & aggeruntur ſuper eum vincula, & ejuſmodi quidem quibus conſpectis, multitudo hominum ſtatim agnoſceret, reum mortis eſſe, adjudicatumq; morti eum, qui ſic prodiiſſet ab judicante concilio. Diſcant Chriſti Diſcipuli & Sectatores non ſectari in ſervitio Chriſti, approba-
A tiones hominum etiam domeſticorum, etiam familiarium: non affectare ad libertates & immunitates, & impunitates & exceptiones. bene geſtas res, opera præclara, labores exantlatos, merita, beneficia in alios data, oportet confirmari repetitâ damnatione, cenſurâ ingratitudine: oportet vinciri ligariq; oblivione, neglectu, contemptu, exprobratione, reprehenſione, oportet ſepeliri, & à ſermone memoriaq; hominum amoveri: oportet compenſari & coronari ſterilitate & malorum pro bonis retributione. Hæc eſt via Chriſti. Non ſunt noſtra opera & merita digniora, meliora, utiliora, ſinceriora, operibus, meritis, laboribus, officiiſq; Chriſti. Sic
B ille ſua compenſari, æſtimari, appretiari voluit, quidni & nos noſtra velimus, gaudeamus; ut minimùm, modeſtè, patienter, manſuetè, ſilenter, feramus? Chriſtus ad extremum poſt omnia damnatus, vinctus, Pilato inſuper traditus, & ad Gentilium manus amandatus eſt: nonnè puderet Socios Chriſti atq; ſectatores, aliâ in claſſe poni, expectare aut recipere mercedẽ aliam quàm Chriſti mercedi ſupparem: & illam olim prædictam: Quoniam inutilis eſt nobis &c. Conſtet hoc omnibus, traducatur apud omnes domeſticos, emanet & ad extraneos &c.

C PARAGRAPHVS LXVII.

JESV condemnato, Iudas pœnitentiâ ducitur. Mat. 27. 3.

STROMATA.

1. HÆc eſt natura peccati: dum committendum eſt, atq; etiam committitur; leve, parvum, facile, veniabile videtur: ubi commiſſum, excreſcit in molem, & ſupergreditur ipſum caput, *& ſicut pondus grave gravatur ſuper* conſcientiam peccatoris, proùt ipſe David expertus de ſe teſtatur. Pſ. 37. 5.

2. Sed & Diaboli hæc eſt ars; dum tentat ad peccandum, omnia proponit quæ leviorem culpam, quæ faciliorem veniam, quæ latendi cauſam & copiam,

quæ ſatisfaciendi facilitatem & ſimilia his præſeferant. Poſtquam induxit ad peccandum & illaqueavit peccatorem, tum verò cæcitatem illam & fucos, fallaciasq; ſubducit,& inſtar Adami & Evæ in Paradyſo quondam peccantis, aperit oculos peccatoris, amplificat peccatoris facinus, & audaciam, ingratitudinem, malitiam, Iuſtitiam Dei, & iram, pudorem, amiſſæ famæ damnum, tandem ſpem etiam eximit, triſtitiam & amaritudinem ingerit, in deſperationem vocat, & ad perſeverandum in ſcelere, ad repetenda peccata, ad impænitentiam deducit: ſicq; obligatum, infelicem hominem, in ſervitute & tyrannide peccati tenet. Atq; ab hoc fonte iſta infelix pænitentia Iudæ, manare potuit.

3. Hæc pænitentia Iudæ etſi non profuit ipſi, profuit tamen Chriſto: prodeſſe potuit & Iudaico Concilio atq; populo Certè Iudæi ſcelus ſuum in Chriſtum utcunq; tueri poterant Iudæ Chriſti diſcipuli proditione: ut qui non ſinè cauſâ ad Magiſtri venditionem proſiluiſſet: dicere poterant, compertam diſcipulo malitiam Magiſtri,cognitos mores ejus improbos: quorum ille tandem pertæſus eum prodidiſſet poteſtati debitis pænis afficiendum. Hoc velamen ut auferretur Iudæis,utq; etiam hinc eſſent inexcuſabiles; utq; vel tunc ſi vellent reſipiſcere poſſent, voluit Dei providentiâ duci Iudam hac etſi ipſi non profuturâ pænitentiâ, ut ille ipſe proditor & vēditor, palàm fateretur ſcelus ſuum, ſe agnoſceret peccaſſe, excæcaretur & abjiceret pretium infelix, Chriſtum ipſum innocentem,juſtum,ſanctum pronunciaret, & ſic,ut dixi inexcuſabiles Iudæi in ſuâ malitiâ exiſterent,ſiquidem hoc licèt teſtimonio habito, tamq; oportunè audito, nequaquam ab invidia & ſcelere in Chriſtum revocari voluiſſent. Ita ergo pænitentia Iudæ, ſervivit multipliciter providentiæ Dei. 1. Ut Iudas ipſe inexcuſabilis eſſet. 2. Ut rediret ad ſalutem ſi vellet. 3. Ut Chriſti innocentia integrè conſtaret. 4. Ut malitia Iudæorum manifeſtior & inexcuſabilior eſſet. 5. Vt etiam tunc Iudæis peccantibus gratiâ Dei ad reſipiſcentiam oportunè vocans, non deeſſet. *Addo* 6. Ut modus pænitendi rectè, in modo pœnitendi pravo rectiùs diſceretur. 7. Ut in ſpem pænitentiæ agendæ,poſt culpam, nemo committat culpam: quoniam non omnis pænitentia prodeſt poſt culpam. Tremendum eſt quod duobus Latronibus Chriſto concrucifixis unus de Cruce ad Paradyſum aſcendit, alter item de Cruce in infernum deſcendit. Sed in rei veritate magis longè tremendum eſt: quod Iudas pænitens, peccatum confitens, publicè enuntians, Chriſto innocentiæ nomen & famam reſtituens,pecuniam abjiciens malè partam coram Sacerdotibus in templo; tamen in ſua tanta pænitentia (quia deſperavit) periit atq; damnatus eſt; interim verò Petrus, qui fortè non minùs in Chriſtum, negationibus, mendaciis, perjuriis ſuis deliquerat, neq; tamen tanta publicæ pænitentiæ ſigna dederat veniam conſecutus & gratiam confidentiamq; ac locum apud Chriſtum adeptus eſt. Quis non exhorreſceret ad Dei judicia? quis pravitatem cordis ſui non formidabit? poſſum peccare & ſicut Iudas & ſicut Petrus; fortè tamen non agam pænitentiam niſi ſicut Iudas, & non ſicut Petrus. Non eſt ergo peccandum in ſpem pænitentiæ: *Maledictus enim qui peccat in ſpe.*

4. Sed adhuc potuit aliunde, infelicem ad pænitentiam Iudas provocari. Ubi enim reſedit ſatiata cupitis nummis avaritia: & cæca ſcelere mens tandem ad ſe cæpit reſpicere, facilè proculdubio recurrebant in animum quæ mordebant, mordendo ad dolorem commiſſi facinoris provocabant. Veniebant ergo in oculos beneficia venditi à ſe Magiſtri: beneficia inquam, in ipſum collata Proditorem: ut quod vocatus eſſet inter ſuos & eos quidem ſelectos diſcipulos: quòd factus Apoſtolus, gratiâ miraculorum donatus: præpoſitus œconomicæ rei: poteſtate docendi, peccata remittendi ornatus: nuperrimè pedes ſanguinarios ab illo ablutus, corpore etiam ſanguineq; ſaginatus ac tanto myſterio præſens adhibitus: amiciſſimè ſuper menſam de ſcelere, quòd meditabatur admonitus neq; tamen proditus: inſuper in horto ad oſculum licèt proditorium admiſſus, & Amici nomine dignatus; recurſabant ergo hæc benigniſſimi Magiſtri beneficia ad animū. Sed neq; illa non veniebant in mentem beneficia ab eodem Magiſtro ſuo paſſim palàmq; in omnes effuſa: Viam vitæ docendo; ægros ſanando; à Dæmonibus liberando; peccata condonando, tum verò ſtabat ob oculos innocentia, ſanctitas,integritasq; ipſius Chriſti, tantæ poteſtati & prudentiæ conjuncta: Stabat manſuetudo, humilitas, patientia, modeſtia, benignitas, charitas, omneſq; adeò ſuaviſſimi mores Domini

Vide Leõ. ſer. 3. de Paſſ poſt init.

ſui;

Digitized by Google

ſui; quorum memoria, quidni pectus quamlibet ſanguinarium effoderet? Inſuper obverſabatur ob oculos immanitas ſceleris ſui; quòd innocentem; quòd optimè de ſe, deq; omnibus meritum; A quòd nullâ læſus injuriâ ſponte ſuâ, ſtimulante avaritiâ ſolâ, operam ſuam ad tradendum IESUM obtuliſſet; ejuſq; vitam ac ſanguinem pretio quo emptori liberet, addixiſſet & verò præſtitiſſet! Videbat deniq; cum Chriſto ad mortem feſtinari, & jam communi Principum Concilio, conſilioq; damnatum eſſe: inde dolor, dolor inquam in corde Iudæ natus, plenus ſed non planè fidelis, doluit venditum, ſed non apud venditum à ſe magiſtrum: & quem toties viderat audieratq; peccata aliis condonantem ad eum pro ſceleris ſui condonatione non reſpexit. O Iuda ſi quâ audaciâ Iudæorum Principibus, pari fiduciâ ipſi Chriſto dixiſſes: peccavi tradens ſan- B guinem juſtum; inveniſſes ſine dubio tibi quoq; profudiſſe ſanguinem illum quem vendidiſſes. Sed ſtans in gradu pœnitentiæ, in oſtio Confeſſionis ab aditu fiduciæ atq; ſpei receſſiſti: & deſperans ad laqueum jam illaqueatus abiiſti.

5. Si conjectare licet: ex pœnitētia & tēpore pœnitētiæ Iudæ, videtur colligi poſſe Iudā in perdēdo Domino nō deſideraſſe, ac etiā non planè ſperaſſe Domini traditi Mortē. Credebat ille, quicquid Iudæorū Principes de Morte Domino inferenda ſtatuiſſent, Dominum ad Mortem non perventurum hac occaſione: ſed aut placaturum Iudæos, verbis, ſignis, miraculis; aut evaſurum de manibus eorum, uti C aliàs factum meminerat; aut terrore incuſſo Adverſariis ſeſe poteſtate liberaturum; aut non inventâ juſtâ necis causâ tandē ſponte à Principibus dimittendū. Hac ſpe non nihil ſublevatus, minoris fecit ſcelus proditionis: atq; tantò alacrius ad illud proſiluit, quantò minus capitale futurum Domino credidit. Ubi jam manè facto, Concilioq; habito ſeriò damnatum ab univerſis Iudæorum Principibus, & inſuper in manus Pilati Præſidis traditum, accuſatum, ad Crucem poſtulatum vidit: tum verò ſeriò de nece Chriſti agi ac etiam de vita actum cernens: damnare ſuum factum, & qua poſſet infectum reddere laboravit; inde argenteos retulit, peccatum ſuum faſſus eſt; D innocentem Chriſtum & juſtum edixit; ſe peccâſſe, illius traditione teſtatus eſt. Quòd autem Iudæ pœnitentiam dixi plenam non fidelem, propter quod ipſum non plena erat, ſi fidelis non erat: eo ſenſu dixi, quo Bernardus ejuſdem Iudæ Confeſſionem vocavit puram non fidelem, purè enim & plenè ſcelus faſſus eſt A & deflevit coram Sacerdotibus, & ſatisfecit tam reſtitutione pecuniæ, quàm de juſtitia Chriſti atteſtatione; & ita omnibus tribus partibus ſuis pœnitentiam ſeu confeſſionem habuit. Fidelis tamen non fuit pœnitentia & confeſſio ejus: Nam & peccatum deſperationis, peccato traditionis addidit, minuſq; ſcelus alio graviore cumulavit: & Chriſtum Deum eſſe ac ſupra hominem, neq; confeſſus eſt, neq; agnovit: Spem veniæ non habuit quia deſperavit: Charitatem non habuit, quia ſi Deum amaſſet novo illum & quidem magis bonitati Divinæ injurioſo deſperationis & diffidentiæ crimine non offendiſſet. Atq; ita Iudæ pœnitentia fidelis non fuit, pro- B inde nec illi profuit, immo juxta pſalmum. *Facta eſt illi in peccatum & maledicti o quam elegit, venit ſuper eum.* eaq; non una ſed ut Pſalmus prædictus enumerat triceſima, ut ſcilicet 30 maledictiones, juſtè reciperet à Deo, quia 30, argenteos concupierat & acceperat pro vendito Chriſto.

Ser. 3. de S. Andrea poſt medium.

Leo ſer. 5. de Paſſ.

Id. Leo. ſer 1. de Paſſ. in fine.

Pſ. 108. 7. Beda obſeruat Act. 1. & Damiano 1. Ep: 27. à ℣. 6. ad 29. Vide apud Lorinū in pſ. 108. ℣ 1.

PARAGRAPHVS LXVIII.

JESV Proditor Iudas abjectis in templo argenteis laqueo ſe ſuſpendit, & crepuit medius.

Math. 27 5.

FIGVRA.

Achitophel Conſiliarius David & Proditor, laqueo ſe ſuſpendit. *2. Reg. 17.*

STROMATA

1. ABjicit Iudas argenteos, pro vendito Chriſto acceptos, in templo: quia etiam prodierant de templo, ſive ex templi theſauro: redierunt ergo illuc unde malè prodierant: utq; per hoc ſignaretur, pretium empti Chriſti tandem illud fuiſſe rejiciendum, hoc eſt pro ſcelere empti interfectiq; à Sacerdotibus & Templi præſidibus Chriſti, ſecuturam eſſe everſionem Templi, & demolitionem totius cum templo populi. quod & deinde factum eſt, quando invi-

Vide Amb. t. 4 l 3. de Spū c. 18. poſt mediū. C D. &c. De hac Ch. à Iuda vēditione, à Iudæis ēpti one de Xti pretio & Ioſephi col lato. De ſūguenti quo Chriſto eſt ante Paſſionē unctus æſtimatione &c.

to licèt, victore Tito, templum illud incenſum vaſtatum dirutumq́; eſt.

2. Inter alias cauſas mortis quas prætexebant & obtendebant Iudæi Chriſto, erat templi deſtructio, ac reædificatio: ne vaſtitatem à Chriſto metuerent Iudæi ſuo templo, voluit Dominus IESUS pretium ſui ſanguinis à Iuda projici in templo.

3. Iudas ut haberet, quô ſuſtentaret vitam, 30. argenteis vendiderat Chriſtum, abjectis nunc argenteis laqueo rumpit vitam, quaſi omni ſpe excluſus ſuſtentandi deinceps vitam.

4. Quod poſtea prædicavit de avaris Apoſtolus, hoc exemplo probare occupavit Iudas. *Qui volunt divites fieri incidunt in laqueum Diaboli*: ad literam impletum eſt hoc, in Iudæ exemplo

1. Tim. 6. 9.

Act. 1. 18. *Ser. 8. in pſ. 90. ante finem.*

5. Petrus Apoſtolus teſtatur Iudam & in laqueo vitam finiviſſe, & medium crepuiſſe viſceraq; ejus effuſa fuiſſe. de quo caſu loquens S. Bernardus ait: Pulchrè omnino Petrus Apoſtolus, filium perditionis in locum ſuum abiiſſe teſtatus eſt, quod in aëre crepuerit medius, aërearum Collega poteſtatum: ut potè quem veri Dei, & veri pariter Hominis, qui de cælo veniſſet operaturus ſalutem in medio terræ, hujus inquam proditorem, nec cælum reciperet, nec terra ſuſtineret.

6. Quæ eſt iſta Pænitentia, deducens ad laqueum? quis iſte dolor, trahens ad interitum? quæ compunctio, inducens deſperationem? Illos pænitentia ſua, ad laqueum ducit (ut plurimùm) quos non pænitet peccâſſe, ſed infeliciter peccâſſe; ſed id, quod peccato aſſequi volebant aſſecutos non eſſe; ſed id, quod peccato conſequi non ſperabant conſecutos eſſe: talium pœnitentia ducit pænitentes ad laqueum, immò laqueus eſt illis. Antiochus perſecutor Eccleſiæ veteris, & veteris illius teſtamenti Antichriſtus, cùm fruſtra fuiſſet perſecutus Sanctos, cùm mala eum inveniſſent inſperata; flebat, orabat, multa meliora pollicebatur, imperabat: ſed de eo, quòd optata non eſſet adeptus, inexſpectata verò eſſet conſecutus ex ſcelere. Sic Saül Davidis perſequutor: toties pænitentiam egit quòd Davidi innocenti, nocere voluiſſet. à quo ſe ſæpius vitâ donatum comperiſſet pænitentia tamen illa Sauli laqueus fuit; neq; enim ſcelus ſuum, ſed malum ſceleris ſucceſſum moleſtè tulit. Unde pænitentiæ huic, David ipſe nequaquam fidendum ratus, omni terrâ Iſraël exceſſit nè quando in manus Saulis, illius ſcilicet Pænitentis incideret. Diocletianus & Maximianus orbem terræ Chriſtianorum ſanguine cùm inebriâſſent, & tamen fruſtra ſe in extirpatione cultûs Chriſti laborâſſe advertiſſent: quaſi pænitentiâ ducti imperium poſuerunt, privatam vitam amplexi ſunt: ſed non dolentes ſcelus illud Tyrannidis ſe cōmiſiſſe, verùm ſceleris ſui optatum finē minimè conſequi potuiſſe. Talis pœnitentia etiam Iudæ fuit, qui non ſcelus à ſe commiſſum doluit, ſed ſcelus ſuum aliter cadere, quàm ſperaverat, volueratq́;, videns, pænituit. Unde ſi Chriſtus à ſe venditus, ex manibus hoſtium vel caſu elapſus vel vi ereptus, vel ſponte dimiſſus incolumis fuiſſet; Iudas pænitentiam non egiſſet, nec argenteos retuliſſet. at quoniam aliter negotium proceſſiſſe, Chriſtum damnatum ad mortem eſſe vidit, hoc doluit, quia vidit factum quod minimè voluit; & inde ad laqueum cum ſuâ pænitentiâ abiit: quia quomodo Chriſti mortem impediret aliter, non ſcivit; ita primùm avaritiâ, deinde ſtultitiâ cæcatus periit.

2. Mach. 9. 13. *1. Reg. 24. 20.* *1. Reg. 27. 1.*

7. Iudas *crepuit medius pendens è laqueo & effuſa ſunt viſcera ejus in morte* quia in vita viſcera non habuit, in morte invenit. quantum laboravit Chriſtus ut in Iuda viſcera vel amoris vel timoris, vel pudoris vel gratitudinis vel miſerationis inveniret; nec unquam potuit. caruit ergo Iudas viſceribus in vita, in morte illa invenit, ſed ſero; effudit illa, ſed fruſtra; oſtendit ſed in vanum. Talis eſt illorum miſericordia, vel reconciliatio cum inimicis, vel Eleemoſynæ ac legata poſt mortem cùm crudeliter tenaces, & miſericordiæ viſceribus deſtituti fuiſſent in vitâ. Inveniunt iſti viſcera in morte effundunt illa, condonant offenſas, deprecantur, ad pia opera legant: Sed fruſtra (ſæpe numero) quia ſi contingeret non mori, & à portâ mortis ad valetudinem regredi ad offenſas priſtinas & alienationes, & tenacitates redirent, & legata reſcinderent &c uti factum à talibus exempla teſtantur.

Act. 1. 18.

Vide exēplū in vitâ S. Ioānis Eleemoſynari.

PARAGRAPHVS. LXIX.

JESV prædictio de Iudæ calamitate impletur.

STRO-

STROMATA,

1. Dixerat Dominus in ultimâ ſuâ cænâ ſuper menſam: notans Iudam & ſcelus, quod meditabatur tunc, ut eum à nequiſſimo illo animo avocaret, talia verba ut referunt Marcus 14. 20. Matthæus 26. 23: *Qui intingit mecum manum in paropſide, hic me tradet. Filius quidem hominis vadit ſicut ſcriptum eſt de illo; væ autem homini illi, per quem filius hominis tradetur, bonum erat, ſi natus non fuiſſet homo ille.* Quæ verba in tali morte exituq; Iudæ ſunt impleta aut certè impleri cæperunt: in damnatione porro æterna finem extremum acceperunt. Quia verò hæc Chriſti Domini verba, quantum ad prædictionem ſecutam vera fuiſſe noſcuntur: quantum verò ad collationem duplicis mali inter ſe, (quorum unum eſt; natum non fuiſſe, nec exſtitiſſe in rerum natura: alterum in æternam damnationem, incendiaq; inferni, & privationem ſummi boni incidiſſe) habere difficultatem videntur, non erit abs re hoc loco id expendere, & ſecundùm doctrinam Doctorum ejus ſententiæ, veritatem exponere.

2. Difficultatis nodus in eo eſt. Quia ex communi ſenſu hominum, atq; inſtinctu naturæ intimo: omnis res appetit eſſe, & refugit prout poteſt à non eſſe: qui naturæ inſtinctus eſt ſine dubio etiam in damnatis, tam Angelis quàm hominibus, mallent enim naturaliter eſſe quàm annihilari. mallent inquam naturalem rationem & pondus naturæ, inſtinctumq; ſequendo eſſe etiam in damnationis ſtatu, quam ſimpliciter non eſſe, & nihil eſſe. Et ratio eſt, quia in non eſſendi, ac nihli ſtatu, nulla eſt ratio boni non tantum veri, ſed neq; apparentis. Fundamentum enim boni cujuscunq; eſt eſſe. ubi ergo eſt nō eſſe, ibi non poteſt ratio boni eſſe. & contra, quia ſtatus etiam damnationis æternæ: habet eſſe, immo ſupponit illud: conſequenter habet fundamentum & rationē boni ac proinde eſt melior ſtatus eſſendi etiam in damnatone, quàm non eſſendi ſimpliciter, eſtq; magis appetibilis naturæ: Bonum enim & appetibile idem ſunt. Quibus poſitis: jam reſtat videndum quomodo verba Domini, de Iudâ dicta, vera ſunt. *Bonum erat* (vel quod idem eſt melius erat) *ſi natus non fuiſſet homo ille.* ad quæ verba Domini facere poſſunt & alia verba ſcripturarum, ut Iob: *maledicit diei ſuo in quo* *Iob. 3. 1. 2.* *natus eſt vel conceptus.* quod etiam facit Hieremias Propheta. Sed & Eccleſiaſtæ 4. 2. 3. ait Sapiens: *Laudavi magis mortuos quàm viventes & feliciorem utroq; judicavi qui necdum natus eſt nec vidit mala quæ ſub ſole ſunt.* quin & vulgaris hominum afflictorum loquendi modus hoc ſonat & fortè non de nihilo: quo ſibi imprecari ſolent ut nunquam nati fuiſſent &c.

Ierē. 20. 14. Eccl. 4. 2. 3

A

3. Hujus difficultatis reſolutio ex eo pendet ut advertatur multiplex conſideratio duplicis hujus ſtatûs: quorum unus eſt non eſſe vel nihil eſſe: alius verò miſerum vel etiam æternaliter damnatum eſſe.

4. Primo enim modo conſiderari poſſunt hi duo ſtatus merè ſecundùm ſe ſimpliciter abſq; ullo reſpectu ad univerſum, ad Perſonam, ad Deum vel ejus juſtitiam, ad culpam, ad pænam &c. tum melior ſtatus eſſendi, & exiſtendi eſtò

B

etiam in damnationis ſtatu, quàm non eſſendi ſimpliciter: ratio eſt ſupra poſita ſufficienter evincens: quia in ſtatu eſſendi eſto miſerrimo, eſt aliquod fundamentum boni appetibilis, nempe ipſū eſſe: eſtq; etiam ratio boni in eo fundata. Sunt gradus naturæ complures, ut vivere, ſentire, moveri, intelligere &c. quæ omnia ſimpliciter bona ſunt & meliora quàm his oppoſita. Et manifeſtum eſt. quod lignum vg. etiam quādo putreſcit vel comburitur ſuo modo in ſtatu miſero eſt. neq; tamen quisquam dicit ſimpliciter melius ligno non eſſe, aut non fuiſſe, quàm in igne eſſe. Eſt autem ſimile de homine in pænis poſito, licet eas ſentiente & agnoſcente: (quod

C

non eſt ligno) immò ipſum hoc ſentire & agnoſcere pænas, arguit perfectionem & bonitatem per ſeſe appetibilem. eſto vel morali ex cauſa, ſcilicet ex culpæ ac pænæ ratione gravem ac moleſtam, vel ex naturali ſenſu intenſionisq; exceſſivo gradu intolerabilem &c. Atq; hoc ſenſu D. Auguſtinus videtur dixiſſe: tam innatum eſſe omni rei appetitum eſſendi, & fugam horroremq; non eſſendi: ut ne damnatus quidem poſſit appetere non eſſe. Et alio quodam loco idem ait: Damnatum eſſe licet malum ſit: eſt tamen aliquod bonum, quia ſcilicet eſt ipſum eſſe.

Aug. t. 1. l. 3. de libero Arbitrio c. 7. *Vide Aug. t. 5. Civit. lib. 11. c. 26. & 27.*

5. Rurſus alio modo conſiderari poſſunt iidem ſtatus, ut relati ad complemētum univerſi, ad perfectionem juſtitiæ

D

Dei, ad debitum quod debet, vel quod debetur de meritis & culpas damnati. Eſt enim extra controverſiam, omni culpæ pænam deberi, eſſeq; ut Auguſtinus

Digitized by Google

ait, ejus pediſſequam: Eſſet enim contra rationem juſtitiæ Divinæ, quin & humanæ, ſi peccata eſſent, pœnæ peccatorum ex æquo reſpondentes non eſſent. Sed neq; univerſum hoc perfectionem politiæ debitæ haberet, ſi hæc vindicativa juſtitia in eo deeſſet, qua ſuppliciis noxæ perſolverentur, ſicut ſi deeſſet illa juſtitiæ pars, qua meritis bonis præmia redderentur. His ergo poſitis atq; his reſpectibus attentis, planè ſequitur meliorem eſſe ſtatum hominis etiam in damnatione exſiſtentis, quàm ſimpliciter in natura non exſiſtentis. adeò ut etiam damnatus ſimpliciter non poſſit appetere non eſſe; ſed debeat appetere eſſe, & etiam in damnatione eſſe: ut fiat juſtitia; ut univerſi regimen atq; perfectio completa ſit: ut commenſuratio rerum ſit debita &c. Et quamvis hic affectus in damnatis non ſit, nihil refert: cùm damnatorum ſtatus ratione recta & virtute non agatur: ſed in deordinatione ſit: hoc enim loco non quid ſit ex perverſitate & depravatione in damnatis ſed quid eſſe debeat ex rectitudine rationis, rectiq; naturalis dictaminis, attenditur & exquiritur.

6. Tertio deniq; modo conſiderari poſſunt iſti duo ſtatus non eſſendi, & damnationis, in ordine ad ordinarium, atq; aliquomodo naturalem damnatorum appetitum, quo damnati quatenus damnati ſunt reguntur, & aguntur, non ſpectantes regimen univerſi, nec juſtitiæ Dei exigentiam: & hoc in ſenſu melius eſt non eſſe ſimpliciter, quàm in ſtatu damnationis eſſe. eligibiliusq; eſt extra cauſas tolli, quàm in ſtatum damnationis devolvi. Atq; id ex duplici, ut minimum, capite. 1. Ex ratione culpæ ſive offenſæ Divinæ quæ eſt in damnato (de tali enim homine loquimur, qui propter ſcelera abjectus ſit à Deo in æternas pœnas damni & ſenſûs:) Ex quo capite ſine dubio melius eſt & eligibilius homini, non eſſe ſimpliciter, quàm ſic eſſe in culpæ æterno reatu, æternaq; offenſa Dei: Unde non eſt abſurdus mos pœnitentium viatorum, ita de peccatis ſuis dolere, ut cupiant ſe potiùs natos non fuiſſe, quàm ut nati in mundum, Dei bonitatem peccatis offendiſſent &c. 2. Ex ratione pœnæ tum damni, tum ſenſûs; rurſusq; tum intenſivè in ſummo, tum extenſivè in æternum. Ex quo etiam capite ſine dubio præſtat damnatū, non eſſe inter res; quàm in tali ſtatu eſſe. quàm ob cauſam ait Sapiens: *Meliorem eſſe mortem quàm vitam amaram; & requiem æternam quàm languorem perſeverantem*: quo ſenſu homines quandoq; in miſeriis poſiti imprecantur ſibi, ut nati non fuiſſent, aut eſſe deſinant, aut ſaltem, ut vivere ceſſent, quaſi melius eſſe ducant ſimpliciter perire, & nō eſſe, quàm miſerè eſſe & vivere. quod ſanè longè juſtiùs ſentirent damnati, quorum vita perpetua ad pœnam perpetuam damnata, longè eſt miſerior quàm nulla vita. Ad quod accedere poteſt ratio tertia petita ex pœnâ damni: quia ſcilicet in hac pœna eſt quoddam eſſe damnatorum miſtum & non eſſe eorundem: ita ut meliore ſui parte non ſint, deteriore ſint. Dum enim pœnam damni patiuntur à fine ſuo ſupremo bono exciderunt tam ſupernaturali quàm naturali etiam, & quidem in æternum ſine ulla ſpe ad eum perveniendi unquam, quod genus eſſendi pejus eſt omni non eſſendi ratione: & potiſſimâ ſui parte non eſt, quia extra finem eſſendi eſt. hocq; tantummodo habet quia & eſt, & extra finem eumq; ultimum extra ſummum & omne bonum eſt, ac in æternum eſt. Unde ejus eſſe cum tali adjuncto miſerius eſt omni non eſſe quia ad nihil aliud prodeſt damnato habenti tale eſſe, niſi ut ſit ſubjectum amariſſimi & odioſiſſimi per omnia, exiſtendi ſtatûs. Quod expendens & attendens S. Auguſtinus: cū dixiſſet de infantibus ſine baptiſmo mortuis, non audere ſe affirmare meliùs illis fuiſſe non extitiſſe unquam quàm ſic fuiſſe: de adultis damnatis hoc dicerem (ait) melius illis eſſet ſi non fuiſſent unquam) Etſi enim tam hi quàm illi extra finem ſunt in damni pœnâ: hi tamen ex culpa etiam ſuâ: illi ſine ſua, tantùm ex aliena: in his eſt ſimul damnum cum pœna, in illis eſt damnum ſed quaſi non pœna.

Eccle:30. 17.

7. Eſt ergo verus Chriſti Domini verborum ſenſus: Melius fuiſſe Iudæ ſi natus non fuiſſet, quàm pro ſceleribus in locum damnatorum deveniret.

8. Et quia contra hunc quoq; tertium explicādi ſeu conſiderādi duos iſtos ſtatus modum procedere poteſt ratio ſæpius allata, diſſolvenda eſt cum D. Thoma (non eſſe) Si ſpectetur ſimpliciter in ſe, cùm nec veri, nec apparentis boni rationem habeat, nec bonum eſſe, nec appetibile, nec eligibile eſſe. Si verò ſpectetur ut eſt ablativū infinitæ tam in extenſione, quàm in intenſione, quàm in ſubſtantia miſeriæ, qualis miſeria eſt damnatorum in pœna damni & ſenſûs hoc modo non eſſe, eligi poſſe. Etenim

habet

Digitized by Google

Vide Bern. ſer. 4. l. 2. c. 11. habet rationem hanc boni, quia aufert perpetuitatem infiniti mali. Utiq; autem privatio mali habet in ſe aliquid boni.

Bern. ſer. 35. in Cāt. 9. Adverte hæc ipſa Chriſti Domini verba de infelicitate Iudæ, à D. Bernardo aliter explicari; hoc ſcilicet modo: Melius erat ut natus non fuiſſet homo ille, ſed pecus potiùs aut aliqua alia creatura, quæ quoniam judicium non haberet, ad judicium non veniret ac per hoc nec ad ſupplicium.

PARAGRAPHVS LXX.

Mat. 27. 6. *JESV Sanguinis pretium non licet mittere in corbonam.*

STROMATA.

1. PRetium quo apretiati ſunt Chriſti innocentem ſanguinem, non licet mittere in corbonam templi, licebat autem idem pretium accipere ex corbona templi. O verè inſaniam Phariſaicam! Verè cæcitatem Scribarum, Matt. 23. 24. quæ *excolat culicem, glutit autem camelum*! Sed pecunia, ſanguinis licitatione inquinata eſt; corda Phariſæorum & Sacerdotū ejuſdem ſanguinis innoxii perfidâ & rabidâ emptione maculata non ſunt? Nummi maculati ſunt: manus & animi non ſunt? ſitiêrunt ſcilicet nummi illi ſanguinem juſti: corda Sacerdotum non ſitierunt ſanguinem & perditionem Chriſti; illos ergo non licet eſſe in corbona templi: Sacerdotes, minimè ſcilicet ſanguinarios, licet nimirum eſſe in templo, & præſidere templo? Sed nos cæcam iniquitatem, iniquam cæcitatem horum deteſtantes miramur; qua tamen ſæpe pleriq; laboramus. Exempla non produco: eſſent enim tantùm plena acrimoniæ, quantum & veritatis: & eſſe putarentur ſtatibus magis, quàm hominibus invidioſa: licet non ex naturâ ſtatuum, ſed ex vitio permanent hominum.

2. Pretium empti Chriſti à Iudæis, venditi à Iudâ Iudæis, non licet mittere in corbonam: at hodie abrogatum eſt illud *(non licet)* peccant Iudæi, gravia & multa fœda, & abſurda, ſanguinaria & crudelia, in Sacramentum vg. Euchariſtiæ; in infantem Chriſtianum: evadunt tamen innoxii: datis, hic, illic, donariis pretiis, pecuniis; accipiuntur, reconduntur, in corbonam mittuntur! Ubi eſt iſtud: Non licet eam mittere in corbonam: quia pretium ſanguinis eſt? Dico vobis Euchariſticidium, Chriſtianicidiumq; non aliud, quàm ipſum Chriſticidium eſt!

PARAGRAPHVS LXXI.

JESV pretio emitur ager figuli in ſepulturam peregrinorum. Mat. 27. 7.

PRÆDICTIO.

Appenderunt mercedem meam 30. argenteos. & dixit Dominus ad me: Projice illud ad ſtatuarium, (Hebraice Ioſer: id eſt: figulū, qui ex argilla fingit vaſa, ſtatuas.) &c. Zach. 11. 12.

STROMATA.

1. DIſertè explicat Matthæus Evangeliſta hac pretii Chriſti converſione in emptionem agri figulini, impletam eſſe prædictionem Ieremiæ planiſſimam quam etiam ad verbum refert idem Evangeliſta; etſi in Hieremiæ prophetiâ ut nunc habetur, non exſtat. Exſtat autem huic ſimilis apud Zachariam Prophetam ubi ita legimus: *Et dixi ad eos, Si bonum eſt in oculis veſtris, afferte mercedem meam: & ſi non, quieſcite Et appenderunt mercedem meam 30. argenteos; & dixit Dominus ad me projice illud ad ſtatuarium,* (Hebraicè Ioſer: id eſt figulum, qui ex argilla fingit vaſa, ſtatuas.) *decorum pretium quo appretiatus ſum ab eis. Et tuli 30. argenteos & projeci illos in domum Domini ad ſtatuarium* ſeu figulum. quibus Prophetæ verbis, ſanè graphicè prædicitur, atq; adeò figuratur, hæc pecuniæ pro Chriſto vendito acceptæ à Iudâ; in templum projectio, & ejuſdem in agrum figuli, coëmendum converſio. quàm ob cauſam non ſine cauſa multi credunt à S. Matthæo non Hieremiam ſed Zachariam citatum eſſe, etſi incuriâ deſcriptoris nomen aliud pro alio poſtmodum poſitum ſit, qua de re, nihil attinet hic controvertere. Vide Bern. t. 4. harm. l. 7. c. 2.

Hier: 18. 1 2. Pretiô Chriſti emitur ager figuli: Ager iſte humana eſt natura. Figulus eſt ille, *qui de limo terræ pſalmavit ſeu finxit Hominem Gen. 2. 7.* Hunc agrum Chriſtus, ſui ſanguinis pretio per manus Iudæorum, cōparat ſe Deo figulo gēti & re. fingēti vaſa.

U 2

Vide Aug. orũ, ac præcipuè Principum Sacerdotũ
ſer.114.de ſuſo, emit. Et quidem in ſepulturam pere-
tẽp. Et lib. grinorũ: fidelium ſcilicet ſuorum ac in ſe
de cultu- credẽtiũ *quorum vita mortua eſt, & abſcon-*
ra agri *dita atq; conſepulta cũ Chriſto in Deo* ut loqui-
Dominici tur Paulus *ut cùm Chriſtus apparuerit vita*
eorum in ultimo Iudicio *tum & ipſi appa-*
Col:3 3.4 *reant cum ip ſo in gloria* Ob quam rem i-
dem Paulus fideles Chriſti vocat: *conſe-*
Col:2.12. *pultos et in baptiſmo.* Et alibi de iisdem lo-
quitur: *conſepulti enim ſumus cum illo per ba-*
Rom.6.4. *ptiſmum in mortem.* qui etiam peregrini
revera ſunt *peregrinantes in hoc mundo ad Do-*
2 Cor 5 6 *minum: non habentes hic manentem civitatem*
Hebr.13.4 *ſed futuram, inquirentes in qua conſcripti ſunt*
Eph.2.19. *& admiſſi ad ſocietatem multorum millium*
Angelorum conſcripti *cives Sanctorum & do-*
meſtici Dei. interim tamen ut dixi pere-
grinantes in hoc ſeculo. Ob quod S. Pe-
trus eosdem fideles & vocat & ſimul
monet, ut *memores ſe peregrinos advenasq;*
1.Petr.2. *in hoc mundo & in hac vitâ abſtineant à carna-*
11. *libus deſideriis.* Unde etiam commodè a-
ger iſte horum Peregrinorum ſepulturæ
deputatus, vocatur Haceldama, ſive a-
ger ſanguinis uſq; in præſentem diem:
quia Eccleſia ex fidelibus hominibus cõ-
gregata, quam ille *acquiſivit ſibi ſanguine*
Act 20 28 *ſuo* revera ſanguinis ager eſt. Emptus
eſt enim & acquiſitus, ut modò dixi ſan-
guine Chriſti, rigatus eſt poſtmodum
ſanguine primorum Chriſtianorum, A-
poſtolorum, Martyrum, rigatur & mo-
do ſanguine ejuſdem Chriſti, in ſacrifi-
cio & Sacramento altaris, in quo & ali-
tur Eccleſia, ſanguine Chriſti, & grati-
oſa in oculis æterni Patris redditur.
Cæterùm advertendum eſt diligenter,
quòd non omnes qui in Chriſtianiſmo
ſunt iidem in Chriſto. Non omnes qui
filii *Abrahæ, ii filii promiſſionis* Multi ba-
Rom.9.8. ptizantur in Chriſto, nec tamen, mori-
untur, abſconduntur, aut ſepeliuntur in
Chriſto. Moriuntur Chriſtiani ſed non
in Chriſto Dòmino, Beati autem non
qui moriuntur ſed *qui in Domino moriuntur*
Colos.3.3 *quorum* ſcilicet *vita abſcondita cum Chriſto in*
Deo. Vivunt. heu! multi vivunt Chri-
ſtiani ſed non Chriſtianè: quare? quia
non, ſicut advenæ & peregrini, abſti-
nent, à carnalibus deſideriis, ſed tan-
quam incolæ, & domeſtici, filiiq; ac hæ-
redes ſeculi hujus, quæcunq; volunt, hæc
Rom.6.19 faciunt, exhibentq; *membra ſua injuſtitiæ*
Ambr.l.7 *ad peccatum.* Ambroſius ait: *Qui ſe à Chri-*
in 15. Lu. *ſto ſeparat, exul eſt Patriæ* (Cæleſtis) *civis eſt.*
Vide Bernardus. Non in talium peregrinorum ſe-
ſer.10. in pulturam pretium ſanguinis Chriſti cõ-
pſ. Qui verſum eſt.
habitat.

3. Refert Adrichomius in deſcriptione Hieroſolymæ. n. 216. mirabile quiddam de hoc agro figuli pretio Chriſti empto, quod & ad præcedentem diſcur-
A ſum de peregrinis Chriſti & ad ſequentem ſeu præſentem, moraliter poteſt accommodari. Eſt (ait ille) hujus terræ (nempe agri ſanguinis) Virtus mirabilis & fidem planè ſuperans: quòd defunctorum corpora 24. horarum ſpatio, in pulverem redigat; quam virtutem, etiam in alias Regiones devecta minimè perdit. Nam cum juſſu imperatricis Helenæ, de hoc agro, quantum terræ 270 (ut ajunt) Naves capere poterant Romam avectum & juxta montem Vaticanum in eum locum exoneratum ſit, quem incolæ campum ſanctũ vocitant, licèt cælum mutârit, eandem tamen retinere vim quotidiana experientia docet. Romanos enim reſpuens, ſola pe-
B regrinorum corpora ad ſepulturam admittit, quorum etiam hic omnem carnis ſubſtantiam intra 24. horas prorſus conſumit, oſſibus tantùm reſiduis) Hactenus ille. Hæc terra typus Religionis eſt, & Religioſæ (quanquam & Chriſtianæ. ut numero proximo dixi) vitæ; Religioſa enim terra ſeu vita, & profeſſio carnis & carnalis vitæ eſt inimica. & qui ſepeliri in eâ volunt, peregrinos, non incolas eſſe iſtius mundi oportet, oportet & ſibi *ſecularibusq; deſideriis eſſe mortuos.* porro qui in eâ ſeriò ſepeliuntur prorſus intra 24. horas, hoc eſt, ſtatim, in eis deſideria & ſtudia, & curas carnis conſumi & emori uſq; ad pulverem neceſſe eſt. Tota porro vis hujus
C Religioſæ terræ in carnalibus curis ita edaciter abſumendis eſt, ab eo, quia ager, Chriſti ſanguinis eſt, quia, inquam, pretium ſanguinis Chriſti & peculiaris portio hæreditatis Dominicæ reputatur. Væ illis qui licèt in hoc agro ſepulti videantur, attamen in eis carnis, & ſeculi ſtudia vivunt, voluptatum ſenſualium cura regnat,

4. Etiam uſq; hodie hunc infelicem morem horum Iudaicorum Principum, Sacerdotum, tenent plures Chriſtianorum Sacerdotes. Pretium enim Chriſti, patrimoniumq; Crucifixi: hoc eſt opes ex Eccleſiæ Chriſti, bonis, quæſitas & corraſas non mittunt in corbonam Eccleſiæ, non inquam diſpenſant
D ſecundùm mentem Eccleſiæ & ordinationem Canonum Sacrorum, ſed emunt ex eis, agros figulorum, diſpenſant & expendunt in ſumptus non neceſſarios, in ſplendores & apparatus aularum, famulorum,

Digitized by Google

mulorum, equorum, menſarum, canum nimios, in diuitias & opulentias conſãguineorum, & propinquorum, & Nepotum, in ſepulturam peregrinorum prorſus, & nihil Eccleſiæ, nihil Chriſto ſervientium, nec ad Eccleſiam attinentium, ſed de patrimonio Chriſti luxuriantium ac ſeculariter viventium. Verè ager ille linguâ eorum vocatur Haceldama, hoc eſt, ager ſanguinis: tum quia eſt pretium Chriſti ſanguinis, tum quia impenditur in uſum & abuſum ſanguinis; tum deniq; quia in ſepulturam ſeu potiùs damnationem æternam convertitur affinitatis atq; ſanguinis; tum deniq; quia etſi prima fronte videatur ex tali diſpẽſatione bonorum Eccleſiæ, in conſanguineos conſurgere quidam ſplendor & decor familiæ atq; ſanguinis: in rei tamen veritate, proút docet aſſidua experientia, immutatur in depreſſionem, & abjectionẽ, & exinanitionem, ſic ditatæ & evectæ familiæ atq; illuſtrati ſanguinis. Ut verè huc etiam poſſit accommodari illud, quod de hoc agro figuli, ex Adrichomio retulimus, à talibus Eccleſiaſticis bonis familias intra 24. horas, hoc eſt, cito notabiliterq; abſumi, & in infimas abjectasq; familiarum feces detrudi. Quod quidem ſolet vulgari proverbio exprimi, cùm ſic illuſtratæ opibus Eccleſiaſticis familiæ, cereæ familiæ, Eccleſiaſticis ſcilicet ceris illuſtratæ, brevi ab igne liquefaciendæ, & defluxuræ in egeſtates extremas appellari ſolent. Cæterùm hæc gratis dicuntur, ſcribunturq;: quia ſponſi iſti ſanguinum hæc non capiunt, & exemplis antecedentium poſteriores non ſapiunt, ſed cæco impetu, alii poſt alios, eodem paſſu gradiuntur, & ſimul (abſit abſit) alii poſt alios ad inferna rapiuntur.

PARAGRAPHVS LXXII.

Matt 27 1. Mar. 15 1. Luc. 22 1. Ioã 18 28.

JESVS ad Prætorium Pilati adducitur.

[illegible] ſupra par. 64. n. 3. [illegible] ab S. Leone ex ſer. 3. de Paſſ. ant. finem.

STROMATA.

1. Hic jam impletur illa Chriſti Domini prædictio: *tradent* Iudæi ſcilicet Filium Hominis *Gentibus ad illudendum & flagellandum.* *Matt. 20.*

2. Non licebat Iudæis, ſub alienâ tum poteſtate conſtitutis *interficere* ut ipſimet loquuntur *quemquam*: præſertim vinctũ, inſignem magìs, & publicè (qualem illi Chriſtum videri volebant) facinoroſum. *Ioan. 18. 31.*

3. Accedebat, quòd volebant probroſiore genere Chriſtum perdere, Gentilium ſcilicet manu, Gentilium more in Cruce, Gentilium etiam judiciò.

4. Huc etiam facit, quòd Iudæi, non ignari Chriſtum pluribus fuiſſe charum, utpote in multos beneficum, ac benemeritum de plurimis, ut invidiam mortis ejus à ſeipſis amolirentur, cupiebant eum non à ſeipſis tantum condemnari, ſed etiam à ſupremo judicio prætoris morti addici, idq; publicè conſtare.

5. Indicant Evangeliſtæ Sacri, feſtinatò Chriſtum, à Domo Caiphæ, ad Pilatum & ad prætorium ejus mane ſatìs, & quidem adhuc intempeſtivè adductũ eſſe, & quidem ab ipſiſmet etiam Principibus Sacerdotum: per quod, indicatur enormitas odii Iudaici in Chriſtum, quo ſtimulabantur ad urgendam Chriſti necem quàm primùm: quo item excæcati parvam perſonarum & dignitatum rationem habebant: (niſi fortè zelo honoris Divini id agere, videri volebant, & decorum decoremq; ſui negligere.) Metuebant etiam Iudæi, ne ſi mors Chriſti differetur, in poſt Paſcha, is interim aliquo modo vel benevolentiâ aliquorũ dimitteretur eliberareturvè &c. Sed & volebant hac curâ perdendi Chriſtum, ante feſtum diem eliberari, & ſecuri quietivè feſta peragere. Ideo ipſimet Sacerdotum Principes in ſua perſona negotium tractabant & urgebant; ut majus ineſſet pondus & accuſationi & poſtulatis, & inſtantiis, & plebs reliqua conſtantiùs ferociret, Pilatumq; ad necem Chriſti decernendam, atq; etiam maturandam impelleret.

6. Mos eſt aſtutè malitioſorum, ut quos impenſiſſimè oderunt, atq; exquiſitè perdere cupiunt: hos non quaſi per ſe, quaſi ſe inſciis per alienam vim, per ſuas autem artes perdunt: juſtitiæ & æquitatis palliamenta excogitantes; & nè videantur qui pereunt ſuâ operâ perditi eſſe, mirificè adlaborantes; in ſinu tamen ſuo & ſuorum, intimè de hoc ipſo quòd perdiderint, quòd Auctores fuerint gaudentes atq; glorìantes. Abſtruſiſſimum malitiæ genus, imperſcrutabile, irremediabile: ac ſoliùs Dei juſtitiæ ſapientiæq; derelictum: & ita derelictum ut DEus quaſi peculiariter his ſolis, di-

Digitized by Google

judicandis, & inter ſuasmet technas capiendis, per ſuosmet doloſos guſtus excruciandis invigilet. quo fit ut tales oculis ſuis videant & tabeſcant, & retributionem, peccatorum ſuorum, artificiis ſuis, in caput ſuum devolutam perſentiſcant.

PARAGRAPHVS LXXIII.

Ioan. 18. 28. *JESV ad Pilatum adducto Iudæi non ingrediuntur, nè contaminentur.*

STROMATA.

1. PEculiari ſtudio Spiritus S. per Evangeliſtam hanc Iudæorum religionem expreſſam eſſe voluit. Adduxerunt Pilato Ieſum, obtulerunt, tradiderunt, accuſârunt, ad Crucem poſtulârunt, domum tamen Pilati ingreſſi non ſunt, ut non contaminarentur: ſed ut manducarent Paſcha (id eſt Paſchales victimas, quæ illis diebus 7, offerrebantur & in uſum offerentium cedebant & Paſchæ nomine vocabantur, de qua re Deut.16 2 præceptum fuit: *Immolabis Phaſe Domino Deo tuo de ovibus & bobus &c.* quæ, clarum eſt diſtingui ab Agno Paſchali, & ad haſce Paſchales hoſtias requirebatur Munditia legalis ut colligitur ex Levit. 7. 20. alioquì Iudæi jam proximo veſpere comederant Agnum Paſchalem, qui principaliter Paſcha dicebatur, eodem tempore, quo & Chriſtus Dominus, comederat) Niſi quis credat Principes Sacerdotum occupatos negotio gravi, & ad gloriam Divinam, populiq; totius valIoã:11.50. de neceſſario, (*expedit vobis ut unus Homo moriatur pro populo &c.*) diſpensâſſe ſecum in lege nec comediſſe Agnum Paſchalem feriâ 5. ſed diſtuliſſe in veſperam feriæ 6tæ ſequentis) Voluit inquã Spiritus S. peculiari ſtudio hanc Religionem Iudaicæ nequitiæ exprimi; ut pateret tum veritas dicti olim Chriſti de Matt.23. 24. illis quòd *Camelum glutirent culicem percolarent*: tum natura malignitatis odiiq; mirificè excæcantis corda, eſto prudentium, eſto piorum, in oculis ſuis. Miram ſanè cæcitatem hanc, oportet fuiſſe in his Iudæis, qui videbant ſe contaminandos ingreſſu domûs Pilati; non autem videbant ſe contaminandos odio, invidiâ, injuriis, injuſtiſſimâ, & crudeliſſiâ nece Chriſti? Quæ erit cæcitas mentis, ſi hæc non eſt? An putabant Iudæi ſe non innocentem Chriſtũ ad mortem damnâſſe, & Pilato crucifigendum obtuliſſe? At hoc vel ipſi Pilato conſtabat: *quòd per invidiam tradidiſſent eum,* qui toties proteſtatus eſt: ſe *nullam invenire cauſam mortis in eo.* Matt.27. 18. Ioã.18.38 Meritò Auguſtinus hunc locum tractans tr. 114. in Ioan: exclamat: (O impia & ſtulta cæcitas! habitaculo videlicet cõtaminarentur alieno, & non contaminarentur ſcelere proprio? Alienigenæ Iudicis prætorio, contaminari timebant: & fratris innocentis ſanguinem fundere non timebant!) Vide infra Par: 80. Excæcaverat ergo illos malitia eorum. Præſides & Sapientes, & juſti Chriſtiani timete à tali excæcatione: timete inquam à tali affectuum internorum impotenti effrenatione. Multi Chriſtianorum ſunt, etiam qui cæterùm minimè mali videntur, qui cùm manifeſtis non ſint implicati peccatis: gravantur occultis: Carnalia & craſſa non admittunt: ſed in ſpiritualibus & internis profundè volutantur! Quo non rapiuntur aliquando tales ducti æmulatione, odio profundo, invidiâ, vindictæ ſtudio, amicitiâ privatâ, ſuperbiâ, cupiditate deprimendi, traducendi, in odium, in contemptum Fratris inducendi? Et tamen hæc diſſimulante mente aguntur: obtuſâ conſcientiâ fiunt: ſecuro animo, ac velut poſt rem ſaluberrimè geſtam, tripudiante, perpetrantur! Prætenditur ſanctitas, jactatur innocentia, prædicatur prudens & cautus agendi modus, ſucceſſus Divinæ adſcribitur benevolentiæ, atq; prudentiæ, plurima in rem gloriæ Divinæ geſta magnificè dilaudantur, divulganturq;! O perverſitas & tortuoſitas cordis periculoſa! O quàm *mentitur iniquitas ſibi!* propter Pſ.26.12 quod etiam minimè ſibi mentitur! (Cũ enim in corde delinquimus (ait Gregorius) 1.p.Paſtor. c. 4. n. 8. latet quidem homines quod apud nos agimus: ſed tamen ipſo judice teſte peccamus.) ipſo inquam corde, ac multo magis DEo tam judice, quàm teſte crimen committimus.

PARAGRAPHVS LXXIV.

JESVS coram Pilato à Iudæis accuſatur, Luc.23.2. Ioã.18 3

EL-

FIGVRÆ.

2.Mach.4 1.2. *Simon impius, Oniam Sacerdotem ſummum defenſorem gentis ſuæ, & Æmulatorem legis Dei audet inſidiatorem Regni dicere.*

PRÆDICTIO.

Luc. 18. 31. *Ecce aſcendimus Hieroſolymam, & conſumabuntur omnia quæ ſcripta ſunt per Prophetas, de filio hominis; tradetur enim Gentibus.*

STROMATA

1. QUia Iudæi nefas ducebant in domum Gentilis hominis ingredi propter ſolennitatem ſuam Paſchalem;
Ioā.18.29 *Exivit ergo ad eos foras Pilatus* ecquid hominis adduxiſſent; quam accuſationem contra eum afferrent requirens. Tum Iudæi multipliciter torquere accuſationem cæperunt. 1. Univerſaliter præjudicium ſuum afferunt: credendum ſibi & paucis ſecum, tanquam in re ſibi cognitâ, à ſe bene excuſſâ, per ſe jam
Ioā.18.30 dijudicatâ prætendunt. *Si non eſſet* (inquiunt) *hic* (homo vinctus) *malefactor, non tibi tradidiſſemus eum.* Compertum eſt nobis, immo & deciſum à nobis multa morte digna ab eo geſta eſſe, re jam deciſâ & cognitâ probè per nos adduximus eum tibi non adducturi aliàs, niſi ita res ſe haberet. tuâ tantùm opus eſt decretoriâ ſententiâ, ut hic moriatur. Ita Principes Sacerdotum, auctoritate, majeſtate, prudentiâ, religioſitate ſuâ, perſvadere volunt Pilato, ut intelligat adductum ſibi hominem, procerto multorum reum, nec jam de eo inquiren- C dum, ſed in eo animadvertendum ultimo ſupplicio eſſe. Hanc ſuperbam & injurioſam & ſtultam accuſationem primam, Pilatus ſat prudenter eluſit ac re-
Ioā.18.31 torſit dicens: *accipite eum vos & ſecundùm legem veſtram judicate eum* quaſi diceret: Quoniam mihi conſtare aliter nō vultis ejus hominis facinora, niſi ex eo quia vobis conſtant, & quia jam vos ita præjudicaſtis; agite: finite judicium, ſecundùm legem veſtram, juxta ritus veſtros eum judicate, judicatum de medio tollite. Mihi homini Romano alius judicandi mos præſcriptus eſt, ut nemo indictâ cauſâ damnari poſſit. Sic Iudæi repulſi ac ſimul perſtricti: revocant in memoriam Pilato a- D demptam ſibi à Romanis poteſtatem, necandi quemquam, præſertim reum criminis in Rempublicam, cujus mox

Vide Act. 25. 16. verba Feſti ad Agrippam.

Chriſtum accuſârunt, & præſertim etiam ſupplicio Crucis, quod necis genus nulli ſceleri lex vetus habuit aſſignatum, etſi multis ſceleribus mors A eſſet decreta, illi autem cupiebant crucifigi Chriſtum probri majoris cauſâ, ob quod eum Gentili judici tradiderunt, ſcientes hoc genus Gentilibus eſſe communius reis infligere, præſertim infamibus, & ſeruilibus ac nullius notæ frugisvè, ac maximè de ambito dominatu notatis, hominibus. Quod præſciens Dominus IESUS. diſertè ſatis prædixerat Diſcipulis: ſe tradendum in manus Gentilium ac mortis genere apud Gentes uſitato eſſe necandum. Matt.20. 19. Mar. 10 33. Luc. 18. 32.
Eam ob rem Iudæi mox ſecundam magìs expreſſam atq; validam agreſſi ſunt in Chriſtum accuſationem. ajunt ergo: *Hunc invenimus ſubvertentem gentem noſtram &c.* Pilatus ergo hoc modo commonitus à Iudæis, non eſſe ſibi integrum & B fas aliquem neci dare, converſus aut reverſus ad IESUM, quem forſan in prætorio intus reliquerat cùm ad Iudæos ipſe egreſſus eſſet, interrogat illum an ipſe eſſet vel ſe faceret Regem Iudæorum? ait ergo Chriſto: *Tu es Rex Iudæorū?* Hoc quærit Pilatus ex Chriſto eo nomine, quippe morti eum facilè addicere poterat, ad quam à Iudæis poſcebatur, quoniam ſi conſtaret Chriſtum ambiiſſe Regnum Iudaicum. conſtaret mox etiam in Romanos peccâſſe, ac mortis reum eſſe: ad hoc poſtulatum Pilati, Chriſtus trifariam procedit. 1. Non ſtatim concedit & agnoſcit Pilato ſe Regem eſſe: ſed ſuſpenſo tantiſper reſponſo, quærit, ex Pilato modeſtè unde habeat Pilatus hoc genus quæſiti de ſuo Regno! dicitq; Pilato: *A temet ipſo hoc dicis, an alii tibi dixerunt de me?* quaſi dicat Dominus: Ioā.18.34
Me Regem eſſe aut Regnum affectâſſe: vel tu conjectas Pilate vel ab aliis audis? Si tu conjectas? ex te quære: quibus id indiciis comperias? Si ab aliis habes? ex iis quære; illi probent & convincant. Nec ignoravit Pilatus: Sapienter ſe peti tali poſtulato Chriſti, idcirco commotiore animo non ſe conjicere, non ſe ſuſpicionibus agere, ſed ipſum Chriſtum à ſuis gentilibus, à ſuis Pontificibus eo nomine apud ſe accuſari, ſibi tradi à ſe ad mortem poſci; proinde diceret: quid cauſæ dediſſet Iudæis, ad hoc ſibi objiciendum?

2. Hic Chriſtus ad ſecundam viam reſpondendi Pilato planiorem proceſſit. ait ergo: Regnum quod mihi objicitur, non eſt tale, quale mihi objicitur, *non e-*

Digitized by Google

nim eſt de hoc mundo de quali tamen accuſor. Si enim de hoc mundo, quale iſti objectant, eſſet, apparatus Regii huic mundo uſitati id comprobarent; Miniſtri mei in hunc uſum comparati, defen- A diſſent me, nec veniſſem in Iudæorum aut tuas manus. *Nunc ergo Regnum meum non eſt hinc.* Audiens Pilatus reſponſum: Vidit Dominum & agnoſcentem ſe Regem aliquem eſſe,& tamen non eſſe eũ, qualis accuſaretur. Certiùs ergo aliquid cogniturus urget Dominum quæſito novo dicens: *Ergo Rex es tu?* qualiscunq; tandem Rex ſis, volo ſcire divertè, ſisné tu Rex nihilominus? Tum Chriſtus tertium tandem aſſumpſit modum reſpondendi, poſteaquam ad eum ſibi viam complanâſſet, & Pilato errandi præcipitandiq; ſententiam ut pote Divinarum rerum rudi anſam ademiſſet. Planè enim & clarè reſpondit Pilato: ſe Regem eſſe moxq; adjecit Myſterium grande: *Ego* dicens *in hoc natus ſum, & ad hoc* B *veni in mundum, ut teſtimonium perhibeam veritati, omnis qui eſt ex veritate audit vocem meam.* Advertere eſt hic plurima. Primum Sapientiam Chriſti in dirigendo Pilato interrogante. Si ad primum Pilati quæſitum, dixiſſet Chriſtus Pilato: Tu dicis. Rex ſum ego. durè hoc Pilatus accepiſſet; interpretatus fuiſſet arrogantiam rei; nec quæſiiſſet forſan ultra, ſed in Iudæorum ſententiam tranſiens, Chriſtum ambitûs, & affectati Regni, ex ſuâmet Confeſſione arguiſſet, damnâſſetq;. Cui rei obviavit ſapientiſſimè Dominus. molliter deducens rẽ uſq; eò, ut Pilatus & Chriſtum Regem eſſe cognoſceret, neq; tamen reum majeſtatis in Romanos videret. Sciret eſſe C Regem veritatis, non vanitatis: non inquam, terrenæ Dominationis. Vidit Pilatus manifeſto argumento ſibi dilutum affectati terreni Regni crimen ex negatione ſatellitii & apparatûs omnis Regii, quem neceſſe fuit ut haberet vel curaret, qui ad Regnum adſpiraret.

3. Aperuit etiam præterea Dominus Pilato, maximum adventûs in mundum ſui myſterium, quod Iudæi toties & in Prophetiis antiquis, & in ſermonibus Chriſti edocti capere noluerunt.

4. Dedit inſuper inſignis quæſtionis ſibi movendæ à Pilato, anſam; quam & arripuit quidem ſed proſecutus non eſt. quæſivit enim ex Chriſto: *quid eſt veritas?* Sed non exſpectato reſponſo Domini, D abiit ad Iudæos foras. At enim iſta quæ hucusq; perſtricta ſunt, complanandi ſensûs, & deducendæ rei eâ ſerie, quâ geſta eſt, dicta ſint: preſſiùs deinde in ſequentibus expendenda ſunt; Iudæorumq; accuſationes & objecta, nec non quædam alia conſideranda, antequam ad ulteriora pergamus. Adverto autem in fine hujus Paragraphi: Iudæos longè alia in ſuo judicio tam nocturno, quàm matutino objectâſſe, atq; ob alia, reum mortis, pronuntiâſſe, quàm hic Pilato obtruderent. Nam apud ſe, templi ruinam; in Deum Blaſphemiam; Pſeudoprophetiam; Filiationis Divinæ affectationem; cauſabant. hic alia omnia ut ſupra attigi, & mox expendam particulariùs. Callidè hoc egerunt Iudæi utrobiq;: Nam accuſationes apud ſe objectas, videbant apud Pilatum non valituras, præſertim primo loco objectas. (Poſtmodum enim etiam objecerunt, quòd Chriſtus ſe Filium DEi faceret:) è contra accuſationes apud Pilatum, nunc adductas; videbant coram ſe nihil fidei nec etiam probabilitatis habere poſſe. Ergo callidè (ut dixi) alias hic, alias ibi ventilant & Chriſto objectant, ut utrobiq; ſapientiùs nequitiæ conſilium exſequantur. Nunc jam ad propoſitum pergamus.

PARAGRAPHVS. LXXV.

JESVS (accuſatione Iudæorum calumnioſâ) *ſubvertit Gentem Iudæorum.* *Luc. 23. 2.*

STROMATA.

1. POſtquam Iudæis non ſucceſſit generalis accuſatio Chriſti apud Pilatum, quâ dicebant: *Si non eſſet hic malefactor, non tibi tradidiſſemus eum:* *Ioã. 18. 30* Sed cum requireret Pilatus accuſationem & crimina diſtincta: hoc primum crimen objecerunt Chriſto: *Hunc invenimus ſubvertentem Gentem noſtram.* Quibus verbis *Luc. 23. 2.* ſicut & ſequentibus aliis,objiciunt Chriſto ſeditionem & tumultum, quaſi & pacem publicam turbaret, & populo novandarum rerum, auctor eſſet, & in perniciem ſubverſionemq; gentis ex novitate rerum ſecuturam devolvere turbulentis ac pernicioſis conſiliis ſuis niteretur. Quod quidem quantum ad mẽtem atq; ſenſum Iudæorum falſum nimis erat, ut tum ex verbis concionibusq;

Digitized by Google

buſq; Chriſti; tum ex reſponſis atq; doctrinis, tum ex modis agendi vivendiq; manifeſtum erat. Nam & pro Concionibus nihil unquam ſeditioſum dixit, docuitvè, & ſubjectionem ad Præpoſitos manifeſtè docuit, & cùm prævideret *à turbis ſe ad Regnum rapiendum, fugit &c.* Attamen quod ad veritatem (à Iudæis minimè intentam) attinet, revera Chriſtus ſubvertebat Gentem Iudæorum, nõ quidem ex conſilio ſuo, ſed ex infidelitate ipſorum: Venerat enim vineam ſuam ab inutilibus & iniquis *agricolis eripere, malos agricolas malè perdere, & aliis eandem locare, qui redderent fructum temporibus ſuis.* Venerat Chriſtus *Filios Regni ejicere foras*, alios autem plurimos *ab Oriente & Occidente adducere, qui recumberent cum Abraham & Iſaac & Iacob* venerat Chriſtus uno verbo finem veteri legi ceremoniali præſertim, & antiquis ſacrificiis, & priſco Sacerdotio Aaronico imponere, Synagogam abjicere & in Eccleſiam cõvertere, legi ſcriptæ, legem gratiæ ſubrogare, legi puerili & prima tantùm elementa continenti legem perfectam & ſolidam ſuperinducere. Quod revera fuit ſubvertere Iudaiſmum, & maceriam illam objectam inter Gentes & Iudæos diſſolvere, & in unum Eccleſiæ ædificium ſuper uno Angulari lapide cõnectere atq; ſuperædificare. Quod ipſũ in ipſo Adventu Chriſti Domini eluceſcit: qui non eſt completus, niſi quando jam omnia apud Iudæos turbata & permiſta & everſioni finiq; vicina erant: quando inquam, neq; Regem, neq; Regnum, neq; Sacerdotium, neq; libertatem habebant: jam ablatum fuerat ſceptrum de Iudâ: jam tranſîerat in Allophylos: jam diviſum in Tetrarchias, jam occupatum à Romanis &c.

Ioã.6 15.

Mat. 21. 41.

Matt 8. 12.

2. Aliò etiam modo ſubvertit Gentem Iudaicam, occaſionaliter nempe: fuit enim Iudæis occaſio, ut Iudæi eo interfecto mererentur æternam ſubverſionem, quæ & à Chriſto fuit non ſolùm prædicta, ſed etiam deplorata, & tandẽ & à Veſpaſiano, & Tito ejus filio completa.

3. Alio præterea modo Chriſtus ſubvertit Gentem Iudæorum: eorum ſcilicet, qui in carne gloriabantur, & ſecundùm carnem Iudæi erant: Cæterùm Iudæos in ſpiritu, qui ſunt veri Iudæi, veri Confeſſores & confitentes Domino, horum Regnum non evertere, ſed ſtatuere venit Chriſtus. & horum ſe Regem eſſe, titulo ſuper Crucem ſuam poſito conteſtatus eſt. Neq; hunc titulum tollere poterant quantumlibet vellent inimici ejus, carnales Iudæi. hoc Regnum fundat uſq; ad ſæculi finem Dominus IESUS; donec poſt judicium extremum mundi, cum evacuaverit omnẽ A principatum, & poteſtatem, & virtutem tradat Regnum Deo & Patri & ponat omnes inimicos ſub pedibus ejus.

4. Non ſolùm Gentem Iudæorum ſive Synagogiſtarum, ſed etiam Gentem Idololatrarum venerat Chriſtus ſubvertere, etiam Gentem Dæmonum, ſuper homines Tyrannidem exercentiũ Chriſtus ſubvertebat, & tanquam *fortior bellator, armati fortis ipſo alligato vaſa & ſpolia diripiebat &c.* Mat. 12. 29.

5. Sed præterea etiam nunc Dominus IESUS perpetuo ſubvertit Gentem noſtram ut deſinens eſſe Genus humanũ, genus *Carnis & ſangvinis, ex voluntate viri* Ioan.1.13. incipiat eſſe Gens Dei, Gens ex Deo nata, *Gens Sancta, populus acquiſitionis.* Ita 1.Petr.2 9. B ſubverſus eſt totus mundus ad Chriſtum converſus; ita ſubverſus eſt Saulus & converſus eſt Paulus &c.

6. In extremo die judicii etiam Dominus venit ſubvertere Gentem inimicorum ſuorum; Gentem Impiorum; Gentem reproborum; Gentem Hoſtium Crucis ſuæ; Gentem Babylonis & Filiorum Belial, & percutiet eam in furore ſuo: & præcipitabit cum morte, cum peccato, cum Diabolo & Angelis ejus in abyſſum inferni, *ubi aſcendet fumus tormentorum eorum in ſæcula ſæculorum.*, Heu! Apoc. 14. 11. quis ſtabit ad videndum hunc diem, quando hoc faciet Deus noſter? Oh! non exclamemus contra Iudæos, contra Gentiles, contra infideles: nos ipſos; C noſmet, inquam, ipſos malos Chriſtianos attendamus. & dum ſubverti poſſumus in ſalutem à Chriſto, ſubvertamur obſecro per pænitentiam ad ipſum converſi; nè, quando jam non erit locus & tempus pænitentiæ, ſed vindictæ, ſubvertamur ab illo per damnationem, in infernum & in ignem æternum.

7. Hoc maximè & potiſſimè odit calumniaturq; Diabolus, & Diaboli populus omnis impius: & hoc loco in Chriſto, & deinceps ſemper in omnibus Chriſti aſſeclis, atq; imitatoribus, quòd tam Chriſtus, quàm illi exemplo Chriſti ſubvertant Gentem, & Regnum Diaboli, tam in ſe ipſis, quàm in aliorum cordibus, & transferre illud ſatagant, in D Regnum & Dominium IESU Chriſti: hoc, inquam, maximè odit, hoc perſequitur, hoc calumniatur, hoc impedit, hoc omni ratione obſcurare nititur, & in o-

dium inducere; ut iſti ſubverſores Regni diabolici, vel odioſi, vel ſuſpecti, vel contempti, vel aliter abominabiles redditi impediantur, & arceantur & prohibeantur, & peſſimis modis traducantur atq; mulctentur, modo ne laborare poſſint (aut etiam audeant & velint) in ſubverſionem imperii Sathanici, exaltationem autem Regni IESU Chriſti. Hoc fieri omni quidem ætate ſuâ, experta eſt Chriſti Eccleſia; experti veri filii Eccleſiæ, veri zelatores ſalutis humanæ, veri propagatores propugnatoresq; fidei & gloriæ, Honoriſq; Divini: Sed ſi quando, iſtis ſanè temporibus ea calamitas regnat, & in hoc Diaboli ira deſævit, in hoc artes ac fraudes Diabolicæ omnes univerſim ſunt expromptæ; adeò ut in omni Gente, loco, ſtatu, ætate, ſexu, profeſſione, ordine, videas innumeris & aſtutiſſimis doloſiſſimiſq; modis hos traduci, opprimi, deprimi, obrui, impediri, quos nequiſſimus Sathan videt ſuis dolis eſſe infenſos, atq; ſe ſe, pro DEo ejus nequitiis opponere, DEIq; gloriam & fidem ac mores & Crucem Chriſti ſtrenuè prædicare &c.

1. Reg. 17. 26. 28. Necdum David ſuum cum Goliatho Philiſtæo congreſſum, plenè, aut animo cõceperat, aut ore vulgaverat, audiens tamen Eliab frater ejus natu major, interrogata ejus & ſermones, non neglexit amarâ increpatione, animoſiſſimum juvenem, & Dei gentiſq; univerſæ gloriam ac ſalutem propugnare meditantem redarguere, & animos quos addere debuerat, deprimere atq; ſuperbiæ inſimulare & damnare, domum ad paſcendas oves amandare &c.

PARAGRAPHVS LXXVI.

Luc. 23. 2.

JESVS prohibet dare tributa Cæſari.

STROMATA.

1. SI Romano; id nimium quàm falſum eſt: nam & verbis docuit cùm dixit: *reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari.* (*Luc. 20. 25.*) & factis præſtitit, quando Petrum pro ſe & pro ipſo *didrachma exactoribus præſtare juſſit.* (*Matt. 17. 23.*)

2. Eſt tamen ſatis verum, quòd Chriſtus prohibeat dare tributa Cæſari, illi tartareo, & ipſe nullum unquam ei tributum dedit. *Venit,* inquit ipſe, *Princeps hujus mundi & in me non habet quicquam:* (*Ioh. 14. 30*) atq; etiam ad hoc venit in mundum, ut mundum Diaboli tributarium, & ab ejus poteſtate eriperet, & ab illo tributo liberaret, & ſibi atq; Deo Patri illum meliùs tributarium faceret.

3. Prohibet quidem Chriſtus dare tributa Principibus & Dominis ſecularibus: non ea, quæ ipſis jure Dominationis & Principatûs debentur: ſed ea quæ in præjudicium Divinæ legis fortè eſſent, qualia tributa ſunt, peccare in Deum, & voluntatem, legemq; ejus, propter demerendam gratiam terreni Principis. in tali enim caſu: *Obedire oportet magis DEo quàm hominibus.* (*Act. 5. 29.*) Et, ſi obediendum eſt Principibus, primò & primariò, obediendum eſt ei, qui eſt Princeps, ipſorum Principum, & *à quo eſt omnis poteſtas* (*Rom. 13. 1*) legitimorum Principum: quiq; *aufert* & confert *Spiritum Principum.* (*Pſ. 75. 13.*) *per quem* deniq; *Reges regnant & legum conditores decernunt juſtitiam.* (*Prov. 8. 15.*) Talibus Principibus terrenis, prohibet IESUS dare tributum ſubjectionis, quando illi imponunt illud ſubditis ſuis, cum præjudicio Divinæ ſupremæ Dominationis. Aliàs autem juſta imperantibus, & juſtè, tributa præſtanda ſunt; obedientia, timor, honor, veneratio exhibenda eſt, nõ tantùm *bonis & modeſtis, ſed etiam diſcolis.* (*1. Petr. 2. 18.*) ut præcepit Apoſtolus vel potiùs Apoſtoli & Apoſtolorum Dominus.

4. Eſt monitum Apoſtolicum. *Fratres debitores ſumus non carni, ut ſecundùm carnem vivamus* (*Rom. 8. 12.*) quo ille monito, duos quaſi in nobis Cæſares & Dominos agnoſcit, unum Spiritum, alterum carnem. priori tributa præſtanda eſſe etiam atq; etiam, ſuadet, hortatur, jubet: poſteriori, omni ratione, tributa ſubtrahenda admonet: *Qui, ait, ſecundùm carnem ſunt, quæ carnis ſunt, ſapiunt; qui verò ſecundùm Spiritum ſunt, quæ ſunt ſecundùm Spiritum, ſentiunt: Nam prudentia carnis mors eſt; Prudentia autem Spiritûs vita & Pax.* (*Rom. 8. 5.*) Hæc Apoſtolus, aliaq; plura in hunc ſenſum. Hoc ergo agnoſcant Chriſtiani, ſi volunt eſſe Chriſtiani. nempe eorum eſſe obligationem, ſpiritui quidem tributa præſtare, carni autem & ſenſui negare; immo ſpiritu, facta carnis, mortificare, ſi volunt vivere.

PARAGRAPHVS LXXVII.

JE-

Luc.23.2. # JESVS ſe Regem facit.

STROMATA.

1. IN ſenſu Iudæorum, calumnia hæc eſt & falsò Chriſto objiciunt impii iſti ambitûs crimen? quaſi Regiam ambiret dignitatem, Romanis inviſam, ſuſpectam, præjudicantem. Eam Chriſtus non affectavit ſed detrectavit: ideo poſt quinq; millium hominum ſaturati-
Joā.6.15. onem, *cùm venturi eſſent homines illi, ut raperent eum & facerent eum Regem, fugit in montem ſolus*, nec ſe Regem fieri paſſus eſt.

2. In alio tamen, arcano magis ſenſu, revera ſe Chriſtus Regem faciebat & Rex erat. Quid enim faciebat Chriſtus in hoc mundo, niſi conſtituebat regnum quoddam, & ſubditos congregabat & ſe Regem conſtituebat. Ut
Dan.2.44. prædictum habemus. *In diebus Regnorum illorum ſuſcitabit Deus Cœli Regnum, quod in æternum non diſſipabitur, & Regnum ejus alteri populo non tradetur. Comminuet autem & conſumet univerſa Regna hæc, & ipſum ſtabit in æternum.* Hoc Regnum, Chriſti Regnum eſt, hoc Chriſtus inſtituebat, & talem ſe Regem tum faciebat, tum factum ſciebat, juxta illud Davidis Regis
Pſ.2.6. vaticinium: *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo* Deo Patre, *ſuper Sion Montem Sanctum ejus prædicans præceptum ejus.* Et ſecũdùm illud Angeli dictum ad V. MARI-
Luc.1.32. AM: *Dabit illi Dominus Deus Sedem David*
33. *Patris ejus & regnabit in Domo Iacob in æternum & Regni ejus non erit finis.* Talem Regem tres illi magi ſui Reges ab Oriente ſtellâ duce quæſiverunt, & muneribus coluerunt: *Ubi eſt* ajunt *qui natus eſt*
Mat.2.2. *Rex Iudæorum, vidimus enim ſtellam ejus in Oriente, & venimus cum muneribus adorare eum.* Sunt alia plura teſtimonia de hoc Chriſti Regno, quæ non eſt opus recenſere hoc loco, plura dicentur de hac eadem re infra.

3. Usq; modo Chriſtus ſeſe Regem facit, tam in animabus juſtorum ſuorum electorumq;, quos ſuæ ſanctiſſimæ agglutinat Charitati & ſubjugat Poteſtati, & deſponſat voluntati: raptos de medio plerumq; iniquitatum: quàm etiam in Animabus impiorum & rebellium, quos nolentes ſervire ſuæ potentiæ atq; providentiæ, non ad ſalutem ipſorum, cui reſiſtunt, ſed ad juſtitiam Dei, cui ſuccumbunt. In his utriſq; Chriſtus Regem ſe facit, in juſtis quidem volentibus, & ideo gratiam invenientibus; in impiis verò rebellibus & ideo iram theſaurizantibus. Felices qui volentes Chriſtum Regem ſuſcipiunt; Mi-
A ſeri qui nolentes ſentiunt. Illi à Deo (ſæpe) irato, currunt ad placatũ, iſti à DEo placato feſtinant ad eundem iratum.

4. Natura Chriſti eſt, Regem eſſe & Regem ſe facere. Hoc ipſo Rex eſt, quo Deus eſt. hoc ipſo Rex eſt, quo Creator eſt, hoc ipſo Rex eſt, quo Redemptor eſt. hoc ipſo Rex eſt, quo conſervator, quo Gubernator, quo Sanctificator, quo Saluator, quo Judex, quo Retributor, quo Glorificator eſt. Iſta omnia, quando, & quamdiu Chriſtus facit, Regem ſe facit. Æmulatur in hoc Chriſtum, impoſtor ille ac Tyrannus Sanguinarius, juratus Hoſtis Dei & omnium bonorum, Diabolus facit ſe etiam Regem aſſiduò, & hoc unum im-
B pensè laborat, ut ſubditos Chriſto, adjungat ſibi, faciatq; eos Filios gehennæ ut & ipſe eſt, ſitq; Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ; & quamvis hoc per iniquitatem & malitiam faciat, eſt tamẽ in hac parte, atq; in hoc labore ſuo, multùm felix: adjungentibus ſeſe illi innumeris perverſorum cordibus, Chriſto alioqui debentibus honorem & amorem, ad cæleſtemq; natis poſſeſſionem. O infelices & veſani! qui relicto legitimo, Naturali, amabili, ſalutari Chriſti Regno, & Rege Chriſto, faciunt ſibi Regem Diabolum; faciunt dixi, ſed parum dixi: emunt ſibi & impetrant & duriſſimis conditionibus obtinent Regem Diabolum! Prô! quan-
C tos ſumptus Homines faciunt improbi, ut animum diaboli ad ſeſe flectant, demereanturq;, ut eorum Rex eſſe omni conditione peſſima duriſſimaq; dignetur. Quod ſi aſſequantur, ſummam votorum tenere ſibi videntur, & *exſultant* Prov.2.14.
in rebus peſſimis, inq; deſperatiſſimâ ſuâ ſorte.

5. Facit ſe Chriſtus Regem non quidem Iudæorum, quorum Regnum magnâ parte abjecit, & nonniſi reliquias ex eo ſibi adjunget *poſtquam plenitudo Gen-* Rom.11.
tium introierit in Regnum Eccleſiæ ipſius. 25.
ſed facit ſe Regem Gentium: quas usq; & usq; novas & novas vocat ad fidem & notitiam obedientiamq; ſuam. Ita Patrum, ita noſtrâ memoriâ fecit & fa-
D cit ſe Chriſtus Regem in populis novi Orbis, ſive ad occidentem, ſive ad orientem. *Populi illi qui ſedebant in tenebris* Matt.4.
prope âb Origine Mundi *viderunt lucem* 16.
Evangelii Chriſti. & lumen juſtitiæ at-

Digitized by Google

q; ſalutis, ortum eſt eis· Qui fuerunt non
Oſee.1 8 9 populus *& absq; miſericordia* facti ſunt & efficiuntur Populus Dei, atq; miſericoram conſecuti à Domino.

PARAGRAPHVS. LXXVIII.

Luc.23.2. *JESVS ſe Chriſtum Regem facit.*

STROMATA.

1. HÆc jã Calumnia non eſt. Verè enim Chriſtus & fuit Chriſtus, & ſe Chriſtum prædicabat, fatebatur, faciebat. Manifeſtè nato Domino Angelus ad paſtores loquitur. *Natus eſt vobis Salvator Mundi, qui eſt Chriſtus Dominus.* Et Iudæis urgentibus aliquando: *quousq; tollis animam noſtram? ſi tu es Chriſtus, dic nobis.* Reſpondit Dominus: *Loquor vobis & non creditis.* Sed & in ipſo decurſu Paſſionis ſuæ heſternâ noctè, à ſummo Pontifice adjuratus, ut diceret, eſſetnè Chriſtus? reſpondit diſertè: *Ego ſum.* fatebatur ergo Dominus ſe Chriſtum eſſe, fatendo eſſe Chriſtum, fatebatur etiam Meſſiam, & Regem, à Deo in legè & Prophetis promiſſum prædictumq;:

PARAGRAPHVS LXXIX.

Matt. 27. 14. *JESVS ad accuſationes nihil*
Mar.15.5 *reſpondet.*

STROMATA.

1. UNiverſim loquendo, ſilentiumq; Chriſti Domini, quo in toto paſſionis ſuæ decurſu eſt uſus, planè perpetuò, attendẽdo, eſt quod & admirationẽ moveat, & diligentiam ad expendendum iſtud Chriſti Domini ſilentium, exacuat. Non poterant Iudæi & Principes eorum ferre hoc ſilentium Domini, unde Caiphas ut eum ad loquendum prolicere, adjuratione per Deum vivum uſus eſt: cùm enim falſos teſtes eorumq; teſtimonia fallacia, ac inter ſe non convenientia, ſolo Dominus ſilentio dilueret: Videretq; iniquiſſimus Põtifex contra Chriſtum ulteriùs procedi ex æquo & bono non poſſe, hæreretq; ſuo judicio aquam, certus faciliùs ſer-
Vide ſup: plar.45 et infra, par. 120.

A monem quàm ſilentium in cauſam trahi torqueriq; poſſe: ut neceſſitatem loquendi Domino imponeret, atq; ſibi & aſſeſſoribus ſuis materiem judicandi damnandiq; Domini objiceret: *Adjuro te (ait) per Deum vivum ut dicas nobis ſi tu es Chriſtus Filius DEi benedicti.* audivitq; à Chriſto reſponſum fidele atq; diſertum: quod reſponſum ſatis ſuperq; dare cauſæ viſum eſt toti concilio, ut reum mortis non unius decerneret. * ** Vide ſupra par: 50.51 52.*

2, Hoc idem Domini ſilentium Pilato Præſidi nonnunquam vehementem admirationem, nonnunquam etiam bilem commovit, aliquando etiam bonã Chriſti cauſãm, meramq; innocentiam ipſius atq; Iudaicam invidiam declaravit.
B Ergo legimus in Evangeliſtis, tacente inter omnes accuſationes Iudaicas: provocabat Pilatus IESUM ad loquendum & reſpondendum: *Non audis (ait) quanta adverſum te dicunt teſtimonia?* Et: *Vide in quantis te accuſant?* Sed JESUS *non reſpondit ei ad ullum verbum: ita ut miraretur Præſes vehementer.* *Matt 27. 13. Mat.15.4. Matt. 27. 14.*

3. Hoc idem ſilentium Domini Herodi Regi: (ut infrà videbimus) dedit anſam aſpernandi & illudendi Dominum· Ecquid igitur cauſæ ſubeſt huic ſilentio Dominico? Cauſas ſubfuiſſe dubitare non poſſum: Nam fuit hoc ſilentium Domini admirabile, difficile, pœnale, ſeu doloriferum ac pænè dixerim lethale! *Luc.23.11*

4. Quid admirabilius, quàm VER-
C BUM tacere? Quòd in præſepio tacuerit Infans, Ætatis curſus, etſi non neceſſitatis fuit: at nunc non eadem eſt ætas: Verbum eſt; & vocale eſt: & tamen tacet! Tacere tam eſt miraculoſum in verbo, quàm in igne, non comburere, aut in ſole non illuminare. Majore miraculo Chriſtus tacuit iſto tempore, quàm in cunis: majore miraculo quàm loquebantur muti illi, quibus loquelam reſtituebat miraculoſè. Ex perſonâ ergo Verbi, quæ in Chriſto fuit, ſilentium hoc miraculoſum fuit. *Silentium Chriſti admirabile.*

5. Sed fuit etiam mirabile hoc ſilentium ex occaſione; eâ enim occaſione ſiluit Chriſtus, in qua maximè vocales & verboſi ſolent eſſe homines, in peri-
D culo, ſcilicet, ſanitatis, integritatis & vitæ: in ſummis injuriis, calumniis, doloribus; in ſummâ innocentiâ, & ad declarandum facillimâ, Homines qui ſibi

de in-

Digitized by Google

de innocentiâ conſcii ſunt, etiamſi ſaxei forent, tamen pro ſe ſuaq; teſtantur laborant, loquuntur innocentiâ.

3. Non defuit Domino noſtro ſermonis vel cauſa, vel facultas, vel facilitas, cauſa aderat graviſſima, periculum ſcilicet mortis; facultas, quia loqui etiam jubebatur; facilitas, quia idem ipſe erat Dominus tunc, qui olim quando dicebant de eo homines: *Nunquam ita locutus eſt homo, ſicut hic homo.* Et quando *mirabantur omnes in verbis gratiæ quæ procedebant de ore ejus.* Et quando ſermo ejus erat *non ſicut ſcribarum & Phariſæorum, ſed in virtute & erat loquens ſicut poteſtatem habens.* nihilominus his omnibus non obſtantibus, Dominus obfirmatè ſiluit.

Ioã 7.46. Luc.4.22. Mat:7 29

4. Accedit non defuiſſe Domino loquendi neceſſitatem. præter enim cauſam & occaſionem, quæ exprimebat jure ſuo ſermonem, urgebant interrogationes, & quidem ſummorum Virorũ, Præſidum, in judicio & foro criminali, & controverſo. quando vel rogandus erat Iudex ut loqui ſineret & quo tempore etiam manifeſtè reo & convicto jura dant Patronum, qui defendat reum, ne inauditus & indictâ cauſâ damnatus videatur. quomodo Paulo Apoſtolo in ſimili occaſione dictum eſt à Præſide: *Permittitur tibi loqui pro temeipſo.* Chriſto etiam non tantùm permittebatur pro ſe dicere, ſed etiam tacenti & abnuenti dicere, dicebatur & oggerebatur à Præſide illud: *Mihi non loqueris? an neſcis, quia poteſtatem habeo interficere te & poteſtatem habeo dimittere te* nihilominus in his omnibus Chriſtus ſuum pro ſe ſilentium tenuit.

Act.26.1. Ioã.19.10

5. Præter hæc non defuit Chriſto Domino ſumma efficacitas roburq; loquendi; ſatis hoc patuit, quando in templo docens, tenuit militum manus, quando adulteram, verbo, ab omnibus accuſatoribus liberavit. quando proximè in horto, univerſam quærentium ſe cohortem verbo retrorſum egit & proſtravit, ut taceam, quando verbo miracula innumera patravit. quando verbo cælum & terram condidit &c. In his tamen omnibus Chriſtus ſilentium tenuit.

Ioã 7.44. Ioan 8.9. Ioã.18.6.

6. Inſuper damnoſitas, periculoſitasq; ſilentii hujus, ſilentium hoc reddit in Domino noſtro admirabile. non enim non videbat Dominus hoc ſilentium ſuæ cauſæ mirè officere, trahi in conſcientiam & confeſſionem objectorum poſſe fatuitatem & ſtultitiam ex eo ſibi imputandam, per arrogantiam & ſuperbiam hoc ſilentium ſibi imperari: certè hujus ſilentii nomine ſpretus ab Herode, objurgatus à Præſide, adjuratus à Pontifice, deniq; tandem obrutus ab adverſariorum audacia & judicum iniquitate, excruciatusq; ac illuſus & occiſus enormiter à carnificum & ſatellitum barbara ſævitia noſcitur. Nihilominus Chriſtus Dominus ſilentium tenuit.

Silentium Chriſt: fuit Chriſto difficile & Pœnale damnoſum Probroſũ.

Hæc quæ admirabile fuiſſe oſtendunt Chriſti Domini ſilentium, eadem ipſa oſtendunt fuiſſe difficile, fuiſſe pœnale.

1. Nam primò arduum & doloriferum fuit Domino ſilentium iſtud ex periculo multiplici, quod ſubiit ab hoc ſilentio. Oſtendit enim ſe quaſi reum & obnoxium culpis omnibus ſibi objectis: Nam qui tacet conſentire & fateri videtur. In ſcripturâ certè obmutuiſſe inter accuſandum ſignum eſt convictionis de crimine: *At ille obmutuit.* dicitur de quodam convicto. Et. *non reſpondebit ei unum pro mille. Et non poterant ei reſpondere verbum.*

Matt. 22. 12. Iob. 9.3. Matt.22. 46.

2. Oſtendit etiam ſe Dominus quaſi rationis impotem ac fatuum, qui ſenſus Herodis fuit de Chriſto tacente.

3. Oſtendit ſe Dominus quaſi arrogãtem & faſtuoſum: qui ſenſus videtur fuiſſe Pilati.

4. Oſtendit hæc taciturnitas Dominum timidum, infimum, ſui parum compotem, ut qui præ metu & malorum ſtupore hiſcere verbum non poſſet non auderetq;. Atq; hi omnes hujus ſilentii Effectus, Damnoſi erant Domino & Pœnales.

Silentium Chriſti unde difficile & violentũ?

5. Deinde vero fuit idem ſilentiũ Domino pœnale ac difficile quia violentiſſimè cohiberi neceſſe erat ſermonem & linguam à ſermone, quam violentiam expreſſam habemus apud Prophetam dicentem: *Obmutui & ſilui à bonis.* & alibi *factus ſum ſicut homo non audiens & non habens in ore ſuo redargutiones.* Hoc ſilentio reddebatur Dominus rupe immobilior & inſenſibilior: etenim in doloribus & periculis ejus rupes & Petræ vocales factæ ſunt, Dominus autem ipſe obmutuit, & ſiluit à bonis.

Pſ. 38.3. Pſ.37.15.

1. Hanc porrò violentam taciturnitatem, ſilentiiq; impoſitionem, faciebat Cauſæ bonitas & Conſcientiæ Innocentia.

2. Item famæ periculum, conquiſitæ in bonum plurimorum ex doctrina & rebus geſtis.

3. Item ſcandalum quod paſſuri immo paſſi erant ejus Diſcipuli, & fideles pœnè omnes.

Digitized by Google

4. Item Dolorum Cruciatuumq́; Acerbitas immanis.

5. Item inſtantiæ & impotentiſſimæ inſtigationes Adverſariorum, in luce clarioribus falſitatibus, & impudentiſſima mendacia.

6. Item modus perverſus in accuſatione, Iudicatione, Decreto & Exſecutione.

7. Deniq; ipſa Exſecutio feralis ſententiæ. Hæc omnia Chriſtum ad ſumpendum cogebant ſilentium.

8. Extra hæc omnia porro ſilentium ſuum Chriſto Domino fuit pœnale & difficile, quia probroſum.

9. Silentium enim iſtud dabat Hoſtibus ejus in manus victoriam, præbebat gloriandi materiam, quaſi viciſſent, & conviciſſent. Suggerebat exprobrandi & inſultandi anſam, quaſi artes & fraudes impoſtoris hujus egregiè perſpexiſſent, elucidaſſent, Iudici probâſſent, ipſum elinguem & mutum reddidiſſent, & ſuæ propriæ Conſcientiæ tacentis, proinde & fatentis omnia eviciſſent, quo probri genere quid poteſt aut ſolet eſſe ingenuis acerbius, innocentibus indignius, habentibus in manu viam purgandi ſe moleſtius atq; intolerabilius? Hæc Chriſto reddebant ſilentium perdifficile.

10. Sed Accuſationum Malignitas, Futilitas Stoliditasq́, tum invidiæ, ac odii, Malevolentiæq́ manifeſtæ perſpicuitas: mendaciorum & Calumniarum & Falſorum teſtimoniorum contra ſe malè ſarcinatorum indignitas; omnino ſinebant ægrè Dominum conticeſcere.

11. Ad extremum & illud faciebat Domino ſilentium ſuum perdifficile, quia Ipſe ſibi ſilentium hoc imperabat. Omnia illi ſvadebant loquelam, Iudices etiam imperabant pro ſe reſponſionem: Facilitas ſuppetebat, exigebat urgens periculum, prohibebat loqui nemo, exſpectabant pleriq; defenſionem ejus. Ipſe ſolus ſibi ſilentium imperavit & indixit. Si impoſitâ aliunde tacendi neceſſitate ſiluiſſet, vim paſſus fuiſſet & injuriam acerbam; ſed aliunde: quod, ad ſenſum mitigandum valuiſſet. at inter tot cauſas, neceſſitates, opportunitatesq́; loquendi imponere ſibimet ſpontaneum ſilentium, quantam non intulit violentiam tacenti? Itaq; ſilentium hoc Chriſto Domino fuit violentiſſimum, ac proinde graviſſimum

Ioſ. 3. 16 ſummèq; doloroſum. Majus in hoc ſi-

Ex. 14. 21. lentio ſervato à Chriſto, agnoſco edi-

Ioſ. 10. 13 tum miraculum, quàm cùm Iordanis aquæ detentæ, quàm cùm maris undæ diviſæ, quàm cùm ſolis curſus inhibitus, quàm cum prohibitæ ſunt pluviæ de cæleſtibus catarractis. Si fulmina eruptura jam de nubibus, ſi globi ex tormentis igneâ vi evolantes, in ipſo oſtio continerentur; non tantum violentiæ hic eſſet, quantum fuit in ſilentio iſto Verbi Incarnati!

Cauſa ſilentii Chriſti Domini.

1. Quibus ergo de cauſis Chriſtus Dominus ſiluit? Silentium Chriſti valuit ad exaggerandas Chriſti pœnas plurimùm ut vidimus. ergo præ illa ſiti Chriſtus, quam habuit ad patiendum pro ſalute noſtra, non ſolùm magnâ & multâ, ſed etiam abſq; ullo lenimento, ſilentium adhibuit: quod niſi ſervâſſet, pœnas ſi non evaſiſſet, certè molliviſſet, ac diſtuliſſet, tacendo acceleravit. Si enim convinci voluiſſet in objectis, ſi probari objecta petiiſſet, ſi pro ſe teſtimonia in oppoſitum adduxiſſet multum certè pro ſe apud pleroſq́; effeciſſet, cujus rei tempus non erat, & ſitim Chriſti feſtinationemq́; ad ſalutem noſtram operandam impediviſſet.

2. Ruptum ſilentium Chriſti, ſi rectè expendimus, nihil Chriſtum juviſſet. Locutus eſt Chriſtus aliquoties in tota paſſione ſua. Locutus eſt in horto ad quærentes ſe milites, & locutus exprobratoria, miraculoſa, inhibitoria, manifeſtatoria ſui, dantia licentiam in ſe; nihil hæc locutio emollivit efferatos animos. Locutus eſt apud Pontificem interrogatus *de diſcipulis & de doctrinâ*. Locutio illa alapam crudelem retulit, & reprehenſionem, præterea nihil. Locutus eſt in concilio veſpertino adjuratus à Caipha. locutio illa Chriſtum *Reum Mortis* judicibus probavit. Locutus eſt iterum in concilio matutino interrogatus, ſed locutione illâ auditâ omne concilium: *Surgens omnis multitudo eorum vincientes JESUM duxerunt eum ad Pilatum.* Locutus eſt etiam Pilato IESUS, & locutus quidem reſponſis graviſſimis, expoſuit; tum quale eſſet Regnum ſuum; tum ad quid in mundum natus eſſet, tum unde poteſtas Pilato ſuper ſe eſſet. tum enormitatem peccati, in ſe, tam ab illo, quàm ab inimicis admiſſi. probavit Pilato inimicorum invidiam & malevolentiam, accuſationum falſitatem, ſuam plenam innocentiam, extorſit ab eodem teſtimonium ſuæ innocentiæ repetito: nihil tamen ad ſalutem ſuam profecit, neq; cauſam ſuam meliorem fecit. Sciens ergò nullum ſui ſermonis quantum ad ſe fructum eſſe, multum autem ad exaggerandam malitiam hoſtium obſtinatam,

Ioã. 22. 52 — *Ioã. 18. 22* — *Math. 26. 66.* — *Luc. 23. 1.* — *Mar. 15. 1.*

tam, & judicum iniquitatem momenti addere, elegit potius tacere.

3. Silentium Chriſti fuit ex inſignibus ejus tormentis. Noluit ergo IESUS calicem Paſſionis ſuæ, hoc etiam condimento privari: Noluit veſtem cruciatuum ſuorum hoc etiam ornamenti genere deſtitui: noluit ad Crucis optatiſſimæ complexum, non hoc etiam ſerto redimitus accurrere.

4. Silentium Chriſti neceſſarium fuit ad expianda noſtræ linguæ atq; loquelæ innumera & immenſa peccata. Ex immenſitate & malignitate peccatorum linguæ, colligo immenſitatem doloris, quam Chriſtus protulit in pœna ſilentii. Si enim nullum peccatum Chriſtus levi pœnâ expiavit; certè peccata linguæ molli caſtigatione non eluit.

5. Silentium Chriſti neceſſarium fuit, nobis ad exemplum, & ad inſtitutionem noſtram: ut diſceremus in adverſitatibus tacendum eſſe & tacere: quis ſileret conſcius innocentiæ & accuſatus, ſi Chriſtus exemplum tanti ſilentii non dediſſet? Difficile eſt ſilere cum doleas, quantò difficilius, ſi innocenter, ſi propter bona opera à te facta doleas, ſi pro bonis ac beneficiis collatis à te, mala & probra & maleficia regeſta ſuſtineas? Hoc Chriſti exemplo docuit ſuos ſectatores, ut molliùs ferrent membra dolorem, quem præceſſiſſe viderent in capite.

6. Silentium Chriſti defenſio fuit ejus: pro illo clamabat non tantùm innocentia propria ſed etiam inimica malevolentia & judicis atteſtatio, ſatis hoc erat ad purgandum Chriſtum, ſervavit ergo ſilentium.

7. Silentium Chriſti in tempore fuit, ſatis pro ſe locutus fuerat & de ſe, tum per omnes mundi ætates in figuris, in Patribus, in Prophetis: tum in ſuâ vitâ, in doctrinis, in moribus, in miraculis, in exemplis, in virtutibus: nunc tacet, quia tempus tacendi adeſt.

8. Silentium Chriſti poſſeſſio propria fuit tunc Chriſti. Sub illud tempus omnis res, aut contra Chriſtum aut pro Chriſto loquebatur: Chriſto ſolùm ſilentium relictum eſt. tacuit pro ſe & de ſe, contra ſe nihil dixit, medium tenuit.

9. Silentium Chriſti in judicio ſpecimen dedit hominibus omnibus, quid ſint & ipſi facturi in judicio Dei. Iudicatus ab hominibus Chriſtus tacuit: judicatus homo à Chriſto quid aget aliud, niſi tacebit?

10. Silentium Chriſti noſtra fuit defenſio, Totius humani generis caput erat Chriſtus: totius generis humani peccatorum reus agebatur Chriſtus apud Patrem æternum: ad pœnas omnium
A ſcelerum expiatrices vocabatur à juſtitia Dei: Miſericordia cor ejus & charitas flectebant ad hoc, ut id faceret. Caput ſe eſſe hominum negare non poterat. In ſe poſitas eſſe omnium hominum iniquitates ſciebat. à ſe tanquam à capite exigi pœnas omnium juſtè ſciebat charitati & miſericordiæ, totus in mancipium & ſervum & Sacrificium venundatus erat, quidni ergo in hoc judicio taceret? cùm quòd loqueretur non ſupereſſet? ſiluit ergo pro ſe, & cauſam noſtram pœnis ſuis, ipſo etiam ſilentio peroravit, perſuaſit & pervicit.

11. Silentium Chriſti à Reverentiâ in Patrem æternum, & quod idem eſt à perfectione patientiæ, modeſtiæ, obedi-
B entiæ, reſignationisq; fuit Pater æternus fuit ex primis primariisq; Auctoribus paſſionis Chriſti, nihil Chriſtus paſſus eſt, niſi quod juſſit Pater. Unde illæ Chriſti voces: *Sicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio.* Et *calicem quem dedit mihi* Ioã. 14.31.
Pater, non vis, ut bibam illum. Et *Tranſeat à* Ioã. 18.11
me calix iſte. Verùmtamen fiat voluntas tua Matt. 26.
&c. In omnibus ergo, quæ Chriſto in 39.42.
Paſſione eveniebant, magis attendebat Chriſtus, quod ab æterni Patris manu Diviniſſima, id eſt voluntate ſuaviſſimâ porrigerentur ac ordinarentur, quàm quòd ab illius creaturæ malitia proficiſcerentur. Igitur in Paſſione ſua ut plurimùm Dominus ſiluit, quia omnibus, quæ à Patris voluntate manabant, con-
C tentiſſimus fuit. atq; hæc eſt perfectio patientiæ, modeſtiæ, obedientiæ, reſignationis, hæc ſumma omnis virtutis. Hanc expreſſit per os David Dominus dicens: *Obmutui & ſilui à bonis, quoniam tu* Pſ. 38.9.
feciſti. Item illud ipſius Domini dictum:
Ita Pater, quoniam ſic placitum eſt ante te: hoc Matt. 11.
dicere Deo eſt altiſſimum ſilere. hoc 26.
ſentire: eſt voluntatem Dei ſilentium cauſarum eſſe, bene & probè agnoſcere.

12. Silentium Chriſti in Paſſione arcanum fuit. Omnis ſcriptura, quæ erat de Chriſto, tunc implebatur, ac proinde tunc maximè Chriſtum prædicabat atq; loquebatur; loquentibus ergo, omnibus ſcripturis, omnibus figuris, omnibus Prophetis, Silentium Chriſtus tenuit.

D 13. Silentium adhuc Chriſti Arcanũ fuit, quia tempus paſſionis ejus erat, velut juſtitium omnis legis, potiſſimùm ſcriptæ, atq; gratiæ. Nam lex gratiæ tũ

Digitized by Google

quaſi in ſemine ac partu erat; lex ſcripta tunc quaſi in agone & defectu erat, ſilentium ergo Chriſti tenuit, donec ſynagogæ finem, Eccleſiæ originem dedit. Lex naturæ tunc jacebat, quia DEus Auctor naturæ ab ipſa natura pro natura moriebatur & patiebatur. Lex Moyſis abrogabatur, lex gratiæ formabatur Synagoga deſerebatur, velum templi ſcindebatur. Latus Chriſti è quo Eccleſia formanda erat nondum aperiebatur. Moyſes moriebatur, Ioſue ad principatum promovebatur. Natura rerum, olim peccato primo perverſa, nunc in priſtinum ſtatum reſtaurabatur. Pro vetere Adamo, novus Adam ſubſtituebatur, pro Barabba, Chriſtus ad mortem vocabatur, pro ligno ſcientiæ, lignum Crucis plantabatur. In hoc ergo conflictu, in hoc tranſitu, in hoc æſtu ſilentium à Chriſto ſervabatur.

14. Silentium Chriſti adhuc arcanum fuit, nam pro eo quod Moyſes ponebat *Velamen ante faciem ſuam.* ut non poſſent Filii Iſraël intendere in faciem ejus. (Ex.34.33 & 2.Cor.3.13.) Chriſtus Dominus qui ſuſcitatus fuit Propheta Iſraëli ſimilis Moyſi (ut ipſe prædixerat) (Ex.18.15.) quem Iſraël audire deberet poſuit ſilentium ſuper os ſuum, ut non audirent eum (quia nollent) Filii Iſraël: Sicut ergo Moyſes velatus incedit uſq; hodie apud Iudæos, ita & Chriſtus eſt tacens apud ipſos. non vident ubi apud Moyſen Chriſtus lateat: non audiunt quid de Chriſto ſcripturæ loquantur. (Ioã.5.39.) *Scrutamini* (ajebat Dominus Iudæis) *Scripturas, illæ enim teſtimonium perhibent de me,* (Ibid 46.) *Et ſi crederetis Moyſi crederetis forſitan & mihi, de me enim ille ſcripſit.* (2.Cor.3.15.) *Sed velamen eſt in cordibus* & graviter audiêrunt cordibus Iudæi, ut nec videre Moyſen, nec audire Chriſtum poſſint. Silet ergo Chriſtus Iudæis, quia credere in Chriſtum, quem crucifixerunt, ſcandalum eſt eis.

15. Silentium Chriſti gratia eſt Gentium: Quod enim ſiluit Iudæis: prædicari juſſit Gentibus, quæ *audientes gaviſæ ſunt.* (Act.13.48) *Vobis quidem* (ajebant Chriſti Prædicatores) *oportebat annuntiare verbum Dei;* (Ibid. 46.) *ſed quia repulistis illud & indignos vos feciſtis, ecce convertimur ad Gentes.* Hoc ipſi Iudæi ſibimet quondam vaticinati ſunt. Nam cùm audiſſent ex ore Chriſti dictum: (Ioã.7.34. 35.) *Quò ego vado, vos non poteſtis venire,* dicebant inter ſe: *quò hic iturus eſt; nunquid in diſperſionem Gentium ibit, & docturus eſt Gentes?* Rectè reſpondiſtis, rectè augurati eſtis Iudæi: ivit Chriſtus in diſperſionem Gentium, docuit Gentes & cognitus eſt atq; receptus ab eis, & regnat inter eas: incredulitas veſtra, facta eſt janua ad ſalutem noſtram.

16. Silentium Chriſti (liceat dicere) A neceſſarium fuit Chriſto. poſt aliquot horas conſcenſurus erat Chriſtus ſive Cathedram perorantis, ſive altare deprecantis, quo in loco per tres horas cum lacrymis & clamore valido tractaturus erat negotium noſtræ Redemptionis: illud in tempus, illi labori & clamori, reſervabat ſermonem ſuum & os ſuum; quando utiliùs locuturum ſe ſciebat, nunc ſilentium tenet, juxta illud: *Ubi non eſt auditus, non effundas ſermonem.* Eccl.32.6

17. Silentium Chriſti noſtra eſt diſciplina. Excuſatio nobis malè ceſſit olim. Excuſationis panis nobis dulciſſimus eſt, cum lacte immò cum naturâ hoc ingenium trahimus ut libenter ad folia excuſationũ in accuſationibus con-

B fugiamus. JESUS ergo in accuſationibus tacet. nos ab excuſationibus arcet. docet plus eſſe in excuſatione damni, quàm in ulla accuſatione periculi. Nam ſi quis juſtè accuſatur, excuſatio igitur iniqua erit: ſi autem accuſatur, quis injuſtè excuſatione non eget? immo non excuſatione eget, ut accuſatio juſta eſſe non incipiat. Fuit namq; ſæpiſſimè, ut quos injuſta accuſatio repererat juſtos & innocentes, hos immoderata ſui excuſatio redderet iniquos & noxios, & qui accuſatione iniqua purgabantur, hi excuſatione propriâ iniquinabantur. Ita faciliùs eſt ut quis ab accuſatione perficiatur, quàm ut ab excuſatione, non inficiatur.

C 18. Silentium Chriſti, fuit triumphus Chriſti. Triumphavit enim per illud Chriſtus, ex omnibus Adverſariis, Calumniis, tormentiſq; ſuis, triumphavit ex omnibus rationibus, argumentiſq; Innocentiæ ſuæ, quibus eam comprobare poterat; Atq; adeo triumphavit ex ipſa Innocentiâ ſuâ. Triumphauit ex omni faſtu & dicacitate, tam Pilati, quàm Herodis, quàm Militum, quàm omnium Iudæorum. Triumphavit ex omnibus peccatis linguarum humanarum. Triumphavit ex omnium zelo Creaturarum, pro ſuâ Innocentiâ teſtimonium dicere paratarum: Siquidem & hic libenter ipſi lapides pro Chriſto clamâſſent. Triumphavit deniq; ex zelo Patris æterni

D Spiritûsq; Sancti, pro ſe dicere teſtimonium ut olim ſæpius dicere parati & ex ipſâ ſuâ, quæ erat verbi æterni Perſonâ. Quocirca egregiè Ambroſius de Chriſti Silentio elocutus eſt: *Chriſtus*

Calu-

Serm. 19. Calumniis appetitus, Silentium detulit Triumphale. in Pſ. 118.

PARAGRAPHUS. LXXX.

JESUM abnuunt Iudæi ſecundùm legem ſuam interficere. *Ioan. 18. 31.*

STROMATA.

TAcente JESU & ad objecta nihil reſpondente, cùm Pilatus adverteret non ſatis cauſarum ſibi ad Chriſti necem afferri, in Iudæos refert negotium, dicens eis: *Accipite eum vos & ſecundùm legem veſtram judicate;* quibus auditis Judæi abnuentes reſpondent: *Nobis non licet interficere quenquam.* Ex ſuâ mente Judæi reſpiciunt ad prohibitionẽ, quam habebant à Romanis, nè in quenquam capitali judicio & ſententiâ animaduerterent: at ex mente Divinâ expreſſè refert Evangeliſta ſcopum recuſationis hujus Judaicæ, cùm mox ſubdit, factum id eſſe: *ut ſermo JESU impleretur* *Ioan. 18 32.* *quem dixit ſignificans, qua morte eſſet moriturus.* Hæc recuſatio Judaica ſimillima eſt illi, qua ſuperiùs Domum hominis Gentilis renuerant ingredi, *nè contami-* *Ibid. 28.* *narentur, ſed ut manducarent Paſcha* Non ſcilicet licebat Judæis, ſecundùm legem *Vide ſupr. parag. 73.* judicare & interficere, licebat contra legem Calumniâ in judicio circumvenire, Juſtum opprimere, occidendum Gentibus tradere, ſententiamq; mortis in eum extorquere!

PARAGRAPHUS LXXXI.

JESUS à Iudæis tradi, ab Gentibus voluit occidi.

STROMATA.

1. NOn erat anguſtanda Mors Chriſti ad ſolam Judaicam Gentem, quoad cauſam, & quoad effectum: ideo etiam non erat arctanda ad ſolam illam qnoad exſecutionem. Redempturus erat Chriſtus à peccatis non Judæos tantùm ſed etiam omnes Gentes: Moriturus erat Chriſtus non pro peccatis tantùm Judæorum, ſed omnium hominum: ideo voluit Mortem ſuam exſecutioni tradi, à ſtudiis quidem & conA ſiliis Judæorum, à manibus autem & exſecutione Paganorum.

2. Ab Gentibus voluit Deus-homo occidi, quia Gentiles in more habebant Deos ſibi fabricare falſos & fictos verum autem non noſſe, ſed veri Dei cultum fictis idolis tribuere, quod erat quaſi verum Deum necare; idcirco Chriſtus ab illorum manibus voluit occidi, quorum manibus idola ſciebat & fabricari & adorari, ut ſic Idololatria illorũ aboleretur & expiaretur.

3. An mitigare Mortem ſuam, an mollire ſcelus Judaicum appetentium mortem ſuam, an fraudare rabiem ipſorum inhiantium in necem ſuam voluit Dominus: Et ideo ab Gentilium tanB quam minus morti ſuæ inhiantium manibus voluit necari, nec exſaturare rabiem illam voluit Judaicam, nec augere, facinus illorum, quod auxiſſent, ſi ipſi miniſtri Mortis ſuæ fuiſſent.

4. Voluit Chriſtus à Judæis in manus Gentilium ad Mortẽ tradi, quia etiam voluit ab Judæis fructum mortis, nempè Gratiam Evangèlicæ prædicationis ad Gentes transferri. Sic ergo tradiderent Judæi Gentibus Chriſtum occidendum, ut etiam traderent eisdem fructum occiſionis illius fruendum. peccare fecerunt Gentiles in nece Chriſti exſequenda & occaſionem Gratiæ à nece Chriſti manantis arripiendæ, propinârunt. Ita quos Judaica malitia C induxit ad peccatum, his eadem malitia neſciens, obtulit peccati remedium. Duces peccati facti ſunt Duces remedii, remanſit apud Judæos peccatum, pullulavit apud Gentes Redemptionis Sacramentum.

PARAGRAPHUS LXXXII.

JESUS examinatur & reddit rationem de ſuo Regno. *Ioan. 18. 36. & ſeq.*

D

STROMATA.

HÆſerat Pilato altiùs objecta Chriſto Regni affectatio, hæc quia *vide ſupr. parag. 74.* Romanis fuit odioſa; & quia à prio

rum temporum exemplis judaica Natio affectationis Regni fuerat non ſemel notata: non videbatur hæc pars accuſationis Pilato tractanda perfunctoriè; ergo redit ad hanc partem & Chriſtũ A diligentiùs examinat, neq; Chriſtus abnuit reddere rationem quando competentem vidit rationabilemq; à ſe ejus exactionem. Cùm itaq; tantisper roganti ſe Pilato de Regia Dignitate obtuliſset anſam diſpiciendi, quid ex ſe rogaret, dicendo ad Pilatum: *A temetipſo*
Ioã.18.34 *hoc dicis, an alii tibi dixerunt de me?* & Pilatus non ſe ex ſuo, verũ ex tribuliũ ipſius Chriſti ſenſu, id ſibi de Chriſto deferentium, & quidem primæ Notæ hominum, à quibus ad præſidis aures res vanas aut falſas inferri non deceret, cum periculo vitæ alienæ, repoſuiſſet Chriſto his verbis: *Nunquid ego Iudæus*
Ibid. *ſum? Gens tua & Pontifices tui tradiderunt te mihi,* affectati abs te Regni detulerunt, B quid tale feciſti, propter quod Regni affectati ſuſpectus & accuſatus ſis? Tum verò Dominus videns Cauſam in ordine debito collocatam eſſe, prudentiſſimè & graviſſimè reſpondit Pilato, hæc fermè: 1. ſe Regem eſſe. 2. Regem quidem eſſe, at non talem qualis eſſet Romanis exoſus, & qualis Regni affectati à Iudæis accuſatus ſit.

3. Regem ſe, Regnumq; ſuum non eſſe de hoc mundo, neq; de horum Regnorum Numero, quæ vulgò eſſent nota, de quibus Principes inter ſe digladiarentur: conſtare id evidenter poſſe ipſi Pilato, quia ſi (inquit) *meum Regnum de hoc mundo eſſet,* haberet ea, quæ ſunt propria Regno hujus mundi, Arma, Mi- C niſtros, Milites, & ſimilia his, inde foret, *ut miniſtri mei militeſq; decertarent pro me,* nec me Iudæi tam facilè ſine bello, ſanguine, cæde comprehendiſſent aut tradidiſſent. Manifeſtum eſt ergo, cùm horum nihil penes me ſit aut fuerit *meum Regnum non eſſe de hoc mundo* neq; de hujus Mundi Regnorum genere. Audiit hæc Pilatus diligenter, & quod Caput rei erat premere non omiſit. Ut video fateris te Regem eſſe, & ſi nec-dum ſciamqualem Regẽ fatearis te eſſe. Volo ſcire igitur ex te, *Ergo Rex es tu?* Affirmat Chriſtus hoc & mox explicare non negligit alterum, qualitatem ſcilicet Regni ſui: *Rex ſum* ait *ego* atq; ut ſcias qualis Rex ſim, intellige quis ego ſim: *Ego in hoc natus ſum: & ad hoc veni in Mun-* D *dum ut teſtimonium perhibeam veritati: omnis qui eſt ex veritate, audit vocẽ meam.* Regnum igitur meum non eſt Mundi, ſed veritatis. populus meus non eſt populus mundi hujus, ſed populus veritatis ſed conflatus ex Auditoribus veritatis. Audeo dicere: Pilatum &ſi non caperet A immenſam profunditatẽ latitudinemq; verborum iſtorum Chriſti, captum tamen dulcedine ipſorum & amore veritatis innato (quid enim in omnibus Hominibus, modo nè malitioſè veritatem oderint, anima tam amat & quærit & appetit & amplectitur quàm veritatem?) habendo ante ſe teſtem & quaſi Regem veritatis, in illam quæſtionem, veritati ſoli ſatis explicandam erupiſſe, eamq; Chriſto propoſuiſſe: *quid eſt veritas?* ais, te ad teſtificandum de veritate veniſſe, ais, omnes, qui ſunt ex veritate, verbis tuis aures dare: & ego ex Amatoribus veritatis ſum; cupio ex te cognoſcere de veritate, *quid eſt veritas?* Stetiſſes utinam Pilate, audiſſes utinam reſpon- B dentem veritatem de veritate! ſed infelix *contemplatus eſt vultum Nativitatis ſuæ* Iac 1.23. *in ſpeculo & abiit & oblitus eſt, qualis fuerit.* quam invenerat, quam in manibus habebat Gemmam pretioſam abjecit. Cùm hoc dixiſſet, abijt, exiuit ad Judæos, quid eſſet veritas, audire neglexit. Sed hoc inferius expendemus, nunc ad Regnũ Chriſti regrediamur. Faſſus eſt ergo Chriſtus coram Pilato, ùt prædixi, ſe Regem eſſe, habere Regnum, non de hoc mundo, attamen in hoc mundo. Regnum hoc in eo ſitum eſſe, teſtimonium perhibere veritati in hoc Regno, contineri neminem, præter ſolos, qui ſunt ex veritate, qui ſunt Auditores, & Amatores veritatis, ab hoc Regno ex- C cludi neminem Amicum veritatis, admitti neminem Hoſtem veritatis. Tales ſunt Electi omnes, qui ſunt quidem in Mundo, *Converſatio verò eſt eorum in Cælo* Phil 3. 20. cum Deo, Militia eorum *in carne quidem, ſed non ſecundùm carnem. Arma potentia non ferro nec brachio,* ſed Deo. Hi ſunt Regnum Chriſti: ad hoc Regnum Chriſtus & 2.Cor.10. 3. 4. natus eſt, ùt ipſe ait hoc loco ad Pilatum, & eligitur propriâ ſuâ electione juxta illud: *Non vos me elegiſtis, ſed ego vos elegi de mundo.* Et *Ego ſcio, quos elegerim.* Et eligitur etiam voluntate Regni ſui & cujuslibet ſubditi ſui: qui dicunt illi, Pſ 53. 8. *voluntarie ſacrificabo tibi,* & qui dicunt il- Matt.19. 27. li: *ecce nos reliquimus omnia & ſecuti ſumus te,* qui dicunt illi: *Domine ad quem ibimus,* Ioã.6 69. *verba vitæ æternæ habes.* Et *ſequar te, quocun-* Mat:8 21 D *què ieris* Deniq; hoc regnum Chriſtus bel- Luc.11 22 lo ſibi acquiſivit *forti armato fortior ſuperveniens* & eum debellans, *alligans, ſpolia & arma,* ejus fiduciæ auferens, *vaſaq; dividens.*

Digitized by Google

videns. Hoc Regnum Chriſti eſt illud, Matt.13 quod ipſe alicubi comparat aliquando 31. 33. *grano ſinapis*; aliquando *modico fermento* Luc. 15. aliquando uni *Oviculæ*, uni *Drachmæ*; ali- 4. 8. quando *pusillo gregi, cui complacuit cari* A Lu.12.32. *Regnum à Patre æterno.* Hoc Regnum in hoc Mundo puſillum & abjectum, & temporaneum eſt, at in Cælo maximum, immenſum, glorioſum ac beatum eſt. Hoc Regnum acquirit ſibi ſemper Chriſtus, auget Chriſtus, & propagat Chriſtus. Hoc Regnum hic fluctuat, hic militat, hic pugnat, hic laborat, hic patitur; at in altero mundo, id eſt, in Cælo, in portu eſt, quieſcit, coronatur, ſecurè agit, conſolatur, beatum eſt. Hoc Regnum hic eſt in fide, in ſpe, in Charitate, in Timore, in Gratia: ibi autem eſt in viſione, in poſſeſſione, in fruitione, in ſecuritate, in gloria, in beatitudine, in æternitate. Utrumq; tamen Regnũ; & ex hoc Regno itur ad illud Regnũ B eſt Regnũ; nec quisquã ad illud Regnum pervenit, niſi per iſtud transſierit. Hoc enim Regnum via eſt ad illud, illud autem eſt præmium & terminus hujus. hoc Regnum eſt gutta, eſt granum, eſt mica reſpectu illius, illud autem eſt Mare, eſt horreum, eſt Cæna magna & æterna, comparatione iſtius. O IESU indue nos in iſtud Regnum, fac nos tuum iſtud Regnum, adjunge nos puſillo tuo gregi atq; Regno, in hac vita ut complaceat Patri tuo dare nobis Regnum illud æternum in altera æternâ vitâ, quod equidem fiet, ſi voluerimus vel laboraverimus eſſe in hoc Mundo filii veritatis, ex hoc enim efficiemur in altero mundo hæredes Beatitudinis. At infelices & inſipientes malunt eſſe, C interim ſervi vanitatis in hoc Mundo, & per hoc fiunt pabulum æternæ Calamitatis in altero ſæculo. Diligunt Mũdum, & ſunt de hoc Mundo & ſerviunt atq; inhiant huic Mundo, ſimulq; deficiunt, prætereunt & damnantur cum hoc Mundo & cum Principe hujus Mundi, illo, inquam, Principe Mundi, non qui creavit Mundum, ſed qui pervertit Mundum, qui docuit amorem perverſum Mundi, qui docuit præferre Creaturam Creatori; Mundum, Mundi conditori: hic eſt diabolus, qui *in veritate non* Ioã.8.44 *ſtetit. Mendax & Pater mendacii*, cui ſerviunt quotquot gravi & inſipienti corde diligunt vanitatem, ſectantur voluptatem, venantur gloriam, quærunt & D amplectuntur Mendacium: Formidandum verè, & conſideratione grandi, dignum verbum hoc Dei noſtri: Regnum meum non eſt de hoc Mundo. Quid horribilius, Mundi Regno & mundi Amatoribus Filiisq;, dici potuit? Non eſt Chriſti Regnum, de hoc Mundo? ergo hic Mundus non eſt de Chriſti Regno. ergo Filii hujus Mundi non ſunt de Chriſti Regno. O Filii hujus Mundi ſi vobis commodum eſt, non eſſe de Chriſti Regno, eſt etiam commodum vobis eſſe filios hujus Mundi: at ſi extrema pernicies veſtra eſt non eſſe de Chriſti Regno, quomodo non eſt etiam deſperata ſalus & certiſſima perditio veſtra, eſſe vos Amicos, eſſe vos Filios hujus Mundi, & eſſe de hoc infelici Mundo?

PARAGRAPHUS LXXXIII.

JESU exprobrat Pilatus quòd ſit traditus à ſua Gente. Ioã.18.35.

STROMATA.

1. EGo inter vulnera cordis Chriſti intimiora atq; penitiora, quæ in Paſſione ſua ſuſtinuit, exiſtimo eſſe connumerandam hanc Pilati exprobrationem.: *Gens tua & Pontifices tui tradiderunt te mihi.* Quomodo enim non acerbus dolor fuit Animæ Domini IESU, audire hoc, ex ore Gentilis Præſidis, quòd in manus ſuas traditus eſſet, à ſuis propriis Civibus & Pontificibus? venit ſine dubio in mentem Domino univerſitas illa beneficiorum ſuorum, quibus totam Gentem Hebræam affecerat, incipiendo ab Abraham per omnes ætates usq; ad illud tempus captivitatis & traditionis ſuæ in manus Pilati. Ille quidem, qui hæc verba dicebat Chriſto ſenſum eorum non in tanta proferebat capiebatq; latitudine, ſed Incarnata Sapientia Chriſtus in hac amplitudine ſenſûs, verba hæc audiebat. & cum quo cordis ſui vulnere audiebat; Gens tua, illa quam apprehendiſti & tibi ſegregâſti, ut eſſet tibi *peculium & hæreditas in terra ex omnibus Gentibus.* Ex.19.15. Gens tua illa, quam *ſuper alis tuis portaſti, & plantaſti in* ibid. 4. *loco hæreditatis tuæ.* Gens tua, cujus ſanguinem & carnem Angelis præpoſuiſti Ex.15.17 *non enim Angelos ſed ſemen Abrahæ apprehendiſti.* Hebr 2.15 Gens tua, cui Nomen Magnum Adonai revelâſti, Judicia, Leges, Cerimo-

 nias.

nias, Sacrificia, Patriarchas, Prophetas, Templum, Sacerdotes & Pontifices, ordinâſti & dediſti. &c. Gens tua iſta & iſti Pontifices tui tradiderunt te mihi &c. hoc ſenſu ſimilive Dominus verba iſta Præſidis audivit & excepit.

2. Fuerint in hoc ſenſu verba hæc ſauciantia Cor IESU, at in altero Chriſtianitati ſervienti ſenſu prolata & explicata, quantò magis penetrabunt? Vides ô Domine IESU Chriſte, Gentiles, Machometanos, Hæreticos, Hoſtes tuos, Inimicos Crucis tuæ, proditores, & perditores Gloriæ tuæ florere, vides proſperari, Caſtra, Urbes, Provincias, Regna occupare, vaſtare, populari Religionem, Eccleſiam, Cultum Nominis tui conculcare, vides hæc & doles: Sed Gens tua & Pontifices tui Catholici tradiderunt te Gentilibus, prodiderunt Hæreticis, auxilium tulerunt ope, manu, conſilio, pecuniâ Inimicis tuis, quo ſenſu hæc ſentis? Vides Domine IESU in Eccleſia tuâ, in Regnis Chriſtianis, in populis Chriſtianis, in Cætibus tibi Sacratis, in perſonis tibi devotis, inundare peccata, excreſcere ſcelera, iniquitates adoleſcere, quales nec inter Gentes quidem. Sed Gens tua & Pontifices tui Prælati & Sacerdotes tui, quos præfeciſti, & Duces Magiſtroſq; nobis dediſti tradiderunt te & contemptibilem apud homines fecerunt te, mutaverunt gloriam ſuam in Idolum, exemplo præiverunt ad malum, peccare fecerunt populos, ex paſtoribus lupi facti ſunt, ex Doctoribus ſeductores facti ſunt. *Percutiunt ſervos tuos & ancillas,* non dant *in tempore tritici tui menſuram* populo tuo *Mercenarii ſunt fugiunt & deſerunt,* furibus & lupis rapacibus oves tuas. Nec *ipſi intrant nec alios introire ſinunt,* nec ipſi ducunt, & qui fortè ducerent, perſequutur, omnes quæ ſua ſunt, quærunt, non tuæ Gloriæ, non tuæ Eccleſiæ, non populorum ſuorum ſaluti ſerviunt, ſed quæ ſua ſunt, quæ ſtatui ſuo, quæ Idololatriæ, ſeu ſtaticæ Sapientiæ ſuæ cōmodant hæc ſectantur, interim graſſatur impunè diabolus & *dilatat infernus Animam ſuam, abſq; ullo termino devorans animas* pretioſo tuo ſanguine redemptas; & implens inſatiabilem ſagenam ſuam, immolanſq; illi Sanguinis ac mortis tuæ pretium, inſuper inſultat tibi & dicit: Gens tua Chriſte & Pontifices tui, tradiderunt te mihi, tradiderunt tuos iſtos fideles mihi, tuos iſtos Chriſtianos, tuo nomine initiatos, tradiderunt damnationi meæ: Quis dolor cordi tuo mi IESU in iſtis quæ audis, quæ vides, quæ nimio plus, vera eſſe cognoſcis? Audite Principes, audite Pontifices; audite Prælati, audite Paſtores, ducesq; Populorum & gregum Chriſti: (non alloquor eos, quibus curæ eſt gloria Domini; & ſalus hominum, & obligatio officii ſui, quibus Eccleſia Dei non caret, ac utinam etiam abundet) Paſcite, qui in vobis eſt, Gregem Chriſti, non quaſi Dominantes ſeu in cleris ſeu in populis, ſed formâ facti gregis *Attendite vobis & univerſo gregi veſtro, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit regere Eccleſiam Dei quàm acquiſivit ſanguine ſuo,* vobis autem Præſidibus ſive ſæcularibus, ſive ſpiritualibus commiſit curandam in nomine ſuo. Zelate gloriam Dei ut diſcat populus honorare Deum. Defendite Eccleſiam & Religionem., ut nôrit populus videre & cuſtodire & tenere illam. Præite populis exemplo ad virtutes, ad contemptum terrenorum, ad ſtudium æternorum, ut ſciat populus deſpicere terrena & amare cæleſtia, cæleſtibuſq; per vos inſtructus diſciplinis vobiſcum unà ſalvus fiat. Satagite auferre ſcandala de Regno Dei, quod commiſit vobis, tanquam Miniſtris ſuis, ut in diebus veſtris, populus re & nomine Chriſtianus merito & numero augeatur.

Lu.12.45 & .42. Joa.10 12 Mat. 23 13. Iſai.4.14 Act.20.28

PARAGRAPHVS LXXXIV.

JESV dicit Pilatus, quid feciſti. Ioan. 18. 35.

STROMATA.

1. RIdicula ferè quæſtio videtur hæc neq; cohærens prædictis, Gens tua & Pontifices tui, tradiderunt te mihi; ſequi debuerat: quia hoc illud feciſti, admiſiſti. Nunc autem infert Præſes Quid feciſti? Ex Pontificibus quærendum erat Pilate. Et ſanè quæſiverat ante dicens: *Quam accuſationem affertis adverſus hominem hunc?* Ubi iſthic nihil congruens audivit, ex ipſo Reo quærit: *Quid feciſti?* Non arbitror iniquo affectu, ſed more familiariter alloquendi, quo ſolent Iudices modeſti uti, cum Reis ſibi oblatis.

2. O mi

2. O mi Pilate: quid quæris ex Chriſto, quidnam fecerit? Omnia fecit, & te fecit, quæſiſſes potiùs: quid non fe-
1.Petr.2. ciſti? *peccatum certe non fecit, nec inventus*
22. *eſt dolus in ore ejus.* aliàs *omnia per ipſum fa-*
Ioan.1. 3. *cta ſunt & ſine ipſo factum eſt nihil.*

3. Poteſt hoc ita necti cum præcedentibus. *Gens tua & Pontifices tui tradiderunt te mihi,* quid feciſti dignum traditione ipſorum, & odio illorum? defendere te & protegere debuerant, ipſi autem tradiderunt mihi, quid illis feciſti? aliquid ſine dubio latet facinoris tui, quod & omnem populum, & omnes ejus Principes, ita concitavit contra te ut univerſi ſitiant ſanguinem tuum. Quid tale feciſti?

4. O mi IESU faciam ego hæc ipſa
Gen. 18. verba mea & *loquar ad te, eſto pulvis & ci-*
27. *nis coram te, Gens tua & Pontifices tui tradiderunt te Pilato.* Hæc tu futura tibi à Populo & Gente tuâ à Pontificibus tuis ſatis ſciebas & prævidebas, quid feciſti? quòd indignitate & ingratitudine tantâ non ſis averſus, quominus ſuſciperes carnem de Carne ipſorum? Non erant aliæ Gentes, quas ſi exaltâſſes, gratas magìs memoresq; inveniſſes? Erant Domine,
Luc. 10. erant, ſed ſic placitum fuit ante te, O
13. Judæi ingrati: *Si in Tyro & Sydone facta fuiſſent hæc,* quæ facta ſunt in vobis; nunquid ſic morti tradidiſſent, & non magìs cum honore & amore & veneratione excepiſſent Deum, ex ſe & pro ſe, Hominem factum.

5. Deus meus & Redēptor meus IESU quid feciſti nobis Chriſtianis tuis, atq; fidelibus tuis? quia tam ingrati ſumus, tantis beneficiis tuis. Indignamur Iudæis, iraſcimur Pilato, accuſamus Pontifices, execramur Judam, qui Mortis tuæ cauſa fuerunt, & tibi mala pro bonis retribuerunt, ſed quanta eſt illorum iniquitas ad noſtram, illi te hoc eſſe non credebant, quod eras; nos confitemur & credimus & veneramur, eoq; nomine Chriſtiani dicimur: & tamen te talem qualem confitemur ore, negamus opere: qualem veneramur fide blaſphemamus vitâ. Dolemus te Crucifixum clavis, & Crucifigimus te noſtris peccatis, quid feciſti? An quia nobis majorem quàm judæis notitiam Charitatis tuæ, Charitatemq; ipſam exhibuiſti? ideo plus in nos deliquiſti, & juſtiorem cauſam nobis contemnendi, conculcandi, crucifigendi te obtuliſti? D

6. Confer ô Chriſtiane Peccator, cōfer, quid Judæis Chriſtus, quid tibi Chriſtus fecit? quid Judæi fecerunt, quid tu feciſti & facis Chriſto? Confer & hæc. Dicit tibi Chriſtus: hæc & hæc feci tibi, ſuſtinuiq; pro te; tu autem, quid feciſti? Quanta mala feciſti? quàm nul-
A la bona feciſti? dic & tu Chriſto: quid feciſti mihi, ut ſic peccarem in te? quid feci tibi, ut ſic faceres mihi? & paterERIS propter me, & perferres à me? & tamdiu ſuſtineres me?

7. Quæris ô Homo ex Chriſto: Quid feciſti? reſpondet Chriſtus magìs opere quàm voce, magìs vulnere quàm ſermone: aſpice me & vide, quid feci? feci Abyſſum Charitatis, exceſſum miſerationis, balneum peccatis tuis, theſaurum egeſtati tuæ, ſcutum contra irã Patris, pretium tuæ redemptionis, exſaturationem juſtitiæ Dei; deniq; tantum feci & paſſus ſum pro te, quantum pati debuiſti tu in æternâ tuâ damnatione. Hæc merui tibi & con-
B tuli, quibus in immenſum beaberis & ſatiaberis, in æterna felicitate. Hæc tibi reſponderi puta, hæc toto corde rumina, quando ex Chriſto patiente quæris, dicens ei: quid feciſti?

8. Grandis quæſtio præſidis iſtius, & non ſolùm ipſo, verùm etiam Chriſto ſatis digna, cui proculdubiò potuit Dominus reſpōdere, & ſua omnia illi ingrato populo facta beneficia recenſere, quemadmodum illa, recenſuit olim per
Moyſen: *Generatio prava atq; perverſa, hæc-* Deu. 32.
cine redditis Domino popule ſtulte & inſipiens? 5.
Nunquid non ipſe eſt Pater tuus, qui poſſedit te & 6.
fecit & creavit te? memento dierum anti- 7.
quorum; cogita generationes ſingulas &c.
Item per Davidem ſæpiſſimè & per Mi-
C chæam: *Audiant Montes judicium Domi-* Pſ. 77. &
ni, & fortia fundamenta terræ, quia judiciũ 103
Domini cum populo ſuo, & cum Iſrael di-
judicabitur. Popule meus quid feci tibi, a- & duob9
ut quid moleſtus fui tibi, reſponde mihi, quia ſeqq.
eduxi te de terra Ægypti &c. Deniq; po- Mich. 6. 2.
tuit & illud ſuum Dominus IESUS repetere: Quæris quid feci ô Præſes? *Cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, Pauperes evangelizantur, mortui reſurgunt, peccatores juſtificantur.* Hæc feci ego ô Præſes

PARAGRAPHVS LXXXV.

Ioan. 18. 37.

1. PONderata ſunt aliquatenus hæc parg. 82. ſupra verba ſuperiùs: & dictũ eſt his verbis, explicatam à Chriſto Domino Naturam & indolem Regni ſui, Regiæq; Dignitatis

Digitized by Google

gnitatis ſuæ, quia enim dicebat Pilato ſe Regem eſſe, attamen Regnum & ſi in hoc mundo, non tamen de hoc Mundo,, nec ſimile aliis Regnis, quæ ſunt in mundo, ſuum eſſe, conſequenterq́; alterius generis ſe etiam Regem eſſe quàm alii Reges hujus mundi eſſent: ut hoc intelligeret Pilatus explicationem hanc attexuit Dominus & ait: *Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in Mundum, ut teſtimonium perhibeam veritati; & omnis qui eſt ex veritate audit vocem meam.* hoc ergo Pilate & non aliud eſt meum Regnum veritati in Mundo dare teſtimonium, veritatem docere, veritatem prædicare, veritatis filios & amatores & cultores & ſervos regere: & ita hoc meum eſt Regem eſſe; talis ego ſum Rex in hoc quidem Mundo, ſed tamen non de hoc Mundo, quia nulla eſt cura, nulla converſatio cum veritate, huic Mundo. O verba profundiſſimi arcani plena, & nunquam ſatis exhaurienda. Concordant cum hiſce Domini ad Pilatum dictis: illa quæ idem Domines alia occaſione dixit Judæis: Ioã. 8 31. *Si vos manſeritis in ſermone meo verè Diſcipuli mei eritis & cognoſcetis veritatem & veritas liberabit vos* quæ ſit autem iſta liberans veritas, infra explicat dicens. *Si vos filius liberaverit* (à ſervitute peccati) *verè liberi eritis* Huc etiam reſpiciunt dicta a Ioanne. *Non erat ille* (Ioannes Baptiſta) *lux, ſed ut teſtimoniũ perhiberet de lumine.* Ioã. I. 8. *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum, in Mundo erat & mundus per ipſum factus eſt, & Mundus eum non cognovit: in propria venit & ſui eum non receperunt, quotquot autem receperunt eum dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. his qui credunt in Nomine ejus, qui non ex ſanguinibus &c. ſed ex Deo nati ſunt. & Verbum Caro factum eſt & habitavit in nobis, & vidimus gloriam ejus gloriam quaſi Unigeniti à Patre plenum gratiæ & veritatis.* quæ omnia, nihil ſunt aliud, quàm explanatio dicti hujus Chriſti Domini ad Pilatum ut diligenter expendenti patet, mihi immorari in his propoſitum non eſt, alia enim ſcribendi ratio, nunc in manibus meis eſt.

2. IESUS in hoc Natus eſt ut Teſtimonium perhibeat veritati, O Chriſtiani adeſte tam animis quàm auribus, ut quid intenditis vanitati, non huic Chriſtus veſter teſtimonium perhibet, veritatem ille prædicat, quare loquelam ejus non cognoſcitis? An ex veritate non eſtis? & quomodo Chriſtiani, ſi non Chriſti eſtis? qui ex veritate eſt audit vocem Chriſti: Si non audit vocem Chriſti, quomodo eſt ex veritate Chriſti? quomodo eſt teſtimonium in eo Chriſti? quomodo portat nomen Chriſtiani.

3 Sunt non pauci Hominum ſtatus, qui in hoc Nati, à Deoq́; ordinati, & Homines ad hoc in ſtatibus iſtis poſiti ſunt, ut teſtimonium perhibeant veritati. Tales quidem arbitror eſſe Homines Ordinis Eccleſiaſtici, Paſtores Animarum, Prædicatores, Confeſſarios. Tales arbitror eſſe omnes Iudices, & jus populis dicentes, inter Reum & Innocentẽ, inter æquum & alienum diſcernentes, atq́; cuiq́; quod ſuum eſt ex æquo bonoq́; adjudicantes; horum omnium conditio talis eſt, ut ad hoc natos ſe eſſe ſciant, ut teſtimonium perhibeant veritati, æquitati, innocentiæ. *Labia enim Sacerdotis,* atq́; adeo Cujusq́; Principis *cuſtodiunt Scientiam, & legem requirunt omnes de ore ejus.* Mal. 2. 7. Proinde apud eos nihil loci debet habere ſanguis, nihil familiaritas, nihil metus, nihil odium, nihil munera, nihil potentia, nihil privati curâ; ſed ingerentibus ſe talibus in animum reſpondere quisq́; eorum debet: *Ego ad hoc natus ſum & ad hoc veni* ad Officium hoc, in locum hunc, *ut teſtimonium perhibeam veritati.*

4. Dominus IESUS venit in Mundum ut ſalvaret genus Humanum. Hæc ſalvatio duabus partibus conſtabat. 1. Redemptione Hominum à peccato. 2. Inſtitutione eorundem in via ſalutis: hæc inſtitutio conſtabat exemplis, & Doctrinis Chriſti Unde illud: *Cœpit IESUS facere & docere,* Act. 1. 1. atq́; hoc vocat in præſenti ſuo cum Pilato ſermone Teſtimonium perhibere veritati: Nempè Doctrinam veram & ſalutarem docere, exemplum vitæ ſalutaris in ſeipſo præbere: deniq́; morte ſua homines, à Morte æterna redimere & à peccatis liberare, ſicq́; Morte ſua, veritatem, de Morte ſua, à Prophetis prædictam, à figuris depictam, à Patribus ſperatam & teſtatam, facere: Venit ergo Chriſtus teſtimoniũ dare veritati. *Cui Veritati Chriſtꝰ teſtimoniũ perhibuerit. Vide infrà paragl. 7. n. 3.* exemplo, Doctrina, Morte

PARAGRAPHUS LXXXVI.

JESV Vocem audit quisquis ex veritate eſt. Ioã. 18. 37.

SYRO-

STROMATA.

1. AD converſionem hæc viciſſim de ſe enunciantur: qui eſt ex veritate audit vocem IESU; qui audit vocem IESU eſt ex veritate. Nec ratio deeſt quia IESUS Veritas eſt: agnoſcunt ergo ſibi vocem Matris: Sed ubi eſt iſta Generatio filiorũ veritatis, quæ pars Orbis habet populum hunc? Europam, an Aſiam, an Africam, an Novum Orbem incolit Gens iſta? In Mundo eſt, de Mundo non eſt: *Novit Dominus qui ſunt ejus* & vix quiſquam alius præter ipſum. Attamen niſi fallor valde quotquot habent teſtimonium à Conſcientia & veritate, quod ſint Amatores, & ſervi, & auditores, & factores veritatis, hi ſunt ex veritate & ex progenie veritatis, ex familia & ſanguine veritatis. Neq; dare eſt teſſeram certiorem Populi Dei, quàm adhæſionem ad veritatem: neq; enim adhærere quiſquam poteſt veritati & eſſe de familia Diaboli qui eſt mendax & mendacii Pater: Neq; poteſt quærere & colere veritatem & eſſe de Regno hujus mundi, qui fallax & vanus eſt; neq; poteſt ſervire veritati & eſſe animalis aut carnalis, & amator ſui, quia omnis Homo
1. Cor. 4. 14. ſibi viuens, eſt univerſa vanitas, *nec percipit ea quæ Spiritus veritatis loquitur.* Quare
Luc. 16. 26. *magnũ chaos firmatũ eſt nimis inter* populum veritatis & inter populum vanitatis. Hoc ex fundamento locutus eſt Domi-
Joã. 8. 47. nus Iudæis aliquando: *Qui ex Deo eſt verba Dei audit propterea vos verba mea non auditis, quia ex Deo non eſtis.* quod nihil aliud ſonat, quàm illud: *Omnis qui eſt ex veritate audit vocem meam.* Quod ergo multum deſiderare ſolent homines ſcire: an ſint ex Electis à Deo ad gloriam: non ſcrutentur multa ſigna Prædeſtinationis. Videant quomodo illis conveniat cum veritate quàm robuſti & fideles auditores, executores, defenſores veritatis, quàm ſunt intrepidi Confeſſores veritatis, quàm ægrè eſt illis mentiri etiam in minimis, etiam in periculoſiſſimis cauſis, caſibusve? Dico diſertè: Servus veritatis, Amator veritatis, eſt Candidatus beatæ æternitatis. Immo jam inchoavit beatitudinem, quiſquis dilexit veritatem. Si enim rectè cogitamus, Beatitudo, eſt veritatis poſſeſſio: ſcilicet poſſidere & poſſideri à veritate. Inde D. Thomas Beatitudinem formalem conſtituit in Contemplatione primi & ſummi veri. Doctor autem Seraphicus ſuperaddit Dilectionem. Qui idem Doctor aſſignat novem gradus, qui ſunt in elevato aſpe-
A ctu veritatis, eosq; gradus vel iis gradibus ait reſpondere Novem Ordines Angelorum. Primus eſt Advocare veritatem per gemitum & Orationem quod eſt Angelorum. Secundus eſt Audire veritatem per ſtudium & devotionem; & hoc eſt Archangelorum. Tertius eſt Annuntiare veritatem per Exemplum & Prædicationem & hoc eſt Principatuum. Quartus eſt Adire veritatem, per refugium & commiſſionem & hoc eſt Poteſtatum. Quintus eſt Apprehendere veritatem per Zelum & Aemulationem: & hoc eſt Virtutum. Sextus eſt Aſſociare veritatem per ſui Contemptum & Mortificationem; & hoc eſt Dominationum. Septimus eſt Adorare ve-
B ritatem per ſacrificium & laudem, & hoc eſt Thronorum. Octavus eſt Admirari veritatem per exceſſum & Contemplationem: & hoc eſt Cherubinorum. Nonus eſt Amplecti veritatem per Oſculum & dilectionem. & hoc eſt Seraphinorum. Hæc diligenter notanda & exercenda ſunt, quia in ipſis eſt fons vitæ. (Hactenus Sanctus.) Alius quiſpiam veritatis Amator, talem formavit Orationem: IESU veritas & Prædicator veritatis, fac me noſſe veritatem tuam, amare veritatem tuam, Deſiderare veritatem tuam, inquirere veritatem tuam, facere veritatem tuam, pati veritatem & propter veritatem tuam, docere & profiteri veri-
C tatem tuam, ſequi veritatem tuam, defendere veritatem tuam, ſervire veritati tuæ, liberari per veritatem, perfrui & gaudere veritate tua in æternum. Ex his colligi poteſt quam neceſſaria & fructuoſa ſit homini Adhæſio & Dilectio veritatis.

PARAGRAPHUS LXXXVII.

JESUM Pilatus interrogat: Quid eſt Veritas? Joan. 18. 38.

D STROMATA.

1. HÆc quæſtio Judicum eſt propria *Quid eſt Veritas?* ab hujus cogni-

tione, ſciunt decernere: quid ſit æquitas? æquitas enim veritatem ſequitur.

2. Hæc quæſtio excidit & obvenit Pilato inſtar gallinæ quærentis vermiculum in quiſquiliis, & incidentem in gemmam pretioſam: quam præterit & pulvere ſepelit. Et Pilatus enim pretioſiſſimã movit ſupremæq; notæ ac difficultatis quæſtionem, ſed movit tantùm & abiit. Non erat infelix ex veritate; & ideo non expectavit ut audiret vòcem veritatis. Obiter & incidenter in quæſtionem mentionemq; veritatis prorupit: Sed animus illi veritatis ſtudioſus & amator non fuit. An fortè indignum & alienum à ſuâ perſonâ putavit cum homine vincto & reo & nullius notæ, quaſi per otium & familiariter ſermocinari, de rebus, ab inſtituto, alienis præſenti, nolens etiam Judaicorum Principũ exſpectantium foris alienare animos, ſi viderent ſe moras & ſermones blandos trahere cum homine, quem illi ſuo ſuffragio cupiebant quàm primùm perire: An ſe à Cauſa, & ſimul à Judæis urgentibus cupiebat expedire, ac ideo præſcindens ſermonum moras (quorum ſibi, ubi placeret, non defuturam credebat facultatem) non exſpectato, ad quæſitum ſuum, reſponſo Chriſti. Contentus ſe nihil criminis reperire in Chriſto abiit ad Judæos expedireq; illos conatur dicens eis: *Nullam ego invenio Cauſam in Homine iſto.* Luc.23.4. Hæc dicebat ad Judæos forſitan ad Chriſtum rediturus, & reſponſum de veritate auditurus: Sed interim occaſionem quidem ejus rei amiſit, in alias autem aliasq; occaſiones dilapſus eſt, ùt fieri amat apud homines faſtuoſos Præſidentes, aliorum maximè Mediorum Cõtemptores Præſides, quibus nè pili quidem eſt alienum malum, aliena injuria, Pauperum fortuna, & his ſimilia longè ſcilicet à Magnatum ſtatu jacentia.

3. Liceat ô Domine Quæſtionem à Pilato motam & deſertam, apud te promoveri à nobis, qui utcunq; veritatis ſtudioſi ſumus, eſſe certè debemus, cùm ſalus noſtra à veritate unâ ſit, liceat quærere ex te: *Quid eſt Veritas?* atq; ut meum ſenſum clariùs explicem, neq; à Pilati deſiderio, occaſione ſaltem recedã, de illa veritate, quid ſit? quæro, ad cujus teſtimonium te in mundum veniſſe, ex ipſo te ad Pilatum loquente, audio. Non arbitror te veniſſe ad dandum teſtimonium veritati, de qua differit Plato, diſputat Ariſtoteles, Scholæ Philoſophorum diſquirunt. Hæc veritas teſtimonio tuo non eguit, nec te iſtis intricari opus aut dignum fuit. Aliam veritatem tu propoſitam habuiſti, cui ut dares teſtimonium, veniſſe te in Mundum A dixiſti. Quid eſt igitur veritas iſta? Quæ eſt iſta veritas tuo digna teſtimonio, tuo diſcenda Magiſterio? Quantum capio, quantum ſapio, hæc veritas, de qua Chriſtus venit teſtari, multipliciter poteſt aſſignari.

Prima eſt veritas Divinæ Naturæ, Eſſentiæ, Exiſtentiæ. Chriſtus enim docuit Deum eſſe, ac Judæos quidem docuit Dei Trinitatem, quia jam notam habebant ejus Unitatem Gentes autem docuit Dei Unitatem in Trinitate & Trinitatem in Unitate.

Secunda veritas eſt Divinæ ſuæ peculiariter Perſonæ, Chriſtus enim ſicut fuit, ita docuit ſe eſſe Filium Dei Unigenitum, Verbum Patris, ex Deo proceſ- B ſiſſe & veniſſe & miſſum eſſe per Incarnationem in Mundum *ut mundus ſalvaretur per ipſum.* Ioã.3.17.

Tertia veritas Promiſſionum Divinarũ quas plurimas Deus Populo quidem Hebræo primùm, ſed per eum etiam omnibus Gentibus per Meſſiam promiſit ſe præſtiturum. Huic veritati Chriſtus teſtimonium perhibuit, ut ſatis conſtat tum ex Evangelio, tum ex Eccleſiæ inſtitutione ac dilatatione, gentiumq; ad fidem vocatione & ſalute. Impletum eſt enim per Chriſtum, illud: *In ſemine tuo benedicentur omnes Gentes* Gene. 22 18. Unde veriſſimè Philippus ad Nathanaëlem dixerat: *Quem ſcripſit Moyſes in lege, & Prophetæ invenimus JESUM Filium Ioſeph à Nazareth.* Ioã.1.45. C Similiter & Andreas Petro, eodem ſpiritu dixit: *Invenimus Meſſiam quod eſt interpretatum, Chriſtus.* Ibidẽ. 41.

Quarta veritas huic vicina Prophetiarum, quæ omnes ſicut in Chriſtum collimabant, ita in Chriſto, & per Chriſtum impletæ ſunt. Unde ait Dominus Judæis: *De me. ait, ille Moyſes ſcripſit.* & Ioã.5.46. alias cùm in Synagoga locum Iſaiæ Prophetæ legiſſet: *Hæc ait Scriptura hodie impleta eſt in cordibus veſtris* Ioã.4.21. Deniq; ait: *Non veni ſolvere legem aut Prophetas, ſed implere.* Matt. 5. 17. Conſonat Apoſtolus ſcribens ad Hebræos: *Multifariam multiſq; modis olim Deus loquens Patribus noſtris in Prophetis: noviſſime hic diebus locutus eſt nobis in filio per quem fecit & ſecula.* Hæb. 1. 1.

Quinta veritas Figurarum, quæ innume- D ræ erant in illa lege, & omnes impletæ ſunt in Chriſto. *Omnia inquit in figura contingebant illis,* priſcis ſcilicet Iudæis, at Chriſtus veniens & figuras re ipſa complens,

plens oſtendit veritatem in Figurarum
involucris latitantem: perhibuitq; teſtimonium veritati adumbranti, veritate
adumbratâ in luce exhibitâ.
Sexta veritas eſt Diſciplinæ & Doctrinæ A
Cæleſtis: quam Chriſtus docens teſtimonium perhibuit veritati: Unde illi
Ioan. 3.2. dictum à Nicodemo: *Rabbi ſcimus, quia à Deo veniſti Magiſter.* Similiter & alii Le-
Matt. 22. 16. giſperiti faſſi ſunt: *Magiſter ſcimus, quia verax es & viam Dei in veritate doces.* Hanc
veritatem Doctrinæ confirmavit Dominus Miraculis & Morte. Miraculis qui-
Ioan. 10. 38. dem ut ipſe teſtatur: *Si verbis meis non creditis, operibus credite.* Morte autem, ut etiam ipſemet Dominus ſignificavit: dicentibus enim Iudæis quodnam ſignum
faceret, quia doceret & pro templi Divini honore zelaret, reſpondit, alias qui-
Ioã. 2. 19. dem ſic: *Solvite Templum hoc & in triduo reædificabo illud, quod dicebat de Templo Corpo-*
Matt. 12. 39. *ris ſui* alias verò. *Generatio hæc prava ſignum quærit & ſignum non dabitur ei niſi ſignum Ionæ Prophetæ.* Huic eidem Doctrinæ teſtimonium perhibuit Dominus vitæ
ſuæ innocentiſſimæ exemplo : ut etiam B
Io. 8.46. ipſe dixit Iudæis: *Quis ait ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* Atq; hanc niſi fallor Dominus noſter cæleſtis doctrinæ veritatem, ut teſtimonio ſuo firmaret, hoc eſt ut doceret & traderet, utq; Eccleſiam ſuam ejuſdem futuris ſeculis Magiſtram tanquam Columnam & Firmamentum veritatis inſtitueret, Spirituq; ſuo Sancto, ſpiritu inquam veritatis eam dotaret, veniſſe ſe, atq; in mundum natum eſſe aſſeruit Pilato: eamq; haud dubiè eidem, ſi perſeveraſſet audire, explicaſſet, docuiſſetq; illum quænam credenda, quæ agenda, quæ vitanda, quæ proſequenda hominibus ſint, quotquot ſalvari in vitamq; æternam C
introire cuperent .Neglexit audire hæc Pilatus utinam non habeat plurimos ex Chriſtianis etiam in hac negligentia imitatores!

4. Quid eſt veritas? Medullitùs tenenda & ſemper uſurpanda quæſtio. Audis mala de altero, ne crede, ſuſpenſo aſſenſu quære: quid eſt veritas? Audis tuas laudes, ne crede, quære. quid eſt veritas? Audis aliqua laudari tuo grato palato, nè appete, quære: Quid eſt veritas? Audis te affectum injuriâ, detractum tibi, ardes in vindictam; ne D
crede; ſuſtine, quære: quid eſt veritas? Magnum eſt ſcire quid ſit veritas, & quid ſit vanitas?

PARAGRAPHVS LXXXVIII.

JESVS Galilæus & Galilææ Perturbator Lu. 23. 5.

STROMATA.

PRæter ſpem atq; Mentem Iudæorum, Pilatus prodierat ad Iudæos, pro Iudice & Damnatore, IESU, teſtis ejus probatæ ſibi innocentiæ, nullius in eo compertæ à ſe nequitiæ atq; ad damnandum cauſæ. Commota eſt improbitas non dejecta, graviorem admovit Machinam, & recentiore exemplo nondum coalitam cicatricem, exaſperare laboravit: Non ita multum temporis erat, ut Galilæi aliqui ſeditione motâ faceſſiverint repetitò negotium Romanis in Judæa. Oderant Romani eo nomine Galilæos, utpote Rebelles, Pugnaces, factioſos, jugum pati neſcios & ad novandas res factos aſſuetosq;: Pilatus nominatim infenſus erat, tum ob prædicta, tum ob inimicitias cum Herode, ideoq; miſcuerat Galilæorum ſanguinem in ſacrificiis ſuis, faciens & ex ipſis victimas: quid igitur improbi Principes agunt, ut expugnent animum Pilati, ut infenſũ Chriſto faciant; Galilæum eſſe, in Galilæa verſatum, motus Populi inibi feciſſe, & uſque ad Caput Provinciæ, Hieroſolymam cum turbis ſuis turbatoribusq; penetraſſe: videret ergo Pilatus quid agat, & an nullam in Chriſto cauſam inveniat? Quis non credat Pilatum ita alioqui diſpoſitum hoc admoto ariete non illico expugnandum, & in damnationem Chriſti declinandum? At non tanti fuit Pilato paucula illa ex Chriſto de Regno ejus deq; veritate audiſſe, tãti intererat errore potiùs, quàm malitiâ malum fuiſſe. quo credebant Judæi Pilatum Chriſto infenſiorem reddendum, hoc invenerunt Pilatum & ſe à Chriſti cauſa penè penitus extricaſſe. Nam ubi Pilatus audivit Galilææ mentionem, Chriſtumq; Galilæum & de Herodis Regis poteſtate, Herodem ad manus Hieroſolymis commodè adeſſe invidioſo & iniquo judicio ſeſe liberare ſtatuit, ac ſpecie juris ſui in ſubditum Herodi aſſervandi, Chriſtum Herodi remiſit.

2. Commovere populum IESUS dici-

tur ab Judæis, hoc quidem verè dicitur, ſi ex vero ſenſu & affectu diceretur. Revera enim commovebat Dominus IESUS populum, non tamen ad Rebellionem Romanam, ſed ad Diabolicam. Cõmovebat & commonebat populum transmigrare ab errore ad veritatem, ab iniquitate, ad Juſtitiam, à terrâ ad Cælum, à Moyſe ad Meſſiam, à lege ad gratiam: à Figurâ & literâ ad rem ipſam & ad Spiritum. Hic ſenſus verus eſt, at non Iudaicus.

PARAGRAPHVS LXXXIX.

Luc.23 7 *JESVS Herodi remittitur.*

STROMATA.

1. REmiſſus eſt (ut Dixi) Chriſtus Herodi, tum quia ejus ex Provincia ac proinde ſubditus juriq; ejus obnoxius. tum quia Pilatus nolebat novam dare cauſam offenſarum Herodi, ſi ejus ſubditum damnaſſet ad mortem, preſente etiam tum Herode. Tum quia cupiebat ſic conciliare Herodem, uti & factum eſt. Tum quia amoliri à ſe iniquum judicium & importunos Iudæos volebat. Tum quia credebat Iudæos tædio aut pudore affectos, deſtituturos à Cauſa, nec concurſaturos ad Tribunalia, ſed vel dimiſſuros vel ipſos oppreſſuros Chriſtum ſeq; fore liberum. Tum quia ſperabat aut etiam optabat Chriſtũ Herodis quoq; C judicio abſolvi ſicq; ſuum de Chriſto judicium approbari, ac Iudæorum iniquum poſtulatum invidiamq; & nocendi libidinem infringi.

2. Malè-politicorum, & ambidextrè incedentium, deq; amphibiorum genere productorum Hominum, Principum, Magiſtratuum, Iudicum, aliorumq; generum hic mos eſt, nec Deum lædere, nec Dæmonem irritare: placere omnibus, ancillari iniquitati ſine tamen ſcilicet præjudicio æquitatis. trahere moras, ludere in alieno corio, producere impenſas, multiplicare cõtroverſias, nodos in ſcirpis oſtendere, ſpecie alieni Honoris innocentem vexare, periculis, vexationibus, damnis exponere. hæ ſunt pruden- D tiæ Pilatorum Politicorum novellorum. O Pilate utinam cum tuis artibus eſſe deſiiſſes. ſed nunc oderunt te omnes, imitantur utinam non omnes! Tu Gentilis Chriſtum iudicaſti, ſed Chriſtiani tuâ ex diſciplinâ progreſſi non aliter in Chriſtum decernunt. ita qui te unum Gentilem A Pilatum execramur, multos Chriſtianos Pilatos habemus, ad quos cauſa viduæ non ingreditur: apud quos pupilli in oculis devorantur: apud quos injuriâ affectus à potentiori inſuper affligitur: apud quos qui paſſus eſt damnum, pati etiam amplius infelici conventione, atq; condonatione extortâ compellitur, nè fortè juſto ſcilicet Iudicum politicorum judicio, totius cauſæ ruinam ſubeat. Et videri volunt beneficio affeciſſe calamitoſum, quia ad ſe rejecerunt, quia ad alium iniquiorem transmiſerunt, quia non totum ſed partem eripi. ſcilicet adlaboraverunt. Interea Pilatus Herodi ancillatur, Herodes gaudet reconcillantur mutuò inimici ambo in Chriſtum, quem B produnt, quem perdunt, in cujus corio & fortunis & vita ludunt ad ſatietatem usq; periniqui. Sic ſic quotidiana eſt in aulis, in palatiis, in prætoriis injuria Chriſti, vexatio juſti, oppreſſio Innocentis, ut etiã jocus ſit, prudentia ſit, res perquàm optimè geſta ſit, quia per ſapientiam & artes Pilati veteres, Novi Pilati & novi Herodes, amici facti ſunt, perdito pauperculo Innocente, quaſi non ſit qui requirat ſanguinem, qui reſervet lacrymas, qui audiat gemitus, qui judicet juſtitias! O nolite errare Potentes: *Deus Iudex eſt.* Pſ.7.12. Iuſtitias judicans. Concinnate ut lubet manibus veſtris injuſtitiæs: eſt qui diſſolvet concinnatas; quoniam Deus ad judicium omnia adducet; & tunc reſpondebit unicuiq; juſtitia ſua.

PARAGRAPHVS. XC.

JESV adducto ſibi gaudet Herodes, ac multis interrogat & ſignum à Chriſto fieri ſperat. Luce 23. 8.9.

STROMATA.

ASſignat expreſſam cauſam Herodiani gaudii Lucas cum ait: *Herodes viſo IESU gaviſus eſt valde, erat enim cupiens ex multo tempore videre illum.* Quin & ultra hujus ipſius cupiditatis cauſam aſſignans ſubdit. 1. *Eò quod audierat multa de eo.* 2. *Et ſperabat ſignum aliquod videre ab eo fieri.* 3. Nec ab

Digitized by Google

Nec ab re eſt, gaviſum fuiſſe Herodem, ob delatum ſibi honorem, iſtâ Chriſti transmiſſione à Pilato. 4. Habebat etiam multiplices contemptus Herodes de Chriſto, cujus mira opera audiebat, ut A ſunt longæ Regibus aures: inter alia tradunt Evangeliſtæ dictitaſſe Herodem:
Mar. 6. 94. *Ioannes quem ego decollavi ſurrexit & Virtutes operantur in illo.* ergo cupiebat de facie noſſe Chriſtum, eſſetné verè Ioannes &c 5. Optabat etiam Herodes aliquorum à Chriſto factorum miraculorum, rationē vel modum ſive audire, ſive videre: ut
Ioã. 2. 9. quomodo *in Cana Galilææ ex aquâ vinum eſſet factum* à Chriſto? quomodo *imperâſſet ven-*
Matt. 8 26. *tis & mari* tranquilitatem? quomodo *ſu-*
Matt. 14 25. *per aquas maris ambulâſſet?* quomodo paucis *panibus multa millia ſatutaſſet?* quomodo
Mar. 8.9. abſens & Dæmonia ejeciſſet, & morbos ſanaſſet &c. Nec dubitem conquiſitos ſub id tēpus adductosq; cæcos aut claudos B qui in conſpectū Regis à Chriſto ſanarētur. Eam ob rem Herodes interrogabat IEsum ſermonibus multis curioſè ſciſcitans hæc & illa, quæ, talibus ingeniis, quale in Herode fuit, uſitâtum eſt quærere & appetere. Ergo quæſiuit: unde illi eſſet peritia iſta, miracula parandi, quem in eis modum ſervaret; haberetné cum quo Dæmonio commercium; an artem ſciret? noviſſet ne Baptiſtam; an ipſe eſſet; quâ de causâ reddidiſſet ſe exoſum Iudæis, quòd cum mori cuperent; cur ſe ſe aliquo prodigio non liberaret à vinculis, à manibus, à morte? An eum virtus & ars ſua defeciſſet, in manibus eorum,
Iud.16. 20 ſicut Samſonem apud Philiſtæos? An ipſe eſſet, an ſciret illum puerum, propter C quem opprimendum, Pater ſuus Herodes
Matt.2.16 magnus, occidi juſſiſſet infantes Bethlemiticos; quomodo tunc evaſiſſet necem? An cuperet per ſe abſolvi à periculo? ſi cuperet, faceret ſignum aliquod mirabile feſtivum &c. Has ſimilesq; probabile eſt, fuiſſe interrogationes Herodianas.

Luc. 8. 6. 2. Gaudet Herodes viſo IESU, ſicut quandoq; gaudet terra petroſa accipiens bonum ſemen: ſed non fert fructū, quia non habet humorem.

3. Gaudet Herodes viſo IESU, quia ſunt non pauci nec raro, qui libenter cū bonis conversantur, & bonos ſermones eorum audiunt, ſed non emendationis ſuæ gratiâ, ſed decori cujusdam & honeſtæ voluptatis. & quidem ex illorum bo- D norum converſatione credunt ſibi aliquid afflari bonæ opinionis apud alios, & vitæ non improbæ.

4. Gaudet Herodes viſo IESU, ſicut ſolent Auari & Numipetæ Patres-familias ex concurſibus Hominum ad aliquas pias ſolennitates, lucelli ſui occaſiones captare, atq; venari.

5. Sperat Herodes ab IESU ſignum factum videre; quandocunq; peccator, à peccatis quidem in vitâ ſuâ non vult ceſſarē, in morte autem ſua ſperat gratiā pænitentiæ finalis à Deo obtinere. O Herodes, malè viuere vis, & tamen mori bene cupis? ſignum à Chriſto fieri, videre ſperas, ſterilis eſt ad talia ſigna Chriſtus. Promiſit quidem veniam pænitenti, ſed tempus non permiſit pænitēdi, tempore ad viuendum benè, indulto, abutenti: noluiſti vivens ad bonam vitam deduci: quâ fronte moriens vis in bona vita collocari?

PARAGRAPHVS XCI.

IESV Herodi nihil reſpondit. Lu. 23.

STROMATA

1. QVomodo Verbum Herodi reſpōderet vocem, per quem amiſerat vocem? *Ioannes Vox VERBI clamantis* fuit: hanc Herodes abſtulit, quid mirum ſi Verbum vocale non audijt? Redde priùs Verbo, Herodes vocem & audies vocem. Ioann. 1. 23.

2. Mirantur ſæpe homines ſe concionatores utiles, & ad cor loquentes non habere; ademiſtis ô Auditores concionatoribus vocem. Optatis vobis dici placentia, affertis aures prurientes, fugitis ſalutaria prædicantes, nova & inaudita, lepida & allegorica, mordacia & ſarcaſtica, alludentia & illudentia ſtipatis effutientes, & miramini quòd taceat ante vos IESUS? Reddite libertatem Dei Verbo quod alligaſtis; amate & quærite veritatem quam à Corde ablegaſtis; utilia magis, quàm nova exquirite; non qui feſtiviùs, ſed qui ſalubriùs dicant amate; non qui ſe ipſos, ſed qui Chriſtum prædicant ſtipate, non qui veſtra ſed qui vos quærunt, quærite; & videbitis atq; audietis veritatem clamantem non ſolùm loquentem inter vos.

3. Ferunt, vulpes, animalibus vocem adimere & ſanè, fauces atq; guttura primò invadunt vulpeculæ. Herodes vulpes erat Domini ipſius judicio, fauces Luca 13. 32.

Cc2 preſſe-

preſſerat & oppreſſerat Domini, non nece tantùm Præcurſoris, ſed etiam nullo profectu ex prædicatione Joannis, ideò verbum reſponſionis à Domino audire non meruit.

4. Habet vulpes intolerabilem fœtorem. Herodes enormi inceſtuoſoq; adulterio etiam tunc fœtebat, quod etiam homicidio firmaverat, quomodo tam tetrum odorem halanti vulpi iſti, caſtiſſimus IESUS reſponderet, cujus innocens os, tam fœdus odor premeret. Ora certè claudunt non aperiunt Homines, dũ graves ſentiunt uſpiam odores.

5. Non reſpondit Dominus Herodi Verbum, ne morti ſuæ vel moram injiceret vel poneret impedimentum. Si enim verbo Herodem demulſiſſet ad liberandum ſe provocâſſet. quod ordinationi Divinæ non expediebat, nec ſaluti humanæ, quæ tractabatur, conveniens erat.

PARAGRAPHVS XCII.

Lu.23.10. *JESVS á Iudæis conſtanter ſed fruſtra accuſatur.*

STROMATA.

1. NOn deferebat Judæos nequitia & pertinacia, & ſi deſerebat cauſa & cauſæ Juſtitia. Non audiebantur à Pilato, rejiciebantur, neq; tamen dimovebantur. Contempti ſunt ab Hero- C de, nec auſcultatione aut reſponſo dignati, nihilominus conſtanter ſuam ſunt accuſationem proſecuti. Prô! quod èſt dulcedinis in malitiâ & nocendi libidine? Prô! quod roboris indit animis adulta in animo ira, ad nocendumq; obſtinatè accenſa?

2. Conſtanter Iudæi ſtabant accuſantes IESUM, ſed qui defenderet IESUM, nemo conſtans ſtabat. Vacillavit, tandemq; & collapſus eſt, in ſtatione ſua Pilatus, & quid commemorem quòd prodiderit Judas, deſeruerit Diſcipulus, abnegaverit Petrus? Semper ſemper robuſtiores habet mala causa Patronos, quàm bona cauſa Defenſores. Pauci enim ſunt, qui bonum bene ament, qui propter bonum pati non recuſent. Quid quòd nec bonum adeò robuſtos requirit, utpote quòd ipſum ſe conſiſtere ſufficit. Malæ cauſæ & in ſeſe jacenti Patroni validi opus ſũt. Bona cauſa ſeipsâ ſtat, ſeipſam tuetur, tandem tandem bona cauſa triumphat. premi poteſt, impeti poteſt, oppugnari poteſt, at opprimi & excuti, at expugnari non poteſt. Inde etiam obſervare licet, Deum in cauſis ſuis lentiorem eſſe & quaſi negligentiorẽ, Diabolũ cõtra mirè ſtrenuũ mirè ſagacẽ, acrẽ, robuſtum, vigilantem, violentum: Sed fortior tamen eſt Deus languens ac infirmus Diabolo acri, & robuſto, efficacior eſt Dei negligentia, omnibus Diaboli vigilantiis, & violentiis. Quod enim *infirmum eſt Dei fortius eſt omnibus & Hominibus* & Dæmonibus Stent 1 Cor. 1. 25.
ergo quantumlibet conſtanter Principes apud Herodem accuſantes IESUM, taceat pro ſe IESUS; dormiat in ſuâ cauſâ; ſpernatur ab Herode; illudatur ab ſatellitibus & exercitibus; vendant traditores; deſerant diſcipuli; abnegant
B Petri; fluctuent nec conſiſtant Pilati præſides; diſſimulet aut etiam negligat Deus; tandem tamen bona cauſa triumphabit, & ponentur *inimici Chriſti terram* Pſa. 71. 9.
lingentes ſcabellum pedum ejus, & reddentur Chriſto (ſicut olim Iobis, qui Chriſti in hoc figura fuit *omnia duplicia* Iob. 42. 10
aruntq; benedicta magis *Noviſſima ejus, &* 12
quàm fuerunt prima.

PARAGRAPHVS XCIII.

JESVM Herodes ſprevit cum Exercitu ſuo. Lu.23.11.

STROMATA.

1. MOre hoc Divitum & Magnatum factum eſt, ut ſperneret Herodes IESUM, aulaq; tota Herodiana, quæ enim eſt magis propria indoles Aulæ, Dominorum & Aulæ ſectatorum, quàm contemnere bona & bonos; Exeat aulâ, qui vult eſſe pius. Caula & aula Symbolizant Nominibus; quales in Caulis tales in aulis. Miraculum eſt Aulicus vel modicùm pius: habent colorem quandoq; ac ſpeciem, ſed virtutem ac veritatem non item. Et ſanè quid ſuperſit virtutis, ubi ſpernitur Dominus virtutis? Ar-
D ctæ ſunt & arctantes Dei leges: quibus licentia, & poteſtas atq; copia claudi non fert: ſuo non Dei arbitrio metitur omnia. Agendorum, regula non Dei voluntas eſt, ſed propria nec poſt rati-

onem ſed

quem ſed poſt appetitum curritur, quid ergo Aulæ & Deo poteſt eſſe commune? Contemptuum ergo Divinorum Aula locus eſt, ſperni IESUM in Aulis lex eſt! Deniq; ideo nimis verè dictum eſt: A plures à latronum crucibus quàm à principum Domibus Deo prædas obvenire, certè Chriſtus qui tot in Paſſione Palatia obivit, nullum ſuas ad partes in eis acquiſivit: immo iſthic Petrus manens Luc.22.55 periit; abiens, revixit. Ubi autem cum Latronibus crucem aſcendit, inter duos unum Prædicatorem & defenſorem in-Luc.23.41 nocentiæ ſuæ invenit. En in Aulis omnibus omnes Chriſti Perſecutores reperti ſunt: in Cruce autem inter latrones teſtis Chriſti & cultor inventus eſt.

2. Prægnantia & fœta atq; ut vocant caudata ſunt peccata Magnatum atq; Principum: Diſcant hoc ab exemplo Herodis hujus: ſprevit ille IESUM ſprevit mox totus exercitus ejus. Si ſe B Herodes Defenſorem IESU exhibuiſſet, univerſus exercitus ejus pro IESU defenſione incubuiſſet. Tales ſunt Principum omnes actus, ut quàm in partem illi inflectuntur, eodem ſtatim univerſi ſubditi & aſſeclæ declinent. Regis ad exemplum totus componitur orbis. Pauciſſimi ſunt Reges in orbe: ſed quales hi pauciſſimi, talis totus orbis. Si eſſent hi pauciſſimi etiam optimi, totus orbis mox eſſet optimus. Sed quia ex his pauciſſimis longè pauciores boni ſunt, ideo totus orbis peſſimus eſt. Nulli viri Apoſtolici tam ſunt felices in Hominum converſione ad Deum, in promovenda Dei gloria, in Regno Chriſti, & virtutis ſtabiliendo, quàm principes eſſent, ſi C boni eſſe vellent. Eo ſolo quod boni eſſent ipſi, bonos facerent alios omnes ſuos. Quod non poſſunt præſtare, millenæ conciones, Catecheſes, induſtriæ, libri, monita, Conſilia Magiſtrorum ſpiritualium & Eccleſiaſticorum Paſtorum, hoc præſtaret ſine illo labore & conatu Unius Principis virtus & bonum exemplum. Efficaciſſima Concio Principis vita, immo voluntas & nutus: at perinde in malam atq; in bonam partem! Advertant ergo Principes & in dignitate ac poteſtate poſiti, ſe non ſibi ſolis bonos aut malos eſſe nec ſolos, incomitatos ad Cælum vel infernum pergere.

3. Nihil reſpondentem IESUM ſibi ſpernit Herodes: Animi enim Principum faciles ſunt ad offenſam; non D magnis opus eſt delictis umbras ipſas in offenſas trahunt. Vix autem ulla re citiùs aſpernantur, quàm ſi quem videant non ad mentem ſuam, nec ad normam ſuam ſe fingere. Si locutus fuiſſet IESUS Herodi placentia, in delicias tranſiiſſet: non reſpondit verbum, non reſpondit ad placitum, non demulſit palatum, non indulſit ingenio, ſpretus eſt continuo & illuſus, & abjectus exploſusq;, oportet ut Principi reſpondeat, qui vult placere principi, qui non reſpondet non placet.

PARAGRAPHUS XCIV.

JESVM. Herodes illudit indutum veſte albâ. Luc.23.11

STROMATA

1. ET hic Aularum mos eſt pejor priore; illudere nimirum IESUM, explodere virtutem; Deum & Divina jocum facere. Parum eſt quòd ignoretur Deus & Divina in Aulis; parum quòd negligantur ea quæ ſunt ſalutis & cultûs Divini, parum eſt, quòd contemnantur, illuduntur etiam & erubeſcuntur, & probri loco ſunt, & inter ſcelera reputantur. Prò! quanta inferni & Aulæ vicinitas! quanta ſimilitudo! Non errabo, Aulas eſſe ut plurimum inferni ſeminaria; Damnationis vivaria; periturorum ſodalitia; reproborum Regna; ſcholas & Gymnaſia Gehennæ; Dæmonum Domicilia; Saginam & ſagenam Tartari. Nam ſi quis veritatem diligèter expendat, occupationes aulicas & Diabolicas ſimillimas eſſe inveniet. Peccant Dæmones, peccant & Aulici, exſulat ab infernis probitas, exulat & ab Aulis, inſuper & contemnitur & irridetur, & pudori eſt. Exſultant Dæmones in ſcelere tam ſuo quam alieno, exſultant in Aulis ſimiliter, certamenq; ſcelerum eſt & laudi eſt vincere; pudori, ſuccumbere, pudet non eſſe impudentem. Ita ſtatus Aulæ pejor eſt ſtatu inferni, Nã in inferno multantur ſcelera, in Aula præmiantur. Nullus eſt peccandi finis inferis, nullus & in Aulis. Noctes diesq; peccando traducuntur. In inferno aut Dæmones ſunt aut Dæmonum mancipia homines, à Dæmonibus in ſcelera & in pœnas præcipitati. in Aulis quoq; aut ſunt qui peccant, aut qui peccata, imperant, laudant, ſvadent, juvant, tuentur, excuſant, prædicant exemplo præ-

& ſequentium poſt ſe in eosdem Diaboli laqueos & cruciatus, trahunt greges. De inferni incolis ſcriptum eſt in
Pſ. 48. 15. pſalmo: *Sicut oves in inferno poſiti ſunt, Mors depaſcet eos:* ſeu Mors paſtor eorum erit.
A De Aulæ inhabitatoribus idem omnino dici poteſt: Oves ſunt, ſed olent hircum, poſiti ad hoc ut peccent in inferno ſuperiori, nec deſinunt niſi à morte rapti in mortẽ ſecundam, morte æternâ paſcendi & depaſcendi præcipitentur. &c.

2. Herodes IESUM veſte alba, id eſt ſtultorum veſtitu inſanorumq; induit. Ita nimirum quicquid cæleſte eſt improborum in mente fatuum ſonat. Bene Gregorius explanans illud Iobi dictum: *Deridetur juſti ſimplicitas,* ait: Hujus
Iob. 12. 4. mundi, (de cujus Pullis Herodes fuit & ejus Aula) Sapientia eſt, cor machinationibus tegere, ſenſum verbis velare:
Greg. l. 10. mor. c. 16.
B quæ falſa ſunt vera oſtendere, quæ vera ſunt falſa demonſtrare. Hæc nimirum prudentia uſu à juvenibus ſcitur, hæc à pueris pretio diſcitur: hanc qui ſciunt cæteros deſpiciendo ſuperbiunt: hanc qui neſciunt ſubjecti & timidi in aliis mirantur: quia ab eis hæc eadem duplicitatis iniquitas nomine palliata diligitur: dum mentis perverſitas urbanitas vocatur. Hæc ſibi obſequentibus præcipit honorum culmina quærere, adepta temporalis gloriæ vanitate gaudere, irrogata ab aliis mala multipliciùs reddere, cùm vires ſuppetunt, nullis reſiſtentibus cedere, cùm virtutis poſſibilitas deeſt, quidquid explere per malitiam non valent, hoc in pacifica bonitate ſimulare. At contra Sapientia Juſtorum eſt,
C nil per oſtenſionem fingere, ſenſum verbis aperire, vera ut ſunt diligere, falſa devitare, bona gratis exhibere, mala libentiùs tolerare, quàm facere, nullam injuriæ ultionem quærere, pro veritate contumeliam lucrum putare. Sed hæc juſtorum ſimplicitas deridetur, quia ab hujus mundi Sapientibus, puritatis virtus fatuitas creditur. Omne enim quòd innocenter agitur, ab eis procul dubio fatuum putatur: & quicquid in opere veritas approbat, carnali ſapientiæ fatuum ſonat. Quid namq; ſtultius videtur
D mundo quàm mentem verbis oſtendere nihil callida machinatione ſimulare, nullas injuriis contumelias reddere, pro maledicentibus orare; paupertatem, quærere, poſſeſſa relinquere, rapienti non reſiſtere, percutienti alteram maxillam præbere?) Hæc ſapientiſſimus Sanctus de ſapientiâ Chriſti moribus, & de ejusdem apud mundi ſapientulos conditionibus. Ejus rei totius illuſtriſſimum exemplum habemus in hac Chriſti apud Herodem tanquam fatui illuſione, ad quod exemplum reſpicere debent, quotquot Chriſtum verè induere, id eſt imitari feriò, & ex toto volunt. Glorioſum enim Chriſtum, mirabilem, amabilem, & per ora Hominum prædicabilem amplecti, magnum non eſt neq; Chriſtianum, multòq; minùs perfectorum: ſed amplecti & ſequi & profiteri Chriſtum, pauperem, dolentem, contemptum, pro inſano, ſamaritano, pro peccatore, pro ſeductore, pro PſeudoPropheta, pro energumeno & indiabolato, pro blaſphematore, pro fatuo, pro ſtulto, habitum, illuſum, derelictum, opprobriis & ingratitudine ſaturatum, inter latrones deputatum, latronibus poſtpoſitum, ad mortẽ damnatum in Cruce affixum: hoc demum eſt Chriſtianum, hoc perfectum, hoc Apoſtolicum! Nos inquit Unus Apoſtolorũ *prædicamus Chriſtũ Crucifixũ Judæis ſcandalũ Gentibus ſtultitiam.* In talis Chriſti 1. Cor. 1. 23.
tali imitatione, dilectione, profeſſione, veram eſſe & propriam Diſcipulorum Chriſti Sapientiam qui neſcit, nihil in Chriſti lege, nihil ſcit. qui non vult, Chriſtianus eſſe non vult: qui erubeſcit, Chriſtum erubeſcit; qui inſanum putat & indecens Chriſtum negavit: *Ego enim non arbitratus ſum* ait idem ille Apoſtolus, *me ſcire aliquid inter vos, niſi JESUM & hunc Crucifixum.* Et 1. Cor. 2. 2.
alibi. *Mihi autem* ait *abſit gloriari niſi in Cruce Domini noſtri IESU Chriſti per quem mihi mundus Crucifixus eſt, & ego mundo:* Bene Gal. 6. 14.
hoc ipſum Gregorius idem Magnus: Si Greg. l. 27. mor. c. 27.
veraciter ſapientes eſſe, atq; ipſam Dei ſapientiam (quæ Chriſtus eſt) contemplari appetimus, ſtultos nos humiliter agnoſcamus, relinquamus noxiam ſapientiam, diſcamus laudabilem fatuitatem. Hinc quippe ſcriptum eſt: *Stulta mundi eligit Deus, ut confundat ſapientes.* Hinc rur- 1. Cor. 1. 27.
ſum dicitur: *Si quis videtur inter vos ſapiens, ſtultus fiat ut ſit ſapiens.* Hinc Evangelicæ 1. Cor. 3. 18.
Verba Hiſtoriæ teſtantur. quia Zachæus cùm videre præ turba nihil poſſet *Sycomorum arborem aſcendit,* ut tranſeuntem Do- Luc. 19. 4.
minum cerneret. Sycomorus quippe, ficus fatua dicitur, puſillus itaq; Zachæus Sycomorum ſubiit & Dominum vidit: quia qui mundi ſtultitiam humiliter eligunt, ipſi, Dei ſapientiam humiliter contemplantur. Puſillitatem quippe noſtram ad videndum Dominum, turba præpedit, quia infirmitatem humanæ mentis, ne lucem veritatis intendat, curarum ſecularium tumultus premit, ſed prudenter Sycomorum

comorum aſcendimus, ſi provide eam quæ divinitus præcipitur ſtultitiam mente tenemus ſimilia SanctoGregorio docet venerabilis Beda, tractans id ipſum Zachæi exemplum: Hæc eſt (ait) Sapiens illa ſtultitia, quam de Sycomoro publicanus quaſi fructum vitæ legerat, rapta videlicet reddere, propria relinquere viſibilia contemnere. pro inviſibilibus etiam mori deſiderare, Domini veſtigia ſequi concupiſcere. &c.) Hæc eſt Sapientia vera quæ trahitur de occultis: hanc mũdus non capit: hanc ſapientia Incarnata docuit, hanc edocti Chriſti Diſcipuli mundum Crucifigunt ſibi, & crucifiguntur mundo, ſtulti propter Chriſtum. prudentes in Chriſto. Hujus ſapientis ſtultitiæ Chriſtus anteſignanus eſt, ejus ſpecimen in Herodis Palatio edidit, & omnes volentes ſe ſequi ad eadem calcanda veſtigia invitat &c.

Beda. l. 5. in c. 27. 26. Lucæ.

3. Mos eſt Magnatum, ut quaſi ad levandum, curis magnis, publicis juxta, & privatis animum, alant inter familiam vel nanos vel fatuos, atq; moriones, quorum ineptè, fatuè, libere, lepidè, dictis, factisvè, recreentur, injuriis & irriſionibus, atq; contemptibus & querelis delectentur. Hos ad honoratioris familiæ diſcrimen, atq; ad fatuitatis publicandæ notã, ridiculo & peculiari inſolitoq; veſtitu induunt. Ad talium Hominum tribum Dei Filius Chriſtus Dominus apud Herodem ejusq; familiares perveneràt: ideoq; fătui & morionis inſtar, veſte talibus propriâ, albâ nimirum (de gentis & temporis illius more) ipſum illuſit & veſtivit. O fons Sapientiæ atq; Domine ſcientiarum IESU mi: te de tribu fatuorum propter juſtitiam & veritatem, videmus nos ſervi atq; imitatores tui: Videmus & dolemus, rem indignam ducimus dicimusq; & juſtè quidem atq; rectè; ſed tamen niſi ego fallor plurimùm in mentis tui notitiâ, eligeres tu mi Deus infatuate ad exemplum noſtrum habere nos imitatores tui, in hoc fatuitatis & ſtultificationis ab hominibus jure injuriâ fortè nobis illatæ paſſu. Quid enim tam decet nos, quàm agnitio & profeſſio ſtultitiæ fatuitatis, ignorantiæ, errabilitatis, defectuoſitatis, ineptitudinis, qui toti ita hiſce miſeriis ſcatemus, ut ex eis compoſiti conflatiq; videamur. Non eſt momentum vitæ noſtræ in quo natura noſtra, de nihilo ſumpta originis ſuæ indolem non oſtendat, defectionis & fatuitatis, & malignitatis, & infirmitatis nativæ fructum non germinet: ut quiſq; de ſe, cum Salamone plusquam jure profiteri teneatur illud elogium *Stultiſſimus ſum virorum.* Et tamen ab agnitione, à confeſſione, ſtultitiæ ineptitudinisq; propriæ, à modeſta ejus ſi in nobis notetur, toleratione, ea obſtinatè tã lõgè tãtis conatibus refugimus: ut ſi omninò impoſſibile, & contra omnia naturæ noſtræ de nihilo tractæ principia, ſit deficere, errare, inq; defectæ deprehendi ac de peccato argui. Ita neq; exemplum Chriſti, neq; Naturæ pondus, neq; æquitatis meritum, nos in veritate deducere, & in amore atq; profeſſione fundare poteſt. Quo fit ut humilium corde ac amatorum juſtitiæ, imitatorum Chriſti genuinorum, tanta ſit paucitas atq; raritas: inſculpi omnes in uno annulo (quod quidam in alio genere dictitabat) ut poſſent.

4. Non ſemper novit malitia quid agat Nocendi præſertim libido, dum vult obeſſe, prodeſt. Illudere voluit Chriſtum nequitia. & veſte albâ ideo veſtivit ut inſanum oſtenderet. Et ecce Innocentem innoxiumq; ac ſine noxa dimittendum teſtata eſt. Candor innocentiæ Symbolum eſt: lucis amicus color, veritatis teſtis, puritatis ac ſimplicitatis aſſecla. Agnovit hoc in eo Chriſti veſtitu etiam Pilatus: & ex eo argumentatur inferiùs contra Iudæos pro Chriſti innocentia: *Remiſi vos (inquit) ad Herodem,* qui & ipſe nullam invenit mortis in Chriſto cauſã: *nunc ecce nihil morte dignum actum eſt ei.* Baptiſmo qui tinguntur candidâ veſte induuntur Promittit Dominus in cælo quibusdam: *Ambulabunt mecum in albis, quia digni ſunt.* Martyres. veritatis teſtes dicuntur *Laviſſe ſtolam ſuam in ſanguine Agni & dealbaſſe illam.* Angelus, immo Angeli, die Reſurectionis Dominicæ, inventi ſunt in ſepulchro Domini *Candidis veſtibus, fulgentibus vultibus apparere.* In transfiguratione Domini *vultus reſplenduit ut ſol, veſtimenta verò facta ſunt alba ſicut nix.* Aſſumpti in Cælum Domini, ejusdemq; venturi ad judicium, Angeli duo apparuerunt albis veſtiti prædicatores. Hæc omnia notavit in Chriſtò veſtitus albus, eſto per malitiam ei collatus, ita ut tunc etiam Dominus dicere potuerit, aut veriùs dixerit Patri æterno ſuum illud: *Pater dimitte illis, quia neſciunt quid faciunt.* vel illud Ioſephi ad fratres dictum: *Vos cogitaſtis de me mala, Dominus autem vertit in bonum.* Non abnuerim Dominum veſte illa indutum quaſi beneficio, (certè Myſterio) affectus ornatusq; eſſe egiſſe gratias tum Hominibus, pro inſigni contumeliâ, tum Providentiæ cæleſti, pro publico ac Regio innocentiæ teſtimonio. Si enim hoc

Luc. 23. 25. *Apoc 3. 4.* *Apoc. 7. 14.* *Ioan. 20. 12.* *Matt. 17. 2.* *Act. 1. 10.* *Lu. 23. 34.* *Gẽ 50. 20.*

piè ac probabiliter a Domino in celebrioribus injuriis factitatum paſſionis tempore aliqui ſentiunt: neſcio cur hanc veſtè albâ ſibi injectâ Dominus prætèrire debuerit: in qua tam multiplex fructus Myſteriumq́; latuerit. A

5. Veſte candida aſſumpta Dominus indicare voluit, tū quod innocens omnino pateretur, quicquid patiebatur, tum quod Paſſionis ſuæ fructus eſſe debuerit, dealbatus omnium noſtrum in anima veſtitus: tum quòd omnium tribulationum noſtrarum, & cauſa & effectus, aut ſaltem ſi non cauſa, certè effectus eſſe debeat candidus & albus. *Nemo veſtrum* ait Petrus
1. Petr. 4. 15. *patiatur ut fur aut homicida aut maledicus: ſi autem ut Chriſtianus non erubeſcat, glorificet autem Deum in iſto nomine.* En cauſam tribulationis eſſe debere candidam, hoc eſt, Iuſtitiam, Innocentiam, veritatem, Pietatē, Virtutē. At quia ſūt, quibus injuriæ & B Cruces obveniunt ſine illorum malo merito, ob idq́; indignantur. & in impatientiæ & murmurationis, & queruloſitatis, vindicationis, puſillanimitatisq́; maculam incidunt: ideo tribulationum noſtrarum non tantum cauſa, ſed & effectus debet eſſe candidus, ut ſcilicet faciamus cū tentatione proventum non damnum, propter quod monemur. *Omne gaudium exiſti-*
Iac. 1. 2. *mate fratres cum in varias tentationes inciderītis.* qui in tribulatione gaudet veſte alba indutus eſt. ita induebatur Paulus qui di-
1 Cor 12. 10. cebat: *Complaceo mihi in infirmitatibus meis.* ad id monebatur cum ei dicebatur: *Virtus in infirmitate perficitur.* ad id monebat
Ibid 9. ipſe cùm diceret: *Tribulatio patientiam operatur; patientia probationem; probatio Spem;* C
Rom. 5. 34. *Spes autem non confundit.* Non confundit quia exhilarat: Vide totum Apoſtolorū Chorum: *Ibant à Conſpectu Concilii* (ejus juſſu virgis cæſi): *quia digni habiti ſunt pro*
Act. 5. 41. *nomine JESU contumeliam pati.* Hæc eſt mēs Domini noſtri, quando nos ad patientiam cohortans dicit. *In patientia poſſidebi-*
Luc. 21. 19. *tis animas veſtras &c.*

6. Adhuc veſte candidâ Chriſtus induitur, ut deſignaret cauſam ſuam, eſto velut impii cujuſpiam judicaretur, bene nihilominus in fine ceſſuram: Tandem bona cauſa triumphat: & Chriſtus in medio injuriarum candidatus, incedit: ſeu præſenti lætus victoriâ; ſeu certæ victoriæ D ſpe firmatus. Et certè inſignem Chriſtus reportavit in Aula Herodis victoriam, calcans faſtus & plauſus & mores mundanorum: tanquam ipſorum in proprio loco, nido & Regno: merito ergo candidatus incedit, triumphatum trahens mundum, calcans faſtum, mores illius irridēs judicia ſus deq́; habens.

7. Ad literam operabat impleri elogium illud quod Chriſto ſponſa olim prædicens dedit: *Dilectus meus candidus & rubicundus.* Cant. 5. 10 Erat quidam ille Candidus Divinitate, rubicundus Humanitate. Candidus virginitate & Innocentia; rubicundus Humilitate & verecundia. Candidus in coruſcatione miraculorum, rubicundus in prædicatione & fatigatione circa inſtitutionem populorum. Candidus in vita & converſatione, Rubicundus in morte Crucis & Paſſione. Sed etiam fuit candidus in veſte albâ apud Herodē, & ejus exercitum: Rubicundus in Chlamide Coccineâ apud Pilatum & ejus Milites.

8. Romanorum mos fuit ſi Magiſtratum ſummum ambirent, voluntatem ſuam tribubus prenſatione & veſtitus candore declarare, inde Candidati dicti hujuſmodi petitores. Ambiebat Chriſtus Regnum in hoc mundo: & ſi enim de hoc mundo, neq́; hujus mundi, ut ſupra apud Pilatum ipſe faſſus eſt, qui etiā alio loco ſe ſe comparat: *Homini qui abiit quærere ſibi Regnum & reverti.* Lu. 19. 12. Ergo teſtaturus hanc ſuam voluntatem, prodit ab Herode Candidatus: adeptus porrò Regnū hoc ex parte apud Pilatum paulò poſt, prodit Coronatus & purpuratus, atq; ſceptro adornatus. Quæris quale Regnum ambivit aut invenit? Regnum Dolorum. Imperium Paſſionum, Regnum à Cruce, de quo Pſalmiſta prædixit. *Dominus regnavit à ligno.* Regnum Mortis. Erat enim Naturaliter Rex vitæ, oportebat eum etiam Mortis Imperium obtinere. Unde Iſaias deſcribens eum ferali ligno onuſtum ait: *Principatus ejus ſuper humerum ejus.* Iſ. 9. 6. Hoc Regnum prædixit illi Propheta, vel potiùs ipſe ſibi apud Prophetam. *Ero Mors* Oſe. 13. 14. *tua ô Mors & morſus tuus ô inferne.*

9. Sprevit Herodes IESUM cum exercitu ſuo. Ohe Magnates, Ohe Domini! videte quàm non ſoli peccatis dum peccatis. Sprevit Herodes IESUM nunquid ſolus? & cum eo Exercitus ejus, quantam turbam incomplicitate traxit? Integrum Exercitū. Si Herodes honoràſſet Jeſū; honoraſſet toto ejus Exercitus eundē. ſprevit, illuſit Chriſtū complicē habet totū Exercitum; Ita Principes, non poſſunt eſſe ſoli tam Boni, quam mali.

PARAGRAPHVS XCV.

IESUS

JESVS Pilato remittitur ab Herode.

STROMATA.

1. REmittit IESUM Herodes. Pilato ut vicariam benevolentiam reverentiamq; præſtaret quam ſibi in miſſo Chriſto à Pilato exhibitam rebatur.

2. Remittit, non dimittit Herodes IESUM eodem ſpiritu quo & Pilatus miſerat, ne ſcilicet IESUM ſinè cauſa morte damnaret, & tamen ejus dimiſſione Judæorum offenſam ne incurreret, ſed prudentia ſeculi in aliquem alium alterutrū periculum devolveret. Tale eſt refugium Dei cauſæ, veritati, Iuſtitiæ, Innocentiæ apud Magnates, de anno in annum, de loco in locum, à ſubſellio in ſubſellium, B à judice ad judicem, mittitur remittitur, donec obruatur, opprimatur, explodatur. Credas omnes in eadem cuſos officina in eadem verſatos diſciplina: non violenta ſed tamen lenta oppreſſione in bonas cauſas graſſatur.

PARAGRAPHUS XCVI.

Luc.23.12. *JESVS Herodem Pilatumq; conciliat inter ſe.*

STROMATA. C

1. PAſſionis Chriſti effectus, fructus ſcopus & finis eſt, reconciliatio diſcordium. ad hoc venit in mundum IESUS ut eſſet *lapis angularis* committens duos parietes Eccleſiæ ſui gentis ex gentibus ac Judæis, diſſolvensq; parietem qui inter has nationes dividebat. (Eph.2.20.) Ab initio ad hoc venit Dominus IESUS *ut faceret utraq; unū*: hoc eſt cælos & terras ſuperna & inferiora, Gentes & Judæos: ad hoc venit ut conjungeret ima ſummis, Deum peccatoribus, Angelos hominibus, exules Patriæ, Inimicos Gratiæ: Ad hoc venit ut eſſet utriusq; fibula mūdi, pacificans omnia reſtaurāsq; univerſa. Hoc vero totū immediatiſſimè peregit Dominus, in Sāguine, Paſſione, Morte ſua. D In ſanguine enim quippe ejus *reconciliati ſumus Deo Patri per ipſum*. (Rom.5.10) Et ideo utriusq; teſtamenti Mediator eſt, dans pacem Dei & his qui prope Iudæis, & his qui longè Gentibus. Meritò ergo & Herodem Judæum & Pilatum Gentilem, ambos Principes Dominus IESUS A conciliat inter ſe, ut opus ſuum pacificationis peragat; propter quod etiam Myſterium paſſus eſt Dominus inter latrones duos, cum iniquis reputatus, traditus à Judæis, occiſus a gentibus: ut neutra pars alteri inſultaret, quaſi particeps ſceleris in Chriſtum patrati non eſſet: Sed potiùs ut utraq; in eum credens quem occidiſſet ſalutē cōſequeretur per eum ipſum ſanguinē quem fudiſſet. Ita ergo venit ſuper Chriſtum benedictio illa, quam ipſe alioqui in Pacificos promulgavit dicens: *Beati Pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* (Matt 5.9.) Ipſe enim eſt non tantùm Pacificus noſter & ſequeſter Pacis ſed etiam ipſa *Pax noſtra*, (Eph. 2.14.) ipſiſſimus *Princeps Pacis*. (Iſa. 9. 6.) Ad quem Principē Pacis non pertinēt ii quotquot de diſcordiæ fructu vivunt, quotquot cum Deo, cum proximo pacem non habent quotquot, inter pacem habentes linguam tertiam commoventem multos, immò multitudines ipſas concutientem mittere non verentur. Væ illis: Angelus enim malus contra tales: & *ſpiritus exterminii gladio maledictionis evertit eos.* Tales ſunt Carnales, animales, ſpiritum Dei non habentes qui ſegregant ſemetipſos, qui ſcindunt tunicam Domini inconſutilem, qui rumpunt rete Eccleſiæ atq; Charitatis, Hæretici, Schiſmatici, inimici veritatis, inimici Crucis Chriſti, quærentes quæ ſua ſunt, non quæ IESU Chriſti, non quæ omnium. O utinam abſcindantur, qui nos conturbant qui in modo pacis plantant inimicitias, qui inter fratres in unum habitantes, ponunt ſcandalum, qui inter Domeſticos gratiæ, ſuperſeminant zizania diſcordiæ & fel draconum amariſſimum ſpargunt: qui ſunt quaſi Domeſtici & ſunt extranei, quaſi ex nobis, & non ex nobis, ſed ſunt contrarii nobis: Socii conſolationum, Auctores autem tribulationum; ſpeciem pietatis habentes, virtutem autem ejus omnem abnegantes in ſe, & eradicantes in aliis: Phariſæi novi nec ipſi viam ſalutis, viam virtutis, viam perfectionis, viam Diſciplinæ introeuntes, & alios qui introire vellent, impedientes abſterrentes: non permittentes, retrorſum avocantes, immo impellentes, & filios gehennæ ex eis duplo magis quam ex ſe facientes.

2. Pax inter Pilatum & Herodem ſpeculum eſt, malorum conſpirationis adverſus bonos. Timeant juſti, quando pacem inter ſe faciunt impii. venti marini, quando quieſcunt, & mare pacatum faciunt,

unt, tum maximè tempeſtates nautis imminent. Ludentes Delphini (Marini ſues) portendunt naufragia. E contra, quieſcunt juſti inter impiorum diſſidia: olim quando Tyranni Romani ſæviebant A in ſe, vel ſuos, pacem habebant fideles. Si Herodes cum Pilato non conveniſſet, alteruter eorum in odium ſaltem alterius Chriſtum liberaſſet, convenerunt ſecum, perdiderunt Chriſtum: Veluti pueri ex adverſo viciſſim mittunt remittuntq; pilam: adverſi ſunt & tamen amici ſunt à malo pilæ ſibi ludunt. Impletur in Chriſto hoc ipſum, quod etiam prædixit Propheta: *Quaſi pilam mittet te in terram*
Iſa. 22.18 *& ſpatioſam ibi morieris.* Annas Caiphæ, Caiphas Pilato Pilatꝰ Herodi, Herodes Pilato. Pila Chriſtus & luſus Puerorū iſtorum, ſed cruentus ſicut illorum, de quibus di-
2. Reg. 2. 14. ctum: *Surgant pueri & ludant coram nobis.*

PARAGRAPHVS XCVII.

Luc. 23.14 *IESVM Innocentem Pilatus aſſeruit apud Judæos.*

STROMATA.

1. OPeræ pretiū eſt diſpicere quantum Pilatus laboraverit pro innocentia, ſimulq; liberatione Chriſti mitigationeq; & averſione furoris Iudaici à Chri-
74. ſto. Habens enim remiſſum ſibi Chriſtū ab Herode contemptum quidem, ac irriſum minime tamen læſum, aut damnatū, quin immo occaſione illius Herodem ſi C bi reconciliatum ſtatuit agere pro Chriſto & eum liberare. Ergo prodivit ad Judæos, eosq; convocans pro Chriſto teſtimonium dicit, multiſq; modis eum quidē Innocentem eſſe, à ſe autem damnari non poſſe, Judæos deniq; neci ejus inhiare nō debere evincit.

Conatus Pilati pro Innocentiâ & indemnitate Chriſti.

1. A ſuo ipſius ſcrutinio de Chriſto habito.

2. Ab ipſorum Judæorum teſtimonio: *Adduxiſtis* inquit *mihi Hominem hunc quaſi*
Luc 23.14 *avertentem* ab imperio Romano Populum Judaicum, eumq; ambitûs Regni accuſaſtis; *ecce ego coram vobis,* ne quid à me gratiæ datum cauſemini, nē me corruptū muneribus, promiſſione, ne circumventū fallaciis & præſtigiis ejus dicere poſſitis, D *eum examinans & interrogans* judicialiter *nullam cauſam inveni in homine iſto ex his in quibus eum accuſatis.*

3. Ab excluſione atq; negatione omnium cauſarum capitumq; accuſationis ab Judæis inſtitutæ: non enim, ait Pilatus, aliqua objecta non reperi, aliqua leviora comperi atq;: nullam penitus cauſā, ex his in quibus eum accuſatis.

4. A teſtimonio & judicio Herodis Regis, apud quem Iudæi volente ipſo Pilato contra Chriſtum egerunt, & quidē (ut ſupra parag: 92. viſum eſt) non per Homines imperitos aut leves rerumq; ignaros, ſed per ipſos Principes Sacerdotum, & per ſcribas ac in lege peritos, neq; vero perfunctoriè tractārunt negotium hi, ſed conſtanter accuſabant corā Herode nihil omittentes quæ accuſationem ſtabilire poſſent: ecce tamen ab Herode non eſt inventus nocens, nec reu mortis, nam *nihil dignum morte actum eſt ei.*

B 5. Ab excluſione à Chriſto Culpæ, non tantum omnis à Judæis objectæ, ſed omnis abſolutè, quo ad Innocentiam Chriſti, nihil ſolidius, plenius, planiusq; adferri potuit à Pilato. Inſtantibus enim Judæis contra Chriſtum & Mortem ejus urgentibus, tertiò reſpondit Pilatus, Judæis dicens: *Quid enim mali fecit homo iſte* ob quod eum Crucifigam? non tantùm adductam à vobis, ſed nullam prorſus aliam cauſam invenio in eo.

6. A Comparatione atq; compoſitione ejus cum Barraba. In quo ſatis prudenter ingenioseq; Pilatus proceſſit, uſus enim eſt occaſione pænè neceſſaria liberandi Chriſtum à morte, de more facturus erat gratiam Populo Pilatus unius vincti, donando ſcilicet illum libertate & vitâ ad gratiam & poſtulationem populi. Habebat præter IESUM vinctum etiam Barrabam, habebat & alios complures: in quibus tamen dictus Barrabas eminebat, inſignis latro, ſeditioſus, homicida: hunc conſultò Pilatus deligit, quem cum Chriſto componens ad eliberandum Populo proponeret; habens perſvaſiſſimum, omnino Chriſtum à plebe deligendum ad libertatem, Barrabam verò in carcere relinquendum. Extremè enim oppoſitorum homines iſti erant Meritorum vulgo: IESUS ſcilicet, & Barrabas: ille nihil mali fecit, nulla cauſa mortis in eo: iſte porrò, latro, ſeditioſus, homicida publicus notoriusq;. Ergo nullum dubium fuit Pilato, Chriſtū vitæ, Barrabam morti deſtinandum à populo. Præclarum revera inventum Pilati, ſed tamen ſucceſſu caruit.

7. Ergo

7. Ergo artem & viam iniit, quâ & Chriſtum liberaret, & Iudæos leniret, nempe ab aliqua ſatisfactione atq; indulgentiâ furori Judaico factâ, eſto Chriſto injurioſe, juſtitiæ judicis minimè conſentaneâ; in hoc tamen prætenſivè ex cuſabilis, quòd ad avertendum majus Chriſti malum ac damnum (nempe mortis & Crucifixionis) ſuſcepta: *Emendatum ergo inquit IESVM & correptum caſtigatumque dimittam*. Etſi enim nullam cauſam invenio in eo, non tantùm mortis ſed etiam ullius ſupplicii: tamen ut vobis ex parte ſatisfaciam, & ut noxas Chriſti ſi quæ in eo fortè ſunt correptione emendem, flagellari illum faciam & ſic dimittam.

8. Ab immanitate ſupplicii, Chriſto quantumvis innoxio invento in Iudæorum tamen gratiam & ſatisfactionem inflicti per flagellationem, ſpineam Coronationem, illuſionemq; acerbiſſimè probroſam & probroſiſſimè acerbam, & quidem non auribus, ſed oculis ipſis Judæorum objectam, huc ergo faciunt illa Pilati ad Judæos verba, qui videns IESUM diriſſimè flagellatum juſſu ſuo, inſuper autem ſpineâ Coronâ; ſordida chlamyde, ſceptro arundineo, alapis & ſputis militaribus ex homine, in non Hominem, & in miſerrimum quoddam afflictiſſimi hominis monſtrum licentiâ lictorum militumq; ſuorum deformatum, cũq; ipſe infelici illo ſpectaculo ſatis ad miſericordiam flecteretur, ſperans Iudæos quoq; flectendos, nec ulterius ſupplicium Chriſto optaturos ait ad Judæos: *Ecce adduco vobis eum foras ut cognoſcatis quia nullam invenio in eo cauſam.* & ut agnòſcatis

Joã. 19.14

quantum veſtris inſtantiis eſto contra innocentem factis tribuerim: aſpicite igitur eum & videte an tam acerba innocens pati debuerit, & an non ſit factum ſatis votis veſtris, ita ut jam à mortis ejus cupidine abſtinere poſſitis: *Exivit ergo JESUS portans Coronam ſpineam & purpureum veſtimentum*, & arundineum ſceptrũ, nihil habens humanæ formæ ſpecièiq; reſiduum ut meritò de illo Pilatus antiphraſticè dixerit: *Ecce Homo*. id eſt, minimè Homo, ac revera non Homo, ita tractatus ac ſi non eſſet Homo.

9. A repulſione importunitatis Iudaicæ atq; in eos ipſos rejectione; Cùm eum Iudæi conſpecto IESU adeò miſerabiliter deformi, nihilominus pergerent urgere mortem ejus & inclamarent: *Crucifige Crucifige eum*, deteſtatus rabiem illam, atq; illis indignatus Pilatus ait Judæis. Quoniam usq; adeò per omne nefas ſititis mortem ejus, licèt innocentis, ac fortè apud vos lex veſtra tam eſt iniqua ut innocẽtes damnari jubeat; apud me certè æquitas aliter ſe habet, non enim ſinit innoxium occidi: *Accipite eum vos & crucifigite ſecundùm legem veſtram* judicantes: Ego crucifigere eum non poſſum nullam enim invenio in eo cauſam.

10. A metu peccati & quidem in filiũ Dei admittendi. Objecerant ſiquidem Judæi Chriſto novam criminationem apud Pilatum dicentes: Chriſtus *Filium Dei ſe fecit, ideo ſecundum legem noſtram mori debet*, quia lex tales damnat morte. Secus hoc accepit Pilatus quam volebant Judæi, apprehendit enim ex accuſatione iſta majus quid humano latere fortè in Chriſto, & unum aliquem ſaltem ex Heroibus ac Deaſtris eſſe metuens: Nova diligentiâ adhibitâ, unde eſſet Chriſtus & quis eſſet, & alia ejus generis requiſiuit, auxit verò metum hunc reſponſio Chriſti, revera animoſa & Heroica: obſtrepenti enim Pilato poteſtatem ſuam, vitæ & necis Chriſti, reſpõdit Chriſtus ſanè perquam ſerio: *Non haberes poteſtatem adverſum me ullam, niſi tibi datum eſſet deſuper, propterea qui me tradidit tibi*, & necem meam apud te urget *majus peccatum habet*. Accepit hoc reſponſum Pilatus prout debuit (& ſi non omnino quantum debuit) & exinde quærebat ſtudioſiùs modos & vias dimittendi Chriſtum liberumq; faciendi nè peccaret, nevè filium Dei (qualem qualem ſuâ opinione), contumelioſius tractaret.

11. Ab irriſione & probro Judæorum Sedit enim pro Tribunali Pilatus, ultimò ſe expediturus ab invidioſa moleſtiâq; hac cauſa, ergo exagitare Judæos, ſarcaſmis cæpit & à morte Chriſti deterrere quocunq; modò. Objectavit enim Judæis Chriſtum eſſe regem ipſorum, quẽ crucifigi probroſum eſſet ipſis futurum non poſſent autem negare Regem illũ, ut quem Paulo antegreſſis diebus introduxerunt in Civitatem clamantes: *Chriſtus Rex Iſrael*.

12. Ab amotione culpæ à ſe in Judæos utiq; redundaturæ: quod quidem cerimonia illa verbisq; expreſſit: *Accepta enim aqua lavit manus coram populo dicens: Innocens ego à ſanguine juſti hujus*: & conceptis verbis juſtum eum denuntians ac tandem concludens ipſis culpam imputandam eſſe ſi moriatur Chriſtus ait: *vos videritis*.

Mar. 15. 32.
Matt 27. 24.

13. Ecce duodecim minimum Conatus adhibuit Pilatus (nam prætermittitur Inſtantia uxoris Pilati.

Digitized by Google

14 Prætermittitur & inconveniens illud quod Pilatus Judæis Barabbam dimitti volentibus, intulit contra ipſos *quid igitur faciam de JESU*, & ſi Barrabas diſcedet veſtro rogatu liber, multò magis diſcedet IESUS qui nihil mali fecit. nam ſtultiſſimum eſt nocentiſſimo liberato, innocentiſſimum damnari &c.) ad liberandum IESUm à morte.. Ex quo evidenter conſtat, quanta fuerit Judæorum excæcatio in mente, ab invidiâ & livore, & rabie contra Chriſtum. Judas fur, proditor à Diabolo inſeſſus, immò teſte Chriſto etiam Diabolus, tamen reſipuit, pecuniam retulit, ſcelus confeſſus eſt, innocentem Chriſtum declamavit. Pilatus Gentilis, Herodes allophil9, nihilo Gentili inferior, in erroribus & moribus, in Chriſtum tamen ſententiam mortis dicere cunctatus eſt. Pilatus inſuper tantum in eo liberando laboravit, per plures conatus & horas (à primâ ad ſextam) neq; tamen inventus eſt in populo Judaico, in Scribis, in Legisperitis, in Sacerdotib9, in Principibus Sacerdotum, qui daret locum veritati, juſtitiæ, miſericordiæ. Timori Dei, Rationi, ac Lumini Naturali, Divinæ Legi! Oh quantum eſt dare habenas affectui! ô quid non facit invidia! quomodo apoſtatare facit ſapientes, facit in lege doctos, facit ſpirituales, facit Religioſos, facit ſtatu & opinione perfectos! Utinã hodie careat Mundus, immò Eccleſia iſthoc malò! Utinã nimiò ac præpoſtero auctoritatis zelo atq; ſtudio non impediatur ſalus populorum! dum non quidem IESUS, ſed Diſcipulis & operariis ejus manus ligantur, poteſtates, atq; facultates ſubtrahuntur: quarum uſus in ædificationem Eccleſiæ ad ſalutem fidelium eſſe potuiſſet. Abuſum non laudo, arrogantiam damno, arrogationem deteſtor, irreverentiam ac ſubjectionem ad majores in Eccleſia execror; dependentiam, modeſtiam, ſubmiſſionem, honorem, recurſum ad capita & Principes Eccleſiæ, commendo, ſuadeo, & deſidero; ſed ut neq; ipſi introeamus, neq; introducamus, nec introire, aut introducere volentes ſinamus, ut eos perſequamur, oderimus, deprimamus, ut ſub zelo, velo potiùs tuendæ prærogativæ, invidiam, odiumq; ſaturemus, & IESUM in tot animabus ad damnationem æternam deducamus? hoc quis ferendum exiſtimet? Induamus ſpiritum Moyſi dicentes: *Quis det ut omnis populus prophetet! quid zelas pro me!* Num. 11. 29. Induamus Spiritum Pauli permittentis *ut ſive per occaſionem ſive per virtutem prædicetur Chriſtus*, etiã ab iis qui prædicando Chriſtum *volunt preſſuram ſuſcitare vinculis* Apoſtolicis. Phil. 1. 18. *Quid enim?* ait, *dum omnimodo Chriſtus annũtietur & in hoc gaudeo; ſed et gaudebo, ſcio enim quia hoc mihi proveniet ad ſalutẽ.* Revera enim provenit ad ſalutẽ & ſecuritatẽ prælatorum, quicquid fit in correctionem populorum, per manus ſive ſecularium, ſive Regularium operariorum cum benedictione Prælatorũ.

2. IESUM Judæus accuſat, Gentilis excuſat; Judæus ad necem poſcit, Gentilis à nece liberare contendit: quod quid eſt aliud 1. quàm quòd IESUS non invenerit tantam improbitatem in Gentibus quantam in Judæis. 2. quid aliud? quàm quòd ſæpè fideles & notitiam Dei habentes pejus vivant quàm ignorantiã Dei habentes? 3. quid eſt hoc aliud? quàm, ſæpe ſeculares meliores, timoratiores, pro Deo, Eccleſiâ, Iuſtitiâ, Religione, eſſe cordatiores quàm ſpirituales. Nunquid rarum eſt Cauſam Dei & Eccleſiæ timidè defendi, aut etiam deſeri ab Eccleſiaſticis, defendi & promoveri ſtrenuè à laicis. Metuunt ſcilicet, mala tempora, & advocant; dum enim cedunt improbitati; hoc ipſo portas eidem pandunt & habenas laxant ut quâ datâ portâ ruant. Quod quidem non jam malum ſed peſſimum tempus eſt. Si obſiſterent utiq; & obſtruerent: ac mala tempora non metuerent, ſed averterent. Sed nimirum etiam in hoc ſenſu verum eſſe oportet, illud Domini dictum: *Filii hujus ſæculi prudentiores in generatione ſua ſunt filiis lucis*, Luc. 16. 8. ideo & ipſi Judices veſtri erunt.

3. Tantis conatibus artibusq; toties repetitis Pilati pro Chriſto, defuit perſeverantia. & quia defuit, omnis conatus nihil profuit, neq; Chriſtum à morte, neq; Pilatum ab iniquitate liberavit: ſic ſunt nimirum humanæ bonitates quando humanæ tantùm ſunt; eſto etiamſi aliquando pro Deo ſint, deeſt illis ut plurimùm conſtantia ac proinde & efficacia. At humana non ſic malitia: obſtinata, obfirmata plerumq; eſt, nec cedit, nec ceſſat, donec perrumpat & irrumpat virtutis & juſtitiæ Regnum. Judæos iſtos vide quãtùm reſtiterunt inſiſtenti, quantum inſtiterunt reſiſtenti Pilato & evicerunt apud inconſtantem, meticuloſumq; Hominem, homines ſine fronte improbi, ſine mente invidi, ſine ratione crudeles, ſine modo inimici. Pilatus verò ſcilicet juſtus & innocens, defenſor etiam innocentis tandem deficiente conſtantia, iniquitate impiorum involutus periit.

PARA-

Digitized by Google

PARAGRAPHVS XCVIII.

Marc. 15. 7. Ioan. 18. 39. *IESVS Barrabæ componitur.*

STROMATA.

1. IN Domini tota Paſſione, nulla commoditas obvenit Chriſto, ſine aliqua incommoditate, nulla æquitas ſine iniquitate: laborabat Pilatus pro Chriſto liberando, invenit medium liberandi eum, ſi cum Barraba componeretur, & Barrabæ comparatione juſtior, viſuſq; dignior inveniretur. Non improbemus ſtudium, non inventum ingeniumq; ac conatum Pilati hactenus: hoc tamen non abſq; Chriſti injuria fuit, quid enim tam probroſum Chriſto Deo, Dei filio, innocenti, Sancto, impolluto, ſegregato à peccatoribus, Regum Regi, quàm componi & in bilance locari cum Barabba Hominum improbiſſimo? Non habet hæc injuria Chriſti ullam in rebus humanis adumbrationem, comparetur innocens impio, agnus lupo, aurum luto, Rex ſervo, vivus mortuo, ſapiens ſtulto, Dives pauperi, ſpecioſus deformi, ſol carboni, balſamum ſtercori: Cælum inferno, Angelus Diabolo, virtus vitio; nihil in his omnibus tam iniquum, quàm componi IESUM Barrabæ. Componi inquàm, non enim adhuc dico præferri.

2. Non miremur Pilato veniſſe in mentem, Chriſtum Barabbæ componere: quando venit Æterno Patri Verbum ſuum Filiumq; unigenitum pro Salute omnium peccatorum, homini non quidẽ peccatori, ſed tamen ex peccatore Adamo deſumpto adglutinare. Nunquid enim magìs eſt ſtupendum, IESUS & Barabbas collatus; quàm Dei Filius Homo factus? qui illum Hominem fecit, ut Barabbæ componeretur objecit.

3. IESUM Barabbæ cumponunt, quicunq; an propter Creaturam Creatorẽ deſerant, apud ſe controvertunt. Et heu quoties iſtud inter Homines, quoties iſtud apud unum Hominem etiam per unum diem! Itanè mortales fluctuabunt animo; Deumnè an Creaturam, Deinè legem, an mundi vel diaboli vel ſodalis, vel propriam voluntatem ſectentur? Prô pudor! quis filius ambigit, Patremnè an Mancipium Patris ampliùs honoret? quis ſervus ambigit, Dominumnè ſervo, an ſervum Domino præferat. Amens putatur, qui aurum inter & lutum quid intereſſit ignorat? Sapientes ſunt qui de pretio Creatoris & Creaturæ controvertunt. A In ſolius Dei pretio, ita cæcutiunt homines, & ſoli homines; & tamen ſoli iſti ſapiunt homines; qui ita cæcutiunt inter Homines,

4. Deflebat David Sanctus ſortem hominis, quòd *cùm in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt jumentis inſipientibus & ſimilis factus eſt illis.* Pſ. 48. 13. O mi David & in quo homine tandem id vidiſti? an fortè potiùs quærendum in quo non vidiſti? Sed ſit hoc probri miraculum in homine; in Deohomine, hoc, quod factum eſt, quid erit? Ecce DeusHomo cùm in honore eſſet *cùm* inquam *in forma Dei eſſet,* non injuriam, *non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem* Barabbæ, Latroni, ſeditioſo, homicidæ: Philip. 2. 6. comparatus eſt prædoni & B improbiſſimo mortalium, & ſimilis factus eſt illi. O Paule non totam Chriſti exinanitionem expreſſiſti, quando *in ſimilitudinem hominum factum* Chriſtũ dixiſti, factus eſt in ſimilitudinem latronum, in comparationem homicidarum, & habitu ſeditioſorum ſimilis inventus eſt.

5. Heri cùm quæreretur, & caperetur, & ligaretur Chriſtus, dicebat Judæis expoſtulans, quòd *tanquam ad latronem exiſſent cum gladiis & fuſtibus comprehendere illum* Matt. 26. 48. quidni hodie Dominus idem deploret, & objiciat ſibi factum, quando latroni confertur ad optionem, & quando jam eidem poſtponetur voce publicâ ad mortem?

6. Ad ſolatium ſervulorum ſuorum Dominus & componi, & poſtponi latro- C ni, & à beneficiariis ſuis obnoxiiſq; ſibi oblivioni cum omnibus ſuis in eos beneficiis tradi, & ad mortem expeti, & præ contemptu atq; odio, nec nominatione dignus haberi voluit; ut moleſtum non eſſet nobis miſellis & puſillis, ſi quando fanda infanda, contra nos, de nobis, in faciem etiam, & clàm proclamantur, ſi præterimur in officiis, in honoribus, in commoditatibus, ſi mala pro bonis retribuuntur, ſi à Beneficiariis deſerimur, prodimur; ſi ne nomen quidem noſtrum bonam in partem pronuntiari D ſinatur.

PARAGRAPHVS XCIX.

Matt. 27. 21. Mar. 15. 11. Luc. 23. 18. Ioã. 18. 40.

JESUS Barabbæ poſtponitur.

FIGURÆ

Statuebantur duo hirci & ſorte unus immolabatur Domino pro peccato; alter, cui peccata populi imponebantur liber in deſertum emittebatur. Leu. 16. 7.

Appenſus es in ſtatera & inventus es minus habens. Dan. 5. 27.

STROMATA

1. ABſurdum erat Barabbæ comparari; dicite jam æqui rerum æſtimatores, quid eſt IESUM Barabbæ poſtponi, & Barrabam quidem carcere eximi vinculis abſolvi, vitâ donari, in libertatem adſeri, Barabbam inquam inſignem illum vinctum, homicidam publicum, ſeditioſum in populis, latronem notorium: quis audiens à principibus, à Sapientibus, à ſcribis, à Sacerdotibus, à Pontificibus, à populorum turbis, una voce, uno ore, una mente, Barabbam ad vitam, IESUM ad mortem & Crucis mortem poſci, quis inquam audiens & ſedato animo, res, voceſq; expendens, cætera ignarus perſonarum, non ſecum ratiocinetur, & concludat, haud dubiè IESUM iſtum plusquam latronem plusquam ſeditioſum, plusquam rebellem, plusquam homicidam, plusquam ſceleratum eſſe, ut pote cui Barrabas talis præponitur in vitâ, & qui Barrabæ tali præponitur in Morte.

2. Elegerunt Iudæi potiùs Barabbam liberari, quàm Chriſtum, improbum magìs quàm juſtum necis auctorem potius, quàm vitæ datorem, ſeditioſum magis, quam pacis Principem, inſtitit nempe poſteritas veſtigiis Patrum: ſic Patres eorum vitulum Deo prætulerunt; ſic Moyſi Dothanum; ſic Davidi Abſalonem; ſic Samueli Saulem prælegerunt. quid ergo mirum ſi poſteri, *menſuram Patrum ſuorum implentes; Barabbam JESU præpoſuerunt.* Exod. 32. 4. Num. 16. 2. 2. Reg. 15. 13. 1. Reg. 8.

3. Liceat dicere: Neſcio an Judæi iſti receſſerunt à ſenſu Patris æterni in Judicio de IESU, Nonnè & ſententiâ cæleſtis Patris IESUS ad mortem Barabbas ad vitam electus eſt? Genus humanum Barabbas eſt? Saluti generis humani, morte Chriſti ſervitum eſt. Et pro veteri Adamo peccatore, datus eſt ſecundus Adam innocens in perditionē, ut peccator evaderet perditionem. Ita eſt ô Judæi convenistis cum Patre Cæleſti, abſolventes Barabbam, ad Cruce poſtulantes IESUM, convenistis facto, ſed non animo Pater miſertus generis Matt 23. 32.

A humani, *non pepercit filio*, vos veſtro ſerRom. 8. 32. vientes odio, non pepercistis innocenti: itaq; in Patris facto, miſeratio, in morte filii propitiatio, in veſtro autem voto ſcelus, in Chriſti nece deicidium, elucet. Agimus ergo gratias non ſceleri judaico, neq; furori, in quorum facinore nihil præter iniquitatem videmus, ſed agimus miſericordiæ Patris Cæleſtis, qui ut parceret ſervo, non pepercit filio, & uſus eſt ſcelere Judaico in medicinam generi humano.

4. O Dulcis IESU in bilance poſitus es cum Barabba: & certè ſi tua tantùm, atq; Barabbæ tantùm peccata ponderantur, haud dubiè tu viciſti, in quo peccatum inventum nunquam eſt; ſed

B in hoc judicio circumventus es Domine primùm quidem à Patre tuo, qui in te poſuit iniquitates omnium noſtrum; circumventus es à Judæis, qui te, innocentiamq; tuam quia plùs oderant, quàm omnem Barabbæ nequitiam, ideo illam appoſuerunt ad tuam cauſam: adeò ut quantò tu innocens magis, tantò Judæis judicibus reus magis & morte multandus dignuſq; magis fueris: ubi ergo innocentia pro ſcelere: & mortis cauſâ fuit, quidni tibi mi IESU potiùs quàm Barabbæ in morte hæredum fuit? Circumventus es ab ipſo Barabba Domine, nam Barabbas illo tempore in conſpectu tuo quaſi innocens fuit, ſiquidem omnia ſcelera ſua, te & Patre volente in

C te, eo ipſo veluti, tranſtulit, quod tibi collatus & compoſitus in hoc judicio fuit, proinde jam Barabbas non ſceleratus fuit, quia te ſcelerum ſuorum vadem & expiatorem habere meruit, ideo ergo ille liber & ſolutus abiit, ad te autem mortis ejus reatus tranſiit: Circumventus es deniq; Domine & à me multiſq; aliis fratribus meis ſicut & ego peccatoribus, qui omnes quaſi multiplicati Barrabæ fuimus, & in tua bilance tecum una fuimus, & quid mirum, ſi unum illum Barabbam pondere, ſcelere vicimus, ac per hoc illum quidem abſolvimus, te verò reum mortis, reum inquam omnis, meæ atq; noſtræ iniquitatis in damnationem mortis præ-

D cipitavimus? Non mirum, non Domine iESU quòd tu in his circumſtantiis poſitus Barabbam in pondere malitiæ viciſti; mirum potiùs fuiſſet, ſi non viciſſes. Mundus tecum totus contra Barabbam,

Digitized by Google

rabbam gravabat, ipſius Barabbæ facinora, tua, & tecum erant, quidni ergo allevaretur Barabbas, tu deorſum deſcenderes? Ego verò mi JESU, miror, quòd te ſic gravatum gravantemq; terra hæc ſuſtinuerit, miror quòd dehiſcens te non abſorbuerit. A Nam ſi Dathan, Core, Abiron, eorumq; complices murmurationis unius contra Moyſen pondere gravati, ita facti ſunt importabiles huic terræ, ut illa aperiens os ſuum diruptaq; media abſorbuerit omnes vivos & ad tartara demiſerit: debuit ſanè & hoc tecum fieri qui totius mundi ſcelera geſtabas: & quia tibi ſic gravato terra ſic non fecit, mirabile certè quidpiam terra iſta fecit, niſi forte ſatis hoc fuit ad terram ſolidandam, nè rumperetur, quòd te Barabbæ comparatum & poſtpoſitum ab Hominibus B intueretur. Deniq; paucis, ut concludā, liberatus eſt Barabbas, & Chriſtus pōderare plus illo in mortem inventus eſt, quia cum Chriſto ponderavit Miſeratio & Dilectio ejus tanta, quā majorem ipſo, teſte nemo habet, ponderavit juſtitia & voluntas Patris, *qui filio proprio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum*, deq; moriendo pro nobis mandatum dedit, ponderavit miſeria & injuſtitia Barabbæ, quin & totius mundi, quorum alteri miſeratio & Charitas Chriſti, alteri juſtitia & voluntas Patris ſerviebat atq; favebat, Chriſtoq; non parcens, Barabbam & mundum ab iniquitate abſolvebat.

Num. 16. 3.

Rom. 8. 32.

5. Ohe Amici Chriſti ſi qui eſtis in hac populi turba. ô Mater, ô Diſcipuli, C adeſte animis de Chriſto veſtro liberando agitur & ſeriò ſanè; Barrabæ componitur, ſolemnitas imminens unum ex vinctis eximi poſcit, votum populi tantùm deſideratur, quis dubitet Chriſtum potiùs, quàm Barabbam vitā & libertate domandum. Si non innocens, ſaltem minùs nocens, nocēs hac occaſione liber abibit ſuffragio populi, judicis voto, veſtro ſolatio. Ergo adeſte animis, favetè lingvis, arrigite aures, clamat jam populus & ſucclamat. *Dimitte, Tolle* quis tolletur? quis dimittetur? *Tolle hunc* ajunt, quem hunc? nondum conſtat Barabbam, an JESUM, vultis dimitti, ô Judæi? *Tolle hunc* ajunt *& dimitte nobis Barabbam.* Heu me! ſpe excidi, periit JESUS, ad mortem & Crucem poſtulatus eſt, Barrabas dimiſſus eſt! vota piorum, vota matris e- D vanuerē.

6. Ergo Judæi veſtrum *Dimitte*, ſerviet Barrabæ, non ſerviet JESU? vah ſcelus! at Dimitte Divinum, non ſic olim Patribus tuis, atq; tibi ſerviit. Recordare improbe & ingrate populus, quoties Deus in Ægypto repetiit pro te Pharaoni ſuum illud: *Dimitte populum meum*, cùm tu populus improbus eras, cum Deum non noveras, cùm corde errares, cùm Ægyptiis & Dolis & populis ſervires, Deus ſatagebat pro te, & ſuum Dimitte urgebat pro te, urſit & extorſit: prò! quantis dexteræ ſuæ prodigiis? Tu autem quid nunc? *Non hunc* ais *dimitte, ſed tolle hunc & dimitte nobis Barrabam! Hæccinè reddis Domino Deo tuo popule ſtulte & inſipiens?*

Ex. 5. 1.

Deut. 32. 6.

7. Habete Judæi, habete infelices veſtrum vobis Barabbam, ſolutum ſed improbum, liberum ſed latronem, vivum ſed Homicidam. Nobis noſter Chriſtus, etiā repulſus, etiā vinctus, etiā damnatus, etiam Crucifixus, etiam mortuus, in amoribus erit. *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes*, iſti malè ſani *hic factus eſt in caput anguli* Eccleſiæ. Ob hoc ipſum pretioſior es mihi quòd contemptus es, ab Judæis atq; Barabbæ poſtpoſitus. Pretium tuum apud me contemptus tui apud Judæum. I nunc Judæe Barabbam tuum, jacta, poſce, poſſide, ſit Barabbas portio tua, ſit & Judas cum mercede ſua, quam dediſti ei, & refudit tibi: Meus eſt JESUS quem tu abjeciſti, & ideo meus, quia tu abjeciſti, tantò mihi carior, quanto tibi vilior. Vitulus iſte ſaginatus mihi eſt, tibi & amicis tuis hædus male olens, quem elegiſtis, cedat. Non recepiſti Chriſtū venientem in Nomine Patris ſui Dei tui; veniet alius in Nomine ſuo, hunc recipies, veniet & in Nomine Diabolico, ipſū exſpectabis, ipſū acceptabis.

Pſ. 117. 22.

8. Vitam Barabbæ innumeri petierunt & obtinuerunt etſi improbiſſimū non ignoraverunt. Vitam JESU petiit nemo, popoſcit ne unus quidem. Eheu fideles Chriſtiani attendite ne in vos fabula hæc tendat, videte nè in nobis etiam hodie innumeri quidem mortem, Crucem, probrum, contēptū Chriſti petant: vitam autem, Gloriam, obedientiam, cultum, obſequium vix aliquis, ac fortè nec aliquis. Et cur hoc? An Barabbas, an Pilatus in Cauſa? ſi horum aliquis, non eſſet prorſus intolerabile: Sed aliquis ex his: audite auctores: Pontifices autem, & Principes Sacerdotum & ſeniores perſvaſerunt populis, concitaveruntq; turbam, ut magis peterent. Dimitteret eis Barabbam.

Digitized by Google

rabbam, IESUM autem perderet. Barabbas Chriſto compoſitus eſt, Pilatus compoſuit, plebs præpoſuit, Principes Sacerdotum, Pontifices, Seniores perſuaſerunt, concitaverunt. Attendite vobis Paſtores gregum Chriſti, attendite A inquam *vobis & univerſo gregi, in quo vos Spi-* Act.20.28 *ritus Sanctus poſuit regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo* attendite nè veſtris perſuaſionib9, veſtris cõcitationib9 inducatur populus ad Barabbam dimittendum, ad IESUM perdendum. Videte in hoc exemplo, quòd neq; à Barraba, Homicidâ quamvis & latrone, neq; à Pilato, Gentili quamvis & iniquo, populus iſte concitatus ſit in necem Chriſti, ſed tantùm Sacerdotum, Seniorum, Principum, Eccleſiæ Pontificum, vocibus an operibus: vos videritis. Innocens præ judæis iſtis Pilatus, qui ita compoſuit Chriſtum Barrabæ, ut vel componendo judicaret, indicaretq; præponendum: Sacerdotes ita perſuaſerunt plebi, ut ſcientes præponendum Chriſtum, tamen ad eorum inſtantiam poſt- B ponerent. Ergo Pilatus præ judæis innocens. Nempe frequens in uſu eſt ſecularium rudium, infidelium etiam peccata, ſæpè, immò ſemper, leviora eſſe, peccatis ſcientium, fidelium, magiſtratuum, Eccleſiaſticorum. Nec ulli magis præcipitant populos ſive in malos mores, ſive in damnationis ſcopulos, quàm exemplum Sacerdotum. Iſti ſunt qui præeunt, iſti ſunt qui perſuadent. iſti ſunt qui concitant, iſti ſunt qui præcipitant populos in Chriſti contumeliam & mortem, in propriam damnationem, & in infelicem æternitatem, Dæmonumq; Societatem, quod utinam magis exaggeratè quàm verè, magis ad cautelam, quàm ad notam dicatur.

9. In ſolemnitate ſuâ, & maximâ C quidem Iudæi Barabbam dimittunt, Chriſtum occidunt, imitantur hoc infelix exemplum etiam Chriſtiani, feſta enim ſuâ, & in his penè præcipué Paſchalia conſecrant liberationi Barabbæ à vinculis & morte, ſolventes concupiſcentias ſuas, deſerentes Pœnitentiæ, modeſtiæ, Caſtitatis, Temperantiæ, ſobrietatis, aliarumq; Chriſtianarum virtutum, ſtudia: mactant verò Chriſtum, animam, conſcientiam, religionem, Charitatem, Dei legem; cum D opprobrio & illuſione Iudæorum, aliorumq; infidelium Quando etiam majoribus inſolentiis, & indecentius reſonant villæ, oppida, urbes, aulæ, palatia, infimorum juxta ac ſummorum hominum, quàm in ſolemnitatibus? propterea dicit Dominus: Neomenias & Sabbatha veſtra odivit anima mea.

10. Hæc eliberatio Barabbæ & Damnatio Chriſti ab Iudæis, futurorum quædam eventurorumq; Iudæis ipſis figura fuit, nam ſicut alia, ita & hoc in figura evenit illis, & poſtmodum impletum eſt in illis, revera enim Iudæi amiſerunt Chriſtum, & fructum Paſſionis ejus perdiderunt, receperunt autem Barabbam ſeditioſum, & homicidam ac latronem. Nam citò poſt Paſſionem Chriſti, totus ferè Iudæorum populus, in ſeditiones, homicidia, latrocinia, rebellionesq; converſus eſt ob quas etiam tandem 42. anno poſt Chriſti mortẽ, à Romanis debellato, deleti, diſperſi ſunt, & Civitas cum Templo vaſtata uſq; dum *non relinqueretur lapis ſuper lapi-* Luc.13.35 *dem*, quod & prædixit Chriſtus, & neſciens impletum, ſcripſit Ioſephus in lib. de Bello & de Antiq. Immo etiam uſq; hodie exſpectant Barabbam pro Chriſto, AntiChriſtum ſcilicet pro Meſſia, hominem peccati, & filium diaboli pro Filio Dei. Habent quoq; uſq; hodie Barabbam iſtum Regem ſuum Diabolum ſcilicet, ex quo tanquam Patre (teſte Chriſto) nati ſunt, ejuſq; opera Ioan.8.44 faciunt. Opus enim Diaboli, latrocinium, ſeditio, Homicidiumq; fuit: Latrocinium, quia æqualem ſe eſſe Deo rapinam arbitratus eſt. Seditio, qua concuſſit Angelorum ordines fecitq; *prælium magnum in Cælo, & tertiam partem ſtellá-* Apoc.12.7 *rum* ſcilicet Angelorum, in Societatem ſceleris damnationiſq; traxit. Homicidium, *ille enim Homicida erat ab initio*, Ioan.8.44 impellens Hominem in mortis temporalis & æternæ neceſſitatem, & quidem per mendacium, cujus ipſe primus & proprius Parens eſt. Talem Regem habent infelices judæi, quẽ ſpreto Chriſto elegerunt.

11. Barabbas liberatus, Chriſtus verò damnatus, notat Adami liberationem per Chriſti Mortem, fuit enim Adamus Barabbas verus, fuit Latro, quia ſcientiam Dei concupiit. Seditioſus, quia, Deo non obediens, Rebellionem movit: & in ſe ipſo Rebellionem Carnis contra Rationem, ſenſûs, contra Spiritum, plantavit. Homicida, nam & ſeipſum & poſteritatem omnem ſuam in mortis ſervitutem præcipitavit. Hunc Barabbam IESUS morte ſua liberavit, & ſe pro ejus ſalute in damnationem mortis objecit. Atq; ita hæc judicia de Barabba & Chriſto diſpar ſententia, eorum

Digitized by Google

tia, eorum quæ Deo ordinante, Chriſto autem efficiente gerebantur, fuit præfi-
Gē.22.13. guratio: Non ſecus ac illa Arietis pro Iſaaco immolatio; aut illa unius ex duo-
Lxc 16.7. & ſequ. bus hircis, in libertatem & vitam (in quo peccata totius populi deponebātur) dimiſſio, alterius autem in Sacrificium oblatio.

12. Hac Barrabæ liberatione & Chriſti damnatione in die ſolemnitatis videri poteſt delineata conſuetudo, qua Deus utitur in feſtis ſolemnibusq; diebus, cum Chriſti fidelibus & cum filiis Eccleſiæ. Liberantur enim Barrabæ his talibus diebus plurimi, Chriſtus verò mactatur & immolatur, quia in Sāguine & meritis ejus, peccatoribꝰ peccata cōdonātur, gratia Sāctificans cōfertur libertas filiorum Dei conceditur, Epulo Sanctiſſimi Corporis Sanguinisq; Chriſti, Animæ ſaginantur & Unigenitus Patris eidem in Sacrificium immolatur. Atq; quemadmodum olim in terris manens Chriſtus frequentiſſima diebus feſtis ſeu Sabbativis, miracula operatus eſt, beneficiaq; contulit indigentibus. (ob quam cauſam ôdiâ Judæorum & perſecutiones ſuſtinuit, eo quod ſabbatum à Chriſto violari ſtultè crederent) ita & modò in Eccleſiâ ſuâ maximas ut plurimùm gratias hominibus in diebus feſtis ſolemnibusq; diſpertit, homines quoq; iis præcipuè diebus divinis obſequiis vacant, ſacrificiis, concionibus ſacris interſunt, peccata per confeſſionem eluunt, orationes perſolvunt, menſæ cæleſti accumbunt.

13. Conſuetudo hæc dimittendi vinctum aliquem in Paſchate & ſi videri poſſit promanâſſe ab indulgentia præſidum Romanorum, qui volebant hac ratione demereri populum; tamen videtur potiùs inventa, ac ſimul retenta à Romanis, quàm inducta ad cohoneſtandam primaria feſtivitatē Judæorū. quòd videtur explicari ab Evangeliſtis: Nam Ioannes refert Pilati verba ad populum:
Ioā.18.39 *Eſt autem conſvetudo vobis ut unum dimittam.*
Luc. 23 Lucas autem ſcribit: *Neceſſe autem habe-*
17. *bat Præſes, dimittere eis per diem feſtum* Mar-
Mar. 15. cus quoq; ait. *Et cum aſcendiſſet turba*
8. *cæpit rogare ſicut ſemper faciebat illis.* Quæ non obſcuré indicant hunc morem fluxiſſe, à Judæis non à Romanis, retentum autem ad mitigandam etiam hac parte invidiam imperii alieni. Iam autem unde traxerint eum Judæi non ſatis conſtat. fortè ab eo ritu quem ſu-
1.Reg.14 pra in figuris attigi ex Geneſi & Levitico,
45. fortè ab illo eventu quo populis impetravit vitam Ionathæ à Saule Patre volente vindicare in eum transgreſſionem edicti ſui, de non ſumendo cibo ab ullo usq; ad veſperam (ut placuit Origeni.) Fortè etiam huic conſuetudini occaſionem dederē civitates refugii in Deut.19
quibus Homicidæ exſpectabant Mor- 3.
tem ſummi ſacerdotis. Ita placet Theophylacto & Cyrillo in Ioan. Quanquam non video, quid lex illa de refugii urbibus cùm hac conſvetudine Paſchali conuenientiæ habeat. Mihi præ omnibus placet, manaſſe morem hunc à ſeniorum traditione antiqua. qui in memoriam honoremq; atq; gratiarum actionem, & ſolemnitatis deniq; incrementum liberati populi ex Ægypto, per necem quidem primogenitorum Ægyptiorum perq; conſervationem primogenitorum Iſraeliticorum, per Necem quoq; ac demerſionem Pharaonis in mari rubro, perq; populi Dei tranſitum per medium ejusdem Maris fundum, inter aquas maris diviſas, ſtatuerunt ut ſemper captivus aliquis idq; ad arbitriū populi delectus liber abiret à vinculis, & conſequenter vita donaretur ſi reus mortis eſſet alter autē moreretur. Itaq; in Paſchalibus feſtis, una dierum proponebantur populo duo vincti, è quibus populus deligebat quem vellet ſalvari & vitâ donari liberumq; eſſe, altero in terim reſervato ad mortem, quod & in Chriſto factum; & ſi cùm duplici minimum exaggeratione aut triplici. Primò. Quia Innocentem Judæi ſuo calculo damnârunt, Nocentem autem abſolverunt. Secundò. Quia Chriſti Mortem ante Paſcha perfici ſummâ cùm feſtinatione urſerunt & extorſerunt. Tertiò. Quia illum non tantùm latroni poſtpoſuerunt uni, ſed etiam inſuper inter duos Latrones medium, (quaſi non uno tantùm Latrone Sed omnibus eſſet nequior) crucifigi fecerunt.

14. Nunc etiam Judæi hoc implent, quòd eis olim à Domino improperatum eſt: *Duces cæci excolantes culicem, cā-* Matt.23.
melum autem glutientes. Culex enim (ait 24.
Gregorius) ſuſurrando vulnerat, camelus autem ſponte ſe ad ſuſcipienda one- Grego. 1.
ra inclinat. Liquaverunt ergo (ſeu exco- mor c.6.
lârunt) Judæi culicem, quia ſeditioſum dimitti Latronem petierunt, Camelum autem glutiērunt, quia eum, qui ad ſuſcipienda noſtræ mortalitatis onera, ſponte deſcenderat, exſtingvere, & deglutire clamando conati ſunt. Hæc Sanctus Gregorius.

Digitized by Google

PARAGRAPHVS C.

Matt. 27. 20. *JESVS perſuaſione Principum ad mortem à populo poſtulatur.*

STROMATA

HUjus opinionis Pilatus fuit, quòd populus IESUm præ Barraba magìs liberari vellet: ideóq; illum, cùm iſto tanquam extremè diverſa meritos propoſuit, ut ſinè controverſia IESUS evaderet, Barrabas periret. Sed ſimplicitatem, atq; poſt Principum vota voluntatesq; ſequacem mentem populi, pervertit perſuaſio, immò concitatio Principum, egitq; transverſum in mortē Innocentis, in vitam Latronis. Et hoc exemplum eſt Principibus, quanto cùm periculo præſint plebibus, maximé autem iis, qui ſunt præſides Ducesq; animarum & Paſtores: ab eorum enim vocibus ab eorum moribus, plebis pax & ſalus præſens & æterna pendet, quales ſunt illi, tales ſunt & eorum populi; Nec mirum quia quaſi neceſſitate fit, ut inferiorum voluntates cogantur obſequi ſuperiorum voluntatibus, conſequenter autem fit etiam ut conformentur & moribus: pudor eſt enim inferiori recedere ab exemplo altioris. Timet humilis non ſequi Prælatum, ne videatur reprehendere eum, cui audeat contraire. Itaq; vita majorum lex eſt minorum. Traxerunt ergo Principes Sacerdotum & Seniores populi, populum in ſui livoris conſortium, ut non ſoli peccarent, ſed ſimul & plebem ſcelere ſuo involutam perderent. Tanti nimirum eſt ponderis affectus Summatum in omnem partem! At enim qui fieri potuit, ut plebs illa tam Chriſto ſemper addicta, tam in ejus laudem & defenſionem effuſa, ut timori eſſet Principibus ipſis, perſuaderetur Chriſtum damnare. Primum quidem auctoritas hoc fecit, de qua jam innui. Deinde rationes adductæ populo. An non enim tunc habebant locum, illæ olim habitæ jactatæq; voces in concilio *Venient Romani & tollent gentem noſtrā* Ioan. 11. 48. *& locum.* An non dictitabat Caiphas tunc; *Expedit vobis ut unus homo moriatur pro populo & non tota gens pereat?* An non dicebant; Ib. ℣. 50. *Hic ſe Meſſiam, Chriſtum, Regem facit?* probrum noſtrum eſt tam abjectum Hominem à Nazareth, à Galilæâ oriundum, fabrum, fabri filium, impoſtorem, ſeductorem, habere Meſſiam & Chriſtum & Regem! An non dicebant: Iſte Tem-

A plum everſurum ſe minatus eſt, tollatur de medio? An non dicebant *non eſt hic homo à Deo, qui Sabbatum non cuſtodit?* Ioā. 9. 16. An non dicebant: Heri in concilio in judicio noſtro publicé audientibus nobis Blaſphemavit! idemq; repetiit, hodie manè, Deum ſe & Filium Dei Chriſtum confitens: propter quòd reus eſt mortis? An non dicebant? Si hic vixerit, factionem & ſeditionem faciet, Romanos concitabit in nos, & unâ cum ipſo peribitis omnes. His ſimilibusq; rationibus incuſſus eſt populo illi metus, & ſic totus ad damnandum IESUM impulſus, movente magìs populum præſentiâ, voluntate, Auctoritate, exemploq; Principum, quàm memoriâ beneficiorum ab

B IESU acceptorum, & mirabilium ab IESV patratorum, aut documentorum ab eodem auditorum.

PARAGRAPHVS CI.

JESVS ad mortem Crucis à populo poſtulatur. Matt. 27. 22. Marc. 15. Luc. 23. 21. vid infra paragraf. 116. & par. 126.

STROMATA.

1. ERgo huc reciderunt vota & gemitus Patriarcharum Sanctorum ut Filii eorum poſt eos talibus inclama- Iſa 45. 8.

C rent vocibus Meſſiam ſuum? Illi clamabant: *Rorate Cæli deſuper, aperiatur terra & germinet Salvatorem: Utinam diſrumperes Cælos & deſcenderes, aquæ arderent igni!* Iſa. 64. 1. 2. Iſti autem inclamant, *Tolle hunc, tolle, Crucifige: Dimitte nobis Barrabam.* O verè ardent Aquæ igni *Aquæ multæ populi multi,* ignis eorum furor eorum.

2. Populus iſte, ſicut nuperſuus Pontifex, & ipſe prophetat, dum Pilato inclamat: *Tolle hunc & Barrabam dimitte nobis:* Lu. 23. 18. nam reverâ Gentibus in hereditatem & poſſeſſionem ceſſit IESUs. Barrabas ſuis remanſit Judæis. Non eſt, infelices Judæi, non eſt vobis pars in ſermone iſto, ſed audito illo gentes, gaviſæ ſunt & receperunt verbum cum lætitia. O infe-

D lix Synagoga! non vides quomodo per tuam ingratitudinem, *Hæreditas tua verſa eſt ad alienos,* Thr. 5. 2. & tu facta es quaſi aliena ab

Digitized by Google

Mat.12.7 ena ab eâ? Dicebatis: *hic eſt hæres venite occidamus eum, & hereditas noſtra erit.* O inſani! Hereditatem ſinè herede volebatis, an idem eſt rapina & Hereditas? A verè apparet, quòd ejus filii ſitis, qui rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo. Non ſic Eccleſia Gentium, non ambivit Hereditatem, ſed amavit hæredem, & cum eo conſecuta eſt Hæreditatem.

Iere.12.8. 2. *Facta eſt Hereditas mea mihi quaſi leo in ſylva, dedit contra me vocem.* O veré dedit Domine læna iſta Crudelis Synagoga, dedit vocem, qua funeſtiorem orbis audiuit nunquam; neq; Creatura protulit aliquando! O David, tu Goliæ exprobranti acies Dei viventis ultus es, amputando caput Cani illi, & carnes ejus dando volatilibus cæli: en populus iſte in tua Civitate dat vocem ſuam amaram & blaſphemam, contra Dominum, & contra Chriſtum ejus, dat vocem feralem & funeſtam, dat vocem mortis & interfectionis, ubi eſt zelus tuus nunc? O Moyſes quando Filii Iſrael vitulum adorantes dicebant: *hi ſunt Dii tu, qui eduxerunt te de Ægypto* confregiſti lapideam legem & exclamaſti: *Si quis eſt Domini jungatur mihi,* & à porta ad portam Caſtrorum diſcurriſti, in ore gladii percutiens idololatras. Ecce iſti filii nequam, filii ſcelerati; dederunt vocem ſuam contra Dominum clamantes: *Tolle, crucifige!* Ohe accingere gladio, jungere Domino & conſecra manus tuas in ſanguine, leunculorum iſtorum crudelium, & luporum rapacium,

1.Reg.17.44. Ex.32.19 & 26.

B

PARAGRAPHVS CII.

Luc23.18 Ioã.18.40

JESVM non dignantur nominare, dum ad crucem poſcunt.

STROMATA.

1. ODio quidem & rabie efferati nominare IESUM non dignantur: Impii: iſti: ſed ni fallor ſecreto cõſilio Dei proviſum eſt, ut tam ſpurcis rictibus ſuis, tam Sacroſanctum Nomen IESU non conſpurcarent.

2. Aut forſan Diabolus cavit nominari hoc Sanctiſſimum Nomen, tunc à Miniſtris ſuis, hominibus ſcilicet illis, nè vires Diaboli ad tam Sancti nominis inclamationem infringerentur. Ideo ad Pilati requiſitionẽ, quem de duobus vellent? reſponderunt *Non hunc, tolle hunc crucifige eum, dimitte autem nobis Barabbam.*

3. Abſurdum ſanè erat IESUM ab his impuris faucibus nominari, & ad necem poſtulari, non erat illis IESUS quibꝰ fuit exoſus & quaſi perditionis filius, & qui illi erant filii alieni, & perditionis filii.

4. Nomen Dei ex lege debebat eſſe *Adonai* ſive ineffabile & innominabile Tale fuit Nomen IESUS, & ideo illud nominare effariq; fauces illæ malitiâ plenæ non merebantur.

5. Obſervare eſt in totâ Dominica Paſſione ab eo tempore quo in horto requiſiti Judæi à Chriſto, quemnam quærerent? reſponderunt illi, ſe IESUm Nazarenum quærere, á duabus etiam ancillis quæ Petrum allocutæ ſunt Nominatus eſt IESUS; nunquam deinceps ab ullo Judæo nominatum eſſe IESUM hoc nomine: cum interim à Pilato frequenter hoc nomine appellaretur. Receſſit nimirum ſicut ſalus ab Judæis ex tunc, ſic & nomen ipſum ſalvatoris atq; ſalutis ab ore eorundem evanuit, aut certè odio id dederunt ſuo in IESUM ut eum nominare non ſuſtinerent, ſed ſicut gravis illis fuit ad videndum, ita etiam volebant Nomen ejus non nominari, nec memorari apud ſe amplius. Atq; ſic impletum eſt illud, quòd & prædictum & præfiguratum fuit in Iob. *Halitum meum exhorruit uxor mea.* Verè enim exhorruiſſe videtur uxor ſua halitum IESU, videlicet Synagoga, quando nè nomen quidem ejus proferre præ odio ejus ſuſtinuit, & quaſi inficienda eſſet tanquam peſtifero halitu Nomine ipſius, ſic ab ejus prolatione abſtinuit.

Matt.26.

Iob 19.17.

C

PARAGRAPHVS. CIII.

JESV quid faciat Pilatus ex Iudæis quærit

Matt.27. 22. Mar. 15. 12.

STROMATA.

1. O Pilate Judex quid tam malé perſonam judicis ſuſtines, quid adeò inter æquitatem & iniquitatem fluctuas? pro liberando IESU utpote te judice, Innocente laboras? hæc eſt pars boni Judicis: quid, de eodem IESU, quem per invidiam à Judæis traditum

D

Digitized by Google

accuſatũ eſſe ſcis, quemq; ad Crucem poſtulari audis ab iiſdem nihilominus à Judæis requiris quid facias, hoc certè iniqui judicis opus eſt. Conſule ſenſum tuum Piláte: Innocentem IESUM noA ſti: nullam in eo mortis cauſam invenis, nihil eorum in quibus eum accuſant hoſtes ſui, reperis in eo, quæris quid de eo facias! dicat tibi conſcientia tua, dicat officium tuum judicis officium eſt ut Innocentem abſolvat. Ergo hoc fac de IESU Innocente. Quis Judex Accuſatorem, conſulit de Reo quem accuſat & non probat.

2. Quid facies de IESU Pilate, dabo tibi qui te edoceat; In vicinia populi hujus adſtat Mater mæſta Hominis iſtius Innocentis: hanc conſule quid de IESU facias, aut potiùs redde eum ſuæ Matri & ſalva animam utriusq;. Certè in hoc conſilio non errabis, quid enim juſtius ac ſanius, quàm Filium Innocentem à calumniis abſolutum, à ſanguinariorum manibus ereptum, Matri mæſtiſſimæ unicum reddere?

3. Adeſte amatores IESU, quotquot uſpiam eſtis, gravis eſt & perplexa apud Pilatum quæſtio, neſcit, quærit quid faciat de IESU. Obſecro vos verbo, facto, exemplo, docete Pilatũ, quid faciat de IESU Heu me! quàm multi, & quàm ſæpe ſunt qui quærũt, quid faciat de IESU & non eſt qui verbo, multò magìs qui facto doceat, quid faciant! O ubinam ſunt qui dicant: *Venite filii audite me*

Pſ. 33. 12. *Timorem Domini docebo vos.* Innumeri ſunt, qui cùm audiunt dicentem & quærentem: *Quid faciam de JESV?* vocibus magnis ſucclamant & inſtant: *Tolle, tolle, Crucifige eum!* at qui talia requirenti C ſucclament: ſequere Deum *audiſti verbum, ſerva illud. Hodie ſi vocem ejus audieritis, no-*

Pſ. 44. 8. *lite obdurare corda veſtra* pauci ſunt, penè nulli ſunt, Bonus eſt Conſultor ille qui

1. Petr 4. 1. dixit: *Chriſto in carne paſſo & vos eadem cogitatione armamini.* Bonus & ille qui conſuluit: *Hoc ſentite in vobis quòd & in*

Phil 2. 5. 6. 8. *Chriſto JESU, qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, ſe eſſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem Hominum factus, & habitu inventus ut Homo, humiliavit ſemetipſum, factus obediens, usq; ad mortem, Mortem autem Crucis.* Hoc ſentite & in vobis, quicunq; inquiritis quid de IESU faciatis. Sed optimus eſt ille qui de Cælo intonuit dicens: *Hic eſt Filius meus dile-* D

Matt. 17. 15. *ctus in quo mihi bene complacuit, ipſum audite.*

4. Optima & ſaniſſima piis mentibus deliberatio atq; conſultatio: & digna, quæ quotidie, quæ aſſiduè exerceatur! Quid faciam de IESU hodie? quid hac hora? quid in hoc opere? quid in hoc propoſito! Quid faciam de IESU, ut placeam IESU, ut complaceat ſibi in me IESUS, ut glorificetur IESUS, ut propagetur gloria, honor, cultus, amor, Doctrina IESU in his populis, in his locis, in his occaſionibus, in iſtorum cordibus.

PARAGRAPHUS CIV.

Matt. 27. 23. Mar. 15. 14. Luc. 23. 22.

JESVS quid mali fecit.

STROMATA

B 1. Etiam hoc de IESU quæretur, etiam hoc adhuc quæritur de IESU *Quid mali fecit?* Clamabant quidem Judæi *Tolle eum.* & reponebat Pilatus: *Nullam invenio in eo cauſam.* Inſtabant illi *Tolle,* nihilominus *Tolle eum.* Opponit Pilatus: *Quid enim mali fecit?* Rectè hoc Pilatus, ſi apud rectos, ſi ſaltem apud tales qualis ipſe Pilatus. Sed ô Pilate non agnoſcis quos accuſatores habeat Chriſtus. Tales habet, apud quos culpa eſt, vacare culpâ! tales habet qui hoc in Chriſto oderunt, quód nihil habeant odio dignum! Tales habet quibus hoc peſſimum atq; mortibus mille dignum videtur in Chriſto, quia nihil eſt in eo morte dignum, nullum in eo malũ quod fecit. Hoc ergo Chriſtus mali fecit, quia nihil, mali fecit, propter hoc morte dignus, quia mortẽ nõ meruit, hæc eſt Chriſti culpa, vacuũ eſſe culpâ. Vide Pilate Barabbas utiq; notoriè malus fuit, & tamen ab his abſolutus eſt! Chriſtus notoriè Bonus eſt, & tamen ab his ad Crucem poſtulatur! Ergo apud judæos Barabbas quia nocens erat, ideo mortis non reus, ſed vitâ dignus eſt, Chriſtus contra apud eoſdem quia Innocens eſt, reus mortis eſt, Noli ergo Pilate quærere quid Chriſtus mali fecit? quia malum facere, non eſt apud Judæos culpa; ſed quære: quid boni fecit? quia bonum facere apud Judæos eſt noxa, Semper improbis, Bonus malus eſt, ideò quia bonus. nam ſi æquè improbus eſſet, malus illis non eſſet, ſed ſimilis eorum eſſet.

2. Hoc objicite cordibus veſtris Peccatores: hoc objicite peccantes: hoc objicite

Digitized by Google

objjcite peccaturi : hoc objicite prædi-
catores peccatoribus : Quid enim ma-
li fecit vobis IESUS, quòd in eum pec-
cetis, ut in eum peccetis? *Quid inve-*
Ierem. 2. 5 *nerunt in me Patres veſtri iniquitatis*? di-
cebat olim per prophetam Deus, & in
Paſſione per Pilatum IESUS, & modò
omnibus hominibus præſertim peccan-
tibus id ipſum repetit Deus noſter Chri-
ſtus IESUS. Equidem ſupra omnem
ſtuporem ſtupenda res eſt iſta: Diabo-
lus pro Hominibus, & Hominibus, ni-
hil omnino, omnino boni nihil fecit,
nihil promiſit aut promittit, imò in-
numera mala facit, æterna etiam mala
parat, & tamen pedibus, manibus, cor-
dibus, corporibus, totis viribus itur ad
eum & poſt eum, Deus autem, & Ho-
minibus & pro Hominibus infinita bo-
na fecit, mala pertulit, dona promit-
tit, etiam ſe ipſum impendit in preti-
um & aſſignavit in mercedem, nihil ma-
li Hominibus fecit, nec facere poteſt
(niſi quando ipſi malè agendo ad pœ-
nam ſuam Deum cogunt) & tamen
pauciſſimi ſunt, qui ſequuntur Deum,
vix unus qui ſerio, ferventer, conſtan-
terq; diligat Deum! O Homines, ut
quid hoc aut unde hoc? Quid enim
mali fecit vobis IESUS? quid inveniſtis
in Deo veſtro iniquitatis.

PARAGRAPHUS C.V.

Matt. 27. 26. Marc. 15. 15. Luc. 23. 25.

IESUM detinet, Barabbam dimittit Pilatus volens populo ſatisfacere.

STROMATA

1. HOc eſt quod evertit Pilatum,
hoc quod æquitatem peſſunde-
dit, hoc quod labores pro Chriſto libe-
rando, conatusq; repetitos ſuccidit,
hoc quod innocentiam IESU obruit,
hoc quod ſceleratiſſimo Barabbæ patro-
cinatum eſt, & vitam & libertatem
dedit (*volens populo ſatiſfacere*) Iſta eſt pe-
ſtis omnis æquitatis, hoc macellum eſt
Divinorum omnium mandatorum, at-
q; placitorum, hoc eſt laniena, omnis
virtutis, omnis propoſiti, omnis cæpti
Exo. 32. 2 bene: *Satiſfacere populo)* Aaron volens
populo ſatisfacere, conflavit Idolum, i-
dololatriam plantavit, cultum Dei pro-
didit, populum perdidit. Excute Paſſi-
onem Chriſti omnem: complemen-
tum Paſſionis & Mortis Chriſti, per hoc
unum perfectum eſt: Satisfacere po-
A pulo. omnia in caſſum alia fuiſſent, ſi
hoc unum defuiſſet, Satisfacere populo.
Ah infelix ſatisfactio per quam deicidi-
um peractum eſt. Sine qua nec pote-
ſtas Dæmonum, nec furor Iudæorum,
vires in Chriſtum ullas habere potue-
runt. Damnavit Pilatus IESUM ad fla-
gella, coronavit ſpinis, illuſit ludicrâ
Regis imagine; addixit, & afflixit
Cruci, quare? volens populo ſatisfa-
B cere. viveret ergo Chriſtus, ſi populo
ſatisfacere non voluiſſet Pilatus. O
Satisfactionis Idolum! ô Quid dicent!
Idolum! quàm multum potes in ho-
minibus etiam virtute, etiam prudentiâ,
etiam poteſtate pollentibus. quàm mul-
ti adorant te idolum infelix! quan-
tas habet quotidie, immo in momen-
ta omni tempore, victimas, idolum a-
bominabile! Tibi Deus, tibi lex Dei,
tibi voluntas Dei, tibi æterna ratio: ti-
bi prima veritas, tibi ſuprema dignitas,
tibi Sapientia Summa, tibi omnipoten-
tia, tibi Auctoritas Divina, tibi Cha-
ritas, tibi timor Dei, tibi Dilectio pro-
ximi; tibi fortitudo, prudentia, tem-
perantia, Juſtitia, tibi æquitas, tibi Re-
ligio, tibi conſcientia, tibi vota, tibi
vita æterna, tibi gratia & amicitia Di-
vina, tibi anima ſanguine Redempta,
vivificata, abluta, ornata, dotata, tibi
hæc omnia in victimam cadunt, & in
C tui honorem immolantur & mactan-
tur, ab omni eo quicunq; vult populo
ſatisfacere, quicunq; vult Hominibus
placere, quicunq; vult, Quid dicent ho-
mines? attendere. Totus mundus Dea-
ſtrum iſtum, Idolum iſtud colit, timet,
veneratur, victimis pretioſiſſimis de-
mulcet, demeretur, oblectat. Tolle I-
dolum iſtud, vivit Chriſtus: pone Ido-
lum iſtud, nec Chriſtus vivit, nec De-
us. Pone Idolum hoc & ardet Mun-
dus diſcordiis, & ſurget Gens contra
Gentem, & jacebit omne fas & bel-
lo cadent integri populi, & ibunt ur-
bes magnæ in cinerem, & vaſtabuntur
Regna, & mutuis cædibus cives cadent,
D & Sanguinis jura abolebunrur, & rebel-
liones vivent, & exhaurientur fami-
liæ, ſumptibus luxibusq; inſanis, & ad-
pauperiem venient ditiſſimi quiq; & vi-
ta pro nihilo erit, & ſusdeq; omnia
ima ſummis, ſumma imis miſcebun
tur, fientq; victima ſatisfactionis, ca-
dent coram idolo: Quid dicent? Quàm

Digitized by Google

unt, tum maximè tempeſtates nautis imminent. Ludentes Delphini (Marini ſues) portendunt naufragia. E contra, quieſcunt juſti inter impiorum diſſidia: olim quando Tyranni Romani ſæviebant in ſe, vel ſuos, pacem habebant fideles. A
Si Herodes cum Pilato non conveniſſet, alteruter eorum in odium ſaltem alterius Chriſtum liberaſſet, convenerunt ſecum, perdiderunt Chriſtum: Veluti pueri ex adverſo viciſſim mittunt remittuntq́; pilam: adverſi ſunt & tamen amici ſunt: malo pilæ ſibi ludunt. Impletur in Chriſto hoc ipſum, quod etiam prædixit Propheta: *Quaſi pilam mittet te in terram*
Eſa. 22. 18 *& ſpatioſam ibi morieris.* Annas Caiphæ, Caiphas Pilato Pilatus Herodi, Herodes Pilato. Pila Chriſtus & luſus Puerorū iſtorum, ſed cruentus ſicut illorum, de quibus di-
2. Reg. 2. 14. ctum: *Surgant pueri & ludant coram nobis.*

PARAGRAPHUS XCVII.

Luc. 23. 14. *JESVM Innocentem Pilatus aſſtruit apud judæos.*

STROMATA.

1. OPeræ pretiū eſt diſpicere quantum Pilatus laboraverit pro innocentia, ſimulq́; liberatione Chriſti mitigatione, q́; & averſione furoris Iudaici à Chriſto. Habens enim remiſſum ſibi Chriſtū ab Herode contemptum quidem, ac irriſum minime tamen læſum, aut damnatū, quin immo occaſione illius Herodem ſibi reconciliatum ſtatuit agere pro Chriſto & eum liberare. Ergo prodivit ad Iudæos, eosq́; convocans pro Chriſto teſtimonium dicit, multisq́; modis eum quidē Innocentem eſſe, à ſe autem damnari non poſſe, Judæos deniq́; neci ejus inhiare nō debere evincit. C

74. *Conatus Pilati pro Innocentia & indemnitate Chriſti.*

1. A ſuo ipſius ſcrutinio de Chriſto habito.

2. Ab ipſorum Judæorum teſtimonio: *Adduxiſtis* inquit *mihi Hominem hunc quaſi*
Luc. 23. 14. *avertentem* ab imperio Romano Populum Judaicum, eumq́; ambitûs Regni accuſaſtis; *ecce ego coram vobis,* ne quid à me gratiæ datum cauſemini, ne me corruptū muneribus, promiſſione, ne circumventū fallaciis & præſtigiis ejus dicere poſſitis, D cum *examinans & interrogans* judicialiter *nullam cauſam inveni in homine iſto ex his in quibus eum accuſatis.*

3. Ab excluſione atq́; negatione omnium cauſarum capitumq́; accuſationis ab Judæis inſtitutæ: non enim, ait Pilatus, aliqua objecta non reperi, aliqua leviora comperi at ait: nullam penitus cauſā, ex his in quibus eum accuſatis.

4. A teſtimonio & judicio Herodis Regis, apud quem Iudæi volente ipſo Pilato contra Chriſtum egerunt, & quidē (ut ſupra parag. 92. viſum eſt) non per Homines imperitos aut leves rerumq́; ignaros, ſed per ipſos Principes Sacerdotum, & per ſcribas ac in lege peritos neq́; vero perfunctoriè tractârunt negotium hi, ſed conſtanter accuſabant corā Herode nihil omittentes quæ accuſationem ſtabilire poſſent: ecce tamen ab Herode non eſt inventus nocens, nec reus mortis, nam *nihil dignum morte actum eſt ei.*

5. Ab excluſione à Chriſto Culpæ, B non tantum omnis à Judæis objectæ, ſed omnis abſolutè, quo ad Innocentiam Chriſti, nihil ſolidius, plenius, planiusq́; adferri potuit à Pilato. Inſtantibus enim Judæis contra Chriſtum & Mortem ejus urgentibus, tertiò reſpondit Pilatus, Judæis dicens: *Quid enim mali fecit homo iſte* ob quod eum Crucifigam? non tantùm adductam à vobis, ſed nullam prorſus aliam cauſam invenio in eo.

6. A Comparatione atq́; compoſitione ejus cum Barraba. In quo ſatis prudenter ingenioseq́; Pilatus proceſſit, uſus enim eſt occaſione pænè neceſſaria liberandi Chriſtum à morte, de more facturus erat gratiam Populo Pilatus unius vincti, donando ſcilicet illum libertate C & vitā, ad gratiam & poſtulationem populi. Habebat præter IESUM vinctum etiam Barrabam, habebat & alios complures: in quibus tamen dictus Barrabas eminebat, inſignis latro, ſeditioſus, homicida: hunc conſulto Pilatus delegit, quem cum Chriſto componens ad eliberandum Populo proponeret; habens perſvaſiſſimum, omnino Chriſtum à plebe deligendum ad libertatem. Barrabam verò in carcere relinquendum, Extremè enim oppoſitorum homines iſti erant Meritorum vulgo: IESUS ſcilicet, & Barabbas: ille nihil mali fecit, nulla cauſa mortis in eo: iſte porrò; latro, ſeditioſus, homicida publicus notoriusq́;. Ergo nullum dubium fuit Pilato, Chriſtū vitæ, Barrabam morti deſtinandum à D populo. Præclarum revera inventum Pilati, ſed tamen ſucceſſu caruit.

7. Ergo

Digitized by Google

7. Ergo artem & viam iniit, quâ & Chriſtum liberaret, & Iudæos leniret, nempe ab aliqua ſatisfactione atq; indulgentiâ furori Judaico factâ, eſto Chriſto injurioſe, juſtitiæ judicis minimè conſentaneâ; in hoc tamen prætenſivè excuſabilis, quòd ad avertendum majus Chriſti malum ac damnum (nempe mortis & Crucifixionis) ſuſcepta: *Emendatum ergo* inquit *IESUM & correptum caſtigatumque dimittam.* Etſi enim nullam cauſam invenio in eo, non tantùm mortis ſed etiam ullius ſupplicii: tamen ut vobis ex parte ſatisfaciam, & ut noxas Chriſti ſi quæ in eo fortè ſunt correptione emendem, flagellari illum faciam & ſic dimittam.

8. Ab immanitate ſupplicii, Chriſto quantumvis innoxio invento in Iudæorum tamen gratiam & ſatisfactionem inflicti per flagellationem, ſpineam Coronationem, illuſionemq; acerbiſſimè probroſam & probroſiſſimè acerbam, & quidem non auribus, ſed oculis ipſis Judæorum objectam, huc ergo faciunt illa Pilati ad Judæos verba, qui videns IESUM diriſſimè flagellatum juſſu ſuo, inſuper autem ſpineâ Coronâ, ſordida chlamyde, ſceptro arundineo, alapis & ſputis militaribus ex homine, in non Hominem, & in miſerrimum quoddam afflictiſſimi hominis monſtrum licentiâ lictorum militumq; ſuorum deformatum, cùmq; ipſe infelici illo ſpectaculo ſatis ad miſericordiam flecteretur, ſperans Iudæos quoq; flectendos, nec ulterius ſupplicium Chriſto optaturos ait ad Judæos: *Ecce adduco vobis eum foras ut cognoſcatis quia nullam invenio in eo cauſam.* & ut agnòſcatis
Joh. 19.14
quantum veſtris inſtantiis eſto contra innocentem factis tribuerim: aſpicite igitur eum & videte an tam acerba innocens pati debuerit, & an non ſit factum ſatis votis veſtris, ita ut jam à mortis ejus cupidine abſtinere poſſitis: *Exivit ergo JESUS portans Coronam ſpineam & purpureum veſtimentum,* & arundineum ſceptrũ, nihil habens humanæ formæ ſpecieiq; reſiduum ut meritò de illo Pilatus antiphraſticè dixerit: *Ecce Homo,* id eſt, minimè Homo, ac revera non Homo, ita tractatus ac ſi non eſſet Homo.

9. A repulſione importunitatis Iudaicæ atq; in eos ipſos rejectione; Cùm eum Iudæi conſpecto IESU adeò miſerabiliter deformi, nihilominus pergerent urgere mortem ejus & inclamarent: *Crucifige Crucifige eum,* deteſtatus rabiem illam, atq; illis indignatus Pilatus ait Judæis. Quoniam usq; adeò per omne nefas ſititis mortem ejus, licèt innocentis, ac fortè apud vos lex veſtra tam eſt iniqua ut innocẽtes damnari jubeat; apud me certè æquitas aliter ſe habet, non enim ſinit innoxium occidi: *Accipite eum vos & crucifigite ſecundùm legem veſtram* judicantes: Ego crucifigere eum non poſſum nullam enim invenio in eo cauſam.

10. A metu peccati & quidem in filiũ Dei admittendi. Objecerant ſiquidem Judæi Chriſto novam criminationem apud Pilatum dicentes: Chriſtus *Filium Dei ſe fecit, ideo ſecundum legem noſtram mori debet,* quia lex tales damnat morte. Secus hoc accepit Pilatus quam volebant Judæi, apprehendit enim ex accuſatione iſta majus quid humano latere fortè in Chriſto, & unum aliquem ſaltem ex Heroibus ac Deaſtris eſſe metuens: Nova diligentiâ adhibitâ, unde eſſet Chriſtus & quis eſſet, & alia ejus generis requiſiuit, auxit vero metum hunc reſponſio Chriſti, revera animoſa & Heroica: obſtrepenti enim Pilato poteſtatem ſuam, vitæ & necis Chriſti, reſpõdit Chriſtus ſanè perquam ſerio: *Non haberes poteſtatem adverſum me ullam, niſi tibi datum eſſet deſuper, propterea qui me tradidit tibi,* & necem meam apud te urget *majus peccatum habet.* Accepit hoc reſponſum Pilatus prout debuit (& ſi non omnino quantum debuit) & exinde quærebat ſtudioſiùs modos & vias dimittendi Chriſtum liberumq; faciendi nè peccaret, nevè filium Dei (qualem qualem ſuâ opinione) contumelioſius tractaret.

11. Ab irriſione & probro Judæorum Sedit enim pro Tribunali Pilatus, ultimò ſe expediturus ab invidioſa moleſtiâq; hac cauſa, ergo exagitare Judæos, ſarcaſmis cæpit & à morte Chriſti deterrere quocunq; modò. Objectavit enim Judæis Chriſtum eſſe regem ipſorum, quẽ crucifigi probroſum eſſet ipſis futurum non poſſent autem negare Regem illũ, ut quem Paulo antegreſſis diebus introduxerunt in Civitatem clamantes: *Chriſtus Rex Iſrael.*

12. Ab amotione culpæ à ſe in Judæos utiq; redundaturæ: quod quidem cerimonia illa verbiſq; expreſſit: *Accepta enim aqua lavit manus coram populo dicens:* Mat. 15.
Innocens ego à ſanguine juſti hujus: & con- 32.
ceptis verbis juſtum eum denuntians ac Matt 27.
tandem concludens ipſis culpam impu- 24.
tandam eſſe ſi moriatur Chriſtus ait: *vos videritis.*

13. Ecce duodecim minimum Conatus adhibuit Pilatus (nam prætermittitur Inſtantia uxoris Pilati.

14 Prætermittitur & inconveniens illud quod Pilatus Judæis Barabbam dimitti volentibus, intulit contra ipſos *quid igitur faciam de IESU*, & ſi Barrabas diſcedet veſtro rogatu liber, multò magis diſcedet IESUS qui nihil mali fecit. nam ſtultiſſimum eſt nocentiſſimo liberato, innocentiſſimum damnari &c.) ad liberandum IESUm à morte. Ex quo evidenter conſtat, quanta fuerit Judæorum excæcatio in mente, ab invidiâ & livore, & rabie contra Chriſtum. Judas fur, proditor à Diabolo inſeſſus, immò teſte Chriſto etiam Diabolus, tamen reſipuit, pecuniam retulit, ſcelus confeſſus eſt, innocentem Chriſtum declamavit. Pilatus Gentilis, Herodes allophilus, nihilo Gentili inferior, in erroribus & moribus, in Chriſtum tamen ſententiam mortis dicere cunctatus eſt. Pilatus inſuper tantum in eo liberando laboravit, per plures conatus & horas (à primâ ad ſextam) neq; tamen inventus eſt in populo Judaico, in Scribis, in Legisperitis, in Sacerdotibus, in Principibus Sacerdotum, qui daret locum veritati, juſtitiæ, miſericordiæ. Timori Dei, Rationi, ac Lumini Naturali, Divinæ Legi! Oh quantum eſt dare habenas affectui! ô quid non facit invidia! quomodo apoſtatare facit ſapientes, facit in lege doctos, facit ſpirituales, facit Religioſos, facit ſtatu & opinione perfectos! Utinâ hodie careat Mundus, immò Eccleſia iſthoc malo! Utinâ nimio ac præpoſtero auctoritatis zelo atq; ſtudio non impediatur ſalus populorum! dum non quidem IESUS, ſed Diſcipulis & operariis ejus manus ligantur, poteſtates, atq; facultates ſubtrahuntur: quarum uſus in ædificationem Eccleſiæ in ſalutem fidelium eſſe potuiſſet. Abuſum non laudo, arrogantiam damno, arrogationem deteſtor, irreverentiam ac ſubjectionem ad majores in Eccleſia exſecror; dependentiam, modeſtiam, ſubmiſſionem, honorem, recurſum ad capita & Principes Eccleſiæ, commendo, ſuadeo, & deſidero; ſed ut neq; ipſi introeâmus, neq; introducamus, nec introire, aut introducere volentes ſinamus, ut eos perſequamur, oderimus, deprimamus, ut ſub zelo, velo potiùs tuendæ prærogativæ, invidiam, odiumq; ſaturemus, & IESUM in tot animabus ad damnationem æternam deducamus? hoc quis ferendum exiſtimet? Induamus ſpiritum Moyſi dicentes: *Quis det ut omnis populus prophetet? quid zelas pro me?*
Num. 11. 29. Induamus Spiritum Pauli permittentis *ut ſive per occaſionem ſive per virtutem prædicetur Chriſtus*, etiã ab iis qui prædicando Chriſtum *volunt preſſuram ſuſcitare vinculis* Apoſtolicis. *Quid enim?* ait, *dum omnimodo Chriſtus annũtietur & in hoc gaudeo;* Phil. 1. 18.
A *ſed et gaudebo, ſcio enim quia hoc mihi proveniet ad ſalutẽ.* Revera enim provenit ad ſalutẽ & ſecuritatẽ prælatorum, quicquid fit in correctionem populorum, per manus ſive ſecularium, ſive Regularium operariorum cum benedictione Prælatorũ.

2. IESUM Judæus accuſat, Gentilis excuſat; Judæus ad necem poſcit, Gentilis à nece liberare contendit: quod quid eſt aliud? 1. quàm quòd IESUS non invenerit tantam improbitatem in Gentibus quantam in Judæis. 2. quid aliud? quàm quòd ſæpè fideles & notitiam Dei habentes pejus vivant quàm ignorantiã Dei habentes? 3. quid eſt hoc aliud? quàm, ſæpe ſeculares meliores, timoratiores, pro Deo, Eccleſiâ, Iuſtitiâ, Religione, eſſe cordatiores quàm ſpirituales. Nunquid rarum eſt Cauſam Dei & Eccleſiæ timidè defendi, aut etiam deſeri ab Eccleſiaſticis, defendi & promoveri ſtre-
B nuè à laicis. Metuunt ſcilicet, mala tempora, & advocant; dum enim cedunt improbitati; hoc ipſo portas eidem pandunt & habenas laxant ut quâ datâ portâ ruant. Quod quidem non jam malum ſed peſſimum tempus eſt. Si obſiſterent utiq; & obſtruerent: ac mala tempora non metuerent, ſed averterent. Sed nimirum etiam in hoc ſenſu verum eſſe oportet, illud Domini dictum: *Filii hujus ſæculi prudentiores in generatione ſua ſunt filiis lucis*, ideo & ipſi Judices veſtri erunt. Luc. 16. 8.

3. Tantis conatibus artibusq; toties repetitis Pilati pro Chriſto, defuit perſeverantia. & quia defuit, omnis conatus nihil profuit, neq; Chriſtum à morte, ne-
C q; Pilatum ab iniquitate liberavit: ſic ſũt nimirum humanæ bonitates quando humanæ tantùm ſunt; eſto etiamſi aliquando pro Deo ſint; deeſt illis ut plurimùm conſtantia ac proinde & efficacia. At humana non ſic malitia: obſtinata, obfirmata plerumq; eſt, nec cedit, nec ceſſat, donec perrumpat & irrumpat virtutis & juſtitiæ Regnum. Judæos iſtos vide quãtùm reſtiterunt inſiſtenti, quantum inſtiterunt reſiſtenti Pilato & evicerunt apud inconſtantem, meticuloſumq; Hominem, homines ſine fronte improbi, ſine mente invidi, ſine ratione crude-
D les, ſine modo inimici. Pilatus verò ſcilicet juſtus & innocens, defenſor etiam innocentis tandem deficiente conſtantia, iniquitate impiorum involutus periit.

PARA-

Digitized by Google

PARAGRAPHVS XCVIII.

Mar. 15. 7. Ioan. 18. 39.

JESVS Barrabæ componitur.

STROMATA.

1. IN Domini tota Paſſione, nulla commoditas obvenit Chriſto. ſine aliqua incommoditate, nulla æquitas ſine iniquitate: laborabat Pilatus pro Chriſto liberando, invenit medium liberandi eum, ſi cum Barraba componeretur, & Barrabæ comparatione juſtior, vitaq́, dignior inveniretur. Non improbemus ſtudium, non inventum ingeniumq́; ac conatum Pilati hactenus: hoc tamen non abſq́; Chriſti injuria fuit, quid enim tam probroſum Chriſto Deo, Dei filio, innocenti, Sancto, impolluto, ſegregato à peccatoribus, Regum Regi, quàm componi & in bilance locari cum Barabba Hominum improbiſſimo? Non habet hæc injuria Chriſti ullam in rebus humanis adumbrationem, comparetur innocens impio, agnus lupo, aurum luto, Rex ſervo, vivus mortuo, ſapiens ſtulto, Dives pauperi, ſpecioſus deformi, ſol carboni, balſamum ſtercori: Cælum inferno, Angelus Diabolo, virtus vitio; nihil in his omnibuus tam iniquum, quàm componi IESUM Barrabæ. Componi inquàm, non enim adhuc dico præferri.

2. Non miremur Pilato veniſſe in mẽtem, Chriſtum Barabbæ componere: quando venit Æterno Patri Verbum ſuum Filiumq́; unigenitum pro Salute omnium peccatorum, homini non quidẽ peccatori, ſed tamen ex peccatore Adamo deſumpto adglutinare. Nunquid enim magìs eſt ſtupendum, IESUS & Barabbas collatus; quàm Dei Filius Homo factus? qui illum Hominem fecit, ut Barabbæ componeretur objecit.

3. IESUM Barabbæ cumponunt, quicunq́; an propter Creaturam Creatorẽ deſerant, apud ſe controvertunt. Et heu quoties iſtud inter Homines, quoties

D iſtud apud unum Hominem etiam per unum diem! Itanè mortales fluctuabunt animo; Deumnè an Creaturam, Deinè legem, an mundi vel diaboli vel ſodalis, vel propriam voluntatem ſectentur? Prô pudor! quis filius ambigit, Patremné an Mancipium Patris ampliùs honoret? quis ſervus ambigit, Dominumnè ſervo, an ſervum Domino præferat. Amens putatur, qui aurum inter & lutum quid intereſit ignorat? Sapientes ſunt qui de pretio Creatoris & Creaturæ controvertunt.

A In ſolius Dei pretio, ita cæcutiunt homines, & ſoli homines; & tamen ſoli iſti ſapiunt homines; qui ita cæcutiunt inter Homines,

4. Deflebat David Sanctus ſortem hominis, quod *cùm in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt jumentis inſipientibus & ſimilis factus eſt illis*, Pſ. 48. 13. O mi David & in quo homine tandem id vidiſti? an fortè potiùs quærendum in quo non vidiſti? Sed ſit hoc probri miraculum in homine; in Deohomine, hoc, quod factum eſt, quid erit? Ecce DeusHomo cùm in honore eſſet *cùm* inquam *in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem* Philip. 2. 6. Barabbæ, Latroni, ſeditioſo, homicidæ: comparatus eſt prædoni &

B improbiſſimo mortalium, & ſimilis factus eſt illi. O Paule non totam Chriſti exinanitionem expreſſiſti, quando *in ſimilitudinem hominum factum* Chriſtũ dixiſti, factus eſt in ſimilitudinem latronum, in comparationem homicidarum, & habitu ſeditioſorum ſimilis inventus eſt.

5. Heri cùm quæreretur, & caperetur, & ligaretur Chriſtus, dicebat Judæis expoſtulans, quòd *tanquam ad latronem exiſſent cum gladiis & fuſtibus comprehendere illum* Matt. 14. 48. quidni hodie Dominus idem deploret, & objiciat ſibi factum, quando latroni confertur ad optionem, & quando jam eidem poſtponetur voce publicâ ad mortem?

6. Ad ſolatium ſervulorum ſuorum

C Dominus & componi, & poſtponi latroni, & à beneficiariis ſuis obnoxiiſq́; ſibi oblivioni cum omnibus ſuis in eos beneficiis tradi, & ad mortem expeti, & præ contemptu atq́; odio, nec nominatione dignus haberi voluit; ut moleſtum non eſſet nobis miſellis & puſillis, ſi quando fanda infanda, contra nos, de nobis, in faciem etiam, & clam proclamantur, ſi præterimur in officiis, in honoribus, in commoditatibus, ſi mala pro bonis retribuuntur, ſi à Beneficiariis deſerimur, prodimur; ſi ne nomen quidem noſtrum bonam in partem pronuntiari ſinatur.

PARAGRAPHVS XCIX.

Matt. 27. 21. Mar. 15. 11. Luc 23. 18. Ioã. 18. 40.

JESVS Barabbæ poſtponitur.

FIGVRÆ

Statuebantur duo hirci & ſorte unus immolabatur Domino pro peccato; alter cui peccata populi imponebantur liber in deſertum emittebatur. Leu: 16. 7.

Appenſus es in ſtatera & inventus es minus habens. Dan. 5. 27.

STROMATA

1\. ABſurdum erat Barabbæ comparari; dicite jam æqui rerum æſtimatores, quid eſt IESUM Barabbæ poſtponi, & Barrabam quidem carcere eximi vinculis abſolui, vitâ donari, in libertatem adſeri, Barabbam inquam inſignem illum vinctum, homicidam publicum, ſeditioſum in populis, latronem notorium: quis audiens à principibus, à Sapientibus, à ſcribis, à Sacerdotibus, à Pontificibus, à populorum turbis, una voce, uno ore, una mente, Barabbam ad vitam, IESUM ad mortem & Crucis mortem poſci, quis inquam audiens & ſedato animo, res, voceſq; expendens, cætera ignarus perſonarum, non ſecum ratiocinetur, & concludat, haud dubiè IESUM iſtum plusquam latronem plusquam ſeditioſum, plusquam rebellem, plusquam homicidam, plusquam ſceleratum eſſe, ut pote cui Barrabas talis præponitur in vitâ, & qui Barrabæ tali præponitur in Morte,

2\. Elegerunt Iudæi potiùs Barabbam liberari, quàm Chriſtum, improbum magìs quàm juſtum necis auctorem potius, quàm vitæ datorem, ſeditioſum magis, quam pacis Principem, inſtitit nempe poſteritas veſtigiis Patrum: ſic Patres eorum vitulum Deo prætulerunt; ſic
Exod. 32. 4. Moyſi Dothanum; ſic Davidi Abſalonem; ſic Samueli Saulem prælegerunt,
Num. 16. 2. quid ergo mirum ſi poſteri, *menſuram Patrum ſuorum implentes; Barabbam JESU præpoſuerunt.*
2. Reg 15. 13.
1. Reg. 8. 5.
Matt 23. 32.

3\. Liceat dicere: Neſcio an Judæi iſti receſſerunt à ſenſu Patris æterni in Judicio de IESU, Nonnè & ſententiâ cæleſtis Patris IESUS ad mortem Barabbas ad vitam electus eſt? Genus humanum Barabbas eſt? Saluti generis humani, morte Chriſti ſervitum eſt. Et pro veteri Adamo peccatore, datus eſt ſecundus Adam innocens in perditionē, ut peccator evaderet perditionem. Ita eſt ô Judæi conveniſtis cum Patre Cæleſti, abſolventes Barabbam, ad Crucē poſtulantes IESUM, conveniſtis facto, ſed non animo Pater miſertus generis
A humani, *non pepercit filio*, vos veſtro ſæviente odio, non peperciſtis innocenti: itaq; in Patris facto, miſeratio, in morte filii propitiatio, in veſtro autem voto ſcelus, in Chriſti nece deicidium, elucet. Agimus ergo gratias non ſceleri judaico neq; furori, in quorum facinore nihil præter iniquitatem videmus, ſed agimus miſericordiæ Patris Cæleſtis, qui ut parceret ſervo, non pepercit filio, & uſus eſt ſcelere Judaico in medicinam generi humano. Rom. 8. 32.

4\. O Dulcis IESU in bilance poſitus es cum Barabba: & certè ſi tua tantùm, atq; Barabbæ tantùm peccata ponderantur, haud dubiè tu viciſti, in quo peccatum inventum nunquam eſt; ſed
B in hoc judicio circumventus es Domine primùm quidem à Patre tuo, qui in te poſuit iniquitates omnium noſtrum; circumventus es à Judæis, qui te, innocentiamq; tuam quia plùs oderant quàm omnem Barabbæ nequitiam, ideo illam appoſuerunt ad tuam cauſam: adeò ut quantò tu innocens magìs, tantò Judæis judicibus reus magìs & morte multandus dignusq; magis fueris: ubi ergo innocentia pro ſcelere: & mortis cauſâ fuit, quidni tibi mi IESU potiùs quàm Barabbæ in morte hæredum fuit? Circumventus es ab ipſo Barabba Domine, nam Barabbas illo tempore in conſpectu tuo quaſi innocens fuit, ſiquidem omnia ſcelera ſua, te & Patre volente in
C te, eo ipſo veluti, tranſtulit, quod tibi collatus & compoſitus in hoc judicio fuit, proinde jam Barabbas non ſceleratus fuit, quia te ſcelerum ſuorum vadem & expiatorem habere meruit, ideo ergo ille liber & ſolutus abiit, ad te autem mortis ejus reatus tranſiit: Circumventus es deniq; Domine & à me multiſq; aliis fratribus meis ſicut & ego peccatoribus, qui omnes quaſi multiplicati Barrabæ fuimus, & in tua bilance tecum una fuimus, & quid mirum, ſi unum illum Barabbam pondere, ſcelere vicimus, ac per hoc illum quidem abſolvimus, te verò reum mortis, reum inquam omnis, meæ atq; noſtræ iniquitatis in damnationem mortis præ-
D cipitavimus? Non mirum, non Domine IESU quòd tu in his circumſtantiis poſitus Barabbam in pondere malitiæ viciſti; mirum potiùs fuiſſet, ſi non viciſſes. Mundus tecum totus contra Ba-

rabbam

rabbam gravabat, ipſius Barabbæ faci-
nora, tua, & tecum erant, quidni ergo
allevaretur Barabbas, tu deorſum de-
ſcenderes? Ego verò mi JESU, miror,
quòd te ſic gravatum gravantemq; ter-
ra hæc ſuſtinuerit, miror quòd dehi- A
ſcens te non abſorbuerit, Nam ſi Da-
Num. 16. than, Core, Abiron, eorumq; compli-
3. ces murmurationis unius contra Moy-
ſen pondere gravati, ita facti ſunt im-
portabiles huic terræ, ut illa aperiens
os ſuum diruptaq; media abſorbuerit o-
mnes vivos & ad tartara demiſerit: debuit
ſanè & hoc tecum fieri qui totius mun-
di ſcelera geſtabas: & quia tibi ſic
gravato terra ſic non fecit, mirabile
certè quidpiam terra iſta fecit, niſì for-
te ſatis hoc fuit ad terram ſolidandam,
nè rumperetur, quód te Barabbæ com-
paratum & poſtpoſitum ab Hominibus B
intueretur. Deniq; paucis ut concludā,
liberatus eſt Barabbas, & Chriſtus pō-
derare plus illo in mortem inventus eſt,
quia cum Chriſto ponderavit Miſeratio
& Dilectio ejus tanta, quā majorem i-
pſo, teſte nemo habet, ponderavit ju-
ſtitia & voluntas Patris, *qua filio proprio*
non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit il-
Rom. 8. 32 *lum*, deq; moriendo pro nobis manda-
tum dedit, ponderavit miſeria & inju-
ſtitia Barabbæ, quin & totius mundi,
quorum alteri miſeratio & Charitas
Chriſti, alteri juſtitia & voluntas Pa-
tris ſerviebat atq; favebat, Chriſtoq;
non parcens, Barabbam & mundum ab
iniquitate abſolvebat.

5. Ohe Amici Chriſti ſi qui eſtis in
hac populi turba. ô Mater, ô Diſcipu- C
li, adeſte animis de Chriſto veſtro li-
berando agitur & ſeriò ſanè; Barra-
bæ componitur, ſolemnitas imminens
unum ex vinctis eximi poſcit, votum
populi tantùm deſideratur, quis dubi-
tet Chriſtum potiùs quàm Barabbam
vitâ & libertate donandum. Si non
innocens, ſaltem minús nocens, nocēs
hac occaſione liber abibit ſuffragio po-
puli, judicis voto, veſtro ſolatio, Ergo
adeſte animis, favetè lingvis, arrigite
aures, clamat jam populus & ſuccla-
mat. *Dimitte, Tolle* quis tolletur? quis
dimittetur? *Tolle hunc* ajunt, quem hunc?
nondum conſtat Barabbam, an JESUM,
vultis dimitti, ô Judæi? *Tolle hunc* ajunt
& dimitte nobis Barabbam. Heu me! ſpe
excidi, periit IESUS, ad mortem &
Crucem poſtulatus eſt, Barrabas di-
miſſus eſt! vota piorum, vota matris e- D
vanuerē.

6. Ergo Judæi veſtrum *Dimitte*, ſer-
viet Barrabæ, non ſerviet IESU? vah
ſcelus! at Dimitte Divinum, non ſic
olim Patribus tuis, atq; tibi ſervivit.
Recordare improbe & ingrate populus,
quoties Deus in Ægypto repetiit pro te
Pharaoni ſuum illud: *Dimitte populum* Ex. 5. 1.
meum, cùm tu populus improbus eras,
cum Deum, non noveras, cùm corde er-
rares, cùm Ægyptiis & Dolis & popu-
lis ſervires, Deus ſatagebat pro te, &
ſuum Dimitte urgebat pro te, urſit &
extorſit: prô! quantis dexteræ ſuæ
prodigiis? Tu autem quid nunc? *Non*
hunc, ais *dimitte, ſed tolle hunc & dimitte* Deut. 32.
nobis Barrabam! *Haccinè reddis Domino* 6.
Deo tuo popule ſtulte & inſipiens?

7. Habete Judæi, habete infelices
veſtrum vobis Barabbam, ſolutum ſed
improbum, liberum ſed latronem, vi-
vum ſed Homicidam. Nobis noſter Chri-
ſtus, etiā repulſꝰ, etiā vinctꝰ, etiā damnatꝰ,
etiam Crucifixus, etiam mortuus, in
amoribus erit. *Lapidem quem reprobave-* Pſ. 117. 22
runt ædificantes, iſti malè ſani *hic factus eſt*
in caput anguli Eccleſiæ. Ob hoc ipſum
pretioſior es mihi quòd contemptus
es, ab Judæis atq; Barabbæ poſtpoſitus.
Pretium tuum apud me contemptus
tui apud Judæum, I nunc Judæe Barab-
bam tuum, jacta, poſce, poſſide, ſit Ba-
rabbas portio tua, ſit & Judas cum
mercede ſuā, quam dediſti ei, & refudit
tibi: Meus eſt IESUS quem tu abjeci-
ſti, & ideo meus, quia tu abjeciſti,
tantò mihi carior, quanto tibi vilior.
Vitulus iſte ſaginatus mihi eſt, tibi
& amicis tuis hædus malè olens. quem
elegiſtis, cedat. Non recepiſti Chriſtū
venientem in Nomine Patris ſui: Dei
tui: veniet alius in Nomine ſuo, hunc
recipies, veniet & in Nomine Diaboli-
co, ipſū exſpectabis, ipſū acceptabis.

8. Vitam Barabbæ innumeri petie-
runt & obtinuerunt etſi improbiſſimū
non ignoraverunt. Vitam JESU peti-
it, nemo, popoſcit ne unus quidem. E-
heu fideles Chriſtiani attendite ne in
vos fabula hæc tendat, videte nè in
nobis etiam hodie innumeri quidem
mortem, Crucem, probrum, contēptū
Chriſti petant: vitam autem, Glori-
am, obedientiam, cultum, obſequium
vix aliquis, ac forte nec aliquis. Et cur
hoc? An Barabbas, an Pilatus in Cau-
ſa? ſi horum aliquis, non eſſet prior-
ſus intolerabile: Sed aliquis ex his: au-
dite auctores: Pontifices autem, & Prin-
cipes Sacerdotum & ſeniores perſvaſe-
runt populis, concitaveruntq; turbam,
ut magis peterent. Dimitteret eis Ba-

rabbam, IESUM autem perderet. Barabbas Chriſto compoſitus eſt, Pilatus compoſuit, plebs præpoſuit, Principes Sacerdotum, Pontifices, Seniores perſuaſerunt, concitaverunt. Attendite vobis Paſtores gregum Chriſti, attendite inquam *vobis & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo* (Act. 20. 28) attendite nè veſtris perſuaſionibus, veſtris cōcitationibus inducatur populus ad Barabbam dimittendum, ad IESUM perdendum. Videte in hoc exemplo, quòd neq; à Barraba, Homicidâ quamvis & latrone, neq; à Pilato, Gentili quamvis & iniquo, populus iſte concitatus ſit in necem Chriſti, ſed tantùm Sacerdotum, Seniorum, Principum, Eccleſiæ Pontificum, vocibus an operibus: vos videritis. Innocens præ judæis iſtis Pilatus, qui ita compoſuit Chriſtum Barrabæ, ut vel componendo judicaret, indicaretq; præponendum: Sacerdotes ita perſuáſerunt plebi, ut ſcientes præponendum Chriſtum, tamen ad eorum inſtantiam poſtponerent. Ergo Pilatus præ judæis innocens. Nempe frequens in uſu eſt ſecularium rudium, infidelium etiam peccata, ſæpé, immo ſemper, leviora eſſe, peccatis ſcientium, fidelium, magiſtratuum, Eccleſiaſticorum. Nec ulli magis præcipitant populos ſive in malos mores, ſive in damnationis ſcopulos, quàm exemplum Sacerdotum. Illi ſunt qui præeunt, iſti ſuntqui perſuadent. iſti ſunt qui concitant, iſti ſunt qui præcipitant populos in Chriſti contumeliam & mortem, in propriam damnationem, & in infelicem æternitatem, Dæmonumq; Societatem, quod utinam magis exaggeratè quàm verè, magis ad cautelam, quàm ad notam dicatur.

9 In ſolemnitate ſuâ, & maximâ quidem Iudæi Barabbam dimittunt, Chriſtum occidunt, imitantur hoc infelix exemplum etiam Chriſtiani, feſta enim ſuâ, & in his penè præcipué Paſchalia conſecrant liberationi Barabbæ à vinculis & morte, ſolventes concupiſcentias ſuas, deſerentes Pœnitentiæ, modeſtiæ, Caſtitatis, Temperantiæ, ſobrietatis, aliarumq; Chriſtianarum virtutum, ſtudia: mactant verò Chriſtum, animam, conſcientiam, religionem, Charitatem, Dei legem; cum opprobrio & illuſione Iudæorum, aliorumq; infidelium Quando enim majoribus inſolentiis, & indecentiis reſonant villæ, oppida, urbes, aulæ, palatia, infimorum juxta ac ſummorum hominum, quàm in ſolemnitatibus? propterea dicit Dominus: Neomenias & Sabbatha veſtra odivit anima mea.

10. Hæc eliberatio Barabbæ & Damnatio Chriſti ab Iudæis, futurorum quædam eventurorumq; Iudæis ipſis figura fuit, nam ſicut alia, ita & hoc in figura evenit illis, & poſtmodum impletum eſt in illis, revera enim Iudæi amiſerunt Chriſtum, & fructum Paſſionis ejus perdiderunt, receperunt autem Barabbam ſeditioſum, & homicidam ac latronem. Nam cito poſt Paſſionem Chriſti, totus fere Iudæorum populus, in ſeditiones, homicidia, latrocinia, rebellionesq; converſus eſt ob quas etiam tandem 42. anno poſt Chriſti mortē, à Romanis debellato, deleti, diſperſi ſunt, & Civitas cum Templo vaſtata usq; dum *non relinqueretur lapis ſuper lapidem*, (Luc. 13. 35) quod & prædixit Chriſtus, & neſciens impletum, ſcripſit Ioſephus in lib. de Bello & de Antiq. Immo etiam usq; hodie exſpectant Barabbam pro Chriſto, AntiChriſtum ſcilicet pro Meſſia, hominem peccati, & filium diaboli pro Filio Dei. Habent quoq; usq; hodie Barabbam iſtum Regem ſuum Diabolum ſcilicet, ex quo tanquam Patre (teſte Chriſto) nati ſunt, ejusq; opera faciunt. (Ioan. 8. 44) Opus enim Diaboli, latrocinium, ſeditio, Homicidiumq; fuit: Latrocinium, quia æqualem ſe eſſe Deo rapinam arbitratus eſt. Seditio, qua concuſſit Angelorum ordines fecitq; *prælium magnum in Cælo, & tertiam partem ſtellarum* (Apoc. 12. 7) ſcilicet Angelorum, in Societatem ſceleris damnationisq; traxit. Homicidium, *ille enim Homicida erat ab initio*, (Ioan. 8. 44) impellens Hominem in mortis temporalis & æternæ neceſſitatem, & quidem per mendacium, cujus ipſe primus & proprius Parens eſt. Talem Regem habent infelices judæi, quē ſpreto Chriſto, elegerunt!

11. Barabbas liberatus Chriſtus verò damnatus, notat Adami liberationem per Chriſti Mortem, fuit enim Adamus Barabbas verus, fuit Latro, quia ſcientiam Dei concupiit. Seditioſus, quia Deo non obediens, Rebellionem movit: & in ſe ipſo Rebellionem Carnis contra Rationem, ſenſus, contra Spiritum, plantavit. Homicida, nam & ſe ipſum & poſteritatem omnem ſuam in mortis ſervitutem præcipitavit. Hunc Barabbam IESUS morte ſua liberavit, & ſe pro ejus ſalute in damnationem mortis objecit. Atq; ita hæc judicia de Barabba & Chriſto diſpar ſententia, eorum

tia, eorum quæ Deo ordinante, Chriſto autem efficiente gerebantur, fuit præfiguratio: Non ſecus ac illa Arietis pro Iſaaco immolatio; aut illa unius ex duobus hircis, in libertatem & vitam (in quo peccata totius populi deponebãtur) dimiſſio, alterius autem in Sacrificium oblatio.

Gē.22.13. *Lvc.16.7. & ſequ.*

12. Hac Barrabæ liberatione & Chriſti damnatione in die ſolemnitatis videri poteſt delineata conſuetudo, qua Deus utitur in feſtis ſolemnibusq; diebus, cum Chriſti fidelibus & cum filiis Eccleſiæ. Liberantur enim Barrabæ his talibus diebus plurimi, Chriſtus verò mactatur & immolatur, quia in Sãguine & meritis ejus, peccatoribꝰ peccata cõdonãtur, gratia Sãctificans cõfertur libertas filiorum Dei conceditur, Epulo Sanctiſſimi Corporis Sanguinisq; Chriſti, Animæ ſaginantur & Unigenitus Patris eidem in Sacrificium immolatur. Atq; quemadmodum olim in terris manens Chriſtus frequentiſſima diebus feſtis ſeu Sabbativis, miracula operatus eſt, beneficiaq; contulit indigentibus. (ob quam cauſam odia Judæorum & perſecutiones ſuſtinuit, eo quod ſabbatum à Chriſto violari ſtultè crederent) ita & modò in Eccleſiâ ſuâ maximas ut plurimùm gratias hominibus in diebus feſtis ſolemnibusq; diſpertit, homines quoq; iis præcipuè diebus divinis obſequiis vacant, ſacrificiis, concionibus ſacris interſunt, peccata per confeſſionem eluunt, orationes perſolvunt, menſæ cæleſti accumbunt.

13. Conſuetudo hæc dimittendi vinctum aliquem in Paſchate & ſi videri poſſit promanâſſe ab indulgentia præſidum Romanorum, qui volebant hac ratione demereri populum; tamen videtur potiùs inventa, ac ſimul retenta à Romanis, quàm inducta ad cohoneſtandam primariã feſtivitatẽ Judæorũ. quòd videtur explicari ab Evangeliſtis: Nam Ioannes refert Pilati verba ad populum: *Eſt autem conſvetudo vobis ut unum dimittam.* Lucas autem ſcribit: *Neceſſe autem habebat Præſes. dimittere eũ per diem feſtum* Marcus quoq; ait. *Et cum aſcendiſſet turba cœpit rogare ſicut ſemper faciebat illis.* Quæ non obſcurè indicant hunc morem fluxiſſe, à Judæis non à Romanis, retentum autem ad mitigandam etiam hac parte invidiam imperii alieni. Iam autem unde traxerint eum Judæi non ſatis conſtat. fortè ab eo ritu quem ſupra in figuris attigi ex Geneſi & Levitico, fortè ab illo eventu quo populis

Ioā.18 39 *Luc. 23 17.* *Mar 15. 8.* *1.Reg.14 45.*

A impetravit vitam Ionathæ à Saule Patre volente vindicare in eum transgreſſionem edicti ſui, de non ſumendo cibo ab ullo usq; ad veſperam (ut placuit Drigeni.) Fortè etiam huic conſuetudini occaſionem dederẽ civitates refugii in quibus Homicidæ exſpectabant Mortem ſummi ſacerdotis. Ita placet Theophylacto & Cyrillo in Ioan. Quanquam non video, quid lex illa de refugii urbibus cùm hac conſvetudine Paſchali conuenientiæ habeat. Mihi præ omnibus placet, manaſſe morem hunc à ſeniorum traditione antiqua. qui in memoriam honoremq; atq; gratiarum actionem, & ſolemnitatis deniq; incrementum liberati populi ex Ægypto, per necem quidem primogenitorum Ægyptiorum perq; conſervationem primogenitorum Iſraeliticorum, per Necem quoq; ac demerſionem Pharaonis in mari rubro, perq; populi Dei tranſitum

Deut.19 3.

B per medium ejusdem Maris fundum, inter aquas maris diviſas, ſtatuerunt ut ſemper captivus aliquis idq; ad arbitriũ populi delectus liber abiret à vinculis, & conſequenter vita donaretur ſi reus mortis eſſet alter autẽ moreretur. Itaq; in Paſchalibus feſtis, una dierum proponebantur populo duo vincti, è quibus populus deligebat quem vellet ſalvari & vitâ donari liberumq; eſſe, altero in terim reſervato ad mortem, quod & in Chriſto factum; & ſi cùm duplici minimum exaggeratione aut triplici. Primò. Quia Innocentem Judæi ſuo calculo damnârunt, Nocentem autem abſolverunt. Secundo. Quia Chriſti Mortem ante Paſcha perfici ſummâ cùm fe-

C ſtinatione urſerunt & extorſerunt. Tertiò. Quia illum non tantùm latroni poſtpoſuerunt uni, ſed etiam inſuper inter duos Latrones medium, (quaſi non uno tantùm Latrone Sed omnibus eſſet nequior) crucifigi fecerunt.

14. Nunc etiam Judæi hoc implent, quòd eis olim à Domino improperatum eſt: *Duces cæci excolantes culicem, camelum autem glutientes.* Culex enim (ait Gregorius) ſuſurrando vulnerat, camelus autem ſponte ſe ad ſuſcipienda onera inclinat. Liquaverunt ergo (ſeu exco-

Matt.23. 24. *Grego. 1. mor. c.6.*

D lârunt) Judæi culicem, quia ſeditioſum dimitti Latronem petierunt, Camelum autem glutierunt, quia eum, qui ad ſuſcipienda noſtræ mortalitatis onera, ſponte deſcenderat, exſtingvere, & deglutire clamando conati ſunt. Hæc Sanctus Gregorius.

Digitized by Google

PARAGRAPHVS C.

Matt. 27. 20. *JESVS perſuaſione Principum ad mortem á populo poſtulatur.*

STROMATA

Hujus opinionis Pilatus fuit, quòd populus IESUm præ Barraba magis liberari vellet: ideoq; illum, cùm iſto tanquam extremè diverſa meritos propoſuit, ut ſinè controverſia IESUS evaderet, Barrabas periret. Sed ſimplicitatem, atq; poſt Principum vota voluntatesq; ſequacem mentem populi, pervertit perſuaſio, immò concitatio Principum, egitq; transverſum in mortē Innocentis, in vitam Latronis. Et hoc exemplum eſt Principibus, quanto cùm periculo præſint plebibus, maximé autem iis, qui ſunt præſides Ducesq' animarum & Paſtores: ab eorum enim vocibus ab eorum moribus, plebis pax & ſalus præſens & æterna pendet, quales ſunt illi, tales ſunt & eorum populi: Nec mirum quia quaſi neceſſitate fit, ut inferiorum voluntates cogantur obſequi ſuperiorum voluntatibus, conſequenter autem ſit etiam ut conformentur & moribus: pudor eſt enim inferiori recedere ab exemplo altioris. Timet humilis non ſequi Prælatum, ne videatur reprehendere eum, cui audeat contraire. Itaq; vita majorum lex eſt minorum. Traxerunt ergo Principes Sacerdotum & Seniores populi, populum in ſui livoris conſortium, ut non ſoli peccarent, ſed ſimul & plebem ſcelere ſuo involutam perderent. Tanti nimirum eſt ponderis affectus Summatum in omnem partem! At enim qui fieri potuit, ut plebs illa tam Chriſto ſemper addicta, tam in ejus laudem & defenſionem effuſa, ut timori eſſet Principibus ipſis, perſuaderetur Chriſtum damnare. Primum quidem auctoritas hoc fecit, de qua jam innui. Deinde rationes adductæ populo. An non enim tunc habebant locum, illæ olim habitæ jactatæq; voces in concilio *Venient Romani & tollent gentem noſtrã* Ioan. 11. 48. *& locum.* An non dictitabat Caiphas tunc: *Expedit vobis ut unus homo moriatur pro populo & non tota gens pereat?* An non dicebant: Ib. ℣. 50. *Hic ſe Meſſiam, Chriſtum, Regem facit?* probrum noſtrum eſt tam abjectum Hominem à Nazareth, à Galilæâ oriundum, fabrum, fabri filium, impoſtorem, ſeductorem, habere Meſſiam & Chriſtum & Regem! An non dicebant: Iſte Tem- A plum everſurum ſe minatus eſt, tollatur de medio? An non dicebant *non eſt hic homo à Deo, qui Sabbatum non cuſtodit?* Ioã. 9. 16. An non dicebant: Heri in concilio in judicio noſtro publicé audientibus nobis Blaſphemavit! idemq; repetiit, hodie mané, Deum ſe & Filium Dei Chriſtum confitens: propter quòd reus eſt mortis? An non dicebant? Si hic vixerit, factionem & ſeditionem faciet, Romanos concitabit in nos, & unâ cum ipſo peribitis omnes. His ſimilibusq; rationibus incuſſus eſt populo illi metus, & ſic totus ad damnandum IESUM impulſus, movente magìs populum præſentiâ, voluntate, Auctoritate, exemploq; Principum, quàm memoriâ beneficiorum ab B IESU acceptorum, & mirabilium ab IESV patratorum, aut documentorum ab eodem auditorum.

PARAGRAPHVS CI.

JESVS ad mortem Crucis à populo poſtulatur. Matt. 27. 22. Marc 15. 13. Luc. 23. 21. vid infra paragraf. 116. & par. 126.

STROMATA.

1. Ergo huc reciderunt vota & gemitus Patriarcharum Sanctorum ut Filii eorum poſt eos talibus inclama- Iſa 45. 8. C rent vocibus Meſſiam ſuum? Illi clamabant: Iſa. 64. 1. 2. *Rorate Cæli deſuper, aperiatur terra & germinet Salvatorem: Utinam diſrumperes Cælos & deſcenderes, aquæ arderent igni!* Iſti autem inclamant, *Tolle hunc, tolle, Crucifige: Dimitte nobis Barrabam.* O verè ardent Aquæ igni *Aquæ multæ populi multi,* ignis eorum furor eorum.

2. Populus iſte, ſicut nuper ſuus Pontifex, & ipſe prophetat, dum Pilato inclamat: *Tolle hunc & Barrabam dimitte nobis:* Lu. 23. 18. nam reverâ Gentibus in hereditatem & poſſeſſionem ceſſit IESUs. Barrabas ſuis remanſit Judæis. Non eſt, infelices Judæi, non eſt vobis pars in ſermone iſto, ſed audito illo gentes, gaviſæ ſunt & receperunt verbum cum lætitia. O infe- D lix Synagoga! non vides quomodo per tuam ingratitudinem, *Hæreditas tua* Thr. 5. 2. *verſa eſt ad alienos,* & tu facta es quaſi ali-

ena ab

Mar.12.7 cena ab eâ? Dicebatis: *hic eſt hæres venite occidamus eum, & hereditas noſtra erit.* O inſani! Hereditatem ſinè herede volebatis, an idem eſt rapina & Hereditas? verè apparet, quòd ejus filii ſitis, qui rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo. Non ſic Eccleſia Gentium, non ambivit Hereditatem, ſed amavit hæredem, & cum eo conſecuta eſt Hæreditatem.

Iere.12.8. 2. *Facta eſt Hereditas mea mihi quaſi leo in ſylva, dedit contra me vocem.* O veré dedit Domine læna iſta Crudelis Synagoga, dedit vocem, qua funeſtiorem orbis audiuit nunquam; neq́; Creatura protulit aliquando! O David, tu Goliæ exprobranti acies Dei viventis ultus es, amputando caput Cani illi, & carnes ejus dando volatilibus cæli: en populus iſte in tua Civitate dat vocem ſuam amaram & blaſphemam, contra Dominum, & contra Chriſtum ejus, dat vocem feralem & funeſtam, dát vocem mortis & interfectionis, ubi eſt zelus tuus nunc? O Moyſes quando Filii Iſrael vitulum adorantes dicebant: *hi ſunt Dii tu,iqui eduxerunt te de Ægypto* confregiſti lapideam legem & exclamaſti: *Si quis eſt Domini jungatur mihi,* & à porta ad portam Caſtrorum diſcurriſti, in ore gladii percutiens idololatras. Ecce iſti filii nequam, filii ſcelerati; dederunt vocem ſuam contra Dominum clamantes: *Tolle,crucifige!* Ohe accingere gladio, jungere Domino & conſecra manus tuas in ſanguine, leunculorum iſtorum crudelium, & luporum rapacium,

3.Reg.17.44. Ex.32.19 & 26.

PARAGRAPHVS CII.

JESVM non dignantur nominare, dum ad crucem poſcunt.

Luc23.18 Ioã.18.40

STROMATA.

1. ODio quidem & rabie efferati nominare IESUM non dignantur: Impii: iſti: ſed ni fallor ſecreto cõſilio Dei proviſum eſt, ut tam ſpurcis rictibus ſuis, tam Sacroſanctum Nomen IESU non conſpurcarent.

2. Aut forſan Diabolus cavit nominari hoc Sanctiſſimum Nomen, tunc à Miniſtris ſuis, hominibus ſcilicet illis, nè vires Diaboli ad tam Sancti nominis inclamationem infringerentur. Ideo ad Pilati requiſitionẽ, quem de duobus vellent? reſponderunt *Non hunc, tolle hunc crucifige eum, dimitte autem nobis Barabbam.*

3. Abſurdum ſanè erat IESUM ab his impuris faucibus nominari, & ad necem poſtulari, non erat illis IESUS quibꝰ fuit exoſus & quaſi perditionis filius, & qui illi erant filii alieni, & perditionis filii.

4. Nomen Dei ex lege debebat eſſe *Adonai* ſive ineffabile & innominabile Tale fuit Nomen IESUS, & ideo illud nominare eſſariq́; fauces illæ malitiâ plenæ non merebantur.

5. Obſervare eſt in totâ Dominica Paſſione ab eo tempore quo in horto requiſiti Judæi à Chriſto, quemnam quærerent? reſponderunt illi, ſe IESUm Nazarenum quærere, á duabus etiam ancillis quæ Petrum allocutæ ſunt Nominatus eſt IESUS; nunquam deinceps ab ullo Judæo nominatum eſſe IESUM hoc nomine: cum interim à Pilato frequenter hoc nomine appellaretur. Receſſit nimirum ſicut ſalus ab Judæis ex tunc, ſic & nomen ipſum ſalvatoris atq́; ſalutis ab ore eorundem evanuit, aut certè odio id dederunt ſuo in IESUM ut eum nominare non ſuſtinerent, ſed ſicut gravis illis fuit ad videndum, ita etiam volebant Nomen ejus non nominari, nec memorari apud ſe amplius. Atq́; ſic impletum eſt illud, quòd & prædictum & præfiguratum fuit in Iob. *Halitum meum exhorruit uxor mea.* Verè enim exhorruiſſe videtur uxor ſua halitum IESU, videlicet Synagoga, quando nè nomen quidem ejus proferre præ odio ejus ſuſtinuit, & quaſi inficienda eſſet tanquam peſtifero halitu Nomine ipſius, ſic ab ejus prolatione abſtinuit.

Matt.26. Iob 19.17.

PARAGRAPHVS. CIII.

JESV quid faciat Pilatus ex Iudæis quærit

Matt.27. 22. Mar.15. 12.

STROMATA.

1. O Pilate Judex quid tam malé perſonam judicis ſuſtines, quid adeò inter æquitatem & iniquitatem fluctuas? pro liberando IESU utpote te judice, Innocente laboras? hæc eſt pars boni Judicis: quid de eodem IESU, quem per invidiam à Judæis traditum accuſa-

Digitized by Google

objicite peccaturi: hoc objicite prædicatores peccatoribus: Quid enim mali fecit vobis IESUS, quòd in eum peccetis, ut in eum peccetis? *Quid invenerunt in me Patres veſtri iniquitatis?* dicebat olim per prophetam Deus, & in Paſſione per Pilatum IESUS, & modò omnibus hominibus præſertim peccantibus id ipſum repetit Deus noſter Chriſtus IESUS. Equidem ſupra omnem ſtuporem ſtupenda res eſt iſta: Diabolus pro Hominibus, & Hominibus, nihil omnino, omnino boni nihil fecit, nihil promiſit aut promittit, imò innumera mala facit, æterna etiam mala parat, & tamen pedibus, manibus, cordibus, corporibus, totis viribus itur ad eum & poſt eum, Deus autem & Hominibus & pro Hominibus infinita bona fecit, mala pertulit, dona promittit, etiam ſe ipſum impendit in pretium & aſſignavit in mercedem, nihil mali Hominibus fecit, nec facere poteſt (niſi quando ipſi malè agendo ad pœnam ſuam Deum cogunt) & tamen pauciſſimi ſunt, qui ſequuntur Deum, vix unus qui ſerio, ferventer, conſtanterq; diligat Deum! O Homines, ut quid hoc aut unde hoc? Quid enim mali fecit vobis IESUS? quid inveniſtis in Deo veſtro iniquitatis.

Jerem. 2. 5

PARAGRAPHUS CV.

Matt. 27. 26. Marc. 15. Luc. 23. 25.

IESUM detinet, Barabbam dimittit Pilatus volens populo ſatisfacere.

STROMATA.

1. HOc eſt quod evertit Pilatum, hoc quod æquitatem peſſundedit, hoc quod labores pro Chriſto liberando, conatusq; repetitos ſuccidit, hoc quod innocentiam IESU obruit, hoc quod ſceleratiſſimo Barabbæ patrocinatum eſt, & vitam & libertatem dedit (*volens populo ſatisfacere*) Iſta eſt peſtis omnis æquitatis, hoc macellum eſt Divinorum omnium mandatorum, atq; placitorum, hoc eſt laniena, omnis virtutis, omnis propoſiti, omnis cœpti bene: *Satisfacere populo*) Aaron volens populo ſatisfacere, conflavit Idolum, idololatriam plantavit, cultum Dei perdidit, populum perdidit. Excute Paſſionem Chriſti omnem: complementum Paſſionis & Mortis Chriſti, per hoc unum perfectum eſt: Satisfacere populo. omnia in caſſum alia fuiſſent, ſi hoc unum defuiſſet, Satisfacere populo. Ah infelix ſatisfactio per quam deicidium peractum eſt. Sine qua nec poteſtas Dæmonum, nec furor Iudæorum, vires in Chriſtum ullas habere potuerunt. Damnavit Pilatus IESUM ad flagella, coronavit ſpinis, illuſit ludicrâ Regis imagine; addixit, & affixit Cruci, quare? volens populo ſatisfacere. viveret ergo Chriſtus, ſi populo ſatisfacere non voluiſſet Pilatus. O Satisfactionis Idolum! ô Quid dicent! Idolum! quàm multum potes in hominibus etiam virtute, etiam prudentiâ, etiam poteſtate pollentibus. quàm multi adorant te idolum infelix! quantas habet quotidie, immo in momenta omni tempore, victimas, idolum abominabile! Tibi Deus, tibi lex Dei, tibi voluntas Dei, tibi æterna ratio: tibi prima veritas, tibi ſuprema dignitas, tibi Sapientia Summa, tibi omnipotentia, tibi Auctoritas Divina, tibi Charitas, tibi timor Dei, tibi Dilectio proximi; tibi fortitudo, prudentia, temperantia, Juſtitia, tibi æquitas, tibi Religio, tibi conſcientia, tibi vota, tibi vita æterna, tibi gratia & amicitia Divina, tibi anima ſanguine Redempta, vivificata, abluta, ornata, dotata, tibi hæc omnia in victimam cadunt, & in tui honorem immolantur & mactantur, ab omni eo quicunq; vult populo ſatisfacere, quicunq; vult Hominibus placere, quicunq; vult, Quid dicent homines? attendere. Totus mundus Deaſtrum iſtum, Idolum iſtud colit, timet, veneratur, victimis pretioſiſſimis demulcet, demeretur, oblectat. Tolle Idolum iſtud, vivit Chriſtus: pone Idolum iſtud, nec Chriſtus vivit, nec Deus. Pone Idolum hoc & ardet Mundus diſcordiis, & ſurget Gens contra Gentem, & jacebit omne fas & bello cadent integri populi, & ibunt urbes magnæ in cinerem, & vaſtabuntur Regna, & mutuis cædibus cives cadent, & Sanguinis jura abolebuntur, & rebelliones vivent, & exhaurientur familiæ, ſumptibus luxibusq; inſanis, & ad pauperiem venient ditiſſimi quiq; & vita pro nihilo erit, & ſusdeq; omnia ima ſummis, ſumma imis miſcebuntur, fientq; victima ſatisfactionis, cadent coram idolo: Quid dicent? Quàm

Exo. 32. 2

dabis *mihi animam ex millibus unam quæ*
non curvet genua ante Idolum iſtud? *qui lu-*
dunt in Behemoth, qui Levitthan nare ſuſpen-
dunt & ligant eum ancillis ſuis, qui impe-
rant ventis & mari, qui calcant, ſuper A
ſerpentes, & ſuper Baſiliſcum impune
pedem ponunt, qui conculcant Leo-
nem & Draconem, qui Babylonis ſta-
tuam ac fornacem deſpuunt, ac non ſen-
tiunt, qui debellant Principes ac pote-
ſtates tenebrarum harum, qui domi-
nantur nequitiis cæleſtibus, qui in cæ-
lo poſuerunt & os & nidum ſuum, i-
ſti nihilominus Idolum *Quid dicent,*
adorant, & muneribus colunt, & ma-
ctant ei victimas, & ponunt maculam
in gloria, obliti illud: *Dominum Deum*
Luc. 4. 8. *tuum adorabis & illi ſoli ſervies.*

2. Omnium peccatorum noſtrorum
offenſarumq; Divinarum à nobis, car-
dines iſti ſunt vel quia volumus ſatis-
facere aliis, vel quia nobis ipſis, vel
quia nolumus diſplicere aliis, vel quia
nihil denegare nobis. Satisfacere vel- B
le Hominibꝰ, aut propriis paſſionibꝰ, hoc
eſt aperire viam, hoc eſt imponere ne-
ceſſitatem omnibus criminibus, omni-
bus in Deum offenſionibus, O non abs-
q; ſumma ratione dictum à Paulo: *Si*
adhuc hominibus placerem, ſervus Chriſti non
eſſem; Et ab alio Apoſtolo: *Qui volue-*
Galat. 1. 1 *rit eſſe amicus hujus mundi, inimicus Dei con-*
Iacob. 4. 4 *ſtituitur.* Et iterum: *Totus mundus in ma-*
1. Ioã. 5. 19 *ligno poſitus, quicquid enim in mundo eſt, aut eſt*
1. Ioã. 2. 16 *concupiſcentia carnis, aut concupiſcentia oculo-*
rum, aut ſuperbia vitæ, quòd totum aliud
eſt nihil, quàm ſtudium ſatisfaciendi ſi-
bi & aliis propter ſe.

PARAGRAPHVS CVI

Lu. 22. 16. 22.

JESVM emendare & corripere vult Pilatus.

STROMATA

1. NOn ruitur ſtatim ad extrema, per gradus deſcenditur ad inferos: Sed nec Diabolus totum ſe initio deglubendum offert, lambendum & ſorbendum ſe propinat, initio tantùm; leviora, dulciora, & minùs nociva prin- D cipio ſuadet, quæ ſcilicet nihil vel parum noceant, emendatu faciliora ſunt ſi fortè inveniantur nocuiſſe. Ita Pilatus ſit ſenſim in præceps, emendare, corripere IESUM ſinè noxa & culpâ inventum licet, totiesq; à ſeipſo teſtatum. Emendare tamen & corripere ſtatuit, A non ultra, & id quidem ad dimittendum, ad populum Chriſto placandum. Quid hic videas mali, emendare & caſtigare, quem totiũs magiſtratũs & populi voce accuſatum & ad crucem poſtulatum habeas. Reus non eſt, nẽ tamen reus ſit, corripiatur. Non deliquit, videtur tamen tantis deliquiſſe: emendetur. quia verò innocens eſt, & nihil mali fecit, dimittetur. Satisfiet utriq; parti & populo inſtanti, & æquitati poſcenti. Specioſa verba cùm injuria aliena. Sic itum, ſic perventum ad damnationem in mortem, & homicidium innocentis perſuaſum eſt, contra non tantùm jus & fas, ſed etiam contra tamdiu obfirmatam voluntatem, contra tam obluctantem rationem atq; conſcientiam. Utinam diſcant turbæ B Hominum in omni ſtatu, quibus pergatur paſſibus in perditionẽ. Non ſunt facienda parva, ne via ſternatur ad patrãda magna. Si Pilatus Chriſtũ emẽdare nõ voluiſſet: neq; in ejus Crucifixionẽ cõsẽſiſſet: at enim volẽs ſatisfacere populo, flagellavit. etiã poſtea eũdẽ ad Crucifigẽdũ volũtati eorũ tradidit. Lubricus ſerpẽs eſt peccatum, quocunq; immiſerit caput illabitur toto corpore, nec obniti quisquam poteſt!

2. IESUM Pilatus emendabit! Im-
manis auſus! & major quàm *ſi quis ad* Matt. 6: 27.
ſtaturam ſuam addere cubitum unum cogitans. Luc. 12. 25.
verè emandâſti IESUM Pilate, verè e-
mendâſti; qui enim antea, te quidem
Judice fuit Innocens, jam te auctore eſt
etiam innocenter patiens: & qui, te at-
C teſtante, nihil mali fecit, jam te jubente plurimum mali ſuffert. Emendâſti IESUM Pilate, quià, quem propter invidiam ſciebas traditum, & accuſationibus falſis traductum, eum tu vulneribus veris & infamibus flagellis, atq; virgis feciſti ſubjectũ. Laceratus eſt à judæis in fama, à te laniatus eſt in carne, illi poſcunt ad Crucem, tu tradis ad flagellationem, & præparas ad Crucifixionem.

3. Tu mi IESU emendaris & corriperis, ego autem emendationem & correptionem fugio, imò execror, imò de ea conqueror. O veſtigium peccatoris qui odit correptionem! veſtigium Salvatoris & innocentiæ approximantis, ſuſcipere emendationem! Emenda me Domine & corripe. *Oleum autẽ peccatoris*

Pſ. 140. *ſpectatorū non impingvet caput meum.* Non parcam mihi Domine nec parci velim, nec diſſimulari mecum cupi-
Prov. 27. 6. am. *meliora enim ſunt vulnera diligentis, quàm oſcula odientis:* odi me, quando parco mihi, amo me, quando non parco mihi. Uſquequò Domine parcis mihi, ut non emender? Non parce quæſo ut parcas,
Pſ. 50. 9. emenda ut emender. *Lavabis me & ſuper nivem dealbabor.*

PARAGRAPHUS CVII.

Denudat. Chriſti. vid infra. paragraf. 128.

JESUS nudatur ad flagella.

STROMATA.

1. NUdatus eſt IESUS (teſte S. Athanaſio) ut veſtitus ille pelliceus olim in Paradyſo pro veſtitu Innocentiæ perditæ ſubſtitutus à Deo primis Hominibus Parentibus noſtris, & omnibus nobis detraheretur, quæ veſtes pelliceæ mortuorum Animalium mortalitatem, & corruptionem nobis dominantem deſignabant: ergo ut IESUS nos immortalitatis ſuæ veſte indueret, nudari veſtibus noſtratibus voluit.

2. Hactenus quaſi proluſit Chriſtus cum Diabolo, & Diabolus cùm Chriſto, nondum confertæ ſunt utrinq; feriò manus, nunc jam ad veram & feriam venitur luctam pugnamq;, exuit ergo veſtes Chriſtus ut nudus ipſe cum nudo Diabolo luctetur. Nam ſi veſtitus quiſpiam (ait Gregorius) cum nudo luctatur citius ad terram dejicitur, quia habet unde teneatur, quid enim ſunt terrena omnia niſi quædam corporis indumenta? qui ergo contra Diabolum ad certamen properat, veſtimenta abjiciat ne ſuccumbat. Hujus ergo pugnandi modi exemplum, Chriſtus in nuditate ſua dedit. quamvis Diabolus in hac cùm Chriſto pugna minimè nudus fuit, qui tot Judæis, tot Gētilibus, in Chriſtum pro ſe certantibus indutus fuit: ſi enim in Judam proditorem ac venditorem Domini introivit, ut Dominum proderet: quidni in Judæos, Judæorumq; Adjutores introiſſet, ut IESUM perderet? Paulus certè ſignificat à Dæmonibus Chriſtum Crucifixum, at ſanè non manibus propriis ſed Judaicis; Judæos ergò & ſatellites induerat, ut in Chriſtum pugnaret. At IESUS nudus luctatur, & non tantùm, non ſatellitium, ſed neq; veſtitum in auxilium luctæ aut pugnæ adhibuit.

Greg. hom. 32. in Evangel.

3. Nudatur IESUS ut utriusq; ſexûs Martyribus pro ſe olim in oculis ſpectatorum tot & toties abjectè & probro, ſè nudandis atq; in ſpectaculum protrahendis exemplo & merito ſuæ hujus nudationis præiret doceretq; eos non erubeſcere nuditatem carnis in tali paſſu, dummodo conſervaretur in veſte Animæ Chriſtus.

4. Sciendum eſt ex graviſſimis Chriſti injuriis, ignominiisq; intolerandiſſimis, fuiſſe hanc nudationem coram mille millibus hominum, omnis ætatis, ſtatûs ſexûs. Dignum eſt conſideratione quòd Adam cum eoq; Eva poſtquam peccârunt *cognoverunt ſe nudos* mox q; præ pudore nuditatis erubeſcere ſe ipſos, & mutuò cæperunt, atq; in latebras fugere, quæſo, cujus oculos fugiebant? non Dei, id enim ſtultum erat; non certè inanimatarum aut brutarum rerum oculos. cujus ergo? Dico ſolius nuditatis ſuæ oculos fugiebat, ſe nudum eſſe, viderіq; fugiebat. Pudor erat intolerandus nudum eſſe, nudum apparere. Quid cenſemus animi fuiſſe in Chriſto, cùm nudus ſtaret: longa fuit illa mora Chriſto, & ſi alioqui non longa; adeo ut per prophetam dicat ſe quaſi *tota die nudum ſtetiſſe*, & ab Hoſtibus ſuis tota die, *& totum inſpectum eſſe.* Alius autem Propheta inducit Dominum *gementem & plorantem planctu ſtruthionum propter denudationem: Super hoc plangam & ululabo* (quia) *Vadam ſpoliatus & nudus faciam planctum, velut Draconum & luctum quaſi ſtruthionum.* Tradunt Scriptores vetuſti, olim in quadam Civitate, inſaniâ quadam morbidâ correptas virgines paſſim ad laqueum cucurriſſe & gulam fregiſſe: Nulla ſatis erat Parentum diligentia, ad id impediendum. Conſilio ergo inito decretum factum & promulgatum eſt, quòd quæcunq; ſe deinceps infami illo laqueo ſuffocaſſet, nuda trahenda eſſet per plateam ad rogum ſeu ſepulchrum. Mirum dictu inſaniam puellarum atq; morbum, quem nulla media frenare poterant, frenavit nudationis timor etiam poſt mortem ſubeundæ. Tantus eſt dolor, honeſtis mentibus & moribus nudatio. Expreſſiſſe id videtur Dominus noſter apud Pſalmiſtam: *Lætati ſunt adverſùm me & convenerunt: congregata ſunt ſuper me flagella & ignoravi.* Quando ait ſum ad flagellandum deputatus atq; de-

Gen. 3. 7.
Pſ. 21. 19.
Ps. 43. 16
Mich. 1. 8
Plutarch.
Pſ. 34. 15.

nudatus, inimici mei lætati ſunt corde, intenderunt oculos & acceſſerunt de prope, ut me inter flagra conſpicerent, ego autem tanto perfuſus tunc pudore ſtabam, ut penè abſorptus à ſenſu fuerim, inchoataq; ſit flagellatio mei, & ignoraverim, non adverterim, non ſenſerim, præ pudore & verecundiâ, qua fui plenus ex denudatione. Nuditas flagellabat cor, flagella percutiebant corpus. ſed major fuit flagellatio cordis, & pænè adimebat ſenſum verberatæ carnis. Ego certè noveram adoleſcentem Religioſum, qui ad mentionem nuditatis pænè deliquium ſubibat, & aliquando me præſente ſubibat, cum neſcio quis nuditatis mentionem coram injeciſſet. Gen. 9. 23. Duo Filii Noe Patrem Nudatum ſpectare non ſuſtinuerunt, ſed injecto ſibi pallio retrogredientes, palliumq; dejicientes nuditatem Patris intexerunt. Tertius filius auſus eſt & ſpectare & irridere, atq; etiam vulgare nudum Patrem, at non impunè tulit, nam Noë excitatus à ſomno, ubi geſta filiorum circa ſe didicit, priores quidem benedixit ampliſſimè, at nequiculum tertium, & in ipſius perſona, & in poſteritate tota in æternum maledixit, adeò ut Cham, & Chanaan filii Cham, nomina, maledictionis nomina deinceps omni ævo fuerint! Adeò ægre tulit Noe Nudum ſe fuiſſe conſpectatum vel à filio! O IESU quanti filii Cham & ſemen Chanaan conſideraverunt & inſpexerunt te nudum ſtantem & in flagella paratum, quanti irriſerunt & illuſerunt te nudum, & non dormientem, ſed vigilantem! Neq; tamen in maledictionem erupiſti! ſed nunquid verecundiæ acerbum dolorem non ſuſtinuiſti?

5. Nudatur IESUS tibi ô Homo & erubeſcit, ne tu in judicio Dei olim toti mundo nudus appareas appareatq; turpitudo tua: & dicatur tibi à Chriſto coram omnibus: Ecce Homo & opera ejus, nudus ambulat, caret veſte Apo. 16. 15. nuptiali. *Beatus qui in hora illa cuſtodit veſtimenta ſua* ut non nudus ambulet. Nihil confuſibilius nuditate illa, quæ etiam Eccli. 11. 29. finem non habebit, ſed æterna erit, *in fine hominis denudatio operum illius.*

6. Nudatur IESUS nimirum Amor & veritas non erubeſcit, gaudet inſpici & agnoſci. Nudum ergo ſe amor contemplandum nobis exhibet ut credamus illi: Amat & vere, seriò, cum impenſis amat; redamatione dignus eſt. Abjecit amor velamenta & veſtimenta: quia excuſationes & recuſationes & moræ & latebræ non ſunt in vero amore quis enim celaverit ignem? quis velaverit A amorem?

7. Nudus IESUS venit in mundum, nudus Redemptionem peragit mundi, quem honorem præſepi habuit, hunc habet columnæ, hunc habebit & Cruci.

8. Nudatur IESUS, ut oſtendat tales ſe habere debere ſubditos atq; aſſeclas qui non erubeſcant Chriſtum etiam nudum *in frigore & nuditate* ſequi atq; profiteri, & usq; ad ipſam extremam nuditatem *omnia propter Chriſtum detrimentum facere.* 2.Cor. 11. 27. Phil. 3. 8.

9. Nudatur IESUS quia qui vult IESUM ſequi nudari talem & ſpoliam, imò *exſpoliari oportet non autem ſuperveſtiri.* 2.Cor. 5. 4.

10. Nudatur IESUS quia ad ſpoliandum atq; nudandum mundum pom- B pis & involucris ejus ſe accingit: ita venit in mundum, ita oppugnat & mundum, mundus ſemper veſtiri deſiderat, ſed IESUS nudare mundum ſemper laborat.

11. Nudatur IESUS, alias enim veſtes jam brevi erat induturus immortalitatis nempe, exuturus cutem mortalitatis, atq; patibilitatis.

12. Semper nudus eſt IESUS & in Cælo & in ſtabulo & in prætorio & in Cruce, nudus à peccato nudus à dolo. *Quis (ait) ex vobis arguet me de peccato?* Et rurſus: *Venit Princeps mundi hujus & in me* Ioã. 8. 46. *non habet quicquam.* Nudus ergo IESUS Ioã. 14. 30. ſemper.

13. Nudatur IESUS veſte, connatu- C rale eſt IESU nudari. Diabolus in Cælo nudare eum tentavit Divinitate. Primus Parens ſcientiâ: Diabolus per idololatriam dignitate & honore Divino, Amor & Charitas nudavit eum omni ſplendore & ſufficientiâ, apparentiaq; hujus mundi. Spoliatur jam veſte, ſpoliabitur mox pelle & carne, & ſanguine. Nudabitur in fine & animâ, & vitâ.

14. Nudatur IESUS: quia enim ad Balneum ſanguinis proprii atq; terſorium flagellationis ibat, ideo veſtes de- D trahit.

15. Nudatur IESUS abjicit vile veſtimentum, purpureo ſanguinis ſui proprii paludamento, mox mox induendus.

16. Nudatur IESUS: ut te induat, Homo. O nudi qui uſpiam eſtis, ecce IESU veſtes abjectæ, imò vobis proje-

ctæ ja-

Digitized by Google

Rom 13. ...ctæ jacent, *induimini ergo Dominum JESUM Chriſtum.*

17. Sol ſi innubis ſit, videri ſe,recto intuitu non patitur, niſi vel deſcendat valde, vel nube ſubducatur· Non ſic IESUS, Juſtitiæ Sol Verus; niſi deponat nubes, ſpectari non poteſt, quis enim eum ſpectet quando *tenebras poſuit latibulum ſuum*, quando *Lucem habitat inacceſſibilem?* quando in ſplendoribus *Sanctorum* occultatur? Nuderis oportet mi IESU, ſi cognoſci á nobis optes. *Pſ 17.12.* *1.Tim. 6.16.* *Pſ. 109. 3.*

18. Moyſes facturus Aaronem Sacerdotum ſummum in monte, exuit illum veſtimentis omnibus profanis. induit eum poſtea veſte poderis, in qua erat totus orbis terrarū, cū pomis malogranatis atq; tintinabulis. Veſtiendus Chriſtus ſummus Pontifex noſter erat, veſte ſanguinolenta in flagellatione,in qua conciſus eſt vulnere ſuper vulnus: & in qua totius orbis peccata erant deſcribenda, & punienda: poma erant, futuri livores & vulnera, tintinabula ſtrepitus plagarum, & guttæ glomiq; ſanguinis atq; ſegmina laceræ carnis: ergo nudandus primum fuit, veſtibus obviis:. *Exo 28.6* *Sap 18.24*

19. Nudatur IESUS: ideò nempe, ut vos mortales, vos homines fætori & putori nati, vos ex ſordibus coagulati, vos lutum & Cænum & ſordes, vos facci ſtercorum eſcæ vermium, ut vos inquam induamini purpurâ & byſſo, ut mollibus veſtiamini, ut fulgeatis auro & gemmis, ut pingamini ſtibio, & ceruſsâ & purpuriſſo, ut immani luxu veſtium incedatis peſtis hominum, Retia Dæmonum, pabulum Inferni, contumelia nudi IESU? Age Homo purpurâ ſerico & auro veſtite, qua fronte aſpicis IESUM nudum. vel in præſepio vagientem. vel ad columnam ſtantem, vel in Cruce pendentem? Hiccinè eſt Habitus Chriſti in te Chriſtiane? ideone Chriſtus ſic nudatus ut tu ſic veſtireris? O pudor! ô probrum religionis Chriſtianæ! quo ſi careret etiam ſtatus Eccleſiaſticus, ſi carerent profeſſæ paupertatem religionis animæ, minùs eſſemus in Chriſtum injurii; minùs pœniteret Chriſtum nudatum ſe eſſe propter populum Chriſtianum. Nunc autem quis dolor eſt Chriſto. ſpectanti luxum tantum veſtium in his de Patrimonio nudi & Crucifixi Chriſti, veſtiuntur? Quomodo ſuſtinebit nudus IESUS videns quòd etiam votiva paupertas in veſtimentis quærat non calorem ſed colorem. elegantiam & compturam, non ſimplicitatem aut naturam.

20. Nudatur IESUS: quis veſtiet ſic nudatum? Adeſte Cherubim Sancta, extendite alas veſtras candor Thaboreus adeſto. Filii Nóé adeſte, injicite pallium Nóemo vino amoris ebrio, & pené in ſomnum dato. O mi Ioſephe! hic tu meliùs veſtem tuam objeciſſes quàm in lupæ illius manibus reliquiſſes! Faſciæ quæ in præſepi involviſtis & ligâſtis, hic meliùs operâ veſtrâ opus fuit: Saltem vos pelles aut ficulneæ folia ſervite pudori Chriſti nunc, quæ primò Adamo ſerviviſtis. Tu ſaltem natura, quæ foliis arbuſtam, quæ terram gramine, quæ animalia pilis, quæ piſces ſquamis. quæ àërem nubibus, quæ Cælum ſtellis ornas & veſtis, auctorem tuum amictu aliquo contege. At non eſt nunc tempus miniſterii hujus IESU: aderit aliunde veſtis, quum conſciſſo ſacco virgineæ tuæ carnis, omnibus mēbris largus erumpet ſaguis, & eris tu ſponſe modo cādidus, ſtatim ſtatim rubicūdus: non tantùm pudore aut rubore virgineo, ſed etiam ſanguine atq; cruore purpureo,. *Ex 25.20.* *Matt. 17.2.* *Gen. 9. 23.* *Gē. 39.12.* *Luc. 2.7.* *Gē 3.7.21*

21. *O quàm glorioſus apparuit hodie Rex Iſrael diſco operiens ſe coram ancillis ſuis quaſi unus de ſcurris!* Sic inſultabat Michol uxor Davidi ſuo, Inſultabonė & ego tibi mi IESU, qui hodie furore hoſtili poſcente, amore tuo jubente ſtetiſti diſcoopertus & nudatus, in oculis maximæ multitudinis, in conſpectu Dei Patris paratus in flagella, in loco infamis & acerbiſſimi, ſoliſq; pendulonibus debiti ſupplicii: Stetiſti illudendus à ſemine nequam, à ſemine ſcelerato à ſemine Chanaan. Stetiſti tanquam Ioſeph innocens veſte ſpoliatus, quam tibi paraverat Mater tua. Stetiſti tu mi IESV hodie nudus tanquam latro & maleficus,qui olim Adamum egreſſurum de Paradiſo nudum non permiſiſti prodire, ſed induiſti: Tu nunc reducturus eundem in Paradiſum Cæleſtem in oculis totius mundi nudus appares! O Sol cur non condis radios? cur aſpicis! cur aſpiciendam exhibes nuditatem Creatoris tui? qui te luce veſtivit adeo copioſâ, ut oculis liberis ſpectari non poſſis. O nox quàm hic opus eſt tenebris tuis, quibus veſtias auctorem tuum, quem rationales homines denudārūt. Nullus dubitat, facturas hoc fuiſſe creaturas omnes in obſequium Dei ſui, ſed amor patientis IESU omnia iſthæc impedivit, dicens omnibus: *Sinite uſq; huc, ſic enim decet nos im-* *2.Re. 6.20* *Gē. 37.23.* *Gē. 3.21.*

Digitized by Google

Matt. 3 15. *plere omnem juſtitiam.*

22. Bene eſt Chriſtiani quòd IESUM nudum & verecundiâ coopertum propter nos intueri præ compaſſione, præ indignitate, etiam præ verecundiâ. non ſuſtinemus. At enim audite & intelligite: Non placet nudati IESU ignominia in oculis carnis? Et cur placet ejusdem nuditas in oculis mentis? Non placet nudari IESUM à Carnificibus? cur placet nudari ab effrenibus paſſionibus, & voluntatibus? Nemo noſtrûm nudavit IESUM in corde ſuo? Chriſtiane quoties peccâſti, quoties gratiâ Chriſti te privâſti toties Ieſû ſpoliâſti, toties in oculis Cæli IESUM nudû conſtituiſti? Non placet tibi veſtes IESU ab atrocitate militum ita vilipendi, & per terram abjici atq; calcari? placet tibi gratiam IESU meritaq; ſanguinis ejus, à te, à tua rebelli voluntate deſpicii, abjici, calcari, & nefandis pudendisq; ſceleribus tuis commaculari? Vis nuditatem IESU tegere? labora animam tuam gratiâ IESU induere indutamq; ſemper ſervare. Veſtitus eſt IESUS, quando in gratia IESU vivit Chriſtianus. Major eſt pudor IESU, ſi nudus ſit in anima unius Chriſtiani, quaſi nudus ſtet in oculis totius mundi. Et amarior eſt Chriſto inſultatio Diaboli, quando nudatur peccante Chriſtiano, quàm quando denudatur à furioſo Judaico, Pilativè miniſtro. Videat ergo quisq; in ſuâmet conſcientiâ, an probroſè denudatum, an decorè veſtitum habeat IESUM in Anima?

PARAGRAPHVS CCVIII.

JESVS ad columnam ligatus

STROMATA

1. QUid facitis ligantes IESUM ad columnam? nihil opus vinculis iſtis veſtris, quando ille alligatus eſt indiſſolubilibus vinculis Charitatis. O verè ligârat te fortiùs mi IESU tuorum ſervorum Charitas. Veruntamen ligetur ad columnam IESUS, ut ad IESUM, ut propter IESUM, ut cum IESU alligari gaudeat Chriſtianus, quidni gaudeam mi IESU communicare vinculis tuis, in quibus mihi libertatem à peccatis, ſolutionem à debitis, immunitatem à pœnis conſtituiſti. Funes tui ceciderunt mihi in præclaris, quia te fecerunt Hæreditatem meam, fecerunt mihi Hæreditatem, gratiam & gloriam tuam, factus ſum Hæres Dei *Cohæres autem* Rom. 8 17.
Chriſti quia *funes tui ſic ceciderunt mihi.* O re vera in præclaris: quia in ſalutari- Pſ. 15. 6.
bus, quia in miſericordiis, quia in perpetua Charitates. Amate homines vincula IESU, amate columnam ejus: quia ipſe eſt columna & fidei & fiduciæ noſtræ: ipſius vincula ſunt ſalutis, omni libertate dulciora, quia ſalubriora, Quis non eligat magis cum Chriſto eſſe alligatus, quàm ſine Chriſto, eſſe religatus? Duorum eſt audire: *qui non eſt me-* Matt. 12.
cum, contra me eſt. qui enim cum Chriſto 30.
ligari abnuit, contra Chriſtum inſoleſcere ânuit.

2. Populo Iſraël olim ſuper mare rubrum, à Moyſe deducto, à Pharaone verò perſequente, à terra concluſo, & quaſi jam capto. Dominus in Columna Nubis ſpecie, ſtetit inter caſtra Iſraël & Ægyptiorum, neq; tranſitum permiſit Ex. 13. 21
hoſtibus, donec populus Dei mare divi- Ex. 14. 19.
ſum habens, in alteram maris ripam tranſiſſet: hic idem Dominus per annos 40 eundem populum, nocte quidem in columna Ignis, die verò in columna nubis, per omnes vias circûduxit. Ergo fortè redeunt illa ſecula, ergo fortè populus Domini mare rubrum tranſibit: ergo fortè ingruunt Ægyptii retracturi populum, ad dura ſervitutis ſuæ opera: video enim Dominum ad columnam lapideam alligatum, neq; deerit mare rubrum Sâguineum, per quod ſalvabitur Israël, demergetur autem in eo Ægyptius. Verùm non eſt tibi pars in ſermone iſto. O Judæe, neq; enim te reſpicit hæc parabola. Cum Ægyptiis infelix deſcendes in profundum, quaſi plumbum. Ex eis unus non remanſit. *Reliquiæ* autem, tui *ſalvæ fient.* ſed non tu Rom. 9. 27
quia ſanguinem quidem ſalutis fudiſti, ſed tu ſalutem ex eo non hauſiſti, non quia non potuiſti ſed quia noluiſti.

3. IESUS ad columnam alligatus, utrumq; eſt mihi: & columna nimirum ignis ut luceat in nocte: & columna nubis, ut potegat à fervore in die, ſemper autem deducat in itinere. Quomodo enim columna ignea non eſt IESUS, qui totus Charitate & ardet ipſe, & inflammat credentes in ſe, accedentes ad ſe, venientes poſt ſe? Quomodo non eſt columna lucens & ardens, qui eſt veritas illuminans Mundum, & *venit i-* Luc 12.
gnem mittere in terram quam vult vehe- 49.
mentee

Digitized by Google

menter accendi? Quomodo non eſt columna nubis in die, qui protegit à fervore concupiſcentiæ, ab ardore Mali- *Gē.15.17.* tia, à flamma Gehennæ?

4. Cùm paciſceretur olim Deus pa- A ctum ſuum inter ſe & Abraham, adeſſetq; Sacrificium veſpertinum, apparuit clibanus fumans & lampas ignis tranſiens inter diviſiones Sacrificii. Iſte eſt IESUS meus ad columnam alligatus ſimilis clibano (ſeu columnæ) fumanti, & lampadi ardenti inter Sacrificium tranſeunti; ſacrificat enim ſemetipſum pro nobis. Sed ſic, ut prædeſtinatis ſit quaſi lampas ignis ad illuminationem veritatis, & ad calefactionem Charitatis deſerviens. Reprobis autem fit, quaſi clibanus fumans, tenebras ad excæcationem, flammas ad combuſtionem. Quod olim prævidit & prædixit Sanctus Senex Simeon *Luc2.34.* dicens de eo: *Ecce hic poſitus eſt in ruinam* B *& in reſurrectionem multorum in Iſiaël.* JESUS enim tanquam validiſſima columna & ſuſtinet Credentes & obterit Infideles; & lucet Iſraëli- & obtenebrat Pharaoni: & blanditur proſequentibus, & minatur perſequentibus: lumen vitæ præbet amantibus, fumum iræ vomit odientibus.

5. Chriſtus ad Columnam, vitis ad perticam: videte palmites.quid expediat vobis: alligari cum vite ſi non ſuſtinetis, in vite eſſe non poteſtis. Cum vite ſua ſuſcipit palmes alligationem, immò & circumciſionem, ut fructum plùs adferat, ſuſtinete ergo & vos quicunq; Chriſtiani eſtis non tantùm al- *Ioā 15.5.* ligari, ſed & mori cum Chriſto *ut fructum afferatis & fructus veſter maneat* in Chriſto.

6. Samſon apprehendens duas columnas, quibus Palatium Philiſtinorum, in quo & coram eis cæcus ludebat, concuſſit & evertit totam domum, omnesq; qui in ea fuerant interficit: Apprehendit & noſter IESUS verus Samſon Columnam iſtam & Regnum omne infernalium Philiſtinorum omnemq; militiam eorum evertit, ac vires eorum confregit. Luſit Samſon coram vobis ô Judæi ô Pontifices, ô ſcribæ, ô Hæredes, ô Pilate, ô milites, luſit quando ad veſtras manus ſe venire permiſit IESUS, & feciſtis in eo quæcunq; voluiſtis, pænis eius ſatiati eſtis. D Sed relicta eſt Domus veſtra deſerta, non eſt relictus lapis ſuper lapidem, timor quem timuiſtis evenit vobis, deniq; luſu Samſonis hujus illuſi eſtis, & poteſtas omnis tenebrarum vobiſcum. Samſon autem mortuus regnat, mortuus vincit, mortuus de ipſa & ipſâ morte triumphat.

7. IESUS ad columnam alligatus eſt, ordine præpoſtero ſanè, magìs columna ad IESUM alliganda fuit. Non enim columna IESUM, ſed IESUS columnā ſuſtentare ac tenere debet. Quomodo enim poſſet aliquid ſubſiſtere, niſi IESUS faceret, qui fecit etiam ut omnia exiſterent. O munde fruſtra ordinem pervertis, fruſtra alligas IESUM Verbum Dei non eſt alligatum, quicquid attentes, quantò melius munde alligares te ipſum Chriſto, nè ruas, nè à Deo recedas, nè in prædam Diabolo cedas. IESUS te condidit, IESUS te ſervet, IESUS te ſuſtineat, IESUS te foveat, IESUS te gubernet, IESUS te ſalvet. Sed tu infelix eligis potiùs alligare IESUM columnæ, te autem tradere Diabolo & gehennæ.

8. Columnæ alligatus IESUS, mihi videtur arctis limitibus pauculis perſonis, exiguis locis, ſplēdidis officiis, conventis commoditatibus alligatus zelus quaſi enim circa columnas alligati videntur, quicunq; in numerato habent & convento, tum quibus, tum ubi, tum quâ commoditate, quantâ mercede ſpiritualia miniſtrent, zelum promant, Chriſtum prædicent, non ſinè ſumptu Evangelium ponant, & pietatem quæſtum æſtimant ac faciant: Illi non *Iſai.16.2.* ſunt alligati columnæ, qui ſunt veluti *Iſai.60.8.* *Angeli veloces qui velut nubes volant*, qui e- *Mar. 16.* unt aut ire parati ſunt *in mundum univerſum 15.* *prædicare Evangelium omni Creaturæ quorum Pſ.18.5.* *ſonus in omnem terram exit.* quorum *ſpecioſi pedes in præparatione pacis. & in Evangeli-* C *Rom.10.15* *zatione boni.* O pudor,! iis quos Deus fe- *Iſa. 496.* cit ut ſint *Salus* ejus, usq; *ad extremum Act.9.15.* *terræ.* ut *portent nomen illius coram Gentibus & populis & Regibus terræ.* hic ſic alligati ſunt propriâ voluntate, quæſtuoſa cupiditate, ſenſuali conſolatione, tenerâ & molli converſatione, carnali *Iſa.49.6.* conſanguinitate, ut ſatìs ut nimi- *Matt. 5.* um eis ſit fieri ſervos ad ſcilicet *con- 15.* *vertendas feces Iſrael Quis accendit lucernam & ponit eam ſub medio? & non magis ſu- Luc.8.16.* *per.Candelabrum, ut luceat omnibus & vide- & 11.33.* *ant lumen omnes. Maledictus qui abſcondit Prov. 11.* *frumenta in populis* hoc eſt, à populis *26.* quæ accepit diſtribuenda populis. Ma- *Luc.19.20* ledictus qui *talentum Domini ſudario involvens, defodit in terram.* Qui ſic alligant columnis ſuum IESUM, quid faciunt aliud niſi eum exponunt ad flagellan-

Iii2 dum lin-

Digitized by Google

dum linguis irridentium, linguis murmurantium, linguis ſcandalum patientium ?

9. Cuperem eninverò noſſe mi IESU, ad columnam alligatus dum ſtares, A dum ſe carnifices ad tuam verberationem ſuccingerent & accingerent, dum virgis & flagris armarent, dum Judæos ſtimulantes, & promiſſa aut etiam munera offerentes audirent; dum ſtrenuam in tui laniatione operam adpromitterent; Sub hoc tam miſerabile juſtitium Paſſionis tuæ ecquid cogitationum fuit, in caſtiſſimo, in Sanctiſſimo, in ſapientiſſimo corde tuo? Non dubito convertiſſe te oculos cordis ſaltem tui ad Cælum ad Patrem tuum, & dixiſſe: Ecce ego pater mi ad flagella paratus ſum: paraverunt me ut vides inimici mei, ſpoliaverunt & nudaverunt me, alligaverunt, etiam congregati ſunt adverſum me, congregata ſunt B ſuper me flagella. Pater mi, ita Pater quoniam ſic placitum eſt ante te? ego autem non contradico; ſed in flagella, propter te, pro peccatis totius mundi, in cujus ſalutem & redemptionem me miſiſti paratus ſum. Iam deinceps parce populo huic, & flagella tua cō verte ſuper me. Ego enim feci, ego feram, ego portabo: feci Pater, feci opus, quod dediſti mihi ut facerem, ut ſcilicet peccata mundi ſuper me acciperem, & veluti Agnus mundi peccata portarem, feram ego & portabo flagella; feram & portabo vulnera; feram & portabo iram tuam peccatis debitam, quoniam peccavi tibi cùm genere meo. Ergo portabo iram tuam & juſtitiam tuam, ferant illi miſericordi C am tuam: peccaverunt tibi, Sed non ſint filii tui in ſordibus, ego enim pro eis Sanctifico meipſum & in flagella paratus ſum: non in iſta tantùm ſed etiam in omnia, quæ mandâſti, quæ præparâſti mihi. Vivat Filii iſti mei Pater Juſte coram te, ſerva eos propter ſanguinem & dolorem meum, effunde miſericordiam tuam ſuper eos ut ſperent, ut reſpirent ſuper miſericordia tua, Sub umbra alarum mearum, ſub ſcapulis meis, quibus ecce obumbro eis. Et talia quidem tu Domine ad Patrem dicebas; ad homines autem ſive præſentes ſive futuros ad uſq; finem mundi quid cogitabas in corde tuo. O fi- D lii non jam Adæ ſed mei, aſpicite & agnoſcite quanti mihi conſtet vos genuiſſe, in filios vitæ & lucis ex filiis tenebrarum & mortis. In flagella paratus ſum pro vobis, nè flagella iræ Patris mei ſupervenirent vobis, vos peccâſtis, ego pœnas luo, Vos uvam comediſtis, dentes mei obſtupeſcunt: vos rapuiſtis, ego exſolvam. Videte quòd non mihi ſoli laboro & patior, ſed màgis pro vobis, & pro totius mundi ſalute. Mementote ergo filii laborum dolorumq; meorum, & nolite ſanguinem meum pollutum ducere, neq; oſtentui habere filium Dei, veſtrum utiq; Patrem aut magis matrem quæ vos in doloribus meis quaſi parturiens genui. Scitote ergo quod ſanguis meus fuſus ſit pro vobis, vita mea data in mortem pro vobis, Anima mea poſita in manibus inimicorum meorum pariter ac veſtrorum, pro vobis. Nemo tollit Animam meam à me, ſed ego & Charitas mea aufert illam à me, & ponit pro vobis. Majorem hâc dilectionem habet nemo, quam ut animam ſuam ponat pro amicis ſuis. Ego autem etiam cùm nondum eſſetis, aut etiam cùm adhuc inimici eſſetis, aſſumpſi vos, dilexi vos, & animam meam unicam dilectam dedi in mortem propter vos, reconciliavi Patrem vobis, ut jam Pater amet vos, quia à me redempti, à me abluti, à me ſanctificati eſtis, ſi tamen & vos me amatis & amor meus in conſpectu veſtro eſt ſemper. Alioqui ſi adhuc peccata diligitis, quæ utilitas vobis in ſaguine & dolore meo? Manete ergo in dilectione mea & præcepta mea ſervate. nolite regredi corde in Diaboli ſervitium, ex quo in manu forti eduxi vos, & in ſanguinem teſtamenti mei extraxi vos. Nolite fieri ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus. Nolite fieri ſicut canes revertentes ad vomitum, & ſicut ſues lotæ, ad volutabrum luti redeuntes. parcite ſanguini meo, quem fundo pro vobis, parcite cruciatibus meis, in quos me dedi propter vos. Videte quomodo venit in altitudinem maris amariſſimi, & tempeſtas immaniſſimorum dolorum demerſit me. Infixus ſum in limo profundi, & non eſt ſubſtantia. Majus peccatum habet, ac majorem ſibi damnationem acquirit, qui poſt tantam & tam copioſam, doloroſamq; redemptionem ad peccata redit. Noli peccare poſt veniam, noli vulnerari poſt curam, noli ſordidari poſt gratiam, renovatum vulnus plus dolet poſt curam, moleſtiùs eſt ſordidari poſt gratiam. Ingratus eſt indulgentiæ,

Digitized by Google

dulgentiæ, qui poſt veniam peccat. Sanitate indignus eſt, ſemetipſum poſtquam curatus eſt vulnerat, nec mundari meretur, qui ſe ipſum poſt gratiam ſordidat. Non auro, neq; argento: neq; corruptibilibus redempti eſtis ô Homines! non vitulorum aut hircorum ſanguine mundati eſtis ô Filii! magno ſudore & multo ſudatum eſt, ut exiret à vobis rubigo antiqua, ô Adæ poſteri! ſed fuſus eſt pretioſus ſanguis meus pro vobis, ut nemo veſtrûm deinceps ſibi vivat, ſed ei, qui pro vobis mortuus eſt, id eſt, Ego Filius Dei! Hæc niſi fallor, aut gemina his, ſalutaria nobis, cogitavit & dixit nobis IESUS, dum ad columnam ſtaret alligatus, & exſpectaret, in flagella pronobis paratus.

10. IESUS ad columnam ligatus & nudatus ecquid exſpectat? flagella à peccatoribus, ſagittas ab amatoribus! dolorem pro te! Amorem à te ô Homo! (Quàm pulchrum eſt mi IESU, quàm decorum, à charitate vulnus accipere! Alius jaculum Carnei amoris patitur, alius terrenâ cupiditate vulneratur. Tu nudas membra, & præbes te electo Charitatis jaculo, jaculo formoſo. Vulneratus ergo es à dilectione noſtri! Amas nos, & nondum tenes! doles, quia nondum habes! Hinc vulneraris in corde, imò toto corpore, amoris jaculis, ut tua hæc vulnera nos ad veram ſalutem rapiant.

Orig. hom. 2. ex duabus.

PARAGRAPHUS CIX.

JESUS Flagellatur.

STROMATA

1. Multis ex capitibus fuit hæc Domini IESV flagellatio graviſſima, & ſummè doloroſa, ac proinde eidem Chriſto Domino ſpecialiter acerba. Nam. 1. flagellatus eſt IESUS ex intentione Pilati ad flectendos in miſericordiam Judæos morti ejus inhiantes, quam adhuc Pilatus nolebat, adeò ergo immaniter eſt cæſus; ut meritò miſericordiam invenires etiam apud ſitientiſſimos ſanguinis ejus. 2. Flagellatus deinde eſt IESUS more Romano, non Judaico, Judæis non licebat ex lege flagellando excedere 40. ictus, immo mos obtinuerat ut tantùm 39. ictus infligerentur. ut tàtò certiꝰ lex cuſtodiretur, & nè fœdè laceratus (verba ſunt Legislatoris Dei) abiret à conſpectu Judicum, vel ſpectatorum frater ſuus. Hac lege non eſt caſtigatus IEUS, ſed ut dixi more Romano, quibus præſcriptum nihil fuit de numero plagarum, immo tantùm procedebant frequenter in hac verberatione, ut verberati inter verbera emorerentur; atq; hinc 3. IESUS crudeliter fuit flagellatus, quia enim Judæi timebant, nè flagellatus IESUS dimitteretur à Pilato, induxerunt milites, quà promiſſis, quà præmiis, ut tam bene plagis eum onerarent, ut vel inter verbera emoreretur ipſa, vel certè diu poſt ipſa, non ſuperviveret. 4. Dirè flagellatus eſt IESUS ex intentione ipſiuſmet IESU, quia ſcilicet pro peccatis erat flagellandus totius mundi, & ex immenſa Chriſti Charitate, patiendiq; cupiditate: ergo ut flagellatio æquivaleat enormitati ſcelerum omnium, quæ à totius generis humani filiis patrata ſeu patranda erant: atq; etiam immenſa ſitis Charitatis Chriſti expleretur patiendo immanem eſſe oportebat flagellationem illam. In toto genere humano, à planta pedis uſq; ad verticem non erat ſanitas, id ipſum oportebat evenire in toto Chriſti corpore inter flagellandum potiſſimum. 5. Hanc immanitatem flagellationis probat etiam illa cauſa, quia Dominus & à multis Carnificibus ſibi ordine ſuccedentibus, & variis flagellandi inſtrumentis ſanè crudelibus flagellatus eſſe creditur, atq; à probatis ſcriptoribus traditur. Liberi & ingenui apud Romanos fuſtibus cædebantur, & hæc erat fuſtigationis pœna. Sed eâ Chriſtus dignatus non eſt à Romanis, apud quos contemptibilis erat, inſtar ergo ſervi & mancipii virgis ac flagellis cæſus eſt. Tradunt porro Chriſtum flagellatum triplicibus inſtrumentis. Primùm viridibus virgis ſpinoſis: Deinde chordis ſeu loris in funiculos & flagellum tortis, quibus extremè puncta fuerint ferrea intexta, deniquè catenulis ferreis extremis ſimiliter ita aſperatis, ut vellere partes carnis ac oſſe nudare, ad eaq; penetrare inflicta poſſent. Non deſunt, qui bis aſſerunt flagellis ſubjectum Dominum noſtrum. Primùm quidem, cùm Pilatus ſatiare tantùm odia Judæorum, Chriſtum autem correptum ac emendatum dimittere cogitabat, certus eum non addicere Cruci. Iterum verò

Gerſon & Arias môtanus.

cùm adductus importunitate Judaicâ, timoreq́; à Cæſaris gratiâ excidendi tradidit IESVM voluntati eorum, ut crucifigeretur. Crucifixionis enim præ- A ludium Romano more flagellatio fuit: Sed arbitror primam flagellationem quoniam primo fine fruſtrata erat, ſecundo fini, ſcilicet Crucifixionis deſerviſſe, nec eam repetitam eſſe, maximè cùm prior tam aſpera fuiſſet, ut ſecunda quòd flagellaret reliqui in corpore IESU nihil, præter prioris vulnera repertura & habitura eſſet. ſufficiebat itaq́; prima flagellatio, non tantùm ex ratione ſeu diſcretione, ſed etiam ex magnitudine & acerbitate & exceſſu. Mallonius credit Chriſtum bis flagellatum: Sed primò in carcere Caiphæ, miſerabili illâ nocte, quâ Dominus inter alias injurias etiam flagellis cæſus videtur ab inſolentiſſima fece Miniſtrorum Chriſtum nocte illa cuſtodiẽtium. Secundò autem à Pilato &c. B Piò ſenſui non contradico: plus tamen probationis deſidero. Niſi fortè huc trahamus etiam illud: *Contumelia & tormento interrogemus eum,* ut flagellatio ſit tormenti pars, & partialis interrogatio: quam torturam Chriſto adhibitam illâ nocte, non parum adducor ut credam, tum loco iſto ſcripturæ tum reorum captorum conſuetudine, tum Judaico furore inq́; Chriſtum rabie. Sive autem triplicibus illis inſtrumentis flagellatꝰ ſit Dominus, ſive non, à pluribus, an à paucioribus lictòribus: conſtat inter omnes, Dominum noſtrum, cæſum eſſe flagris è funibus, cum oſcillis ſeu talis, aut ſtellulis ad extrema innexis. Quæ omnia ſatis ſuperq́; oſtendunt immanem illam fuiſſe flagel- C lationem, & humanis viribus ad ſuſtinendum majorem. Etſi enim duo Sancti Evangeliſtæ unicis tantùm voculis hanc Domini pænam ſignificaverint: (*Flagellavit eum, Flagellatum tradidit*) ex hac parcitate deſcriptionis non hoc inferendum eſt, quod obiter & leviter flagellatus ſit Dominus. Sed potiùs quod ita graviter & enormiter, ut inexplicabile id Sacris ſcriptoribus videretur. Ex quo licet facere conjecturam de aliis quoq́; Domini noſtri cruciatibus, quorum ab Evangeliſtis mentio vel nulla, vel exigua ſit. eos ſcilicet tam exceſſivè nimios fuiſſe, ut illis explicandis non ſuffecerint Sacri D Hiſtorici, Totum hoc videre licet in hac, quam tractamus flagellationis Dominicæ pænâ, quæ licet tam paucis deſcripta ſit in Evangelia, tamen quòd de illa in figuris antiquis præceſſit, velut in imaginibus depictum, quòd à Prophetis prædictum de eadem eſt, quòd à Sanctis Patribus, piiſſimiſq́; & doctiſſimis ſcriptoribus ſcriptum habemus, quòd ex Sacra Syndone, qua Corpus Chriſti ad ſepulturam involutum fuit conſpicitur, quod ipſe Dominus Sanctis ſervis ſuis revelare dignatus eſt, dé flagellationis hujus enormitate, tantùm hoc eſt ut fidem, rationem, captumq́; penè excedat. Flagellatio Domni præfigurata eſt, animalium ſacrificandorum decorticatione. Talis nimirum eſſe debebat caro flagellati IESU, ut videri poſſet, immò eſſet nudatâ pelle omni. Eadem flagellatio in Iobo præſigurata eſt. Iob enim ſua vulnera deſcribens, ac Domini noſtri prædicens ſimulq́; præfigurans, ſic loquitur: *Circumdedit me lanceis ſuis, convulneravit lumbos meos, non pepercit & effudit in terra viſcera mea, concidit me vulnere ſuper vulnus, irruit in me quaſi gigas,* miles ſeu lictor flagellans & is quidem nõ unus, ſed multiplex. (Sunt enim qui putent Dominum à tota cohorte, hoc eſt à 666. vel ut alii à 1000. viris flagellatum) Immanis ſanè deſcriptio flagellorum, quæ lanceas vocat Iob propter lanceolis exaſperatas extremitates, vel propter virgas ſpinarum, lanceolis quoq́; aculeationem, quòd de lumborum convulneratione loquitur, hoc in Sacra Syndone cernitur, in qua cernitur tanta vulnerum multitudo, atq́; profunditas cingulo tenùs, ut propter illius ſolius partis corporis, illa quæ notantur vulnera, nullo modo naturaliter ſupervivere Dominus potuerit. Sanctus Bonaventura. S. Bernardus. S. Gertrudis. S. Brigitta. Lanspergius aliiq́; pii & probi ſcriptores aſſerunt ex ſola flagellatione in Carne Domini fuiſſe amplius quàm quinq́; millia vulnerum. Vincentius putat oſſa humani corporis juxta medicos eſſe *276.* Chriſtum autem ita flagellatum, ut cuivis oſſi triplex plaga infligeretur 828. Apud Drexelium folio. 118.) Sanctorum cuipiam revelatum ſcribunt à Domino, in flagellatione guttas ſanguinis fudiſſe Dominum 230005. apud Melanium c. 5 de ſtigm. fol. 91.) O verè conciſus Dominus vulnere ſuper vulnus, Sanctus Propheta David, deſcribens imò intuens in ſpiritu flagellationem Domini in perſona ejusdem ita loquitur: *Et fui flagellatus tota die, & caſtigatio mea* (emendati-

Sap. 2. 19.

Lipſius l. 2 c. de Cru.

Matt. 27. 26.

Ioā. 19. 1.

Iob. 16. 14

numeras vulnera Chriſti Domini.

S. Bonav. 5676.

S. Bern. 6065.

S. Brigitt. 3475.

S. Gertr. 5466.

Pſ. 72.

mendationem ſeu correptionem Pilatus dixit) *in matutinis.* Non eſt flagellatus totâ die Dominus à mane: ſed hoc ad exprimendam immanitatem A flagellationis illius, eſt dictum: tam ſcilicet eſt diré flagellatus, ut qui intueretur diritatem illam, vulnerumq; multitudinem & magnitudinem & varietatem dicere potuerit totum diem inſumptum eſſe aut inſumi debuiſſe ad tam immanem flagellationem peragendam. Quod etiam alio loco idem David in perſona quoq; Chriſti explicuit dicens *Quoniam quem tu percuſſiſti* (percuti voluiſti Pater æterne) *perſecuti*

Pſ. 65. 27. *ſunt & ſuper dolorem vulnerum meorum addiderunt,* quia ſcilicet vulnera vulneribus cumulârunt, & me vulnere ſuper vulnus conciderunt. Id ipſum idem David ex perſona Chriſti alibi adhuc deſignans ait: *Super dorſum meum fabricaverunt peccatores prolongaverunt iniquitatem ſuam.* Alia verſio habet: *Supra dor-* B *ſum araverunt peccatores, produxerunt ſulcum*

Pſ. 128. 3. *ſuum.* Utraq; lectio, immaniſſimam flagellationem oſtendit fuiſſe. Ita verberaverunt dorſum Domini, ſicut fabri malleatores incudem tundunt, retunduntq; Planè ac ſi dorſum meum ager aliquis eſſet, non eum verberabant ſed arabant, & immanibus ſulcis dividebant. Et dubitabit quis ineffabiliter diram fuiſſe flagellationem Chriſti? Ipſe certè Chriſtus quoad vixit hujus ſuæ pænæ oblviſci nunquam potuit, quod expreſſit per Prophetam David:

Pſ. 37. 18. *Quoniam ego in flagella paratus ſum, &* (ideo, five, iſte) *dolor meus in conſpectu meo ſemper.* Ubi ubi fuit Dominus, quicquid fecit IESUS: ubiq; & ſemper in mente ejus ſtabat. *Ego in flagella paratus ſum.* Exſpectat me flagellatio: & C ah quantus erit ille mihi dolor? ſignificavit hoc, non jam prophetico, ſed ſuomet proprio ore prædicens Dominus IESUS, tum quando dixit *tradetur filius Hominis Gentibus & illudetur, & fla-*

Luc. 18. 32. *gellabitur, & conſpuetur, & poſtquam flagellaverint, occident eum.* tum quando affirmavit *Baptiſmo autem habeo baptizari: &*

Luc 12. 50. *quomodo coarctor uſq; dum perficiatur.* Tota quidem Paſſio Domini Baptiſmus quidam ejus fuit, ſed tamen in tota Paſſione ſua, nuſquam & nunquam cruciatibus omnis generis in omnibus membris, uberiùs & largiùs baptizatus quàm in flagelatione fuit. Tunc enim *congregata ſunt ſuper me flagella* (ait

Pſ. 34. 15. Dominus) & *ignoravi* Non poterat ſciri & numerus flagellorum, & numerus flagellātiū, & numerus verberū, & numerus vulnerū. Tā multa erāt flagellantiū verbera, ut nō aliquot, ſed innumera flagella undiq; cōgregata ſuper me videri poſſent. Beata Brigitta à Domino ſibi revelatū ſcripſit: quod cùm Dominus eſſet intollerabili enormitate conciſus verberatione, adeò ut ſpectatorum, oculi horrerent ſpectaculum, præciſi ſunt ab eis funes quibus erat Dominus adligatus Columnæ: porro Dominus ipſe cùm partim ob vulnera, partim ob dolorem luxatis viribus atq; membris tanquam in deliquio conciderit in terram, & in ſanguine ſuo ſuper pavimentum jacuerit. Doctor Angelicus adducens aucto- *C. Thom.*
ritatem D. Auguſtini, aſſerit Dominum *in catena*
IESUM in terra proſtratum eſſe flagel- *ad c. 27.*
latum, Idem etiam affirmat D. Chry- *Matthai*
ſoſtomus. Deniq; Tertullianus ſcribit,
Dominicum corpus à colūmnâ dilapſum *D. Chryſo*
ad terram, quaſi pilam pedibus ſacri- *ſtom. ſer.*
legis exagitaverunt lictores. Hæc o- *3. de prodi*
mnia immaniſſimam Chriſti Domini *tione Ju-*
flagellationem fuiſſe evincunt quanta *dæ & my-*
autem cum doloris magnitudine & in *ſterio Ca-*
tenſione, arbitror à nulla creaturâ id *na.*
ſatis explicari verbis mortalibus poſſe. Teneritudo Carnis Chriſti, complexionis ſubtilitas, temperamenti moderatio, ſenſuum vivacitas & vigor conſervatus ſemper abſq; ulla obtuſione & torpore, qualis ſolet nobis obvenire dolentibus, in partibus læſis: quod in Chriſto locum non habuit. Acceſſit flos & integritas ætatis maximè vigentis,, naturæ item abſoluta perfectio, de puriſſimis puriſſimæ Virginis ſanguinibus, ipſius Spiritus S. immediatâ virtute efficaciâq; formatio, Unio hypoſtatica carnis ād perſonam VERBI ſumma ciborum & victûs parſimonia, extenuatio Sanctiſſimæ Carnis, tum per inediam, tum per pridianum ſudorem etiam ſanguineum, exhauſta in ſomnio antegreſſo membra, fatigatio ex multiplici incommoditate; proximâ nocte, & præſenti jam die præviâ in totum tenerrimum Corpus Domini introducta, ſævities inſtrumentorum ad flagellandum adhibitorum. Conatus à robuſtis lictoribus inter infligendum ictus adhibitus, multitudo verbe- D rū, cōgeſtæ ſuper plagas plagæ vulnera vulneribus conciſa, profunditas vulnerum verberumq; ad vivam carnem ad ima oſſa penetrantium, carnemq; non tantùm mutuò ab aliâ carne, ſed ab oſſi-

Digitized by Google

bus ipſis coſtisq; divellentium, extorquet utiq; convictionem rationis, ut fateatur immenſum fuiſſe dolorem iſtum, quem hic Dominus protulit, neq; humanis mortalibus ordinariisq; viribus A inſupportabilem. Sed opus fuiſſe Divinâ virtute addi corpori illi innocentiſſimo vires non quidem ad leviùs ferendum, ſed ad ſuſtinendum perdurandumq; inter dolores, in vitâ. Quibus ſi addamus rigorem Juſtitiæ Divinæ, cuì non tantùm ad plenum, ſed etiam ſuper plenum ſatisfaciebat Chriſtus, Copioſitatem Redemptionis, quâ miſericordiam Dei explebat, Immenſæ Charitatis ſitim, quæ patientiâ ſaginari cupiebat, neq; mediocri aut ſummâ ſatisfactione expleri poterat, ſed omni maximâ majorem concupiſcebat. Miſeriam deinde omnium & ſingulorum Hominum. à qua Filius Dei ſanguine ſuo per ſatisfactionem ſuam eos ereptum ibat. Tum multitudinem, enormitatemq; Peccatorum omnium Hominum, B qui fuerant, erant, futuri erant, cui eluendæ & ad plenum emundandæ, IESUS ex ſanguinibus, Cruciatibus, meritisq; ſuis, balneum, lauacrumq; copioſiſſimum parabat. Æternorum ſuppliciorum gravitatem, infinitumq; debitum infernalium pœnarum, quod Chriſtus abſolvebat, & à quo Homines juſto pretio liberabat. Excellentiam, varietatem, copiã donorũ, tam naturæ, quàm gratiæ, quã etiã Beatificæ Gloriæ, quæ Chriſtus omnibus, & ſingulis Hominibus, quantùm in ipſo erat apud Deum Patrem coëmebat & merebatur. Heroicum quoq; illum vel potius Theandricum Chriſti Domini animum, C quo in omnibus operibus ſuis, at præcipuè in illis, quibus evidentiùs operabatur ſalutem & Redemptionem Hominum; iisq; virtutum exempla demonſtrabat, & Charitatis in eos ſuæ portenta exerebat; neceſſariò dicere debemus, ut animus ille Chriſti tantus, & omni Heroico major, Theandrico par & dignus, ſibi per omnia ſatisfaceret, ſeq; ipſi adæquaret: dolorem, quem in flagellatione ſuſtinuit, fuiſſe & eſſe debuiſſe omni dolore, qui cogitari à noſtris cogitationibus poſſit, majorem intenſiorem, grandiorem, minor enim dolor vaſtitatem Animi, & cupiditatem Amoris, & Capacitatem pati deſiderantis Cordis Chriſti non adæquâſſet, non explêſſet, non ſaturâſſet. O Mor- D tales, mortales! ô Filii Adam! ô Pecatores præteriti, præſentes, & futuri! quis det *ut poſſitis comprehendere cum omnibus Sanctis* Eph. 3. 18. (Angelis & Electis,) *quæ ſit latitudo & longitudo & ſublimitas & profundum* Doloris IESU, *ſcire etiam ſupereminentem ſcientiæ Charitatem Chriſti, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei.*!

2. Dicitur Vulgò: Ut cicuretur Leo, Catellus percutitur: hic porro oppoſitum cernimus. Leo de tribu Juda cæditur, ut Canis rabidus, Judæus manſueſcat! Similiter proverbium eſt: Peſtilente flagellato, Sapiens ſapientior erit: At hic quoq; ſecus ſe res habet. Caſtigatur & flagellatur ſapiens, immo Sapientia ipſa Increata & Incarnata; ut Peſtilens ſapiat, ac utinam ſapiat, non deſipiat! Parùm certè ſapuerunt inimici Chriſti: & ſi Electi ſapuerunt, nec parum, nec pauci. Poteſt tamen ita dici quòd catellus Chriſtus percuſſus ſit, ut circuraretur placareturq; Pater æternus, tanquam Leo, peccatis Hominum irritatus & iratus. ait enim ipſe Pater: *Ad quem reſpiciam niſi ad pauperem & trementem ſermones meos?* pro Iſ. 66. 2. Trementem (legunt aliqui *Flagellatum.* Etenim quis tam Tremens, quàm IESUS inter flagella & verbera Carnificum? Eum ergo reſpiciet Pater, & placabitur Hominibus Leo. In februis Gentilium feſtis concurſabant Sacerdotes eorum per plateas, cædentes pellibus obvios quosq;, immo & obvios etiam ſponte: quo facto placatos dicebant Deos, nec ampliùs caſtigaturos peccata Hominum. Quiritabatur Iuſtitia Dei, quòd ſolus Chriſtus à Patre flagellatus eſſet, peccatoribus autem nihil triſte eveniſſet. reſpondet Pater & ait: *propter ſcelus populi mei percuſſi eum*, poſuiq; in eò iniquitates omnium. Illo ergo flagellato omnes ſunt flagellati: reſpiciam ergo & placabor Iſ. 53. 8. ſceleribus omnium.

3. Agnus Paſchalis immolandus pelle prius exuebatur. Chriſtus quoq; quaſi Agnus manſuetus, antequam immolaretur in cruce, exutus eſt & pelle & carne in flagelatione. In qua etiam velut Agnus coram tondente obmutuit, quia in omni flagellatione, verbum querelæ non protulit. Crudelis ſanè tonſura hæc, quâ non vellus eſt tonſum, ſed corpus uſq; ad oſſa raſum ſeu avulſum. Et Iob quidem ſedens in ſterquilinio ſaniem teſtâ radebat: IESUS autem alligatus columnæ, ſtans in prætorio, aut defixus demerſusq; in noſtrarum iniquitatum fimo & limo, non teſtâ ſaniem, ſed flagellis carnem, per

Digitized by Google

nem, per manus carnificum radebat: ſaniem verò ſcelerum & miſeriarum de genere humano, id eſt de ſuo corpore Myſtico abluebat, Idem Iob dicebat de ſe: *Pelli meæ conſumptis carnibus adhæſit os meum; derelicta ſunt tantummodo labia circa dentes meos.* Iob. 19. 20. At tibi Domine IESV flagellatio non ita ceſſit. Iobo pellis remanſit qua tegerentur ſaltem oſſa· Os quoque relictum eſt quo miſerias ſuas deflendo & enarrando, ſolari poſſet. Tibi mi IESU neq; pellis, neq; Caro relicta eſt, ſed oſſa nudata Carne & pelle ab immiſericordi verberatione: Labia inſuper & ſiti aruerunt, & ſilentio obmutuerunt!

4. Moyſes imperio Divino, Aaronem ſummum Sacerdotem, induit veſte hyacinthina, in qua deſcriptus erat orbis terrarum, in circuitu veſtis elaborata erant malogranata ex purpura quæ tintinnabulis interſtincta erant aureis, ſonantibus. Exod. 28. 2. 31. Levit. 8. 7. Sap. 8. 24. Eratq; cautum lege, ut eã veſtem Sacerdos ſummus indueret quando in ſancta ſanctorum ingreſſurus & victimas oblaturus eſſet. Adumbrata eſt hoc ſchemate Domini noſtri flagellatio, ipſe enim tanquam Sacerdos ſummus facturus cruentum Sacrificium, & ut ait Paulus,: Introiturus ſemel in ſancta, indutus eſt per flagellationem veſte hyacinthinâ rubeâ purpureâ; eratq; in hac veſte deſcriptus univerſus orbis terrarum: quia propter totius mundi peccata IESU S eſt flagellatus, ſceleraq; noſtrum omnium in ejus corpore, crudeli ſtylo deſcripta ſunt. In hac veſte quot vulnera, plagæ, livores; tot malogranata, quot verò guttæ erumpentes, quot laceræ carnis fruſtula pendentia, tot tintinabula in auribus Patris æterni miſericordiam & indulgentiam mundo inclamantia. Ah quàm multa malogranata! quàm multa tintinabula hæc fuerunt! millibus recenſentur à ſanctis &c. vide ſupra: Flevate piæ manus IESUM in pœnis ſuis ſanguinolentum & jacentem, atq; hac veſte vulnerum innumerabilium circumdatum. Oſtendite eam Patri æterno, ut videat: An hæc tunica ſit Filii ejus? an verò fera peſſima devoraverit Filium ejus? Expoſcite miſericordes oculos Dei ſuper univerſum Humanum genus; ſuper Sanctam, urbem &c. Ut ſit vobis hæc veſtis contra Divinæ indignitationis jacula ſcutum, ſit murus. O IESU, quem ſervire fecimus in peccatis noſtris, (Pro Servire) legunt Septuag: defendi te in peccatis.) defende nos tu in noſtris peccatis, defende ab ira Patris, defende à reditu ad peccata, defende ab damnatione æterna.

5. Flagellatio Chriſti eſt quædam aratura, quam fecerunt Peccatores. Pſ. 72. 14. Ita enim Hieronymus vertit illud Pſalmi: Supra dorſum fabricaverunt peccatores, Ille habet: araverunt arantes prolongaverunt ſulcum ſuum. Conſonat verò Challdæus legens: Prolongaverunt arationem. (Vide ſupr. hic n. 1. folio. 140.) Poteſt autem vocari flagellatio, Aratura tribus de cauſis. 1. Ut enim aratur ideo ut ſemina terræ aratæ mãdentur, meſſisq; conſurgat: ita flagellatur IESUS ut ſemina cordium credentium in eo ſeminentur, & rore gratiæ cæleſtis Chriſtiq; ſanguinis imbre rigata, in meſſem virtutum ac Electorum creſcant. peccatores verò hanc arationem fecerunt, tanquam boves jugum commune trahentes, duo ſcilicet populi diverſi, Judæi nempe & Gentiles Diabolo impulſore; vomere, mala voluntate, 2. Vocatur flagellatio aratura, quia ſicut in arando terra innocens ſcinditur ſulcaturq;, aliis vero, nempè aratoribus, & utilitas provenit inde nempè ſubruuntur inutiles herbæ, utiles autem ſegetes naſcuntur, alimenta ſubminiſtrantur. &c Ita Innocentiſſimus IESUS flagellatione eſt aratus, peccatoribus autem arantibus fructus ſurgit. Remiſſio ſcilicet peccatorum, Exſtirpatio vitiorum. Meſſis virtutum, Fructus Permanens in vitam æternam. Divitiæ ſalutis. Opes gratiæ. &c. Unde hic longe aliter ſe ſe habet ordo illequem Pſalmiſta expoſuit dicens: *Multa flagella peccatoris, ſperantem autem in Domino miſericordia circumdabit.* Pſ. 31. 10. aliter inquam hic res eſt, & ordo alius. Nam multa flagella ſperantis in Domino & Innocentis IESU peccatorem autem miſericordia, Gratia, Venia, Redemptio, Remiſſio, Salus, Iuſtificatio, Divitiæ ſalutis, vita æterna circumdederunt. 3. Aratura vocatur flagellatio, quia ſicut terra arando, quaſi ſculpitur vomere, & quaſi imago, ac ſpes meſſis futuræ pingitur: ita in flagellatione Corporis Chriſti, exſculpt⁊ eſt Amor Chriſti erga nos peccatores, ut eũ legere, cernere, imò palpare poſſimus. Ad quod propoſitum ſervire poteſt locus ille Prophetæ *Ecce lapis quem dedi coram JESU, ſuper lapidem unum ſeptem oculi ſunt, ecce ego calabo ſculpturam ejus, ait Dominus Exercituum & auferam iniquitatem terræ* Zach. 3. 9.

tem terræ illius in die una. Dedit enim Dominus. Deus lapidem unum coram IESU, ipſum ſcilicet IESUM, lapidem grandem, lapidem ſine manibus, lapidem angularem, ſuper quem cælata A ſculptura permiſſu Domini, & eſt ablata per eam iniquitas terræ, ſuntq́; ſuper hunc lapidem oculi ſeptem. Quæ eſt iſta ſculptura? nisi tota quidem Chriſti Paſſio, ſed ſpecialiter flagellatio; qua propter ſcelus populi ſui abolendum, delendamq́; terræ iniquitatem percuſſit eum Dominus, & diſciplinam pacis noſtræ ſecum faciendæ poſuit ſuper eum: Oculi autem ſeptem, mihi videntur eſſe oculi aſpicientium IESUM, qui ſeptem recenſeri poſſunt, ſunt enim ſuper hunc lapidem oculi. 1. Dei 2. Oculi ipſius Chriſti ſuper ſe. 3. Oculi MARIÆ Matris ejus, ut ſuper filium. 4. Oculi Dæmonũ, Judæorũ, Pilati & Carnificum, hi enim omnes uno B oculo intuiti ſunt Chriſtum. 5. Oculi peccatorum, 6, Oculi Amantium. 7. Oculi Angelorum. Primi oculi ſunt Juſtitiæ, Secundi Miſericordiæ. Tertii Compaſſionis. Quarti Odii, & perſecutionis. Quinti offenſionis & Ingratitudinis. Sexti Dilectionis & Imitationis. Septimi Admirationis & Adorationis. &c.

6. Dixit Dominus ad Moyſen. Sume tibi aromata boni odoris: cùmq́; in tenuiſſimum pulverem omnia contuderis, pones ex eo coram tabernaculo teſtimonii, in quo apparebo tibi. Hæc figura fuit flagellationis Dominicæ per eamq́; impleta. Aromata enim boni o- C doris ſunt membra innocentiſſimi Salvatoris, ex quibus nè in Conceptione quidem afflatus eſt malus odor ullus. Porro ſemper optimus Puritatis, Innocentiæ, Caſtitatis, Modeſtiæ, Continentiæ, Sobrietatis, Mortificationis, fatigationis, gratiæ. &c, Hæc Aromata optimi odoris contuſa ſunt in tenuiſſimum pulverem, parvis, ſed validis & ſæpiſſimè iteratis in flagellatione plagis: ponentur brevi in tabernaculo Crucis: in quo Pater æternus odoratus eſt, odorem ſuaviſſimum obedientiæ, & patientiæ, & humilitatis & Charitatis filii ſui, placabiturq; Hominibus & dimittet peccata, ſuppli- D ciaq́; peccatorum eorum. Crucem, Tabernaculum Domini noſtri: immo omnia Paſſionis inſtrumenta, Damaſcenus vocat. Vide etiam, an non poſſit dici Corpus ſeu Humanitas Domini, Tabernaculum. Membra conciſa plagis, Aromata? &c. Iacob Patriarcha viſâ Filii Ioſephi dilecti veſte variegatâ atq́; partim lacerâ, partim tinctâ ſanguine, ſolutus eſt in lacrymas inconſolabiles, Sanè & Pater æternus conſpectâ hâc Carnis Filii ſui veſte, plagis picta, lacerâ, & Cruentâ, animo non potuit, non commoveri ſuo Divino, & negare miſericordiam iis, pro quorum amore ſciebat hæc â filio ſuo ſuſcepta eſſe.

l. 4. Vid c. 12. vid Paleolum c. 5. & De omit: Plat. in Paſſ.

7. Neſcio quid ſibi voluit quondam Iſaias quærendo virum Dolorum, atq́; deſiderando, noviſſimum omnium & ſcientem infirmitatem. O mi Propheta ſi àdires Præfecti Prætorium, forſitan iſthic reperires virum cum his, quas requiris qualitatibus. ibi ni fallor valde, eſt vir dolorum, eſt noviſſimus virorum & ſciens Infirmitatem. Quis enim eſt ille IESUS columnæ alligatus & nudus, & ſanguineus totus. & ſaucius à planta ad verticem? Vidiſti aliquando ſimilem huic in dolore, vidiſti noviſſimum poſt illum, Vidiſti magis ſcientem Infirmitatem? Nonné ipſe eſt, qui teipſo teſte languores noſtros pertulit & dolores noſtros portavit? Si portavit omnium noſtrûm dolores, ô veré vir Dolorum eſt! Si pertulit languores noſtros, veré ſciens Infirmitatem eſt! Si omnium noſtrûm dolores & langvores tulit, pertulit. Ergo verè noviſſimus omnium noſtrûm eſt! Fecerunt enim eum noviſſimum, noſtrûm omnium mala. Et vide mi Propheta, quomodo non vir dolòrum iſte, in quo tot viri poſuerunt dolores ſuos? Poſuit Pater æternus ſuper eo dolorem ſuum, quem & ex offenſis & ex perditione hominum habuit: poſuit mater Dolorem ſuum ſuper eum, quem omni reſignatione Paſſioni huic & omni Paternæ voluntati obtulit. Poſuit poteſtas tenebrarûm infernalis dolorem ſuum ſuper eum, quia dolens, per ejus doctrinam & vitam eripi ſibi animas, cum ad necem perſecuta eſt. Poſuit Iudæus dolorem ſuum, quia odium & invidiam & ingratitudinem ſuam malitiamq́; omnem explevit paſſione ejus. Poſuit Pilatus dolorem ſuum ſuper eum, quia propter metum amittendæ Cæſaris gratiæ, & propter importunitatem Iudæorum, eum doloribus flagellationis, coronationis, crucis, affici permiſit. Poſuerē Carnifices dolorem ſuum ſuper eum, quia ſatiati ſunt pænis ejus & fecerunt in eo, quæcunque voluerunt. Poſuerunt

Latrones

Latrones dolorem ſuum ſuper eum, quia Vni eorum poſtpoſitus eſt ad ejus ſalutem, duobus autem præpoſitus ad ſuam damnationem, mediusq; eorum pependit, & inſuper nunc ab utroq;, nunc ab uno eorum blaſphematus eſt. Poſuerunt ſuper eum dolorem ſuum Diſcipuli ejus & noti; quorum aliqui tradiderunt eum, aliqui negaverunt, aliqui deſeruerunt, aliqui timuerunt & à longè ſteterunt in ejus paſsione. Poſuerunt Angeli dolorem ſuum ſuper eum, quia Angeli pacis amarè flebant, videntes indigna, quæ in Filio Dei fiebant. Poſuerunt dolorem ſuum ſuper eum, omnes & ſinguli homines filii Adæ, qui peccatis ſuis cauſam paſsioni ejus tam amaræ dederunt. Poſuerunt ſuper eum dolorem ſuum Catenæ, vìrgæ, funes, flagella, fel, acetum, myrrha, Crux, clavi, lancea, ſpinæ, arundines, quia ad ejus paſsionem inſtrumenta fuerunt. Poſuerunt pauculi Amici dolorem ſuper eum, qui eum lamentati ſunt, & paſsione ejus innocenti doluerunt, & ſi auxilium nullum tulerunt. Poſuerunt dolorem ſuum ſuper eum Terra, Cælum, ſol, luna, dies, nox, tenebræ, monumenta, mortui, & totius mundi machina, quæ in paſsione ejus commota eſt & luctum fecit, qualis ab origine mundi non fuit. Deniq; ipſe poſuit dolorem ſuum ſuper ſe: quia oblatus eſt, quia ipſe voluit & animam ſuam pro omnibus poſuit, nullo eam tollēte ab ipſo, & talem ſuſtinuit à ſemetipſo contradictionem, ſanctificans ſemetipſum pro omnibus? Vèrè ergo virum dolorum habes ô Iſaia! ſed & noviſſimum virorum habes eundem. Omnes enim alii viri vetuſti ſunt & veterani, etiam pueri, tamen centum annorum ſunt. Omnes præcedunt & præeunt Peccatores in peccatis nati, & Adamum veterem induti. Vnus hic noviſſimus eſt virorum, ſocium non habet in Innocentia, virum ullū. Deniq; prodeat, qui talis eſt, ſtet ſimul cum IESV ut juſtificetur: qui ſine peccato eſt veſtrūm (clarè dixit idem Saluator) Primus lapidem in eam mittat. at ecce abiērunt audito hoc verbo. unus poſt unum portans quisq; in conſcientia peccatum ſuum, remanſit ſolus IESUS noviſſimus in medio: atq; ille ſolus etiā primus & noviſſimus, miſit lapidem in mulierem adulteram naturæ humanæ, prævaricatricis in Deum ſponſum, typum gerentem: miſit lapidem liberationis dicens ei: *Mulier, ubi ſunt qui te accuſabant? nemo te condemnavit?* — Ioan. 8.

respondente illâ: *Nemo Domine*: ſubdens Dominus, jecit lapidem: *Neq; ego te condemnabo, vade in pace.* Quid vobis videtur de lapide iſto, quem hic IESUS virorum noviſſimus jecit? Hic eſt lapis quò vertuntur impii & non ſunt! Hi ſunt lapides torrentis dulces. Hi ſunt lapides miſerationis & ſalvationis. O! iſtis lapidibus lapida nos Domine IESU. In his enim lapidibus ſunt miſerationes tuæ ſculptæ, multiplices, fideles Salvatrices, ſed & noviſſimus eſt iſte IESUS: cum quo de Gentibus vir non eſt, & in quo Pater poſuit iniquitates omnium, & quē omnes poſuerūt, abominationē ſibi, & cujus nomē nec memorare, nec memorari volunt ampliùs inimici ejus. Iā verò quis ſciet infirmitatem, ſi is non ſciet, qui ex his, quæ paſſus eſt, didicit cōpaſſionem. Sciebat quidem Deus figmentum noſtrum, recordabatur quoniam pulvis eſſemus: Sed hæc ſcientia (ut ſic loquar) in Deo ſpeculativa fuit non practica, non experimento acquiſita, recordabatur, ſed ferè interdū oblivisci videbatur, quòd nos pulvis eſſemus, unde Domini iram portans Iob queritur cum ipſo: *Iob. 6. 11.* quæ eſt fortitudo mea; ut ſuſtineam, aut quis finis meus ut patienter agam? nec fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea ænea eſt. At quando Deus homo factus eſt, tunc didicit & confeſſus eſt ex his, quæ paſſus eſt, quòd ſpiritus quidem promptus ſit, caro autem infirma, tunc didicit infirmitatem, & dixit: *Si poſſibile eſt, tranſeat à me Calix iſte, transfer Calicem hunc à me*: tunc clamavit: *Defecit in dolore vita mea & anni mei in gemitibus.* Tunc & fatigatus ex itinere ſedebat, & fractus jejunio Eſuriebat, & ſitiens; da mihi bibere, poſcebat: tunc uno verbo factus eſt vir ſciens infirmitatem, ſciens experimento, ſciens in ſemet ipſo, ſciens ex his, quæ paſſus eſt in ſemetipſo. & non eſt vir ſimilis huic in ſcientia infirmitatis, quia non eſt ſimilis & in experimento infirmitatis. Et ſanè verba Iobi ſupra relata, non tam Iobi ſunt, quàm hujus ipſius Chriſti immenſitatem dolorum ſuorum in corporis ſui cruciatibus, potiſſimum verò in ſupplicio flagellationis exprimentis, quia & experientis. Ad quam Immanitatem dolorum Chriſti Domini, tum in flagelatione iſta ſua, tum aliis pœnis ſuis expendendam, cognoſcendamq;: advertendum eſt Chri-

ſtum Dominum tum ex aliis ſupra relatis hoc ipſo paragrapho cauſis, tum etiam ex hac, cujus quoq; facta eſt aliqua mentio ſupra. Nempe ex invicto illo: & nòn Heroico. Sed ut ſu- A pra vocari Theandrico animi robore ſimulq; patiendi ardore, dimanabat exaggeratiſſimus dolor ſenſibilis in Chriſti corpore, & hoc quidem ita. Nam cùm neq; in cruciatibus vinci, neq; in pænis frangi, neq; in tormentorum crudelitate ulla expugnari poſſet, addo, etiam ad plenum satiari, inq; ſua fame expleri Dominus IESUS, quandam vim & virtutem ſenſibus ſuis totiq; Corpori impertiebatur ob illam connexionem, quam animus ille Theandricè-heroicus cum ſenſibus Chriſti habebat, quâ virtute ſenſibiles animæ Chriſti poteſtates, confortatæ crudeliùs crudeliùsq; excruciabantur, quàm aut concipi ab humano intellectu, aut ſuſtineri ordinariis noſtris, quantumlibet robuſtiſ- B ſimis viribus poſſet. Atq; ex hoc capite omnes Cruciatûs Martyrum, immo omnium Hominum hujus ſaltem vitæ, non poſſunt comparrui, in vehementia doloribus Chriſti, non dico omnibus omnes, ſed omnes etiam uni. Et quamvis etiam multi homines, maximè Sancti Martyres ingenti animo ad cruciatus ibant, non licet tamen hoc de illis affirmare, quod de Chriſto Domino diximus, quippe qui non adeò nobili mente præſtabant: ex quo fiebat, ut animus illorum alacris vel infractus tam perfectum ſentiendi officium haud potuerit ſenſibus ipſis elargiri: ac propterea ut plurimum C hebetes ac ſtupore quodam oppreſſi, gliſcente pænarum acrimoniâ, corporei ſenſus atq; vires reddebantur (ut omittam ſolatia & confortationes Cælitùs ſæpenumero Martyribus immiſſas, quibus delibuti, aliquando exiguum quid, aliquando etiam omnino nihil de cruciatibus præſentirent) hincq; non adeò vehementes pænarum tempore dolores experiebantur, quod ſecus in Chriſto Domino eveniebat, in quo nulla hebetatio, nulla obſtupeſcentia viriũ ſenſũ abſtrahebat; ſed qualis initio dolor eſſe incipiebat, talis immò ſemper multò acrior, D acerbiorq; doloris ſenſus propagabatur, increſcebat, & perſeverabat. Quod ſemel dictum ſit loco, atq; de omnibus aliis paſſionis Dominicæ dolorumq; articulis retinendum.

8. David Propheta, dat juſto Homini cuilibet quandam ſecuritatem dicens: *Non accedat ad te malum & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* *Pſ. 90. 10.* Hæc promiſſio aut non facta eſt per Spiritum Dei: aut Chriſtus exceptus ab illa eſſe debuit. Et primùm quidem abſit ut dicamus. poſteriùs quoq; cur credamus, certè apparet. Nam ſi juſtis immunitas à flagellis debetur propterea, quia juſti ſunt. quantò igitur quis Juſtior, tantò magis debet eſſe immunis. quis autem Chriſto Juſtior? & quare ille non omnibus immunior? immò; quare ille præ omnibus minimè immunis. Sed etiam & David Spiritu Sancto inſpiratus locutus eſt, & ſtat ſua juſtis promiſſio, & IESUS à flagello (licet Iuſtiſſimus, immò Iuſtitia ipſa) non immunis. Et quod caput eſt, ideo non immunis, quia Iuſtus, quia Iuſtiſſimus, quia Iuſtitia ipſa, quia Innocentia pura. Niſi enim IESUS iſte Iuſtiſſimus flagella tabernaculo ſuo, corpori ſcilicet, Sacttiſſimo ſuo appropinquantia excepiſſet, nullus Iuſtorum non excepiſſet, quia nullus Iuſtorum Iuſtus fuiſſet. Et rurſus: Ideo iſte Iuſtiſſimus IESUS flagella appropinquantia Corporis ſui tabernaculo habuit, quia Iuſtitia noſtra, & Iuſtitiæ noſtræ fons, & Caput & auctor, & promeritor fuit, quod non fuiſſet niſi juſtiſſimus, niſi Iuſtitia ipſa fuiſſet. Neque enim nos quiſquam mediocriter juſtus ex injuſtis juſtos facere potuit. Sed Iuſtificator noſter talis eſſe debuit, qui naturâ Iuſtus, qui Iuſtitia ipſa eſſentialiter fuit. Itaq; ideò ad IESU tabernaculum flagellum appropinquavit, quia juſtus fuit: ideò autem ad aliorum Iuſtorum tabernacula non appropinquabit, quia IESUS Iuſtus hoc omnibus juſtis meruit: Non appropinquabit, ergo juſto flagellum, quia appropinquavit ipſi juſtitiæ. Et ideò appropinquavit Iuſtitiæ Incarnatæ, ut nõ appropinquaret Iuſtis, ob hac Iuſtitia: hoc eſt, ab IESU Iuſto liberatis. alioqui *niſi Dominus reliquiſſet nobis ſemen* hoc Iuſtitiæ æternæ *ſicut Sodoma fuiſſemus, & quaſi Gomorrha ſimiles eſſemus,* id eſt omnes ſimiliter periiſſemus. O quantæ gratiæ tibi Domine IESU, qui factus es *Iſ. 1. 9.* nobis a Deo Patre Iuſtitia & Pax. Iuſtitia quidem, quia pro nobis Iuſtitiæ Dei ſatisfeciſti, & nos præterea per Gratiam juſtificâſti. Pax verò, quia pænarum flagella, quæ omnium noſtrûm in-

ſtrûm injuſtitiis debebantur, ad tuum tabernaculum accedere permittens, ad noſtra illud tabernacula, appropinquare non permiſiſti.

9. Triplici genere Inſtrumentorum A flagellatum Dominum ſupra memoravimus ex D. Hieronymo & aliis. Virgis nempe, flagellis ex funiculis, & catenulis ferreis. Moraliter per hæc inſtrumenta deſignantur tria genera peccatorum, quibus à peccantibus IESUS offenditur, & quaſi flagellatur usq; nunc. Et virgis quidem ſpinoſis flagellant ambitioſi & ſuperbi, quorum ſuperbia & ambitio viret ſemper, aſcendit ſemper. Expreſſa eſt hæc natura ſpinoſa ambitioſorum, in illo Apologo Ioathæ, in quo detrectante Imperium ſuper arbores ficû & olivâ, & vino, dixerunt omnia ligna ad Rhamnum: *veni & impera nobis.* Rhamnus
Jud. 9. autem ſine tergiverſatione reſpondit: B *Si verè me Regem vobis conſtituitis, venite & ſub umbra mea requieſcite.* Rhamnus ſpinoſum arbuſtum eſt, vile, inutile, ſola dignum flamma & exſtirpatione: & tamen Regno usq; adeò non impar ſibi viſum eſt, ut Cedros libani, & alias nobiles arbores ſub umbra ſua voluerit requieſcere. Ita ambitioſi, omnibus ſunt etiam viris ſummis pares, omnibus honoribus digni, omnibus laboribus ſufficientes, omnibus oneribus ſatisfacturi, adeò ut nihil ſit ambitioſis impoſſibile, nihil ſit quod non ſe facturos, perfecturosq; appromittant. Unde audias perpetuò reſonare, in oreq; illud habere Filiorum Zebedæi: Poſſumus, poſſumus. Faciemus: faciemus. Quando enim ambiunt. quando petunt & prenſant dignitatem, officium, munus honorificum, & dici- C tur illis: In hoc officio illud erit præſtandum, illud reſtaurandum, illud de novo faciendum, illud tollendum corrigendum, laboribus hic erit opus, tantæ ſunt obligationes, tanti erunt opus ſumptus: apud iſtos ad omnia reſonabit: Poſſumus. Faciemus. Fiet. Interim adepti officium, ſuſceptâ obligatione nihil cogitant de ſuſceptis, omnia alia agunt. altiora meditantur, & cedros libani ſub ramorum ſuorum umbra volunt occultari, ac quieſcere non apparere. Iam funiculis flagellant Dominum illi, qui divinis beneficiis, talentisq; à Deo ſibi donatis abutuntur in ejusdem offenſam. Beneficia D enim Funiculi vocantur apud Prophe-
Oſ. 1.14. tam: *Et ego quaſi Nutricius Ephraim portabam eos in brachiis meis & neſcierunt quod curarem eos, in funiculis Adam traham in vinculis Charitatis.* Et ſanè robuſta ſunt vincula Charitatis & beneficentiæ: durum eſt enim Beneficia recipere; Maleficia benefactori reponere. Durum hoc inquam eſt: ſed non hominibus erga Deum, quo nihil apud homines uſitatius. *Filios,* ait Dominus, *enutrivi & exaltavi, ipſi autem ſpreverunt me.* Et Iſ. 1. 2.
Retribuebant mihi mala pro bonis ſterilitatem Pſ. 34. 12
animæ meæ. Et: *Quid ultra potui facere* Iſ. 5. 4.
vineæ meæ (recenſuerat autem bona, quæ fecerat) *& non feci? an quia exſpectavi ut faceret uvas & fecit labruſcas,* Aliaq; plurima querelarum Domini verba de hoc genere paſſim in ſcriptura occurrunt. Ergo flagellatur Deus, quando quos ille incraſſavit, impingnavit, dilatavit, ii contra eum recalcitrant. Et quanti ſunt qui valetudine ſanâ, robuſtâ, aptâ pollent, nonne funiculus hic aptus & firmus? Sed flagellatur Deus hoc funiculo ordinariiſſime. Quanti ſunt habentes poſſeſſiones multas, ingenium, ſcientiam, eruditionem, ſagacitatem, nobilitatem, funiculi ſunt iſti: quibus Deus quidem ex ſuâ parte ad ſe attrahit, ſed ii ereptos de manibus funiculos. faciunt flagellum ex eis, & caſtigant Dominum, atq; verberant? Quanti ſunt quibus res omnes vitæ hujus, ex voto fluunt: omnia circa eos, & circa ipſorum, proſperé cedunt. quæ utilitas ex his Deo? Nunquid non per illos ſucceſſus iſti ad flagellandum Deum convertuntur? Deniq; Chriſtum catenis flagellant illi; qui ſocietates ſcelerum cogunt, aut eis junguntur. Parum eſt quibusdam ſi ſoli mali, ingrati, perditionis filii ſunt: verùm etiam inſuper alios plures faciunt filios Gehennæ duplo magis, quàm ſe. De talibus catenis impiorum ad ſcelera aſſociatorum dixit per Iſaiam populo ſuo. *Si abſtuleris de medio tui catenam, & deſieris extendere digitum & loqui* Iſ. 58. 9.
quod non prodeſt, orietur in tenebris lux tua. Catenati enim ſunt quidam peccatores & peccata catenata, quibus Behemoth ille in Iob deſcribitur veſtitus, una alteri nectitur, nec eſt ſpiraculû in eis. A talibus Catenis & Catenatis avocat Innocentem, ſimplicem ac imperitum rerum periculorumq; humanorum, Sapiens: *Fili mi, ſi te lactaverint peccatores,* Pr. 1. 10.
ne acquieſcas eis: ſi dixerint, ſortem mitte nobiſcum, marſupium unum ſit omnium noſtrûm, ne ambules cum eis. pedes enim illorum ad

Digitized by Google

*tum ad malum currunt & feſtinant ut effun-
dant, ſanguinem,* ſive Chriſti ipſius, quem
effundunt in terram, quando animas
ejus ſanguine lotas, peccatis maculant,
& Diabolo produnt. ſive ipſius inno- A
centis, quem perdunt, ſive alicujus al-
terius, quem, illâ Societate plurium,
invicem animati inter rixandum, jur-
gandumq; occidentes fundunt. Uti-
nam talibus catenis, talibus funiculis,
talibus virgis non flagellatus vapulet
Dominus, hodieq; & iſtâ ætate, inter
Chriſtianos paſſim, paſſim. &c. &c.
10. Hæc flagellatio Dominica po-
tiſſimùm reſpicit expiationem pecca-
torum, quæ circa carnis voluptates ob-
lectamentaq; verſantur; quæ quia to-
tum corpus pervadunt, totius corpo-
ris membris, & in innumeras deſi-
nant ſpecies atq; circumſtantias, pro-
pterea Dominus IESUS toto corpore,
omnibusq; in partibus flagellari, atq; B
dolores & vulnera pænè innumera, fi-
dem certè numero excedentia voluit
ſuſtinere. O Homines ex hoc diſci-
te: quid ſit carnis, & voluptatum ejus
mancipium? Ex hoc diſcite: quam
exoſas Deus veſter habeat hujusmodi
ſpurcas, & pudendas delicias? Ex hoc
diſcite: quàm ſeverè tractanda ad ob-
ſequiùmq; ſpiritûs ſubigenda ſit Caro?
Certè ſi non magìs ſalutaris eſſet affli-
ctio dura, quàm tractatio blanda; nun-
quam Dominus innocētiſſima ſua mem-
bra, tam diro, tam longo, tam univer-
ſali, tam probroſo affligi elegiſſet ſup-
plicio. At multi ſunt, qui ſuper fla-
gellatum quidem Dominum gemitus &
lacrymas commiſerationis fundunt, ſu-
is tamen Corporibus moleſti eſſe non
ferunt, nec tantùm nolunt, ſed etiam C
in ea nimium ſanè, etiam cum pericu-
lo, etiam cum offendiculo aliorùm, e-
tiam cum ſtatûs injuria, etiam cum pu
ritatis damno in contumeliam ſuam,
delicatè, molliter, blandè fovent atq;
tractant, viderint tales, nè hac ſuâ mol-
litie ſponte ſuâ de ſeipſis fateantur,
non ſe habere partem in Corpore Chri-
ſti, in quo à planta pedis uſq; ad ver-
ticem capitis, non tantum mollitiei
& deliciis locus non eſt, ſed ne ipſi
ſanitati. Si ergo totus Chriſtus in ſuo
Corpore ſaucius eſt, quomodo iſtis in-
tegris & delicatis in Chriſti Corpo-
re locus eſt?
11. Videsne ô Anima, IESUM Amo- D
rem tuum, illum modo, modò candi-
dum, jam jam ſanguinis ſui purpurâ
rubicundum? totum plagis lividum,
vulneribus ſaucium, tabo cruentum,
dolore exhauſtum, ignominiâ abjectum,
totum deniq; alium, totum quaſi non
reputandum neq; cognoſcendum. Sic
alligatum, ſic tractatum offer æterni
Patris conſpectibus, ut ſaltem propter
adeò miſerabile ſpectaculum, tui &
totius mundi miſereatur. offer illum
talem ipſimet ſibi, hoc eſt IESUM
ipſi IESU. & per hæc ejus vulnera do-
le, tuo, totiusq; mundi nomine, quod
ejus tantis doloribus, tam parùm gra-
tum te exhibueris. Offer & Spiritui
Sancto, & pete, ut te ob hunc IESUM
talem, illuminare, pacificare, accende-
re, in bono confirmare, à malo præ-
ſervare finaliter dignetur. Immiſce
te plagis IESU ac ſuppone. quæ jam
in ejus corpore locum vides non ha-
bere. Convertere, converti ſaltem ve-
hementer appete, in tam copioſas la-
crymas, ut iis balneum abluendo Chri-
ſto, balſamum illinendis ejus vulne-
ribus livoribusq; ſuppeditare poſſis. Mi-
hi crede, optimum Chriſto ſaucio bal-
neum pretioſumq; balſamum, emenda-
tio morum tuorum, caſtigata mem-
bra, dilectio, obſervatio Divinorum
Chriſti & mandatorum & conſiliorum,
imitatioq; ejusdem exemplorum, ac
participatiò Ignominiarū, Crucis & do-
lorum. vade ergo & tu, & fac ſimiliter. *Aug. Ser.*
Agnoſce ô homo, quantum valeas, quan- *114. de*
tum debeas, & dum tantam Redem- *Temp.*
ptionis tuæ dignationem perſpicis, i-
pſe tibi peccandi pudorem indicito.
Ecce pro impietate, pietas flagellatur.
Et ſi multa flagella peccatoris, multa
etiam eſſe oportuit flagella Redem-
ptoris, pro menſura delicti, erit
& plagarum modus. maxima fuit men
ſura peccatorum, maxima ſit etiam
menſura plagarum) ſi abſq; numero
iniquitates delinquentes quidni & abs-
q; numero plagæ redimētes?

PARAGRAPHUS CX.

Matt 27. 28.
Mar. 15. 16.
Ioã. 19. 2.

JESVS veſte purpureâ ſeu coc-cinea induitur.

STROMATA

1. Flagellatione Dominicâ finitâ,
collegit miſerabilis IESUS ſpar-

ſas hinc

ſas hinc inde per terram veſtes ſuas, easq; induit. ſanguinem quidem ſtillans ex membris ſuis undiq; veſtigia porrò cruenta per terram, quâ inceſſit, quâvè ſtetit conſignans. Calcabant A immites flagellatores Theandricum illum deteſtandis pedibus ſuis ſanguinem, eumq, in plantis ac veſtigiis ſuis, hàc illac deferebant ac imprimebant. jacebant abjectæ & ſparſæ virgæ, abſtergebant frōtibus, ſpeciebus, veſtibusq? ſudorem, ſimùl & quo reſperſi erant, cruorem. Nemo erat, qui pretioſum, totius mundi pretium colligeret, nemo erat qui abraderet de pavimento aſſervandùm, erat qui proculcaret, erat forté, heu dolor! erat inquam de canibus aliquibus, qui tepentem lamberet, qui pedibus calcaret, qui naribus tingeret. Et ah mi IESU! ergone usq; ergo prodigus factus es ſanguinis tui pretioſi. ut ea vel canibus B veſci liceret? O Angeli vos ſaltem, vos, quando alius, qui velit, qui poſſit adeſt nullus, nolite Sanctum dare canibus. Sed indutus dum ſtat IESUS, dum miles feſſus reſpirat, neſcio cui ex inſolentioribus ſuccurrit in mentem, facere de IESU Regem ridiculum, ut qui ambiiſſet Iudæorum Regnum, ergo conſulto ſeu ignaro Pilato, promitur abjecta chlamis, ſeu veſtis purpurea, de ſpinis Corona plectitur, fruſtum àliquod ſaxi aut ſcamni, truncivè arripitur, arundo acquiritur, IESUS jam, ut dixi, ſuo more veſtitus à lictoribus ex loco flagellationis, in atrium prætorii deducitur, univerſa cohors militum partim ſpectatura, partim illuſura novellum Regem mox C creandum convocatur. ergo ſuæ IESU veſtes detrahuntur, quæ jam ad recentia vulnera adhæſerant, plerisq; locis, carnemq; biberant, & ſiccitatis non modicum contraxerant, quo factum, ut detractio illa veſtium illa fuerit Domino ſummè dolorifera, utpote quâ renovarentur exaſperata ſatis vulnera, avelleretur hinc inde pars Carnis cum veſte, ſanguinis de novo rivi manarent. Diſertè hanc detractionem exprimit Matthæus, cùm ait: *Tunc milites ſuſcipientes JESUM in prætorium, congregaverunt ad eum univerſam cohortem, & exuentes eum &c.* Induerat ergo IESUS jam veſtitum ſuum: nec ſanè attinebat, cur à columna ſolutus nudus ſtaret in conſpectu. indutus ergo exuitur, ut plus pompæ nudus iterum, & chlamyde circum- D datus exuberet, cùm quātopere vulneribus conciſus eſſet, ſpectatoribus appareret, & aliquid ſymboli, ſimilitudinisque cruentum corpus ad rubentem veſtem. Igitur IESUS exutus, alia veſte induitur, quam antequam expendamus; non incongrué advertemus hoc loci: Quater Domino noſtro veſtitum eſſe detractum in paſſione, quantum evidenter ab Evangeliſtis teſtatum habemus. 1. quidem, ad flagellationem, 2. ad Coronationem. 3. ad ſuarum propriarum veſtium, quando jam ad Crucifixionis ſuæ locum ducendus erat, induitionem, tum enim, *poſtquam illuſerunt ei* ait Marcus *exuerunt illum purpura & induerunt eum veſtimentis ſuis.* Mar. 15, 20. Itaq; purpurâ exutus tunc eſt, & hoc quidem tertiò. 4. deniq; ad Crucifixionem. detractas enim Chriſto veſtes illud dubitare non ſinit, quòd eas inter ſe milites diviſerint, & ſortem ſuper inconſutilem miſerint, idq: vivo in cruce pendente Chriſto. Induit porrò in ſua Paſſione veſtem Dominus quater. 1. Quidē, apud Herodē albā veſtē induit. 2. Induit, ſuū veſtitū poſt flagellationē peractā 3. Induit purpuram in coronatione. 4: Suum rurſus veſtitum ad crucis bajulationem, bis alienam induit, bis ſuam, & quando alienam induit, induit Regiam: Unam quidem, quam Rex dedit, & quâ candidati, ſeu imperium ambigentes uti ſolebant: alteram quæ Regibus in uſu eſſe ſolebat (nempe purpurâ Reges uſi ſunt) & quâ in Regem eſſormabatur, quantumvis ludicrum & miſerum, quâ de re infrâ paulò plura. Ad detractionem redeamus interim. Hâc detractione veſtium quaternâ, quatuor videntur Domini noſtri veſtes, ab eo in Paſſione, in noſtri gratiam ſalutemq; depoſitæ. Depoſuit enim Dominus veſtem. 1. Gloriæ ac Maieſtatis & decoris, quo tanquam veſte naturaliter indutus erat, juxta illud Pſalmi: *Dominq regnavit dec orē indutus, indutq eſt* Pſ. 92. 1. *Dominus fortitudinem, & præcinxit ſe.* 2. Depoſuit Dominus veſtem poteſtatis atq; auctoritatis & fortitudinis ſeu virtutis: quam nondum exuerat prorſus in horto, quando verbo proſtravit omnes comprehenſores ſuos, & retrorſum abeuntes cadere fecit. exuit autem ſe illa quando dixit: *Si ergo me quæritis, ſinite hos abire. Hæc eſt hora veſtra & poteſtas tenebrarum.* Hanc depoſitam à ſe profeſſus eſt Pilato, poteſtatem vitæ & necis ſibi minitanti, quando illi dixit: *Non haberes poteſtatem adverſùm me ullam, niſi datum eſſet deſuper.* 3. Depoſuit Dominus ve-

mus veſtem impatibilitatis. Cum e-enim poſſet ſe ab omni injuriâ, moleſtiâ, læſione, ſenſuq; doloris, immunem præſtare, hoc non fecit, ſed ut ait Tertulianus: (*Patientiâ veniens in mundum ſaginari voluit.*) quod edi- A xit diſertè, Petro gladium educenti: *Calicem quem dedit mihi Pater non vis ut bibam illum? quomodo ergo implebuntur ſcripturæ? An putas quia non poſſum rogare Patrem, & exhibebit mihi modo plùs quàm 12. legiones Angelorum?* Deniq; *oblatus eſt quia ipſe voluit.* Et rurſum: *Nemo tollet animam meam à me, ſed ego à me ipſo pono eam, & iterum ſumo illam.* 4. Depoſuit Dominus veſtem vitæ, immo Immortalitatis, quæ illi utiq; tanquam Filio Dei, & auctori vitæ, & in quò omnia vita erant, debebatur. Sed etiam depoſuit, (ut proximé dixi) quando voluit, & quia voluit mortuus eſt, oblatus eſt: & clamans voce magna exſpiravit; quo oſtendit, vires ſibi haud imminutas eſſe etiam in illo ar- B ticulo mortis, quod etiam admiratus Centurio, & videns quia ſic clamans exſpirâſſet, exclamavit & ipſe: *Verè hic Homo Filius Dei erat.* Porro has omnes veſtes, tot vicibus depoſitionis veſtium deſignatas, atq; depoſitas, ideo Dominus depoſuit, ut nos etiam quadruplici veſte, per peccatum nudatos, quadruplici autem lacernâ miſerabili indutos, illa quidem reinduerет, hac verò exueret. Post primum in Paradyſo lapſum ſpoliati ſumus. 1. Veste Innocentiæ Juſtitiæq; òriginalis. 2. Veſte Gratiarum & habituum, virtutumq; ſupernaturalium. 3. C Immortalitate. 4. Iure ad gloriam & ipsâ gloriâ beatificâ. E contra induti ſumus tunc. 1. Veſte peccati maculæq; originalis. 2. Veste concupiſcentiæ ac rebellionis carnis. 3. Mortalitatis. 4. Veste Maledictionis confuſioniſq; tam temporalis quàm æter-

Pſ. 109. 18

næ, juxta illud Pſalmi: *Induit maledictionem ſicut veſtimentum.* Et. *Induantur*

Ibid. v. 28

ſicut diploide confuſione ſua. Dominus ergo IESUS ſuâ tam variâ veſtium & induitione & exuitione, nostra nobis & inviſa veſtimenta detraxit, & gratioſa induxit.

2. Indutus est Dominus IESUS chlamyde coccineâ ut vult Matthæus & Lucas, purpurâ autem ut volunt Ioannes & Marcus, quo ſignatur vel illam vestem fuiſſe quondam dibapham D bis ſcilicet murice purpurâq; tinctam, ac ideo coccineam, vel certè limbos habuiſſe Coccineos, ipſam verò purpuream. Hæc veſtis & genere & colore fuit militaris & Regia ſeu Imperatoria. Ut oſtenderet Dominus IESUS ea indutus, ſe tunc & regnum capeſſere per paſſionem, & cum forti armato depugnare. Et hoc quidem ex intentione fuit ſolius Chriſti: Nam ex militari licentia, ſcopus fuit Chriſtum quem Regem vocitari, & affectati Regni accuſari audiebant, illudere, & ludicrum Regem facere, uti totus iſte Coronationis Dominicæ articulus manifeſtè indicat, hoc enim detrita purpura, ſpinea Corona, ſceptrum arundineum, genuflexiones, conſalutationes, alapæ, ſputa, Capitis percusſiones collimabant, ut Rex fictus & ob Regii honoris affectationem ſic tractatus omnibus innoteſceret: quibus omnibus ſatis conſtat Dominum noſtrũ crudeliſſimé, & ſimul miſerabiliſſimè fuiſſe dehoneſtatum, ita, ut prorſus exuiſſe etiam hominis figuram ex injuriarũ enormitate, digniſſimusq; commiſeratione videri poſſet. Atq; hoc ſibi voluit Pilatus illâ ſuâ & productione Chriſti ad populum, & voce: *Ecce Homo*, de quo inferiùs; nunc ad lineam.

3. Dixit aliquando Dominus IESUS: *Homo quidam nobilis abiit in Regi-* Luc. 19. 12 *onem longinquam accipere ſibi Regnum & reverti. Cives autem ejus oderant eum, & miſerunt legationem poſt eum dicentes: Nolumus hunc* (id eſt Te) *regnare ſuper nos.* &c. Hoc ex parte in Paſſione Domini impletum eſt in ipſo Domino patiente: qui Homo factus & in terris converſatus, Regionem longinquam adiit, ut eam ſibi Regnum efficeret; effectoq; Rex terræ ad Cælum rediret. Cives ejus Iudæi nimirum, quin & fratres de quorum Carne eſt Chriſtus, miſerunt legationem illam duram; qua renuntiârunt Regno ejus ſuper ſe dicentes: *Non habemus Regem niſi Cæſarem.* Quo igitur tempore maximè Chriſtus Regnum ſibi hic parabat & procurabat, hoc tempore maximè, Judæi, jugum Regni ejus excutere ſatagebant, & contra: quo tempore hoc illi & per eos Diabolus agebat ne Chriſtum Regem haberent, hoc tempore Chriſtus Regnum ſibi parabat, immo ipſis Judæorum & Dæmonum artibus acquirebat. Quod in eadem narratione Dominus oſtendit: cum ita ſubdit: *Et factum eſt cum rediret accepto ſibi Regno, &c. Veruntamen inimicos*

illos meos

Digitized by Google

illos meos, qui noluerunt me regnare ſuper ſe, adducite huc & interficite ante me.

4. Hac aſſumptione veſtis purpureæ videtur impleta illa Prophetia, in qua Chriſtus Dominus, ſive patiens A myſticè, ſive aſcendens graphicè depingitur: *Quis eſt iſte, qui venit de Edom tinctis veſtibus de Boſra? iſte formoſus in ſtola ſua, gradiens in multitudine fortitudinis ſuæ. Ego qui loquor juſtitiam & propugnator ſum ad ſalvandum. Quare ergo rubrum eſt veſtimentum tuum: & veſtimenta tua, ſicut calcantium in torculari?*

5. Purpurâ induitur IESUS quia ſanguinũ eſt ſpõſus nobis. Nonne ei ſumus ſponſæ ſanguinum, emptæ pretio ſanguinis pretioſi ejus; & peccata noſtra ſanguis ſunt, quæ omnia purpuratam Chriſti faciunt veſtem.

6. Serum eſt nimis, ô milites! quòd purpuream veſtem offertis: jam induit pretioſiorem: immò vos indu- B iſtis pretioſiore, induiſtis ipſâmet purpurâ genuinâ primâ & non induiſtis tantùm ſed etiam acu pinxiſtis, etiam intexuiſtis etiam inaràſtis, ut ſcilicet detrahi non poſſit. Sed fortè operis pudet, pudet inartificioſæ artis. Crudelitatis ſcilicet opus eſt, tegendum ergo fuit. Niſi forté veſtem Immanitatis, chlamide ludibrii ornare oportebat. Ita ita Hypocritis mos eſt induere veſtimenta ovium, intrinſecus lupos rapaces eſſe, patrata ſcelera tegere ſimulatione. At fallor: hæc purpura, non eſt velamen ſed Triumphus improbitatis, gloriantis in rebus peſſimis.

C

PARAGRAPHUS CXI.

Matt. 27. 29. Mar. 15. 16. Jo. 19. 2.

JESUS ſpinis coronatur.

FIGURÆ

Corona tua circumligata ſit tibi.

Ezech. 24. 17. *Pelagus operuit caput meum.* Aliì legunt: *Iunci.* ſcilicet Marini, quali-

Jon. 2. 6. bus Chriſto Corona dicitur fuiſſe plexa.

STROMATA

Gen. 3. 19. 1. Ejiciens de Paradiſo, Adamum Deus & maledicta ejus cõglomerans, inter alia poſuit hoc: *Maledicta terra in opere tuo: ſpinas & tribulos germinabit tibi.* Utinam mi Domine aut ab hac maledictione, abſtinuiſſes, aut, certé illa effectum ſortita non fuiſſet. Ad quid votum iſtud, hodie ſpinæ! defuiſſent, quibus caput tuum coronatum fuiſſet. Ecce autem memores Filii Adam maledictionis hujus fecerunt tibi Domine Coronam de ſpinis iſtis, quas terra eorum operis abs te maledicta germinavit. An forté Domine tu voluiſti has ſpinas, in caput tuum redundare cum maledictione, ut ad filios rediret benedictio? non enim Domine minus tu optabas nobis bene, quàm mater illa filio ſuo, maledictionem Patris pro benedictione formidanti, cui dixit: In me ſit Fili mi maledictio iſta, tantummodo vade & fac ſicut dixi tibi) ita factum Domine, ita factum: in te recidit maledictio noſtra, ad nos autem rediit benedictio tua.

2. Prohibitus Abraham immolare fi- Gen. 22. 13. lium Iſaac, nec aliam habens ad manum victimam, quàm offerret, circumſpiciens vidit Arietem inter vepres hærentem cornibus, quem tollens obtulit pro filio holocauſtum Domino. Fortunate Iſaac quem, Aries ſanguine ſuo redemit: ſed & nos filii fidei Abrahæ, filii promiſſionis, non minùs fortunati, pro quibus non aries inter vepres, cornibus hærens, ſed Dei filius, caput reverendum ſpineo ſerto horridum gerens immolatur, nobis autem promiſſiones vitæ æternæ, exhibentur

3. Currite jam nunc Cedri Libani. Currite Quercus Baſan, currite omnia ligna Sylvarum ad Rhamnum & conſtituite vobis Regem, & requieſcite ſub umbra illius. Nimis enim elevati ſunt & exaltati rami Rhamni hujus; nimis altè locum ſibi delegit plantatio ejus. Ipſum divinitatis verticem occupat, ipſis Cæleſtibus poteſtatibus tremendum caput inſidet. Chriſtum Coronant Rhamni, Chriſti frontem cingunt ſpinæ, uſq; ad caput Chriſti aſcenderunt vepres: Ergo Cedri nolite jam dedignari humiliari & inclinari ſub Rhamno, & requieſcere ſub ejus umbra. Expetenda hujuſce Rhamni umbra, quâ inumbratur vertex D ipſe Divinus. alioqui timete Cedri, nè de Rhamno egrediatur ignis, qui devoret Cedros Libani. Olim egredietur olim, quando ſedebit judicans vivos & mortuos, & erit ignis in con-

ſpectu ejus, & in circuitu ejus tempeſtas valida, & fluvius igneus exibit de ore ejus! An non fluvius? an non igneus, & rapidus ſententia illa? *Ite maledicti in ignem æternum!* Hic eſt ignis accenſus à furore Dei & ardebit uſq; ad inferni noviſſima. Nunc ergo iſti Rhamno humiliemur, ut ab eo nunc muniamur, ne olim configamur & comburamur, &c.

4. Itanè ô munde! aut potius, Itanè ô Filii Hominum, quos Deus gloriâ & honore coronavit inter omnes creaturas mundi, quos Deus coronavit tam vaſtâ totius univerſi, totius Cæli coronâ, pulchris ſideribus diſtincti, de die & de nocte, Deum veſtrum ſpineo ſerto coronabitis? Deus ſe ipſe tibi dedit in coronam capitis tui, tu autem Munde ſpinas impones capiti Creatoris tui? Deus Coronavit te miſericordiâ & miſerationibus, tu Deum coronabis ſpinis & tribulis? Deus te fecit quaſi Coronam totius hujus univerſi viſibilis, tu Deum ad ludibrium inſaniæ tuæ coronabis ſpinis? Quis audivit unquã hujuſcemodi? Sed mi Deus, quid tu ab hominum agro ſperares aliud præter ſpinas & tribulos & ſentes & Rhamnos? hæc eſt Meſſis filiorum Adam, hæc ſpes laborum eorum, hi fructus ingratiſſimæ Creaturæ, retribuere mala pro bonis, maleficium pro beneficiis, injurias pro gratiis. Quid execramur ſpinas pungentes, malitias potiùs debemus, quas quotidie multiplicamus, & non capiti ſolùm, ſed etiam cerebro, etiam oculis, etiam auribus, etiam cordi, etiam manibus Chriſti infigimus, circumdamuſq;? caput Chriſti pungit, qui peccando Majeſtatem Dignitatemq; Dei contemnit, cerebrum Chriſti pungit, qui ſapientiam Cædit, oculos pungit, qui in præſentia Dei peccare non erubeſcit. Aures Chriſti pungit, cujus iniquitates aſcendunt clamantes in aures Domini. Cor Chriſti pungit, qui Charitatem Chriſti malefactis & injuriis compenſat. Manus Chriſti pungit, qui opera manuum Dei in offenſam convertit Creatoris. Et nos militibus Caput Chriſti ſerto ſpineo Coronatibus indignamur, qui totum IESUm quotidie in ſpinetis aculeatiſſimarum iniquitatum, Cordis, Oris, Operis, volutamus & fauciamus & Cruentamus, adeo ut de continuis iſtis plagis atq; puncturis, dicere poſſit Dominus: *His plagatus ſum in domo eorum qui diligebant me*, qui credebant in me. &c.

5. Schema felicitatis humanæ eſt iſte IESUS Coronatus, ſed ſpinis, purpurâ indutus, & Rex ſalutatus, ſed illuſus. Felicitates Humanæ quid ſunt, niſi Coronæ? Cæterùm inſpiciantur, imò palpentur, & invenientur eſſe ſpineæ; Teſte ipſo Chriſto: Divitiæ ſunt ſpinæ. Sed neq; voluptates, neq; dignitates, neq; Scientiæ, neq; voluntates atq; cupiditates, aliud quicquam ſunt, quàm ſpinæ. Et amantur tamen iſta & appetuntur & quæruntur, & qui his abundant feliciſſimi, & qui iſta procurant ſagaciſſimi, qui iſtis carent, miſerrimi, qui iſtà contemnunt, inſaniſſimi reputantur. Hunc ſenſum pueri, à ſenibus; Simplices, à Sapientibus, poſteri à majoribus diſcunt, & errorem per manus, perq; traducem in ſecula transmittunt. O Cæcitas cum ſtupore! quam experientia tot Myriadum & annorum & Hominum, non poteſt refutare, nõ poteſt edocere! quis enim hæc unquam bona habuit, & ſpinea non ſenſit? quis ſenſit, & tamen ſapuit?

6. Spinis coronatur IESUS quando deridetur ſimplex & Juſtus; Quid faciunt deriſores virtutis alienæ, niſi ſunt fabricatores & impoſitores ſpineæ coronæ? quam capiti imponunt operantis, quando vel ad intentionem arguendam deſcendunt mentis, vel quando irriſione ſuâ, propoſitum evertunt voluntatis. Capiti etiam ſpinea irriſionis Corona imponitur, quando Deus qui ex opere virtutis laudandus erat, honore ſuo ſpoliatur. quaſi enim ſpinam infixit vertici Redemptoris, qui in proximo Chriſti gratiam, & virtutem irriſit, irridendoq; impedivit boni operis.

7. Spinis coronatur IESUS, quando ex malè partis honoratur Deus, quia enim bona quædam ſunt, ideò coronæ videntur, quia tamen malæ acquiſitionis aculeum retinent, Ideò ſpinæ ſunt. Aculeum iſtum ſentit, accuſatrix conſcientia hominis, ſentit & averſatrix ſententia judicis, & ideò de talibus bonis exhibita Eleemoſynâ, vel aliud quodlibet opus exhibitionis, videtur eſſe corona Divini honoris, revera autem eſt ſpina Divinæ æquitatis.

8. Coronatur ſpinis IESUS quando apud ſubjectos non eſt debitus Honor Poteſtatis. Poteſtas enim quaſi caput eſt Communitatis, tanquam ſui Corporis: cui capiti honor debetur obſer-

vantiæ & corona obedientiæ, & quidē quando hoc utrūq; poteſtati cū ſimplicitate & candore exhibetur, tunc veluti aurea roſeave corona Capiti imponitur. Cæterum quando poteſtati ſubjectorum mentes, obmurmurant, neq; ſimplicem cum debita reverentia obedientiam præſtant, non aliud ſane faciunt, quàm caput ſuum moleſtiſſimis linguarum, curarum, amaritudinumq; ſpinis cruentant; propter quod Apoſtolus ſubditos admonens obedire Præpoſitis, cautos illos reddit, ne præpoſitos in regimine gemere faciant: *Obedite* ait *Præpoſitis veſtris & ſubjacete eis, ipſi enim pervigilant pro animabus veſtris, quaſi rationem reddituri, ut cum gaudio hoc faciant non gementes, hoc enim non expedit vobis.* Gemunt Præpoſiti. quando ad pondus regiminis, quo gravantur adjectum ſibi à ſubditis patiuntur aculeum protervæ moroſitatis. Gemunt præpoſiti, quando ad reddendam Deo Iudici, pro animabus ſibi creditorum rationem vocati, pro eo quòd commendare ſubditòs debuerant, neceſſariò tanquam vel inobedientes, vel obtrectatores accuſant. Quod quidem non expedit ſubditis, quia per hoc, quod ad Deum Judicem, contra eos querelæ deveniunt Præpoſitorum, duplicatur illis juſto judicio ſeveritas ad pœnam, ſicut duplicata noſcitur eſſe culpa, in Divinam & Prælati commiſſa perſonam. Et cùm Deus nullam bis in id ipſum culpam puniat, hanc tamen irreverentiæ in Præpoſitos malitiam duplicato æquitatis rigore caſtigat.

Hebr. 13. 17.

A B

9. Quo Caput noſtrum IESUM præceſſit, ſequentur eò etiam cætera membra: ſi tamen quâ Caput illud præceſſit, hac & membra ſequi non graventur. Certè ſub ſpinoſo capite, non debent eſſe membra delicata: Monſtri ſimile eſt Caput in ſpinis, membrum in roſis. Caput cruciari, membrum deliciari. & tamen ita facimus paſſim. Ab initio autem Chriſtianitatis non fuit ſic: nam priſci Chriſtiani ob venerationem Chriſti ſpinis coronati renuerunt floribus coronari. Teſtatur id Tertulianus, qui & hortatur Chriſtianum dicens: Indue ſpineam Chriſti Coronam, ut & illam coronam æmuleris, quæ poſtea ei obvenit, quia & favos poſt fella guſtavit: nec ante Rex gloriæ à Cæleſtibus eſt ſalutatus, quàm Rex Judæorum proſcriptus in Crucem, minoratus modicum

Tertul. de Coron. militum c. 1. 4.

C D

quid, infra Angelos, & ita gloriâ & honore coronatus.)

10. Quondam Chriſtus ad populum parabolizans, ajebat: à ſpinis ſimul exortis ſemen verbi DEI ſuffocatum eſſe. O nimis hoc ad literam ecce videmus impleri, Verbum enim Divinum IESUM Chriſtum, ſpinæ dum coronant, ſuffocant. Teſtatur id apud Brigittam Beatiſſima Virgo Chriſti Mater ſic revelans: Tunc corona ſpinea capiti ejus arctiſſimè impoſita fuit, quæ ad medium frontis deſcendebat, plurimis rivis, ſanguinis ex aculeis infixis decurrētibus per faciē ejus & crines, & oculos & barbam replentibus, ut mihi quaſi nihil niſi totus ſanguis videretur.)

Revel. l. 4. c. 70.

11. Sub faſce ſtraminis, mos inolevit per Germaniā, venales merces diſtrahi, quod priſci faciebant ſub corona, ſub qua etiam mancipia divendebantur. Complexus eſt utrumq; morem Dominus, formam ſervi & conditionem habitumq; venalis mancipii recipiens & ſub Corona, & ſub faſce (non ſtraminis ſed ſpinarum) proſtat venalis. Hic licet cum Auguſtino exclamare: O Chriſtiane eme ſi vis & noli cogitare de pretio: tantùm valet hæc merces, quantum habes. te da & habebis illam. Et tamen tergiverſamur: noli timere; quod das, non tibi perit, quòd in mercem impendis, tibi cum mērce imò per mercem ſervatur, & ad te cum fœnore multiplici redit.)

Auguſt.

12. Salomonis templi ſuprema pars, ornata fuiſſe ſcribitur quibusdam aureis virgultis in modum ſpinarum efformatis, atq; ſurſum erectis, & factum id in circuitum univerſi Templi: Ornabant ſpinæ illæ aureæ Templum non autem pungebant, immò etiam ab inquinamentis volucrum defendebant: Ecce tamen Salomon noſter aliter longè templum Corporis ſui in ſuprema parte protexit, ſpinis quidem, ſed non aureis, nec ſurſum elevatis innocuis, ſed ſacro vertici infixis & cruentantibus: non arcens volucres, ſed admittens, juxta illud Propheticum: *In horto ſpina alba, ſupra quam omnis avis ſedet.* Videmus quotidie paſſerculos, & alias volucres minores, ut rapacium & potentium ungues effugiant in ſpinis ſe ſe abdere, ac ſecuras eſſe: Ita eſt in hac Chriſti ſpina paſſerculi & aviculæ latent: Herodios Regalios, aliaq; rapacium milvorum & accipitrum generā effugientes. Nemo enim rapacium Dæmonum tangit Coronam Chriſti

Digitized by Google

bus ipſis coſtisq; divellentium, extorquet utiq; convictionem rationis, ut fateatur immenſum fuiſſe dolorem iſtum, quem hic Dominus protulit, neq; humanis mortalibus ordinariisq; viribus A ſupportabilem. Sed opus fuiſſe Divinâ virtute addi corpori illi innocentiſſimo vires non quidem ad leviùs ferendum, ſed ad ſuſtinendum perdurandumq; inter dolores, in vitâ. Quibus ſi addamus rigorem Juſtitiæ Divinæ, cuî non tantùm ad plenum, ſed etiam ſuper plenum ſatisfaciebat Chriſtus, Copioſitatem Redemptionis, quâ miſericordiam Dei explebat, Immenſæ Charitatis ſitim, quæ patientiâ ſaginari cupiebat, neq; mediocri aut ſummâ ſatisfactione expleri poterat, ſed omni maximâ majorem concupiſcebat. Miſeriam deinde omnium & ſingulorum Hominum. à qua Filius Dei ſanguine ſuo per ſatisfactionem ſuam eos ereptum ibat. Tum multitudinem, enormitatemq; Peccatorum omnium Hominum, B qui fuerant, erant, futuri erant, cui eluendæ & ad plenum emundandæ, IESUS ex ſanguinibus, Cruciatibus, meritisq; ſuis, balneum, lauacrumq; copioſiſſimum parabat. Æternorum ſuppliciorum gravitatem, infinitumq, debitum infernalium pænarum, quod Chriſtus abſolvebat, & à quo Homines juſto pretio liberabat. Excellentiam, varietatem, copiá donorũ, tam naturæ, quàm gratiæ, quã etiá Beatificæ Gloriæ, quæ Chriſtus omnibus, & ſingulis Hominibus, quantùm in ipſo erat apud Deum Patrem coëmebat & merebatur. Heroicum quoq; illum vel potius Theandricum Chriſti Domini animum, C quo in omnibus operibus ſuis, at præcipuè in illis, quibus evidentiùs operabatur ſalutem & Redemptionem Hominum; iisq; virtutum exempla demonſtrabat, & Charitatis in eos ſuæ portenta exerebat; neceſſariò dicere debemus, ut animus ille Chriſti tantus, & omni Heroico major, Theandrico par & dignus, ſibi per omnia ſatisfaceret, ſeq; ipſi adæquaret: dolorem, quem in flagellatione ſuſtinuit, fuiſſe & eſſe debuiſſe omni dolore, qui cogitari à noſtris cogitationibus poſſit, majorem intenſiorem, grandiorem, minor enim dolor vaſtitatem Animi, & cupiditatem Amoris, & Capacitatem pati deſiderantis Cordis Chriſti non adæquâſſet, non explêſſet, non ſaturâſſet. O Mor- D tales, mortales ô Filii Adam! ô Pecatores præteriti, præſentes, & futuri! quis det *ut poſſitis comprehendere cum omnibus Sanctis* Eph. 3. 18. (Angelis & Electis,) *quæ ſit latitudo & longitudo & ſublimitas & profundum* Doloris IESU, *ſcire etiam ſupereminentem ſcientiæ Charitatem Chriſti, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei.!*

2. Dicitur Vulgò: Ut cicuretur Leo, Catellus percutitur: hic porro oppoſitum cernimus. Leo de tribu Juda cæditur, ut Canis rabidus, Judæus manſueſcat! Similiter proverbium eſt: Peſtilente flagellato, Sapiens ſapientior erit: At hic quoq: ſecus ſe res habet. Caſtigatur & flagellatur ſapiens, immo Sapientia ipſa Increata & Incarnata; ut Peſtilens ſapiat, ac utinam ſapiat, non deſipiat! Parùm certè ſapuerunt inimici Chriſti: & ſi Electi ſapuerunt, nec parum, nec pauci. Poteſt tamen ita dici quòd catellus Chriſtus percuſſus ſit, ut circuraretur placareturq; Pater æternus, tanquam Leo, peccatis Hominum irritatus & iratus. ait enim ipſe Pater: *Ad quem reſpiciam niſi ad pauperem & trementem ſermones meos?* pro Iſ. 66. 2. Trementem (leguut aliqui *Flagellatum*. Etenim quis tam Tremens, quàm IESUS inter flagella & verbera Carnificum? Eum ergo reſpiciet Pater, & placabitur Hominibus Leo. In februis Gentilium feſtis concurſabant Sacerdotes eorum per plateas, cædentes pellibus obvios quosq;, immo & obvios etiam ſponte: quo facto placatos dicebant Deos, nec ampliùs caſtigaturos peccata Hominum. Quiritabatur Iuſtitia Dei, quòd ſolus Chriſtus à Patre flagellatus eſſet, peccatoribus autem nihil triſte eveniſſet. reſpondet Pater & ait: *propter ſcelus populi mei percuſſi eum*, poſuiq; in eò iniquitates omnium. Illo ergo flagellato omnes ſunt flagellati: reſpiciam ergo & placabor Iſ. 53. 8. ſceleribus omnium.

3. Agnus Paſchâlis immolandus pelle prius exuebatur. Chriſtus quoq: quaſi Agnus manſuetus, antequam immolaretur in cruce, exutus eſt & pelle & carne in flagelatione. In qua etiam velut Agnus coram tondente obmutuit, quia in omni flagellatione, verbum querelæ non protulit. Crudelis ſanè tonſura hæc, quâ non vellus eſt tonſum, ſed corpus usq; ad oſſa raſum ſeu avulſum. Et Iob quidem ſedens in ſterquilinio ſaniem teſtâ radebat: IESUS autem alligatus columnæ, ſtans in prætorio, aut defixus demerſusq; in noſtrarum iniquitatum fimo & limo, non teſtâ ſaniem, ſed flagellis carnem, per

nem, per manus carnificum radebat: ſaniem verò ſcelerum & miſeriarum de genere humano, id eſt de ſuo corpore Myſtico abluebat, Idem Iob dicebat de ſe: *Pelli meæ conſumptis carnibus adhæſit os meum; derelicta ſunt tantummodo labia circa dentes meos.* At tibi Domine IESV flagellatio non ita ceſſit. Iobo pellis remanſit qua tegerentur ſaltem oſſa. Os quoque relictum eſt quo miſerias ſuas deflendo & enarrando, ſolari poſſet. Tibi mi IESU neq; pellis, neq; Caro relicta eſt, ſed oſſa nudata Carne & pelle ab immiſericordi verberatione: Labia inſuper & ſiti aruerunt, & ſilentio obmutuerunt!

A Iob. 19.20.

4. Moyſes imperio Divino, Aaronem ſummum Sacerdotem, induit veſte hyacinthina, in qua deſcriptus erat orbis terrarum, in circuitu veſtis elaborata erant malogranata ex purpura quæ tintinnabulis interſtincta erant aureis, ſonantibus. Eratq; cautum lege, ut eã veſtem Sacerdos ſummus indueret quando in ſancta ſanctorum ingreſſurus & victimas oblaturus eſſet. Adumbrata eſt hoc ſchemate Domini noſtri flagellatio, ipſe enim tanquam Sacerdos ſummus facturus cruentum Sacrificium, & ut ait Paulus,: Introiturus ſemel in ſancta, indutus eſt per flagellationem veſte hyacinthinâ rubeâ purpureâ; eratq; in hac veſte deſcriptus univerſus orbis terrarum: quia propter totius mundi peccata IESU S eſt flagellatus, ſceleraq; noſtrum omnium in ejus corpore, crudeli ſtylo deſcripta ſunt. In hac veſte quot vulnera, plagæ, livores; tot malogranata, quot verò guttæ erumpentes, quot laceræ carnis fruſtula pendentia, tot tintinabula in auribus Patris æterni miſericordiam & indulgentiam mundo inclamantia. Ah quàm multa malogranata! quàm multa tintinabula hæc fuerunt! millibus recenſentur à ſanctis &c. vide ſupra: Flevate piæ manus IESUM in pænis ſuis ſanguinolentum & jacentem, atq; hac veſte vulnerum innumerabilium circumdatum. Oſtendite eam Patri æterno, ut videat: An hæc tunica ſit Filii ejus? an verò fera peſſima devoraverit Filium ejus? Expoſcite miſericordes oculos Dei ſuper univerſum Humanum genus; ſuper Sanctam, urbem &c. Ut ſit vobis hæc veſtis contra Divinæ indignitationis jacula ſcutum, ſit murus. O IESU, quem ſervire fecimus in peccatis noſtris, (Pro Servire) legunt Septuag: defendi te in peccatis.) defende nos tu in noſtris peccatis, defende ab ira Patris, defende à reditu ad peccata, defende ab damnatione æterna.

Exod. 28. 2. 31. Levit. 8.7. Sap. 8.24. B C D

5. Flagellatio Chriſti eſt quædam aratura, quam fecerunt Peccatores. Ita enim Hieronymus vertit illud Pſalmi: Supra dorſum fabricaverunt peccatores, Ille habet: araverunt arantes prolongaverunt ſulcum ſuum. Conſonat verò Challdæus legens: Prolongaverunt arationem. Poteſt autem vocari flagellatio, Aratura tribus de cauſis. 1. Ut enim aratur ideo ut ſemina terræ aratæ mãdentur, meſſisq; conſurgat: ita flagellatur IESUS ut ſemina cordium credentium in eo ſementur, & rore gratiæ cæleſtis Chriſtiq; ſanguinis imbre rigata, in meſſem virtutum ac Electorum creſcant. peccatores verò hanc arationem fecerunt, tanquam boves jugum commune trahentes, duo ſcilicet populi diverſi, Judæi nempe & Gentiles Diabolo impulſore; vomere, mala voluntate, 2. Vocatur flagellatio aratura, quia ſicut in arando terra innocens ſcinditur ſulcaturq;, aliis vero, nempè aratoribus, & utilitas provenit inde nempè ſubruuntur inutiles herbæ, utiles autem ſegetes naſcuntur, alimenta ſubminiſtrantur. &c Ita Innocentiſſimus IESUS flagellatione eſt aratus, peccatoribus autem arantibus fructus ſurgit. Remiſſio ſcilicet peccatorum, Exſtirpatio vitiorum. Meſſis virtutum. Fructus Permanens in vitam æternam. Divitiæ ſalutis. Opes gratiæ. &c. Unde hic longe aliter ſe ſe habet ordo illequem Pſalmiſta ex poſuit dicens: *Multa flagella peccatoris, ſperantem autem in Domino miſericordia circumdabit.* aliter inquam hic res eſt, & ordo alius. Nam multa flagella ſperantis in Domino & Innocentis IESU peccatorem autem miſericordia, Gratia, Venia, Redemptio, Remiſſio, Salus, Iuſtificatio, Divitiæ ſalutis, vita æterna circumdederunt. 3. Aratura vocatur flagellatio, quia ſicut terra arando, quaſi ſculpitur vomere, & quaſi imago, ac ſpes meſſis futuræ pingitur: ita in flagellatione Corporis Chriſti, exſculptꝯ eſt Amor Chriſti erga nos peccatores, ut eũ legere, cernere, imò palpare poſſimus. Ad quod propoſitum ſervire poteſt locus ille Prophetæ *Ecce lapis quem dedi coram JESU, ſuper lapidem unum ſeptem oculi ſunt, ecce ego calabo ſculpturam ejus, ait Dominus Exercituum & auferam iniquitatem terræ*

Pſ. 72.14. Vide ſupra hic n. 1. folio. 140. Pſ. 31.10. Zach. 3.9.

tem terræ illius in die una. Dedit enim Dominus. Deus lapidem unum coram IESU, ipſum ſcilicet IESUM, lapidem grandem, lapidem ſine manibus, lapidem angularem, ſuper quem cælata A ſculptura permiſſu Domini, & eſt ablata per eam iniquitas terræ, ſuntq; ſuper hunc lapidem oculi ſeptem. Quæ eſt iſta ſculptura? niſi tota quidem Chriſti Paſſio, ſed ſpecialiter flagellatio; qua propter ſcelus populi ſui abolendum, delendamq; terræ iniquitatem percuſſit eum Dominus, & diſciplinam pacis noſtræ ſecum faciendæ poſuit ſuper eum: Oculi autem ſeptem, mihi videntur eſſe oculi aſpicientium IESUM, qui ſeptem recenſeri poſſunt, ſunt enim ſuper hunc lapidem oculi. 1. Dei 2. Oculi ipſius Chriſti ſuper ſe. 3. Oculi MARIÆ Matris ejus, ut ſuper filium. 4. Oculi Dæmonū, Judæorū, Pilati & Carnificum, hi enim omnes uno B oculo intuiti ſunt Chriſtum. 5. Oculi peccatorum, 6, Oculi Amantium. 7. Oculi Angelorum. Primi oculi ſunt Juſtitiæ, Secundi Miſericordiæ. Tertii Compaſſionis. Quarti Odii, & perſecutionis. Quinti offenſionis & Ingratitudinis. Sexti Dilectionis & Imitationis. Septimi Admirationis & Adorationis. &c.

6. Dixit Dominus ad Moyſen. Sume tibi aromata boni odoris: cūmq; in tenuiſſimum pulverem omnia contuderis, pones ex eo coram tabernaculo teſtimonii, in quo apparebo tibi. Hæc figura fuit flagellationis Dominicæ per eamq; impleta. Aromata enim boni o- C doris ſunt membra innocentiſſimi Salvatoris, ex quibus nè in Conceptione quidem afflatus eſt malus odor ullus. Porro ſemper optimus Puritatis, Innocentiæ, Caſtitatis, Modeſtiæ, Continentiæ, Sobrietatis, Mortificationis, fatigationis, gratiæ. &c, Hæc Aromata optimi odoris contuſa ſunt in tenuiſſimum pulverem, parvis, ſed validis & ſæpiſſimè iteratis in flagellatione plagis: ponentur brevi in tabernaculo Crucis: in quo Pater æternus odoratus eſt, odorem ſuaviſſimum obedientiæ, & patientiæ, & humilitatis & Charitatis filii ſui, placabiturq; Hominibus & dimittet peccata, ſuppli- D ciaq; peccatorum eorum. Crucem, Tabernaculum Domini noſtri: immo omnia Paſſionis inſtrumenta, Damaſcenus vocat. Vide etiam, an non poſſit dici Corpus ſeu Humanitas Domini, Tabernaculum. Membra conciſa plagis, Aromata? &c. Iacob Patriarcha viſâ Filii Ioſephi dilecti veſte variegatâ atq; partim lacerâ, partim tinctâ ſanguine, ſolutus eſt in lacrymas inconſolabiles, Sanè & Pater æternus conſpectâ hâc Carnis Filii ſui veſte, plagis picta, lacerâ, & Cruentâ, animo non potuit, non commoveri ſuo Divino, & negare miſericordiam iis, pro quorum amore ſolebat hæc à filio ſuo ſuſcepta eſſe.

l. 4. Vid c. 12. vid Paleolum plaie. 5. & De omit: Plat. in Paſſ.

7. Neſcio quid ſibi voluit quondam Iſaias quærendo virum Dolorum, atq; deſiderando, noviſſimum omnium & ſcientem infirmitatem. O mi Propheta ſi adires Præfecti Prætorium, forſitan iſthic reperires virum cum his, quas requiris qualitatibus, ibi ni fallor valde, eſt vir dolorum, eſt noviſſimus virorum & ſciens Infirmitatem. Quis enim eſt ille IESUS columnæ alligatus & nudus, & ſanguineus totus, & ſaucius à planta ad verticem? Vidiſti aliquando ſimilem huic in dolore, vidiſti noviſſimum poſt illum, Vidiſti magis ſcientem Infirmitatem? Nonné ipſe eſt, qui teipſo teſte languores noſtros pertulit & dolores noſtros portavit? Si portavit omnium noſtrûm dolores, ô veré vir Dolorum eſt! Si pertulit languores noſtros, veré ſciens Infirmitatem eſt! Si omnium noſtrûm dolores & langvores tulit, pertulit. Ergo verè noviſſimus omnium noſtrûm eſt! Fecerunt enim eum noviſſimum, noſtrûm omnium mala. Et vide mi Propheta, quomodo non vir dolòrum iſte, in quo tot viri poſuerunt dolores ſuos? Poſuit Pater æternus ſuper eo dolorem ſuum, quem & ex offenſis & ex perditione hominum habuit: poſuit mater Dolorem ſuum ſuper eum, quem omni reſignatione Paſſioni huic & omni Paternæ voluntati obtulit. Poſuit poteſtas tenebrarum infernalis dolorem ſuum ſuper eum, quia dolens, per ejus doctrinam & vitam eripi ſibi animas, eum ad necem perſecuta eſt. Poſuit Iudæus dolorem ſuum, quia odium & invidiam & ingratitudinem ſuam malitiamq; omnem explevit paſſione ejus. Poſuit Pilatus dolorem ſuum ſuper eum, quia propter metum amittendæ Cæſaris gratiæ, & propter importunitatem Iudæorum, eum doloribus flagellationis, coronationis, crucis, affici permiſit. Poſuerē Carnifices dolorem ſuum ſuper eum, quia ſatiati ſunt pœnis ejus & fecerunt in eo, quæcunque voluerunt. Poſuerunt

Latrones

Latrones dolorem ſuum ſuper eum, quia Vn*i* eorum poſtpoſitus eſt ad ejus ſalutem, duobus autem præpoſitus ad ſuam damnationem, mediusq; eorum pependit, & inſuper nunc ab utroq;, nunc ab uno eorum blaſphematus eſt. Poſuerunt ſuper eum dolorem ſuum Diſcipuli ejus & noti; quorum aliqui tradiderunt eum, aliqui negaverunt, aliqui deſeruerunt, aliqui timuerunt & à longè ſteterunt in ejus paſsione. Poſuerunt Angeli dolorem ſuum ſuper eum, quia Angeli pacis amarè flebant, videntes indigna, quæ in Filio Dei fiebant. Poſuerunt dolorem ſuum ſuper eum, omnes & ſinguli homines filii Adæ, qui peccatis ſuis cauſam paſsioni ejus tam amaræ dederunt. Poſuerunt ſuper eum dolorem ſuum Catenæ, vìrgæ, funes, flagella, fel, acetum, myrrha, Crux, clavi, lancea, ſpinæ, arundines, quia ad ejus paſsionem inſtrumenta fuerunt. Poſuerunt pauculi Amici dolorem ſuper eum, qui eum lamentati ſunt, & paſsione ejus innocenti doluerunt, & ſi auxilium nullum tulerunt. Poſuerunt dolorem ſuum ſuper eum Terra, Cælum, ſol, luna, dies, nox, tenebræ, monumenta, mortui, & totius mundi machina, quæ in paſsione ejus commota eſt & luctum fecit, qualis ab origine mundi non fuit. Deniq; ipſe poſuit dolorem ſuum ſuper ſe: quia oblatus eſt, quia ipſe voluit & animam ſuam pro omnibus poſuit, nullo eam tollēte ab ipſo, & talem ſuſtinuit à ſemetipſo contradictionem, ſanctificans ſemetipſum pro omnibus? Vèrè ergo virum dolorum habes ô Iſaia! ſed & noviſſimum virorum habes eundem. Omnes enim alii viri vetuſti ſunt & veterani, etiam pueri, tamen centum annorum ſunt. Omnes præcedunt & præeunt Peccatores in peccatis nati, & Adamum veterem induti. Vnus hic noviſſimus eſt virorum, ſocium non habet in Innocentia, virum ullū. Deniq; prodeat, qui talis eſt, ſtet ſimul cum IESV ut juſtificetur: qui ſine peccato eſt veſtrûm (clarè dixit idem Saluator) Primus lapidem in eam mittat. at ecce abiērunt audito hoc verbo. unus poſt unum portans quiſq; in conſcientia peccatum ſuum, remanſit ſolus IESUS noviſſimus in medio: atq; ille ſolus etiā primus & noviſſimus, miſit lapidem in mulierem adulteram naturæ humanæ, prævaricatricis in Deum ſponſum, typum gerentem: miſit lapidem liberationis dicens ei: *Mulier, ubi ſunt qui te accuſabant? nemo te condemnavit?* reſpondente illâ: *Nemo Domine*: ſubdens Dominus, jecit lapidem: *Neq; ego te condemnabo, vade in pace.* Quid vobis videtur de lapide iſto, quem hic IESUS virorum noviſſimus jecit? Hic eſt lapis quò vertuntur impii & non ſunt! Hi ſunt lapides torrentis dulces. Hi ſunt lapides miſerationis & ſalvationis. O! iſtis lapidibus lapida nos Domine IESU. In his enim lapidibus ſunt miſerationes tuæ ſculptæ, multiplices, fideles Salvatrices, ſed & noviſſimus eſt iſte IESUS: cum quo de Gentibus vir non eſt, & in quo Pater poſuit iniquitates omnium, & quē omnes poſuerūt, abominationē ſibi, & cujus nomē nec memorare, nec memorari volunt ampliùs inimici ejus. Iā verò quis ſciet infirmitatem, ſi is non ſciet, qui ex his, quæ paſſus eſt, didicit cōpaſſionem. Sciebat quidem Deus figmentum noſtrum, recordabatur quoniam pulvis eſſemus: Sed hæc ſcientia (ut ſic loquar) in Deo ſpeculativa fuit non practica, non experimento acquiſita, recordabatur, ſed ferè interdū oblivíſci videbatur, quòd nos pulvis eſſemus, unde Domini iram portans Iob queritur cum ipſo: *Iob. 6. 11.* quæ eſt fortitudo mea; ut ſuſtineam, aut quis finis meus ut patienter agam? nec fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea ænea eſt. At quando Deus homo factus eſt, tunc didicit & confeſſus eſt ex his, quæ paſſus eſt, quòd ſpiritus quidem promptus ſit, caro autem infirma, tunc didicit infirmitatem, & dixit: *Si poſſibile eſt, tranſeat à me Calix iſte, transfer Calicem hunc à me*: tunc clamavit: *Defecit in dolore vita mea & anni mei in gemitibus.* Tunc & fatigatus ex itinere ſedebat, & fractus jejunio eſuriebat, & ſitiens; da mihi bibere, poſcebat: tunc uno verbo factus eſt vir ſciens infirmitatem, ſciens experimento, ſciens in ſemet ipſo, ſciens ex his, quæ paſſus eſt in ſemetipſo. & non eſt vir ſimilis huic in ſcientia infirmitatis, quia non eſt ſimilis & in experimento infirmitatis. Et ſanè verba Iobi ſupra relata, non tam Iobi ſunt, quàm hujus ipſius Chriſti immenſitatem dolorum ſuorum in corporis ſui cruciatibus, potiſſimum verò in ſupplicio flagellationis exprimentis, quia & experientis. Ad quam Immanitatem dolorum Chriſti Domini, tum in flagelatione iſta ſua, tum aliis pœnis ſuis expendendam, cognoſcendamq;: ad vertendum eſt Chriſtum

ſtum Dominum tum ex aliis ſupra re-
latis hoc ipſo paragrapho cauſis, tum
etiam ex hac, cujus quoq; facta eſt a-
liqua mentio ſupra. Nempe ex invi-
cto illo: & nòn Heroico. Sed ut ſu- A
pra vocari Theandrico animi robore
ſimulq; patiendi ardore, dimanabat
exaggeratiſſimus dolor ſenſibilis in
Chriſti corpore, & hoc quidem ita.
Nam cùm neq; in cruciatibus vinci,
neq; in pœnis frangi, neq; in tor-
mentorum crudelitate ulla expugnari
poſſet, addo, etiam ad plenum ſatia-
ri, inq; ſua fame expleri Dominus IE-
SUS, quandam vim & virtutem ſen-
ſibus ſuis totiq; Corpori impertieba-
tur ob illam connexionem, quam a-
nimus ille Theandricè-heroicus cum
ſenſibus Chriſti habebat, quâ virtute
ſenſibiles animæ Chriſti poteſtates,
confortatæ crudeliùs crudeliùsq; excru-
ciabantur, quàm aut concipi ab hu-
mano intellectu, aut ſuſtineri ordi-
nariis noſtris, quantumlibet robuſtiſ- B
ſimis viribus poſſet. Atq; ex hoc ca-
pite omnes Cruciatûs Martyrum, im-
mò omnium Hominum hujus ſaltem
vitæ, non poſſunt comparari, in vehe-
mentia doloribus Chriſti, non dico o-
mnibus omnes, ſed omnes etiam uni.
Et quamvis etiam multi homines, ma-
ximè Sancti Martyres ingenti animo
ad cruciatus ibant, non licet tamen
hoc de illis affirmare, quod de Chri-
ſto Domino diximus, quippe qui non
adeò nobili mente præſtabant: ex quo
fiebat, ut animus illorum alacris vel
infractus tam perfectum ſentiendi of-
ficium haud potuerit ſenſibus ipſis e-
largiri: ac propterea ut plurimum C
hebetes ac ſtupore quodam oppreſſi,
gliſcente pœnarum acrimoniâ, corpo-
rei ſenſus atq; vires reddebantur (ut
omittam ſolatia & confortationes Cæ-
litùs ſæpenumero Martyribus immiſ-
ſas, quibus delibuti, aliquando exi-
guum quid, aliquando etiam omnino
nihil de cruciatibus præſentirent)
hincq; non adeò vehementes pœna-
rum tempore dolores experiebantur,
quod ſecus in Chriſto Domino eve-
niebat, in quo nulla hebetatio, nulla
obſtupeſcentia virtũ ſenſũ abſtrahebat;
ſed qualis initio dolor eſſe incipie-
bat, talis immò ſemper multò acrior, D
acerbiorq; doloris ſenſus propagaba-
tur, increſcebat, & perſeverabat. Quod
ſemel dictum ſit loco, atq; de omni-
bus aliis paſſionis Dominicæ dolorumq;
articulis retinendum.

8. David Propheta, dat Juſto Ho-
mini cuilibet quandam ſecuritatem di- *Pſ. 90. 10.*
cens: *Non accedat ad te malum & flagel-
lum non appropinquabit tabernaculo tuo.*
Hæc promiſſio aut non facta eſt per
Spiritum Dei: aut Chriſtus exceptus
ab illa eſſe debuit. Et primùm qui-
dem abſit ut dicamus. poſteriùs quo-
q; cur credamus, certè apparet. Nam
ſi juſtis immunitas à flagellis debe-
tur propterea, quia juſti ſunt. quantò
igitur quis Juſtior, tantò magis debet
eſſe immunis. quis autem Chriſto Iu-
ſtior? & quare ille non omnibus im-
munior? Immo; quare ille præ omnibus
minimè immunis. Sed etiam & Da-
vid Spiritu Sancto inſpiratus locutus
eſt, & ſtat ſua Iuſtis promiſſio, & IE-
SUS à flagello (licet Iuſtiſſimus, im-
mò Iuſtitia ipſa) non immunis. Et
quod caput eſt, ideo non immunis,
quia Iuſtus, quia Iuſtiſſimus, quia Iuſti-
tia ipſa, quia Innocentia pura. Niſi e-
nim IESUS iſte Iuſtiſſimus flagella ta-
bernaculo ſuo, corpori ſcilicet, Sactiſſimo
ſuo appropinquantia excepiſſet, nullus Iu-
ſtorum non excepiſſet, quia nullus Iu-
ſtorum Iuſtus fuiſſet. Et rurſus: Ideo
iſte Iuſtiſſimus IESUS flagella appro-
pinquantia Corporis ſui tabernaculo
habuit, quia Iuſtitia noſtra, & Iuſti-
tiæ noſtræ fons, & Caput & auctor,
& promeritor fuit, quod non fuiſſet
niſi juſtiſſimus, niſi Iuſtitia ipſa fuiſſet.
Neque enim nos quisquam mediocri-
ter juſtus ex injuſtis juſtos facere po-
tuit. Sed Iuſtificator noſter talis eſſe
debuit, qui naturâ Iuſtus, qui Iuſtitia
ipſa eſſentialiter fuit. Itaq; ideò ad
IESU tabernaculum flagellum appro-
pinquavit, quia juſtus fuit: ideò autem
ad aliorum Iuſtorum tabernacula non
appropinquabit, quia IESUS Iuſtus hoc
omnibus juſtis meruit: Non appro-
pinquabit, ergo juſto flagellum, quia
appropinquavit ipſi juſtitiæ. Et ideò
appropinquavit Iuſtitiæ Incarnatæ, ut nõ
appropinquaret Iuſtis, ab hac Iuſtitia;
hoc eſt, ab IESU Iuſto liberatis. alio-
qui *niſi Dominus reliquiſſet nobis ſemen* hoc
Iuſtitiæ æternæ *ſicut Sodoma fuiſſemus, &
quaſi Gomorrha ſimiles eſſemus*, id eſt omnes
ſimiliter periiſſemus. O quantæ gra-
tiæ tibi Domine IESU, qui factus es *Iſ. 1. 9.*
nobis à Deo Patre Iuſtitia & Pax.
Iuſtitia quidem, quia pro nobis Iuſti-
tiæ Dei ſatisfeciſti, & nos præterea per
Gratiam juſtificâſti. Pax verò, quia
pœnarum flagella, quæ omnium no-
ſtrûm in-

ſtrûm injuſtitiis debebantur, ad tuum tabernaculum accedere permittens, ad noſtra illud tabernacula, appropinquare non permiſiſti.

9. Triplici genere Inſtrumentorum flagellatum Dominum ſupra memoravimus ex D. Hieronymo & aliis. Virgis nempe, flagellis ex funiculis, & catenulis ferreis. Moraliter per hæc inſtrumenta deſignantur tria genera peccatorum, quibus à peccantibus IESUS offenditur, & quaſi flagellatur usq; nunc. Et virgis quidem ſpinoſis flagellant ambitioſi & ſuperbi, quorum ſuperbia & ambitio viret ſemper, aſcendit ſemper. Expreſſa eſt hæc natura ſpinoſa ambitioſorum, in illo Apologo Ioathæ, in quo detrectante Imperium ſuper arbores ficu & olivâ, & vino, dixerunt omnia ligna ad Rhamnum: *veni & impera nobis.* Rhamnus
Jud. 9. autem ſine tergiverſatione reſpondit: *Si verè me Regem vobis conſtituitis, venite & ſub umbra mea requieſcite.* Rhamnus ſpinoſum arbuſtum eſt, vile, inutile, ſola dignum flamma & exſtirpatione: & tamen Regno usq; adeò non impar ſibi viſum eſt, ut Cedros libani, & alias nobiles arbores ſub umbra ſua voluerit requieſcere. Ita ambitioſi, omnibus ſunt etiam viris ſummis pares, omnibus honoribus digni, omnibus laboribus ſufficientes, omnibus oneribus ſatisfacturi, adeò ut nihil ſit ambitioſis impoſſibile, nihil ſit quod non ſe facturos, perfecturosq: appromittant. Unde audias perpetuò reſonare, in oreq; illud habere Filiorum Zebedæi: Poſſumus, poſſumus. Faciemus: faciemus, Quando enim ambiunt. quando petunt & prenſant dignitatem, officium, munus honorificum, & dicitur illis: In hoc officio illud erit præſtandum, illud reſtaurandum, illud de novo faciendum, illud tollendum corrigendum, laboribus hic erit opus, tantæ ſunt obligationes, tanti erunt opus ſumptus: apud iſtos ad omnia reſonabit: Poſſumus. Faciemus. Fiet. Interim adepti officium, ſuſceptâ obligatione nihil cogitant de ſuſceptis, omnia alia agunt. altiora meditantur, & cedros libani ſub ramorum ſuorum umbra volunt occultari, ac quieſcere non apparere. Iam funiculis flagellant Dominum illi, qui divinis beneficiis, talentisq; à Deo ſibi donatis abutuntur in ejuſdem offenſam. Beneficia enim Funiculi vocantur apud Prophe-
Oſ. 1.14. tam: *Et ego quaſi Nutricius Ephraim portabam eos in brachiis meis & neſcierant quod curarem eos, in funiculis Adam traham in vinculis Charitatis.* Et ſanè robuſta ſunt vincula Charitatis & beneficentiæ: durum eſt enim Beneficia recipere; Maleficia benefactori reponere. Durum hoc inquam eſt: ſed non hominibus erga Deum, quo nihil apud homines uſitatius. *Filios,* ait Dominus, *enutrivi & exaltavi, ipſi autem ſpreverunt me.* Et Iſ. 1. 2.
Retribuebant mihi mala pro bonis ſterilitatem Pſ. 34. 12
animæ meæ. Et: *Quid ultra potui facere* Iſ. 5. 4.
vineæ meæ (recenſuerat autem bona, quæ fecerat) *& non feci? an quia exſpectavi ut faceret uvas & fecit labruſcas,* Aliaq; plurima querelarum Domini verba de hoc genere paſſim in ſcriptura occurrunt. Ergo flagellatur Deus, quando quos ille incraſſavit, impingnavit, dilatavit, ii contra eum recalcitrant. Et quanti ſunt qui valetudine ſanâ, robuſtâ, aptâ pollent, nonne funiculus hic aptus & firmus? Sed flagellatur Deus hoc funiculo ordinariiſſime. Quanti ſunt habentes poſſeſſiones multas, ingenium, ſcientiam, eruditionem, ſagacitatem, nobilitatem, funiculi ſunt iſti: quibus Deus quidem ex ſuâ parte ad ſe atrahit, ſed ii ereptos de manibus funiculos, faciunt flagellum ex eis, & caſtigant Dominum, atq; verberant? Quanti ſunt quibus res omnes vitæ hujus, ex voto fluunt: omnia circa eos, & circa ipſorum, proſperè cedunt. quæ utilitas ex his Deo? Nunquid non per illos ſucceſſus iſti ad flagellandum Deum convertuntur? Deniq; Chriſtum catenis flagellant illi; qui ſocietates ſcelerum cogunt, aut eis junguntur. Parum eſt quibusdam ſi ſoli mali, ingrati, perditionis filii ſunt: verùm etiam inſuper alios plures faciunt filios Gehennæ duplo magis, quàm ſe. De talibus catenis impiorum ad ſcelera aſſociatorum dixit per Iſaiam populo ſuo. *Si abſtuleris de medio tui catenam, & deſieris extendere digitum & loqui* Iſ. 58. 9.
quod non prodeſt, orietur in tenebris lux tua. Catenati enim ſunt quidam peccatores & peccata catenata, quibus Behemoth ille in Iob deſcribitur veſtitus, una alteri nectitur, nec eſt ſpiraculū in eis. A talibus Catenis & Catenatis avocat Innocentem, ſimplicem ac imperitum rerum periculorumq; humanorum, Sapiens: *Fili mi, ſi te lactaverint peccatores,* Pr. 1. 10.
ne acquieſcas eis: ſi dixerint, ſortem mitte nobiſcum, marſupium unum ſit omnium noſtrûm, ne ambules cum eis. pedes enim illorum ad

tum ad malum currunt & feſtinant ut effundant, ſanguinem, ſive Chriſti ipſius, quem effundunt in terram, quando animas ejus ſauguine lotas, peccatis maculant, & Diabolo produnt. ſive ipſius innocentis, quem perdunt, ſive alicujus alterius, quem, illâ Societate plurium, invicem animati inter rixandum, jurgandumq; occidentes fundunt. Utinam talibus catenis, talibus funiculis, talibus virgis non flagellatus vapulet Dominus, hodieq; & iſtâ ætate, inter Chriſtianos paſſim, paſſim. &c. &c.

10. Hæc flagellatio Dominica potiſſimùm reſpicit expiationem peccatorum, quæ circa carnis voluptates oblectamentaq; verſantur; quæ quia totum corpus pervadunt, totius corporis membris, & in innumeras deſinant ſpecies atq; circumſtantias, propterea Dominus IESUS toto corpore, omnibusq; in partibus flagellari, atq; dolores & vulnera pæné innumera, fidem certé numero excedentia voluit ſuſtinere. O Homines ex hoc diſcite: quid ſit carnis, & voluptatum ejus mancipium? Ex hoc diſcite: quam exoſas Deus veſter habeat hujusmodi ſpurcas, & pudendas delicias? Ex hoc diſcite: quàm ſeveré tractanda ad obſequiùmq; ſpiritûs ſubigenda ſit Caro? Certè ſi non magis ſalutaris eſſet afflictio dura, quàm tractatio blanda; nunquam Dominus innocētiſſima ſua membra, tam diro, tam longo, tam univerſali, tam probroſo affligi elegiſſet ſupplicio. At multi ſunt, qui ſuper flagellatum quidem Dominum gemitus & lacrymas commiſerationis fundunt, ſuis tamen Corporibus moleſti eſſe non ferunt, nec tantùm nolunt, ſed etiam in ea nimium ſané, etiam cum periculo, etiam cum offendiculo aliorum, etiam cum ſtatûs injuria, etiam cum puritatis damno in contumeliam ſuam, deiicatè, molliter, blandé fovent atq; tractant, viderint tales, nè hac ſuâ mollitie ſponte ſuâ de ſeipſis fateantur, non ſe habere partem in Corpore Chriſti, in quo à planta pedis uſq; ad verticem capitis, non tantum mollitiei & deliciis locus non eſt, ſed ne ipſi ſanitati. Si ergo totus Chriſtus in ſuo Corpore ſaucius eſt, quomodo iſtis integris & delicatis in Chriſti Corpore locus eſt?

11. Videsne ô Anima, IESUM Amorem tuum, illum modò, modò candidum, jam jam ſanguinis ſui purpurâ rubicundum? totum plagis lividum, vulneribus ſaucium, tabo cruentum, dolore exhauſtum, ignominiâ abjectum, totum deniq; alium, totum quaſi non reputandum neq; cognoſcendum. Sic alligatum, ſic tractatum offer æterni Patris conſpectibus, ut ſaltem propter adeò miſerabile ſpectaculum, tui & totius mundi miſereatur. offer illum talem ipſimet ſibi, hoc eſt IESUM ipſi IESU. & per hæc ejus vulnera dole, tuo, totiusq; mundi nomine, quod ejus tantis doloribus, tam parùm gratum te exhibueris. Offer & Spiritui Sancto, & pete, ut te ob hunc IESUM talem, illuminare, pacificare, accendere, in bono confirmare, à malo præſervare finaliter dignetur. Immiſce te plagis IESU ac ſuppone. quæ jam in ejus corpore locum vides non habere. Convertere, converti ſaltem vehementer appete, in tam copioſas lacrymas, ut iis balneum abluendo Chriſto, balſamum illinendis ejus vulneribus livoribusq; ſuppeditare poſſis. Mihi crede, optimum Chriſto ſaucio balneum pretioſumq; balſamum, emendatio morum tuorum, caſtigata membra, dilectio, obſervatio Divinorum Chriſti & mandatorum & conſiliorum, imitatioq; ejusdem exemplorum, ac participatiò Ignominiarū, Crucis & dolorum. vade ergo & tu, & fac ſimiliter. Agnoſce ô homo, quantum valeas, quantum debeas, & dum tantam Redemptionis tuæ dignationem perſpicis, ipſe tibi peccandi pudorem indicito. Ecce pro impietate, pietas flagellatur. Et ſi multa flagella peccatoris, multa etiam eſſe oportuit flagella Redemptoris, pro menſura delicti, erit & plagarum modus. maxima fuit menſura peccatorum, maxima ſit etiam menſura plagarum) ſi abſq; numero iniquitates delinquentes quidni & abſq; numero plagæ redimētes? *Aug. Ser. 114. de Temp.*

PARAGRAPHVS CX.

JESVS veſte purpureâ ſeu coccinea induitur.

Matt 27. 28. Mar. 15. 16. Ioã. 19.

STROMATA

1. Flagellatione Dominicâ finitâ, collegit miſerabilis IESUS ſparſas hinc

ſas hinc inde per terram veſtes ſuas, eaſq; induit. ſanguinem quidem ſtillans ex membris ſuis undiq; veſtigia porrò cruenta per terram, quâ inceſſit, quâvè ſtetit conſignans. Calcabant A immites flagellatores Theandricum illum deteſtandis pedibus ſuis ſanguinem, eumq, in plantis ac veſtigiis ſuis, hàc illac deferebant ac imprimebant. jacebant abjectæ & ſparſæ virgæ, abſtergebant frōtibus, ſpeciebus, veſtibusq? ſudorem, ſimúl & quo reſperſi erant, cruorem. Nemo erat, qui pretioſum, totius mundi pretium colligeret, nemo erat qui abraderet de pavimento aſſervandùm, erat qui proculcaret, erat forté, heu dolor! erat inquam de canibus aliquibus, qui tepentem lamberet, qui pedibus calcaret, qui naribus tingeret. Et ah mi IESU! ergone usq; ergo prodigus factus es ſanguinis tui pretioſi. ut ea vel canibus B veſci liceret? O Angeli vos ſaltem, vos, quando alius, qui velit, qui poſſit adeſt nullus, nolite Sanctum dare canibus. Sed indutus dum ſtat IESUS, dum miles feſſus reſpirat, neſcio cui ex inſolentioribus ſuccurrit in mentem, facere de IESU Regem ridiculum, ut qui ambiiſſet Iudæorum Regnum, ergo conſulto ſeu ignaro Pilato, promitur abjecta chlamis, ſeu veſtis purpurea, de ſpinis Corona plectitur, fruſtum áliquod ſaxi aut ſcamni, truncivè arripitur, arundo acquiritur, IESUS jam, ut dixi, ſuo more veſtitus à lictoribus ex loco flagellationis, in atrium prætorii deducitur, univerſa cohors militum partim ſpectatura, partim illuſura novellum Regem mox C creandum convocatur. ergo ſuæ IESU veſtes detrahuntur, quæ jam ad recentia vulnera adhæſerant, pleriſq; locis, carnemq; biberant, & ſiccitatis non modicum contraxerant, quo factum, ut detractio illa veſtium illa fuerit Domino ſummè dolorifera, utpote quâ renovarentur exaſperata ſatis vulnera, avelleretur hinc inde pars Carnis cum veſte, ſanguinis de novo rivi manarent. Diſertè hanc detractionem exprimit Matthæus, cùm ait: *Tunc milites ſuſcipientes JESUM in prætorium, congregaverunt ad eum univerſam cohortem, & exuentes eum &c.* Induerat ergo IESUS jam veſtitum ſuum: nec ſanè attinebat, cur à columna ſolutus nudus ſtaret in conſpectu. indutus ergo exuitur, ut plus pompæ nudus iterum, & chlamyde circumdatus [illegible], cùm quãtopere vulneribus conciſus eſſet, ſpectatoribus apD pareret, & aliquid ſymboli, ſimilitudinisque cruentum corpus ad rubentem veſtem. Igitur IESUS exutus, alia veſte induitur, quam antequam expendamus; non incongrué advertemus hoc loci: Quater Domino noſtro veſtitum eſſe detractum in paſſione, quantum evidenter ab Evangeliſtis teſtatum habemus. 1. quidem, ad flagellationem, 2. ad Coronationem. 3. ad ſuarum propriarum veſtium, quando jam ad Crucifixionis ſuæ locum ducendus erat, induitionem, tum enim, *poſtquam illuſerunt ei* ait Marcus *exuerunt illum purpura & induerunt eum veſtimentis ſuis.* Mar. 15, 20. Itaq; purpurâ exutus tunc eſt, & hoc quidem tertiò. 4. deniq; ad Crucifixionem. detractas enim Chriſto veſtes illud dubitare non ſinit, quòd eas inter ſe milites diviſerint, & ſortem ſuper inconſutilem miſerint, idq: vivo in cruce pendente Chriſto. Induit porrò in ſua Paſſione veſtem Dominus quater. 1. Quidē, apud Herodē albâ veſtē induit. 2. Induit, ſuū veſtitū poſt flagellationē peractā 3. Induit purpuram in coronatione. 4: Suum rurſus veſtitum ad crucis bajulationem, bis alienam induit, bis ſuam, & quando alienam induit, induit Regiam: Unam quidem, quam Rex dedit, & quâ candidati, ſeu imperium ambigentes uti ſolebant: alteram quæ Regibus in uſu eſſe ſolebat (nempe purpurâ Reges uſi ſunt) & quâ in Regem efformabatur, quantumvis ludicrum & miſerum, quâ de re infrâ paulò plura. Ad detractionem redeamus interim. Hâc detractione veſtium quaternâ, quatuor videntur Domini noſtri veſtes, ab eo in Paſſione, in noſtri gratiam ſalutemq; depoſitæ. Depoſuit enim Dominus veſtem. 1. Gloriæ ac Maieſtatis & decoris, quo tanquam veſte naturaliter indutus erat, juxta illud Pſalmi: *Dominꝰ regnavit decōrē indutus, indutꝰ eſt Dominus fortitudinem, & præcinxit ſe.* Pſ. 92. 1. 2. Depoſuit Dominus veſtem poteſtatis atq; auctoritatis & fortitudinis ſeu virtutis: quam nondum exuerat prorſus in horto, quando verbo proſtravit omnes comprehenſores ſuos, & retrorſum abeuntes cadere fecit. exuit autem ſe illa quando dixit: *Si ergo me quæritis, ſinite hos abire. Hæc eſt hora veſtra & poteſtas tenebrarum.* Hanc depoſitam à ſe profeſſus eſt Pilato, poteſtatem vitæ & necis ſibi minitanti, quando illi dixit: *Non haberes poteſtatem adverſùm me ullam, niſi datum eſſet deſuper.* 3. Depoſuit Dominus ve-

Mm2 nus ve-

nus veſtem impatibilitatis. Cum enim poſſet ſe ab omni injuriâ, moleſtiâ, læſione, ſenſuq; doloris, immunem præſtare, hoc non fecit, ſed ut ait Tertulianus: (*Patientiâ veniens in mundum ſaginari voluit.*) quod edixit diſertè, Petro gladium educenti: *Calicem quem dedit mihi Pater non vis ut bibam illum? quomodo ergo implebuntur ſcriptura? An putas quia non poſſum rogare Patrem, & exhibebit mihi modo plus quàm 12. legiones Angelorum?* Deniq; *oblatus eſt quia ipſe voluit.* Et rurſum: *Nemo tollit animam meam à me, ſed ego à me ipſo pono eam, & iterum ſumo illam.* 4. Depoſuit Dominus veſtem vitæ, immo Immortalitatis, quæ illi utiq; tanquam Filio Dei, & auctori vitæ, & in quò omnia vita erant, debebatur. Sed eam depoſuit, (ut proximé dixi) quando voluit, & quia voluit mortuus eſt, oblatus eſt: & clamans voce magna exſpiravit; quo oſtendit, vires ſibi haud imminutas eſſe etiam in illo articulo mortis, quod etiam admiratus Centurio, & videns quia ſic clamans exſpirâſſet, exclamavit & ipſe: *Verè hic Homo Filius Dei erat.* Porro has omnes veſtes, tot vicibus depoſitionis veſtium deſignatas, atq; depoſitas, ideo Dominus depoſuit, ut nos etiam quadruplici veſte, per peccatum nudatos, quadruplici autem lacernâ miſerabili indutos, illa quidem reindueret, hac verò exueret. Poſt primum in Paradyſo lapſum ſpoliati ſumus. 1. Veste Innocentiæ Juſtitiæq; originalis. 2. Veſte Gratiarum & habituum, virtutumq; ſupernaturalium. 3. Immortalitate. 4. Iure ad gloriam & ipsâ gloriâ beatificâ. E contra induti ſumus tunc. 1. Veſte peccati maculæq; originalis. 2. Veste concupiſcentiæ ac rebellionis carnis. 3. Mortalitatis. 4. Veste Maledictionis confuſionisq; tam temporalis quàm æternæ, juxta illud Pſalmi: *Induit maledictionem ſicut veſtimentum.* Et. *Induantur ſicut diploide confuſione ſua.* Dominus ergo IESUS ſuâ tam variâ vestium & induitione & exuitione, noſtra nobis & in viſa vestimenta detraxit, & gratioſa induxit.

Pſ. 108. 18

Ibid. v. 28

2. Indutus est Dominus IESUS chlamyde coccineâ ut vult Matthæus & Lucas, purpurâ autem ut volunt Ioannes & Marcus, quo ſignatur vel illam vestem fuiſſe quondam dibapham bis ſcilicet murice purpurâq; tinctam, ac ideo coccineam, vel certè limbos habuiſſe Coccineos, ipſam verò purpuream. Hæc vestis & genere & colore fuit militaris & Regia ſeu Imperatoria. Ut oſtenderet Dominus IESUS ea indutus, ſe tunc & regnum capeſſere per paſſionem, & cum forti armato depugnare. Et hoc quidem ex intentione fuit ſolius Chriſti: Nam ex militari licentia, ſcopus fuit Chriſtum quem Regem vocitari, & affectati Regni accuſari audiebant, illudere, & ludicrum Regem facere, uti totus iſte Coronationis Dominicæ articulus manifeſté indicat, hoc enim detrita purpura, ſpinea Corona, ſceptrum arundineum, genuflexiones, conſalutationes, alapæ, ſputa, Capitis percusſiones collimabant, ut Rex fictus & ob Regii honoris affectationem ſic tractatus omnibus innoteſceret: quibus omnibus factis conſtat Dominum noſtrũ crudeliſſimé, & ſimul miſerabiliſſimè fuiſſe dehoneſtatum, ita, ut prorſus exuiſſe etiam hominis figuram ex injuriarũ enormitate, digniſſimusq; commiſeratione videri poſſet. Atq; hoc ſibi voluit Pilatus illâ ſuâ & productione Chriſti ad populum, & voce: *Ecce Homo*, de quo inferiùs; nunc ad lineam.

3. Dixit aliquando Dominus IESUS: *Homo quidam nobilis abiit in Regionem longinquam accipere ſibi Regnum & reverti. Cives autem ejus oderant eum, & miſerunt legationem poſt eum dicentes: Nolumus hunc* (id eſt Te) *regnare ſuper nos.* &c. Hoc ex parte in Paſſione Domini impletum eſt in ipſo Domino patiente: qui Homo factus & in terris converſatus, Regionem longinquam adiit, ut eam ſibi Regnum efficeret; effectoq; Rex terræ ad Cælum rediret. Cives ejus Iudæi nimirum, quin & fratres de quorum Carne eſt Chriſtus, miſerunt legationem illam duram; quâ renuntiârunt Regno ejus ſuper ſe dicentes: *Non habemus Regem niſi Cæſarem.* Quo igitur tempore maximè Chriſtus Regnum ſibi hic parabat & procurabat, hoc tempore maximè, Judæi, jugum Regni ejus excutere ſatagebant, & contra: quo tempore hoc illi & per eos Diabolus agebat ne Chriſtum Regem haberent, hoc tempore Chriſtus Regnum ſibi parabat, immo ipſis Judæorum & Dæmonum artibus acquirebat. Quod in eadem narratione Dominus oſtendit: cum ita ſubdit: *Et factum eſt cum rediret accepto ſibi Regno. &c. Verumtamen inimicos illos meos*

Luc. 19. 12

illos meos, qui noluerunt me regnare ſuper ſe; adducite huc & interficite ante me.

4. Hac aſſumptione veſtis purpureæ videtur impleta illa Prophetia, in qua Chriſtus Dominus, ſive patiens A myſticè, ſive aſcendens graphicè depingitur: *Quis eſt iſte, qui venit de Edom tinctis veſtibus de Boſra? iſte formoſus in ſtola ſua, gradiens in multitudine fortitudinis ſuæ. Ego qui loquor juſtitiam & propugnator ſum ad ſalvandum. Quare ergo rubrum eſt veſtimentum tuum: & veſtimenta tua, ſicut calcantium in torculari?*

5. Purpurâ induitur IESUS quia ſanguinū eſt ſpõſus nobis. Nonne ei ſumus ſponſæ ſanguinum, emptæ pretio ſanguinis pretioſi ejus; & peccata noſtra ſanguis ſunt, quæ omnia purpuratam Chriſti faciunt veſtem.

6. Serum eſt nimis, ô milites! quòd purpuream veſtem offertis: jam induit pretioſiorem: immò vos indu- B iſtis pretioſiore, induiſtis ipſâmet purpurâ genuinâ primâ & non induiſtis tantùm ſed etiam acu pinxiſtis, etiam intexuiſtis etiam inarâſtis, ut ſcilicet detrahi non poſſit. Sed fortè operis pudet, pudet inartificioſæ artis. Crudelitatis ſcilicet opus eſt, tegendum ergo fuit. Niſi fortè veſtem Immanitatis, chlâmide ludibrii ornare oportebat. Ita ita Hypocritis mos eſt induere veſtimenta ovium, intrinſecus lupos rapaces eſſe, patrata ſcelera tegere ſimulatione. At fallor: hæc purpura, non eſt velamen ſed Triumphus improbitatis, gloriantis in rebus peſſimis.

C

PARAGRAPHUS CXI.

Matt 27 29. Mar. 15. 16. Ioã. 19.2.

JESUS ſpinis coronatur.

FIGURÆ

Corona tua circumligata ſit tibi.

Ezech.24. 17. Ion.2.6. *Pelagus operuit caput meum.* Alii legunt: *Iunci.* ſcilicet Marini, qualibus Chriſto Corona dicitur fuiſſe plexa.

STROMATA D

Gen.3.19.1. Ejiciens de Paradiſo, Adamum Deus & maledicta ejus cõglomerans, inter alia poſuit hoc: *Maledicta terra in opere tuo: ſpinas & tribulos germinabit tibi.* Utinam mi Domine aut ab hac maledictione, abſtinuiſſes, aut, certè illa effectum ſortita non fuiſſet. Ad quid votum iſtud, hodie ſpinæ! defuiſſent, quibus caput tuum coronatum fuiſſet. Ecce autem memores Filii Adam meledictionis hujus fecerunt tibi Domine Coronam de ſpinis iſtis, quas terra eorum operis abs te maledicta germinavit. An fortè Domine tu voluiſti has ſpinas, in caput tuum redundare cum maledictione, ut ad filios rediret benedictio? non enim Domine minus tu optabas nobis bene, quàm mater illa filio ſuo, maledictionem Patris pro benedictione formidanti, cui dixit: In me ſit Fili mi maledictio iſta, tantummodo vade & fac ſicut dixi tibi) Ita factum Domine, ita factum: in te recidit maledictio noſtra, ad nos autem rediit benedictio tua.

2, Prohibitus Abraham immolare filium Iſaac, nec aliam habens ad manum victimam, quâm offerret, circumſpiciens vidit Arietem inter vepres hærentem cornibus, quem tollens obtulit pro filio holocauſtum Domino. Fortunate Iſaac quem, Aries ſanguine ſuo redemit: ſed & nos filii fidei Abrahæ, filii promiſſionis, non minùs fortunati, pro quibus non aries inter vepres, cornibus hærens, ſed Dei filius, caput reverendum ſpineo ſerto horridum gerens immolatur, nobis autem promiſſiones vitæ æternæ, exhibentur Gen.22.

3. Currite jam nunc Cedri Libani. Currite Quercus Baſan, currite omnia ligna Sylvarum ad Rhamnum & conſtituite vobis Regem, & requieſcite ſub umbra illius. Nimis enim elevati ſunt & exaltati rami Rhamni hujus; nimis altè locum ſibi delegit plantatio ejus. Ipſum divinitatis verticem occupat, ipſis Cæleſtibus poteſtatibus tremendum caput inſidet. Chriſtum Coronant Rhamni, Chriſti frontem cingunt ſpinæ, uſq; ad caput Chriſti aſcenderunt vepres: Ergo Cedri nolite jam dedignari humiliari & inclinari ſub Rhamno, & requieſcere ſub ejus umbra. Expetenda hujuſce Rhamni umbra, quâ inumbratur vertex ipſe Divinus. alioqui timete Cedri, nè de Rhamno egrediatur ignis, qui devoret Cedros Libani. Olim egredietur olim, quando ſedebit judicans vivos & mortuos, & erit ignis in conſpectu

Digitized by Google

vantiæ & corona obedientiæ, & quidē quando hoc utrūq; poteſtati cū ſimplicitate & candore exhibetur, tunc veluti aureâ roſeave corona Capiti inponitur. Cæterum quando poteſtati ſubjectorum mentes, obmurmurant, neq; ſimplicem cum debita reverentia obedientiam præſtant, non aliud ſane faciunt, quàm caput ſuum moleſtiſſimis linguarum, curarum, amaritudinumq; ſpinis cruentant; propter quod Apoſtolus ſubditos admonens obedire Præpoſitis, cautos illos reddit, ne præpoſitos in regimine gemere

Hebr. 13. 17. faciant: *Obedite sit Præpoſitis veſtris & ſubjacete eis, ipſi enim pervigilant pro animabus veſtris, quaſi rationem reddituri, ut cum gaudio hoc faciant non gementes, hoc enim non expedit vobis.* Gemunt Præpoſiti. quando ad pondus regiminis, quo gravantur adjectum ſibi à ſubditis patiuntur aculeum protervæ moroſitatis. Gemunt præpoſiti, quando ad reddendam Deo Iudici, pro animabus ſibi creditorum rationem vocati, pro eo quòd commendare ſubditos debuerant, neceſſariò tanquam vel inobedientes, vel obtrectatores accuſant. Quod quidem non expedit ſubditis, quia per hoc, quod ad Deum Judicem, contra eos querelæ deveniunt Præpoſitorum, duplicatur illis juſto judicio ſeveritas ad pœnam, ſicut duplicata noſcitur eſſe culpa, in Divinam & Prælati commiſſa perſonam. Et cùm Deus nullam bis in id ipſum culpam puniat, hanc tamen irreverentiæ in Præpoſitos malitiam duplicato æquitatis rigore caſtigat.

9. Quo Caput noſtrum IESUM præceſſit, ſequentur eò etiam cætera membra: ſi tamen quâ Caput illud præceſſit, hac & membra ſequi non graventur. Certè ſub ſpinoſo capite, non debent eſſe membra delicata. Monſtri ſimile eſt Caput in ſpinis, membrum in roſis. Caput cruciari, membrum deliciari. & tamen ita facimus paſſim. Ab initio autem Chriſtianitatis non fuit ſic: nam priſci Chriſtiani ob venerationem Chriſti ſpinis coro-

Tertul. de Coron. militum c. 1. 4. nati renuerunt floribus coronari. Teſtatur id Tertulianus, qui & hortatur Chriſtianum dicens: Indue ſpineam Chriſti Coronam, ut & illam coronam æmuleris, quæ poſtea ei obvenit, quia & favos poſt fella guſtavit: nec ante Rex gloriæ à Cæleſtibus eſt ſalutatus, quàm Rex Judæorum proſcriptus in Crucem, minoratus modicum quid, infra Angelos, & ita gloriâ & honore coronatus.)

10. Quondam Chriſtus ad populum parabolizans, ajebat: à ſpinis ſimul exortis ſemen verbi DEI ſuffocatum eſſe. O nimis hoc ad literam ecce videmus impleri, Verbum enim Divinum IESUM Chriſtum, ſpinæ dum coronant, ſuffocant. Teſtatur id apud Brigittam Beatiſſima Virgo Chriſti Mater ſic revelans: Tunc corona ſpinea capiti ejus arctiſſimè impoſita fuit, quæ ad medium frontis deſcendebat, plurimis rivis, ſanguinis ex aculeis infixis decurrētibus per faciē ejus & crines, & oculos & barbam replentibus, ut mihi quaſi nihil niſi totus ſanguis videretur.) Revel. l. 4. c. 70.

11. Sub faſce ſtraminis, mos inolevit per Germaniā, venales merces diſtrahi, quod priſci faciebant ſub corona, ſub qua etiam mancipia divendebantur. Complexus eſt utrumq; morem Dominus, formam ſervi & conditionem habitumq; venalis mancipii recipiens & ſub Corona, & ſub faſce (non ſtraminis ſed ſpinarum) proſtat venalis. Hic licet cum Auguſtino exclamare: O Chriſtiane eme ſi vis & noli cogitare de pretio: tantùm valet hæc merces, quantum habes. te da & habebis illam. Et tamen tergiverſamur: noli timere; quod das, non tibi perit, quòd in mercem impendis, tibi cum mérce imò per mercem ſervatur, & ad te cum fœnore multiplici redit.) August.

12. Salomonis templi ſuprema pars, ornata fuiſſe ſcribitur quibusdam aureis virgultis in modum ſpinarum efformatis, atq; ſurſum erectis, & factum id in circuitum univerſi Templi: Ornabant ſpinæ illæ aureæ Templum non autem pungebant, immò etiam ab inquinamentis volucrum defendebant: Ecce tamen Salomon noſter aliter longè templum Corporis ſui in ſuprema parte protexit, ſpinis quidem, ſed non aureis, nec ſurſum elevatis innocuis, ſed ſacro vertici infixis & cruentantibus: non arcens volucres, ſed admittens, juxta illud Propheticum: *In horto ſpina alba, ſupra quam omnis avis ſedet.* Videmus quotidie paſſerculos, & alias volucres minores, ut rapacium & potentium ungues effugiant in ſpinis ſe ſe abdere, ac ſecuras eſſe: Ita eſt in hac Chriſti ſpina paſſerculi & aviculæ latent: Herodios Regalios, aliaq; rapacium milvorum & accipitrum generā effugientes. Nemo enim rapacium Dæmonum tangit Coronam Chriſti ſpine-

ſpineam ſed & nemo delicatorum ipſi inſidet, abſconſa hæc ſunt & inacceſſa ſapientibus & prudentibus, parvulis autē revelata! Hoc ſpineum diadema inimicum eſt (ait Clemens Alex.) iis qui A inſidiantur, eosq; prohibet, iis autem, qui ſimul in Eccleſia verſantur amicum eosq; circumſepit, & communit.

13. Victimas aris admovendas ſerto redimiri mos fuit. Aris & tu Domine IESU deſtinaris, ergo coronam portas. Apoſtatæ Iulianmo impia ſacra facienti, & exta cum Haruſpice inſpicienti, apparuit Crux cincta in gyrum ſerto, quaſi ſpineo, illuſit Impius ille oſtentum, & Galilæos (ſic Chriſtianos in contumeliam Chriſti vocitabat) à ſe oppreſſos oſtentabat. Sed aliam in partem oſtentum illud digitum intendebat: nam qui Crucifixi Dei gloriam ſe calcare pedibus gloriabundus jactabat, omnipotenti dextrâ, Crucifixi pro- B ſtratus, & inviſibili manu, viſibili plagâ trajectus, faſſus eſt victorem, quem oderat ſalutis Auctorem. Inclamabat furens & cruorem de vulnere tractum in Cælum jactans: Viciſti Galilæe, viciſti! Nuſquam timendum eſt impio cuilibet magis à Deo, quàm quando videtur ſibi Deum pedibus calcare & ſpinis coronare. Sicut nunquam eſt magis formidanda Innocentia aut juſtitia aut virtus, quàm quando extremè oppreſſa atq; conculcata gemit. Prima victoria Innocentiæ premi ab iniquitate, ſumma victoria, ſummè premi. Nemo ergo videns IESUM ſpinis coronatum, videns clavis affixum cruci, videns opprobriis ſaturatum, concidit C animo & cauſam Chriſti putet perditam. Hæc eſt victoria quâ Chriſtus vincit, quid dico, vincit? triumphat, trophæum erigit, ſpolia legit, deniq; à ligno regnat Deus. Hac ſpe Chriſtiani patiantur adverſa, quando ſunt concluſi in Coronam ſpinis, tunc in foribus adeſſe victoriam & gaudium, & ſolatium, & pacem, & Deum ſciant.

14. Iſta ſpinea Corona Chriſto Domino, præter ignominiam, cujus pleniſſima fuit, habuit & Cruciatum letalem. præterquàm enim quod ſpinæ erant acutiſſimæ, & tormentum capitis eſt maximè ad dolorem idoneam, inſuper infixæ erant valde profundè, cùm penetratione oſſium cranii meningis & cerebri, quod totum naturâ ſuâ lethiferum eſt. Cùm enim Cerebrum ſit omnium nervorum muſculorum, ſen- D ſuum ac ſenſationum nidus, & origo & fons, neceſſe eſt iſthic vigere ſenſus maximè, & intimè ſentiri dolores, puncturasq; etiamſi ad ſpeciem ſint leniſſimæ & leviſſimæ, ac proinde injuriam cerebri, eſſe præſentiſſimam vitæ injuriam: mortiſq; indubitatam cauſam.

15. Mos Vinitoribus, Hortulanis & Agricolis ut vineæ ſuæ horti atq; ſegetes, à prætereuntibus non infeſtentur, capita viarum, ſeu potiùs vinearum, hortorumq; ac ſegetum, ſpinis munire atq; circumducere. Judæi timebant ſuo Regno ac ſtatui, ne quando ſibi eriperetur, unde dicebant: *Venient Romani & tollent noſtrum locum & Gentem.* Sub quorum tamen poteſtatem jam per id tempus erant: Ergo Caput Chriſti, Caput Regis, Caput Meſſiæ ſui, Caput omnis boni & exſpectationis ſuæ ſpinis circumdant. At enim quid profuit Caput Chriſti cingere, ſi totum vineæ Corpus reliquum, & horti, & agri Judaici incurſibus & prædationibus, conculcationibusq; pateret? &c.

16. Politicorum eſt Conſvetudo, ut quicquid mali ſtatui evenit ſuo temporali, totum id imputent ſtatui & juri Eccleſiaſtico atq; ſpirituali: In eum ergo ubiq;, in circulis & congreſſibus clamatur, conſpiratur: in eum leges & reſtrictiones cuduntur, in eum iræ maledicta, invidentiæ jaciuntur; quod quid aliud eſt: quàm Caput quidem Chriſti ſpinis Coronare, & configere, arundineâ ſapientiâ, temporalibus rebus providendi peritura curâ, verberare, faciem ſtatus in omni Repub. præcipui atq; maximè honorandi conſputare; cæterùm autem reliquumq; Chriſti Corpus, hoc eſt portionem publicæ rei poſteriorem & inferiorem, chlamide coccineâ, purpureâq; (quod ſignum dominatus eſt) circumveſtire. Sed ô vani, ne dicam, maleſani putatis profuturam vobis proſperitatem temporalem, collabente ſpirituali? Si poteſt ſaucio Capite reliquo bene eſſe: poteſt etiam conculcatâ & violatâ Eccleſiâ ſecularis politiæ ſtatus ſolidè conſiſtere.

PARAGRAPHUS CXII

JESUS Arundinem dextrâ manu tenet. Matt. 27. 29.

STROMATA

1. Ad

1. AD Purpuram & Coronam requirebatur ſceptrum Regium, dederunt ergo in dextera Domini arundinem; ludicri Regni, vani, facilis, lepidi, fragilis & ſtultè affectati argumentum. Hoc enim inſania militaris illa, intendit mōſtrare in Rege miſero, quem formans illudebat, illudens formabat, & illudendo formandoq; ſtultiſſimæ ambitionis pœnas ab eo ſcilicet repoſcebat.

2. Arundo in manu Chriſti eſt omnis poteſtas humana, immo Creata in manu Dei: nihil eſt niſi arundo, plenum quidem vanitatis, vacui, fragilitatis, quod Deo tam facilè immo millies faciliùs eſt evertere & proſternere, quàm eſt facilè arundinem frangere. Ita Ægyptius Pharaon, ita Aſſirius Nabuchodonoſor, & Balthaſar, & Senacherib & Goliath Philiſtæus, & Sapores Choſroesq; Perſæ, arundines fuerunt in manu Domini. quando contumelia fecerūt manui Domini. Adeò enim miſera hominū Poteſtas audet ſæpenumero ire in contumeliam ejus ipſius, à cujus dexterâ tenetur &c.

3. Arundo in manu Chriſti: eſt poteſtas humana in manu Dei. Noli contemnere poteſtatem: noli aſpernari ſuperiorem: quisquis ille demum eſt, ſit ſtramineus, ſit arundineus, ficulneus; ſi tamen eſt in dextera Domini, ſi locum tenet Dei, ſi fungitur

Rom: 13. 1. poteſtate Divinâ, agnoſce, honora, & obedientiam præſta. *Omnis anima* (Omnis ait nullam excipit Apoſtolus:) *poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.* Qui enim poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit. Arundini te credis rebellem, falleris, arundo hæc in manu dextrâ

Exod: 16. 8. Domini eſt, illi reſiſtis, dum Arundini reſiſtis. *Non eſt murmur veſtrum contra nos, ſed contra Dominum* (ajebat rebellibus Moyſes) *nam qui nos ſumus*? arundo & arundo: ſed tamē *nimis elevamini filii Levi*, quia non arundini, ſed dextræ Domini obſtrepitis, & contra illam vos elevatis.

4. Arundo in manu Chriſti: eſt poteſtas Eccleſiæ Chriſti; quàm mundi & ſeculares homines, ſæpe & Principes arundineam putant & vocant, quādo Eccleſiaſticas leges, quandò Religionem fidem Auctoritatemq; Eccleſiæ, ſuæ Politicæ ſubjiciunt: ſed miſeri non agnoſcunt ſceptrum hoc, quod arundineum credunt in dextera Domini teneri: Politica Regimina in ſiniſtrâ Domini ſunt, Eccleſiæ poteſtas dextram tenet. Nemo ergo impunè ſibi putet fore Eccleſiam premere. non adeò imbecilla eſt Domini dextera, ut non poſſit reſiſtere his qui ex adverſo ſunt.

5. Imperia & Poteſtates & Regna & Regimina, omnibus videntur eſſe arundines. ita omnes illa geſtare appetunt, & arundinis inſtar leviſſima credunt! Sed miſeri erratis, & toto cælo decipimini. Poteſtates in manu quidem DEi. revera ſunt arundines meræ, putæ, puræ: Sed in manu veſtra non ſic ſunt, merum plumbum, æs merum, pondus & gravitas ipſa ipſiſſima. proinde non vos fulgor honoris, non altitudo poteſtatis ſeducat, non in ſui ambitum & deſiderium rapiat, quia *deſideria* hæc *nociva* ſunt teſte Apoſtolo, adeoq; gravia *ut mergant homines in interitum.* quo vultis mergi profundiùs quàm in interitum & quidem utrumq;, temporalem ſcilicet & æternum? 1. Tim: 6. 9.

6. Arundo in manu Chriſti, nunc portatur: quia jugum & lex Chriſti levis eſt in præſenti tempore; ait enim ipſemet: *Tollite jugum meum ſuper vos, jugum enim meum ſuave & onus leve.* Jugum eſt charitatis & onus alleviantis miſerationis. Lex per *Moyſen data eſt. Gratia autem per* JESUM *Chriſtum*: At hoc in præſenti tantùm ut dixi tempore; venit tempus quando IESVS non arundinem portabit, ſed gladium politum bis acutum, nec tantùm in manu, ſed etiam *in ore* ut vidit Ioannes. portabit *virgam ferream, virgam in æternum vigilantem* virgam confringentem: *Reges vos* ait Pater ad filium, *in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos.* Hoc ſceptrum arundineum eſt pleriſq; deridiculo in tempore iſto: quibus lex, exempla, præcepta, conſilia, mores, & ſtudia Chriſti videntur ſtultitia: ſed hos manet virga ferrea, virga confringens, virga vindex, ut qui irriſerunt atq; neglexerunt ſapientiam, ſalutis indicem, ii ſentiant & ſuſtineant ſapientiam Iuſtitiæ vindicem. Matt: 11. 29. Pſal: 2. 6.

7. Arundo in manu Chriſti eſt, & tamen ei probrum facit; putas hoc faceret ſi vacua ſenſu, ſi rationis expers non eſſet? at tu mi peccator, cui ſenſus & ratio non deeſt, qui te & arundinem & in manu Chriſti noſti eſſe, cur audes probrum Chriſto facere? Peccat in Chriſtum Chriſtianus, in Deum peccat Homo vermiculus, in creatorem peccat creatura, velut arundo fragilis, vilis, pabulum ignis, luti & paludis filia, venti ludibrium, expers ſoliditatis,

Digitized by Google

ditatis, nulliùs roboris, receptaculum vacuitatis. Ah quanto meliùs faceres te tractabilem Deo, levem gratiæ, mobilem ſpiritui, nitentem puritate, vacuam humilitate, induratam patientiâ, A levem manſvetudine, rectam intentione, inter aquas licet concupiſcentiarum, ſiccam nihilominus mortificatione. Talis arundo non diſpliceret Chriſto, non ludibrio, non dolori, non oneri foret. Sed peccatores malunt eſſe *Ambr:* vani, malunt eſſe, qui levi quolibet vento afflante premant alios, proſperitate animos faciente atq; efferente: malunt eſſe nodoſi peccatis, intus fructu juſtitiæ caſſi, foris ſpecie externa culti, fundamento ſolido deſtituti.

8. Arundo in manu Chriſti comprehenditur (ait Ambroſius) ut humana *Ambr: in 22. luc:* fragilitas jam non ſicut arundo moveatur, à vento, ſed operibus Chriſti roborata firmetur, caput ejus percutit, ut B ſoliditata Divinitatis attactu, noſtra conditio nutare non poſſit.

9. Portat arundinem manu IESUS, ut oſtendat Paſſionis omnem laborem, eſſe ſibi inſtar fluvialis arundinis levem. Vel certè ut oſtendat ſuæ paſſionis merito, omnem ſervorum ſuorum paſſionem, arundineo calamo effici illis leviorem. Sanè Crux, Ignominiæ, probra, mors ipſa, quibus nihil fuit ante Paſſionem Chriſti, horribilius & gravius, poſt Chriſti & per Chriſti mortem factum eſt, ut nihil eſſet levius. adeo iſta levia facta ſunt, ut puellæ, pueri ipſi, atq; adeò infantuli ludentes iſtas arundines portaverint.

10. Athanaſius Magnus obſervatum C *Athanaſius l. de P. Domini.* aliquibus ſcribit: Arundinem inimicam eſſe venenis & habere virtutem necandi ſerpentes. Ergo portat IESVS in manu hanc arundinem; quo indicat paſſione ſua, & curari venenum, & necari conteriq; caput venenoſi, atq; Hominibus inimici ſerpentis. Unde *Hieronymus.* Hieronymus etiam dicit: A Chriſto in calamo occidi venenata animalia.

11. JESUS arundinem geſtans videtur eſſe Angelus ille portans calamum apud Ezechielem, & in Apocalypſi: ſcribens in frontibus ſervorum Dei ſignum ſalutis: in frontibus autem reproborum ſignum perditionis, ad quod ex parte reſpexit idem. S. Hieronymus, quando dixit: quod Chriſtus calamum D tenebat in manu, ut Sacrilegium ſcriberet Iudæorum.

12. Arundinem, id eſt, virtutem, conatus, voluntates, induſtrias humanas, ſi Chriſtus in manu geſtat, facit illas & in ſe inexpugnabiles, & contra omnem reſiſtentiam robuſtiſſimas, ſi verò extra Chriſti manum ſint, nihil aliud quàm fragiliſſima arundo ſunt. Si quid ergo virtus humana efficit Magnum, non efferatur inde. non eſt hoc opus arundinis, ſed manus Dominicæ, eam tenentis, confortantis, dirigentis. Si quid verò miſerum facit induſtria noſtra, non cadat animo, arundinem ſe noverit, ſed ad manum Domini feſtinet. Non intereſt quid manus Dominica portet, auream, ferream, arundineam virgam, omnia hæc in manu Domini; & arundo ſunt, quia ex ſe nullius pretii & uſus ſunt; & aurum ſunt, quia ex virtute Dominicæ manus omne pretium & robur habent: & ferrum ſunt, juxta illud: *Omnia poſſum in eo qui me confortat.* Arundo ſum ex me, omnia tamen poſſum in eo qui confortat me. Utriusq; exemplum eſt Samſon. Quid non potuit confortatus à DEo? & quid potuit derelictus à DEo?

13. Chriſtus ſceptrum Arundineum tenens, repræſentat ſuperiores ignavos, timidos, negligentes aut metuentes corrigere errata ſubditorum ſuorum, ex quo illi deteriores fiunt, & peccatis ſuis ipſos etiam Prælatos involvunt. De his dictum eſt: *O Paſtor! ó Idolum.* Et: *Canes muti non valentes latrare.* Similes ſunt illis ficticiis formidinibus inter ſata poſitis, manum habentibus ad feriendum, nunquam tamen ferientibus, quibus impune licenterq; inſident paſſeres, ac eis præſentibus, ſed nihil terrentibus evacuant ſpicas.

PARAGRAPHVS CXIII.

Matt: 27. 29. Mar: 15. 18. Io: 19. 3.

JESVS genuflexione adoratur & ſalutatur.

STROMATA

De ſputo & Alapis vide ſupra Paragr: 54. & ſup:

1. Purpura, Diadema, Sceptrum requirebat adorationem. Ergo flectunt genu ante illum ſalutantes: *Ave Rex Iudæorum.* Illudunt Gentiles, ſed ſimul etiam præludunt ſuæ in Chriſtum fidei: ſalutant & adorant ludentes, quem ſalutabunt & adorabunt lubentes, quantum

quantum nunc obſeqvuntur diabolo in illudendo Chriſto, tantùm obſequentur Chriſto poſtea in illudendo diabolo & honorando Chriſto. Ergo tunc quando hæc fient ulciſcetur diabolus ignominiam ſuam, ſed Chriſtus compenſabit morte Martyrum ex gentibus injuriam & illuſionem præſentem ſuam. Eam ob rem obſervari poteſt, nihil eſſe prætermiſſum ab hiſce militibus, quamvis ludentibus & per riſum injuriantibus, quod ad Inaugurationem plenam veramq́; Regis opus erat. 1. In Palatio Præſidis rem hanc gerunt, quod idē eſt ac in domo Principis ſeu Regis. 2. Militum cohortem univerſam ad eum actum convocant. 3. Purpuram veſtem Regiam induunt. 4. Coronam imponunt. 5. Sceptrum in manum dant. 6. In ſede aliqua tanquam throno collocatum ſedere faciunt. 7. Sputis tanquam oleo Regio (etſi hunc ritum Romani nondum nôrant, Iudæorum tamen Regibus inaugurandis uſui fuit) inungunt. 8. Genu flexo adorant 9. Fauſtis acclamationibus Regem conclamant, ſalutant fauſta omnia comprecantur. 10. Alapis & verberibus plauſum pompamq́; faciunt. 11. In publicum ſic per omnia ornatum Regemq́; electum, unctum, coronatum, ſalutatum producunt. Hæc omnia gentiles ludicri quidem & injurioſé tunc. fecerunt, at poſtmodum re ipſa Chriſtum tanquam verum Regem Regum, Dominumq́; Dominantium agnoverunt, ſuſceperunt, coluerunt, & cultum hunc Chriſti, vitâ & ſanguine, per annos amplius 300. toto orbe defenderunt & propagarunt. Proluſit olim ſic Geneſius Martyr, nec non alius, Ardalio Martyr, Chriſti. quorum uterq́; dum Chriſto & Chriſtianis tam Sacris, quàm fidelibus illudit in theatro, derepenté mutato, per Gratiam DEi, ſtylo, illuſit Gentilibus, & ſeriò Chriſtum confeſſus, annumeratus eſt, ejuſdem Martyribus. *Metit (nimirum) DEus, ubi non ſeminavit, colligitq́, ubi non ſparſit.* Proluſerunt ergo Gentiles in Chriſto hoc, quod paulò poſt facturi erant eidem Chriſto, & perpeſſuri conſtantiſſimé pro eodem Chriſto. Ita ut videri poſſit Dominus JESUS tanquam futurorum probè conſcius, inter haſce Militares, injurioſas licet illuſiones, neſcio quam in animo habuiſſe conſolationem, quòd videret quantas à Martyribus ſibi brevi deferendas glorias atq́; coronas eſſet percepturus, poſt illius diei unius ignominias & injurias.

2. Talibus adorationibus, genuflexionibus, ſalutationibus illuſoriis, horariis ad oculum & aurem tantùm perA ſtrepentibus, pleniſſimæ ſunt utiq́; Aulæ Regum & Principum omnium! Adorant & illudunt. genuflectunt & evertunt. ſalutant, & mortem perſpectant. Venerantur & execrantur, laudant & adulantur. ſerviunt & oderunt. offerunt & rapiunt. approbant & accuſant. prædicant & mentiuntur. purpuram induunt, ſed ſanguinem ſitiunt. Coronant ſed ſpinis profundiùs pungunt. ungunt, ſed emungunt. acclamant, ſed conclamant. vovent, ſed invident, arrident, ſed irrident. Talis eſt Aularum Genius, tale aulicorum ingenium. Quod factum eſt Chriſto ſemel, faciunt mundo ſemper, facit mundus aſſeclis ſuis ſemper. Et patiuntur hæc, tamen miB ſeri, volentes lubentesq́; iſtam ſortem in ſe amant, in aliis mirantur & invident. Beatos putant qui ſic luduntur, infelices contra, qui ſic non faſcinantur. Atq́; hoc poſt tot ſæculorum totq́; exemplorum experimenta, ita mundum ſapere, & inſaniam ſuam excutere non eſt poſſibile.

Simile ſupra pereg: 114. n: 5:

3. Illuditur IESUS ſed tamen adoratur. Rex ſalutatur, genuq́; coram illo flectitur, & poteſtas in eo recognoſcitur. O admirabile Secretum! ô grande Myſterium! ô pavendum tremendumq́; cunctis peccantibus periculum! O noſcendum omnibus contra DEum conſilium ineuntibus atq́; voluntati DEi reſiſtentibus arcanum! FruC ſtra eſtis infelices impii, fruſtra prorſus & millies fruſtra! Hoc quod contra Deum molimini, excogitatis, facitis; non eſt contra Dominum ſed pro Domino. nec oppugnat DEi conſilium, ſed ſervit conſilio & voluntati ejus. in quo transgredimini, in eo obſequimini Decretis ejus. illuditis vos veſtra voluntate, ſed Divinâ providentia & diſpoſitione, ſeriò prorſus agitis illuditis vos adorando, ſed adoratis illudendo, Regem ſalutatis quasì negando; ſed revera inſtituitis nuncupando. ſubſannatis genua flectendo, at revera genua flectitis ſubſanando. Etenim hoc ipſo etiam Chriſtus Rex conſtituitur, quò tanquam non Rex irridetur. fingiD tis Regem & omnino effingitis, exſculpitis, elaboratis, & deniq́; facitis. adeò ut ſi etiam Rex verus non eſſet, ex hoc tamen jam eſſet. Ideò enim (ipſomet teſte) *oportuit Chriſtum pati & ſic in-*

trare in gloriam. alioqui ſuam ſibiq; debitam, ut Paſſione ſua jus gloriæ Regniq; ſibi acquireret, proinde ac ſi hoc jus ſolum ad gloriam & Regnum habiturus eſſet. Sic ſic non eſt conſilium contra A Dominum. ſervit impietas impiorum, DEo: & dum obluctatur facere quæ jubet DEus, laborant obluctando efficere quæ diſpoſuit DEus. Adorabatur Ioſeph in ſomnis à ſole & lunâ, & ſtellis. & revera tunc Princeps populi ſui conſtituebatur prædicebatur prædicabaturq;: arguebat Pater ſomnia referentem & arguendo interpretabatur prædicebatq; eventura ſomnianti. Fratres Ioſephi, ejuſdem ſomnia graviter audiebant, & hoc ipſo ea vera fore ſentiebant: Si enim non vera ſentiebant ut quid graviter ferebant? Impediebant ſomniorum ejus exitum, & impediendo perduxerunt ad exitum. Ita iſti Satellites Regnum in Chriſto illudendo ſta- B tuunt, ut fictum venerentur fictè, & venerando faciunt verè. Cauſa tua (ait Iob de Domino) velut impii judicata eſt: judicium & juſtitiam recipies: Ita quoq; Domine IESU Regnum tuum velut ludicrum & fictum illuſum, & exploſum eſt. ideo Rex verus, & Rex Regum eris. Et quemadmodum Pilatus inſcribens Crucifixo Domino titulum Regis, quod ſcripſit, ſcripſit, neq; id Iudæus deleri quamvis voluit, effecit. Ita illuſo & tanquam Rege ſalutato Domino, quod factum eſt fiet, & conſilium ſtabit. & Rex IESUS, Rex erit, neq; hoc Iudæus, quamvis abnegavit abrogare poterit, ſed regnabit Chriſtus in domo Iacob in æternum, & Regni ejus C non erit finis. Nemo ergo ſibi blandiatur dum peccat, nemo dicat: En peccavi & quid accidit mihi triſte? Infelix tunc maximè ingreſſus es manus DEi viventis, quando transgreſſus es voluntatem DEi jubentis. immò tunc maximè feciſti quod voluit DEus, quando maximè feciſti quod noluit DEus. & tamen hoc permiſit tibi tuæq; malæ voluntati DEus, ut tu non faceres quod voluit, faceres autem quod noluit DEus. Sed hanc ipſam malitiam tuam ad hoc ordinavit DEus, ut per eam fieret & à te fieret (ſed non à bonâ voluntate tua fieret) quod decrevit & ſtatuit fieri DEus. Stat ergo conſilium DEi & fit voluntas DEi, ſed corruit voluntas tua D & corruis tu in malitia tua. Etenim non eſt qui poſſit reſiſtere voluntati DEi: eſt qui velle reſiſtere poſſit. Eſt qui poſſe reſiſtere velit. Sed qui reſiſtere poſſit non eſt, neq; eſſe poteſt.

4. Uno flexo genu adorant JESVM. qui non in toto corde convertuntur ad DEum. Sed ſunt de cætu illorum quibus dicitur: *Populus hic labiis me honorat cor autem eorum longè eſt à me.* Honorant DEum eleemoſynis ſed non jejuniis, non orationibus, non lacrymis, non emendatione morum. Uno genu honorat Deum qui Divina qui imperata, qui DEo placita obiter ac perfunctoriè & quaſi raptim, aliudq; agens ait: ſua vero vel mundana vel aliena & creaturarum obſequia, ſerio ſtrenuè ex propoſito diligenter perficit, quæ ſalutis æternæ ſunt, poſtremæ curæ ſunt: quæ hujus vitæ ac temporis, quæ propriæ aut alienæ ſatisfactionis, hæc de primis ſtudiis numerantur atq; tractantur.

5. Dum Rex ſalutatur, coronatur, adoratur IESUS, ſimul etiam illuditur, percutitur, conſpuitur ab iis qui ita quædam bona faciunt, pietatiſq; ac fidei opera exercent, ut ſimul ea peccatis etiam gravibus inficiant; ut præſtaret bona non fieri quàm talibus admiſſis iniquitatibus inquinari. Tales ſunt qui templa velut oraturi adeunt, interea toto tempore Sacri vel Orationis, vel Concionis colloquuntur, laſcivè oculis vagantur, obſcæniſſima quæq; aut injurioſiſſima effutiunt. Tales ſunt qui eleemoſynas dant, ſed interim pauperes opprimunt, & emungunt. Tales ſunt qui privatas ſuas preculas DEo obſtrepunt & perſtrepunt, interim contra leges Divinas, contra jura Eccleſiæ, conſilia ineunt, ac ſtatuunt. Hæreticis, Schiſmaticis, iniquè agentibus etiam publicè patrocinantur. Tales ſunt qui ſtatum & ordinem Eccleſiaſticum aut etiam Religioſum ſuſcipiunt, ut obligatione quidem ad ſpiritualem, ſanctam, perfectamq; vitam tanquam genu flexo IESVM venerentur Regemq; ſalutent: interea tamen ut revera & reipſa non meliores ſed ditiores fiant, ut vita & moribus DEum blaſphement, atq; à laicis conſciis blaſphemari faciant: ut aliud genu, ſcilicet familiæ, domuſq; ſuæ claritatem erigant, paupertatem ditent, meliùſq; ac opulentiùs & ſvaviùs ſub paupere Chriſto luxurientur, atq; laſciviant, ſaltem pigreſcant, & de die ſinè curis omnibus vivant, quàm ſub divite mundiq; principatum tenente diabolo, ſperare potuiſſent. Ah! quàm ſæpe dicit Eccleſia atq; Religio: En quàm multi veniunt ad nos, ut ditiores fiant, quàm pauci ut meliores? Utroq; genu

Digitized by Google

troq; genu adorandus eſt IESVS. honorandus eſt de totâ ſubſtantia DEus, & genu cordis, & genu corporis; & ſubſtantiâ mentis, & ſubſtantiâ poſſeſſionis: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto* A *corde tuo, totâ Animâ, totis viribus tuis, tota fortitudine tua.*

6. Narrat Plinius: Agrippam Iudææ Regem, ab Alexandrinis ita deluſum deſpectumq; fuiſſe, ut videatur eſſe germana ſcena hujus, quàm Impii milites in Chriſto adornârunt. Aſſumpſerunt illi Carabbam quendam inſanum hominem, eumq; in edito loco, ut ab omnibus conſpici poſſet conſtitutum diademate papyraceo redimiverunt, pro purpura ſtoream injecerunt, aliquis fruſtum arundinis inventum in manus dedit, aliqui juvenes ſumptis manu perticis oblongis, tanquam haſtati milites aut ſatellites miſerum circumſteterunt, interea ille illudebatur ab omnibus, ſalutabatur ut Rex, de jure interrogabatur, de Repub: conſulebatur: & hæc omnia odio Agrippæ Iudæorum Regis fiebant. Atq; ita Iudæi quod fecerunt in Chriſto per Romanos, paſſi ſunt in Agrippa Rege ſuo per Ægyptios: & qui Barabbæ ſuppoſuerunt IESUM in ignominia, Carabbam Agrippæ ſubſtitutum habuerunt in opprobrio. Ergo veré dictum eſt: *Qua menſura menſi fueritis remetietur vobis.*

7. JESUS Rex inauguratur verè: ſed illuſione, ſed contumeliis, ſed conviciis, ſed alapis, ſed conſputationibus, ſed capitis percuſſioniobus, ſed inſpectantium ſannis, cachinnis, ſibilis, ſcurrilitatibus, oſtentationibus, inſultationibus, exprobrationibus, injuriis, læſoriis approbationibus, ſtimulationi- C bus: deniq; cum Rex fieret, & ut Rex fieret, *factus eſt in deriſum omni populo* ſuo
Thren: 3. 14. *canticum eorum tota die*, repletus *amaritudinibus*: ad numerum fracti ſunt inter pugnos & alapas dentes ejus, cibatus eſt cinere, & luto in os ejus ab improbé petulantibus injectato. Huc huc adeſte quotquot Regem Chriſtum agnoſcitis, & fatemini & ſequimini, & regno ejus concludi, comprehendi, aſſociariq; ad dexteram vel ad ſiniſtram ejus concupiſcitis: Poteſtis bibere Calicem Regni hujus, quem Rex iſte ipſe bibit? poteſtis hac viâ, his gradibus, his paſſibus ad Regni Chriſti Societatem proficiſci. O multos audire eſt dicentes: poſſumus, poſſumus. Sed bibentes re D ipſa atq; incedentes revera non multos videre ſolemus. O Domine dic & fac, quod duobus illis dixiſti atq; feciſti: Calicem meum bibetis, vias meas ambulabitis. Magna eſt hæc Regni tui pars, magna poſſeſſio, haurire Calicem tuum, ambulare vias tuas. Etenim Delicati tui ſunt qui ambulant vias tuas *Baruch: 4. 26.* difficiles. Et quis nolit inter delicatos tuos eſſe ô IESU?

PARAGRAPHUS CXIV

JESVS cum purpurâ & Coronâ & Sceptro populo oſtenditur. *Ioan' 19. 4.*

FIGURÆ.

B *Vadam & videbo viſionem hanc magnam.* *Exod: 3.*

Egredimini & videte Filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum Mater ſua in die deſponſationis illius, & in die lætitiæ cordis ejus. *Cant: 3. 11.*

STROMATA

Hūc var: vide tractatū eodē m pené quo hic, quomodo c. 4. Exh: 9. per totū.

1. QVæ intra Prætorium à cohorte Militum per ludibrium geſta e rant in IESUM, neq; ab omnibus cōſpecta, quia crudelitate ſua miſerabilem Domini faciebant conſpectum, quo etiam ſaxa in commiſerationem flecti potuiſſent, ratus Præſes Iudaicæ rabiei ſatis abundèq; factum eſſe in pœnis & in emendatione (ut ipſe dixerat) pauperis IESU, illum, pròut erat deformatiſſimus miſerrimusq; ac miſerabiliſſimus aſpectu, foras producit: Præmonitis ante Iudæis hunc in modum: *Ecce adduco eum vobis foras, ut cognoſcatis, quia nullam invenio in eo cauſam. Exivit ergo JESUS portans Coronam ſpineam & purpureum veſtimentum.* Non ignorabat Pilatus quòd Iudæi IESVM per invidiam tradidiſſent. oſtenderat hoc Iudæis, quòd nullam idoneam necis ejus cauſam attuliſſent, afferrevè poſſent: certus erat Iudæis ipſis innocentiam Chriſti palàm eſſe, indulſerat hoc eorum cupiditati, ſuæq; in eos benevolentiæ teſtandæ, quòd IESUM flagellaſſet; addiderat ſuper flagella enormia, enormem coronationem, quo tormenti cumulo Iudæi non videbantur non poſſe ſaturari: ergo adducit, ergo ſic deformatum, ſic miſerabiliter

Digitized by Google

ſerabiliter excruciatum oſtendit. Fuit igitur iſta productio Domini ad populũ, à Pilati quali quali benevolentia inſtituta, ſed ab Iudaica rabie in extremum Domini dolorem pudoremq; detorta, non eſt enim ſatiata rabies, ſed irritata. adeò, ut ad primum ejus conſpectum, nihil attendentes enormitatem miſeriæ ejus quantumvis ſupra omne meritum irrogatæ parricidali ſuo odio æſtuantes vociferari occæperunt: *Crucifige, crucifige eum!* nihil agis Præſes, nihil obtines, quicquid tormenti ſubeat iſte, leve eſt deſideriis, parum eſt odiis noſtris, dum ille vivit nos malé habemus, pejus torquemur, gravis eſt nobis etiam ad videndum. Sed de hoc furioſo furore inferius videbimus: nunc prodiens IESUS in hoc toto ſuo apparatu exſpectandus & aſpectandus eſt: *Exivit ergo IESUS portans coronam ſpineam & purpureum veſtimentum.* Egredimini & videte Filiæ Sion; levate oculos veſtros & capita veſtra, prodit enim & appropinquat Redemptio veſtra. O quantus eſt hic, qui ingreditur in multitudine doloris ſui! tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo! tanquam triumphans & trabeatus victor de tabernaculo ſuo! Prodit ſpectandus à Patre cœleſti totisq; exercitibus Angelorum, prodit ſpectandus ab univerſis creaturis. prodit ſpectandus ab omnibus filiis Adam. prodit ſpectandus ab Iudaico populo. prodit ſpectandus ab infernalibus etiam furiis, quarum furore, ad hos immanitatis ſcopulos illiſus eſt Dominus, ſed illis in ejus clade naufragium patientibus. prodit ſpectandus à piiſſimâ ſua genitrice, quæ forſitan hac primum occaſione filium patientem ſpectare potuit. prodit ſpectandus, à qualibet devota & fideli Anima, ut ejus conſpectu ad pœnitentiam commoveatur, ad virtutis ſtudium incitetur, ad charitatis flammas ſuccendatur, ad deſideria & Societatem opprobriorum Chriſti exſtimuletur &c.

2. Exivit IESUS portans Coronã ſpineam & purpureum veſtimentum: non aliter quàm fortiſſimus Imperator, devicto forti & armato adverſario, eòq; alligato & conſtricto, ſpolia ejus profert & diſtribuit, vaſa ejus & arma ejus, in quibus confidebat, tollit, & ex iis trophæa erigit, monimentaq; victoriæ æterna defigit. Erant arma Diaboli, Spinæ, flagra, verbera, vulnera, erant ſordidæ purpuræ; vaniſſimæ arundines; fædæ conſputationes; erant ſcurriles genuflexiones, ludicræ ſalutationes, erant crudeles, vepreto cincti capitis, percuſſiones: Arma hæc erant, vaſa hæc erant diaboli, in quibus confidebat. Sed ea

A victor IESVS rapuit, diripuit, protulit, in trophæum erexit: Et en exivit portans Coronam ſpineam, purpureumq; veſtimentum & confixum caput, & conſciſſum corpus, & laniatam carnem, omnia in teſtimonium haud dubium victi & proſtrati dæmonis, omnia in ſignum confractæ tartareæ poteſtatis. Eſtò igitur addiderint (ait S. Athanaſius) ſubſannandi cauſa Iudæi Chriſto triumphalia ornamenta: Coccineam chlamidem, Coronam ſpineam, & arundineum calamum: inde tamen efficiebatur, ut latenter ab eo dæmones ſpoliarentur. cùm enim ſanguine terra per diabolum funeſtata, & multis cruoris undis imbuta eſſet, & ubiq; ſpi-

Athanas. ſerm. de Cruc: & Paſſ: Dom.

B næ ob maledictionem miſcerentur, & chyrographum, quòd erat contrarium nobis, nactus inimicus noſter, univerſos invaderet, Tyrannidemq; in omnes velut ſibi ſubjectos exerceret: eâ de cauſâ, cum illum Dominus noſter, omnibus his ſpoliâſſet, hoc genere veſtimenti indutus ad mortem proceſſit, ut oſtenderet victoriam de morte non temerè, ſed pro noſtra ſalute pactam eſſe: geſtabat in coccinea chlamide ſpeciem ſanguinis, ſpinaſq; in coronâ & chyrographum in calamo, quo inſtrumento jam olim nos diabolus æri ſuo rationibus inſcriptos habebat, ut unà cum morte, etiam iſta ſimul demoliretur: rerumq; naturam ab iſtis malis purifi-

C caret; & pro ſpinis lignum vitæ largiretur utendum. pro ſanguine peccatorum, ſuo ſanguine & terram & omnes emundaret. Ideo noſtrum ſanguinem in veſte coccinea geſtans, ſuum omnino ſanguinem in terram profudit, unde factum eſt, ut in ea pro ſpinis, bona pullularent & vita. Ita inſtrumenta paſſionis, facta ſunt inſtrumenta Redemptionis, & vaſa contumeliæ converſa ſunt, in vaſa honoris. & unde mors atq; probrum Domino oriebatur, inde vita & ſalus & gloria, Redemptori redemptisq; conſurrexit, ut jam nemo mirari poſſit, cur exitus iſte Domini IESU ornatusq; ejus vocetur diadematis coronantis nomine; vocetur: Dies deſponſationis, diesq; lætitiæ cordis e-

D jus. Verè enim diadema fuit iſtud, verè deſponſationis tempus, veré dies lætitiæ cordis Domini. Etſi enim forinſecus ſpinæ horrebant, etſi ab extra ludibria

dibria & dolore ſæviebant, etſi externa ſpecie luctus dies erat; abſq; eo tamen quòd intrinſecus latebat. Nam intus diadema fuit, intus triumphabat charitas: intus vincebat Majeſtas, intus exſultabat miſericordia & bonitas dicens: Secretum meum mihi. Secretum meum mihi. Sic decet nos implere omnẽ juſtitiam, ut vincens vincatur inimicus, & cadens reſurgat mortuus, triumphet occiſus, glorificetur deſpectus tunc Dominus ſubſannabat hoſtes ſuos, & in corde diem agebat lætitiæ, quando fortis armatus, quò magis ſæviebat eó magis deficiebat; & quantò plus pugnabat, tantò certiùs cadebat.

3. Exivit IESUS portans Coronã ſpineam & purpureum veſtimentum, hoc eſt non dubium ſignum Salvatoris, non dubium ſpecimen DEI diligentis. Non portat IESVS hoc tempore & hac in vita, ad Dilectos & electos ſuos, coronas aureas, Coronas gloriæ, veſtimenta lætitiæ: Nam alterius iſta ſunt ſæculi, futuriq; temporis, aut potiùs venientis æternitatis: ibi in capite Domini diademata multa, quæ honorem ab ipſo recipientia Sanctos ejus æterna beatitudine coronant: Sed hæc non ſeruiunt huic loco exilii, valli miſeriæ, Domicilio calamitatis. Coronam ſpineam Dominus hic ipſe portavit, & Electis eandem offert portandam. non enim (ipſo judice) ſervus major Domino ſuo. Sanctæ Catharinæ Senenſi obtulit aliquando Dominus, Coronam auream alteram, alteram ſpineam dans optionem eligendi quàm vellet, prudens virgo, & ſpiritum ſponſi habens elegit ſpineam, reſervari cælo petiit auream, Ita, ita omnino factitandum eſt ſervis Chriſti, imitatoribus & Sociis IESU. hic ſpinas, in cælo roſas colligant. Patientia enim roſas colligit. Sunt quidem etiam hîc dies lætitiæ, ſed lætitiæ cordis, non carnis, DEi non hominis; Spiritûs, non ſenſûs, illius ſcilicet lætitiæ, quæ gloriatur in tribulationibus, quæ cum infirmatur, tum potens eſt; quæ omne gaudium exiſtimat cùm in varias tentationes inciderit, quæ in infirmitate perficitur. Hæc dies Sanctorum eſt, perfectorum & robuſtorum eſt, ſed nondum beatorum. Talem lætitiæ diem, talem cordis lætitiam, Sanctus Franciſcus Fratri ſuo Leoni mirifica eloquentia magìs autem admirãda Chriſtianæ Philoſophiæ ſapientiâ exaggeravit.

4. Exivit ergo IESUS portans Coronam ſpineam & purpureum veſtimẽtum: Privatus ſcilicet & in abſcondito peractus fuerat ille tragicus coronationis & in ſpecie ambitioſi Regis inaugurationis actus, ſoli ſe milites hoc ſpectaculo paverant, ſolus Pilatus oblectaverat; non erat hoc ſatis famelicæ ac ſitibundæ, inq; ſuarum exaggerationem pænarum & calamitatum feſtinanti charitati Chriſti, à publico, ab omnium hoſtium ſuorum conſpectu, argumenta deſiderabat & augmenta: ut tantò triumpharet ampliùs, quantò multiplicatis ſpectatoribus adauctiſq; illuſoribus excreſceret calamitas & ignominia diffuſius. Exivit ergo IESVS portans coronam ſpineam, & purpureum veſtimentum, ut palam faceret omnibus, potiſſimùm autem ſuis fidelibus, atq; amatoribus, & ſectatoribus, non erubeſcere ſe neq; abſcondere opprobria, quæ pateretur propter nos; ſed immo palàm facere, in publicum producere, cuivis ſpectandas, cuivis etiam cumulandas offerre. Atq; hoc revera eſt ſitire Crucem Chriſti, hoc amare, hoc ardere, in imitationem IESU contempti, deſpecti, illuſi, ſtultificati, hoc eſt ſaginari patientiâ Chriſti. Non ſic autem facimus nos, non ſic; qui patientis IESU dilectionem imitationemq; profitemur. Erubeſcimus Evangelium, erubeſcimus Chriſtum, erubeſcimus cõfuſionem Crucis, erubeſcimus humiliari in terra, nos qui ſumus de terra & non erubeſcit Exceſſus ignominiæ, Dominus Majeſtatis & Rex Gloriæ.

5. Exivit IESUS portans Coronã ſpineam & purpureum veſtimentum hoc nimirum ſchemate, non tantùm ut victor triumphavit atq; calcavit faſtus mundanos, ſed etiam velut peritiſſimus effigiator depinxit inanitatem ſublimitatum felicitatumq; humanarum. Finge tibi feliciſſimos quoſq; atq; ſummos Fortunæ filios, Finge Principes, Reges, Monarchas. finge illos qui portant Orbem, finge terrores populorum, Dominos Gentium, Mundi Domitores. finge illos qui facti ſunt ut nullum timerent: hos finge, hos adorna, hos inſtrue, & cumula omnibus quæ fortuna bona, quæ mundus amicus habere & dare poteſt: hos in medium, hos in lucem, hos in publicum, produc atq; circumſpiciendos conſtitue. Si fateri verum, vel ipſi velint, vel nos audeamus, iſti omnes, iſti tales, alii non ſunt, aliud non ſunt, quàm quales illos in ſe ipſo Chriſtus effinxit, depinxit. Portant iſti & portant tantùm

Digitized by Google

Coronam eamq; ſpineam & purpureum veſtimentum à foris, ipſi interim toti, animo & corde laceri, conciſi, diſſecti, exhauſti, nullum ſolidæ lætitiæ fructũ, nullum veræ fortunæ nucleum, nullum A intimæ pacis guſtum ſcientes; toti ſpinis cincti, toti ſanguine calamitatibus, odiis, invidiis, judiciis, dolis, periculis circumdati, poteſtatis ſuæ Majeſtatisq; & magnitudinis, felicitatisq; fragiliſſimam arundinem, ipſa etiam arundine fragiliorem ſteriliorémq; miſerâ & timidâ & vinctâ manu deferentes. Quid enim ô magni, ô maximi, ô ſummi, ô ſupra omes ſupremi, quid inquam tam veſtrum quàm vos, quid tam non veſtrũ quàm vos, ſi toti alieni eſtis, quanti quãti eſtis? Si inquam temporis ſpolium, fortunæ ludibrium, curarum pabulum, invidiarum ſcopus, periculorum domus abjectiſſimorum ſervi, univerſorum odium, ſemper alieni, ſemper captivi, ſuſpecti ſemper eſtis? Attamen portate B vos coronas veſtras, purpuras veſtras, arundines veſtras; illas vacuas, illas cruentas, illas etiam cruentantes, totius fortunæ veſtræ fructus eſt, cum dolore labor, cum labore dolor, & omnium clauſula vanitas.

6. Viſus eſt Amor Chriſti unam inſignem belliſſimamq; ſuo etiam IESV patiente dignam ſpeciem imaginemvé adinveniſſe, atq; appreſſiſſe & magna ex parte delineaſſe, coloribusq; tinxiſſe. Placebat ſibi, ſeq; in ea inventione ſatìs equidem inſolita, & inſolente admirabatur. Ergo placuit ei proponere ipſam ſpectatoribus; ſi fortè approbarent aut aliquid deſiderarent ad C conſummatam perfectionem. Spectavit effigiem hanc Pilatus ejusq; cohors & ſatìs probavit; unde adducens dixit: *Ecce adduco eum vobis foras, ut cognoſcatis quia nullam in eo invenio cauſam,* nullum in imagine defectum? quin & approbans imaginem ait: *Ecce Homo.* At enim ubi ad Iudaicam Phariſaicamq; cẽſuram, & ad emunctas invidiæ odiiq; nares ventum eſt; nihil minus quàm approbationem imago propoſita tulit: ſtatim notati ſunt defectus, ſtatim acclamatum eſt: *Crucifige crucifige.* Multa huic ſpeciei adhuc deſunt: ruditer eſt efficta, deſunt complura: deeſt Crux, deſunt clavi, deſunt vulnera pedum, manuum, lateris, deſunt latrones, deeſt D mors, crucifigatur Et ſanè Charitas ſupplevit iſta omnia poſtmodum, donec diceret *Conſummatum eſt.*

Bern: ſer. 8 Cant. 7. Divus Bernardus. Triplicem Coronam Chriſti agnoſcit, diverſis hominum ſtatibus aſpiciendam, & convenientem: Videant eum Filiæ Sion, animæ ſcilicet affectuoſæ in Corona miſericordiæ & imitentur. Vibebunt eum impii in Corona juſtitiæ, & peribunt. Videbunt Sancti in Corona gloriæ, & gaudebunt.

PARAGRAPHVS CXV.

JESVS Ecce Homo. *Ioan: 19. 6.*

STROMATA

1. VErba ſunt Pilati ad eos de Chriſto, Iudæis in illa miſeranda ſpecie propoſito: quorum ſenſus ex mente Pilati fuit: Ecce videtis quàm dirè habitus ſit homo iſte, & quidem ſine cauſa, tantùm in gratiam veſtri, ut veſtris votis fieret ſatis: & revera factum eſt, ipſi videtis. quid enim deeſt ad hanc ejus calamitatem? Miſerrimus certè hic Homo factus eſt, neq; ullum ab eo periculum erit deinceps, nulla vos afficiet moleſtia tam dirâ emẽdatus miſeriâ.

2. Etiam ſenſum hunc habent verba Pilati ex mente Pilati: Videtis certè Iudæi, quàm inhumaniter ſit tractatus urgentibus vobis & in gratiam veſtrî Homo iſte: ulterius affligi ſalvâ non tantùm juſtitiâ meâ, verùm & ipſius naturâ atq; perſonâ & vitâ, non poteſt, nec debet. Utiq; Homo eſt & non ſaxum, aut beſtia: Mementote vos utiq; homines eſſe ſenſuq; humanitatis moveamini ſuper homine iſto, qui ſaltem in eo quia ſimilis eſt homo vobis, inveniat commiſerationem à vobis.

3. Hunc quoq; ſenſum Pilatus verbis ſuis expreſſit: Videtis hominem iſtum quem mihi obtuliſtis & ad necem poſtulâſtis. Necem non meruit at neq; talem calamitatem in qua poſitum videtis. exutus eſt ipſâ figurâ formaq; hominis. Eſt homo à natura, ſed revera non eſt homo ab injuriâ. Non eſt jam relictus ulteriori pœnæ locus in hoc homine vos ipſi judicate, quid hominis habeat reliquum iſte homo?

4. Adhuc iſtum ſenſum facere poſſunt verba ex animo Pilati. Obtuliſtis mihi hunc facientem ſe Regem Chriſtum ac Meſſiam

Digitized by Google

ac Meſſiam veſtrũm, commoventem populum, facientem ſe filium DEi. Iam vel nolens reſipiſcet; jam nihil Rege, nihil Chriſto, nihil Meſſiâ, nihil ſeditioſo, nihil DEi filio, ſimile habet. Homo A eſt homo & quidem tam miſer, ut eo miſerior non ſit uſpiam homo. Non metuo ego ab illo tumultus, non ſeditioſas factiones, non Regiæ poteſtatis ambitum. Et vos metuite illum filium DEi. Homo, Homo infeliciſſimus hominum eſt. *Ecce Homo!*

5. Inſuper & hic ſenſus eſt Pilati: En quomodo affligi permiſerim hominem iſtum, veſtri causâ, nullo ejus merito, gratificatus ſum vobis ejus miſeriâ, contra ſententiam animi mei, cum injuria poteſtatis æquitatisq; meæ; flagellatus eſt, ſpinis confixus, illuſus, confuſus, conſputus, contumeliis oneratus & onuſtus eſt. Equidem amplius mali facere illi, nec volo nec poſſum, neq; B vos à me poſtulate. Homo ſum, miſeret me hominis, & iſte homo eſt: habenda eſt ratio ſaltem humanitatis, ſi non æquitatis. Satis inhumaniter egi cum homine iſto, tandem eſt humanitatis aliquid ei impendendum, ut qui etiam homo ſit: *Ecce Homo.*

6. Poſſunt & hunc ſenſum ex mente Pilati habere, hæc verba: Nunquam exſtitit meo judicio homo, qui & tanta & taliter paſſus ſit, quanta & quomodo, paſſus eſt hic Homo. quanta ſit paſſus, ſpecies oſtendit, quam videtis inhumaniſſima, quomodo paſſus ſit, meis oculis niſi vidiſſem, non crederem. quia ergo paſſus eſt, homo utiq; eſt. quia ita paſſus eſt, dubito ſanè an ſit homo, an quid C majus minusvè homine. *Ecce Homo* qui tanta paſſus eſt, & ſinè causa ulla & cum patienti modeſtiâ ſummâ.

7. Deniq; & hoc ſenſu videtur Pilatus locutus: adeò ſævitum videtis in hominem iſtum, ut ipſam belluinam ſævitiem exceſſiſſe, æquâſſe certè videamur, fera in feram aliam ſic non ſævit; aut ſi facit, belluæ id concedendum eſt. Homines certè humanitatis leges ſervare decet. Homines Hominem tractare humaniter debent. Ecce Homo eſt iſte, jam humanitati ſit locus.

8. *Ecce Homo.* & quis tandem eſt iſte Homo? Hic Homo eſt DEus-Homo. Hic Homo eſt, per quem factus primus & omnis homo. Hic eſt Homo qui ex Immenſa charitate deſcendens de cælis, D factus eſt homo; & hæc omnia ſuſtinet pro peccato per quod periit homo. Hic Homo eſt caput Angelorum & hominũ omnium, eſt decus, eſt gemma, eſt pretium generis humani. Hic eſt Homo, per quem ſalvatur, per quem glorificatur omnis homo. Hic eſt homo, quem Pater æternus miſit in mundum, ut eſſet Magiſter, Paſtor, Rex, Pater, Medicus Dominus, Frater, Amicus, Sponſus, cibus & potus omnium hominum.

9. *Ecce Homo* ait Pilatus. Sed ô Pilate quid eſt quod loqueris? Hominem vocas? Aliud eſt, quod ego intueor. Regem video, quin & à tuo milite audio ſic dictum, immò & factum. Habet Purpuram Regiam, habet Coronam in capite, Sceptrum in manu. Salutatur, proclamatur Rex, adoratur Rex, omnia Regia ſunt. Regem igitur dixeris veriùs quàm hominem. At ais nihil te Regium videre. Sanè & ego quid humanum videam, non video. Quid enim? an hominis iſta ſunt, conſputa facies, concuſſæ genæ, liventes oculi, confixum caput, laniata frons, confracti dentes, dirupta labia, deformata ſpecies, revulsa cæſaries, tumens facies? quid hic hominis aut humani eſt? quid hic humanitatis reliquum eſt? quodſi nihilominus homo eſt, ubi ſunt homines, quibus ille homo ſit? omninò aut hi non homines, aut iſte non homo eſt, qui adeò inhumanè habetur apud homines!

10. *Ecce Homo.* Crederem, ſed derogant fidem verbis, facta, & voces, & corda, & odia, & vota Iudæorum, quæ illi non humanitatem, ſed crucem & mortem & carnificinam vovent, clamant, urgent.

11. *Ecce Homo.* Quæſo unde hic homo, talis homo? Pater æterne; tune talem creâſti hominem, quando ad imaginem & ſimilitudinem tuam ipſum creâſti? Virgo Mater, tu fortè talem hunc hominem genuiſti? Et ſanè qui in ſtabulo natus, in præſepi educatus, inter bovem, aſinumq; nutritus eſt, eum talem eſſe non ab re eſt. Sed tamen de filio tuo lego; quòd fuerit: qui ſit ſpecioſus formâ præ filiis hominum. Non eſt igitur tuus iſte filius, non eſt iſte ex te natus, talis homo. An fortè Pater hominis hujus eſt dolor. Unde iſte eſt filius doloris, & vir dolorum, ſciensq; infirmitatem? Mater ejus eſt Mara amaritudine repleta, vel potiùs replens, Synagoga infelix, quæ habet ubera draconum, cujus lac venenum aſpidum inſanabile. proinde iſte non eſt homo, ſed Bennoni filius & partus doloris?

12. *Ecce Homo.* Fuit ſcilicet quondam

homo; at verò nunc, aut non eſt, aut non eſſe illum valde rationabiliter dubitari poteſt, præ tantâ vehementiâ exceſſuq; calamitatum ejus, in quibus potiùs factus vermis eſt & non homo, opprobrium hominum, & abjectio viliſſimorum, projectus tanquam abortivum, factus ut à nemine timeretur, qui ſolus alioqui maximè timendus eſt.

13. *Ecce Homo*, qui ſolus dignè ſuſtinuit conditionem, dignitatemq; naturæ humanæ, factam ad imaginem & ſimilitudinem Divinitatis.

14 *Ecce Homo.* Non ſanè qualisqualis homo, ſed DEus ſimul & homo.

15. *Ecce Homo.* Hactenus videri poterat Dominus IESUS non completus homo: etſi enim habebat veram & perfectam humanitatem ſeu naturam humanam, quia tamen perſonâ caruerat humanâ: non omnino plenè videbatur eſſe, diciq; poſſe homo: at nunc quando in Paſſione, hac eſt indutus ſpecie, hac perſonâ, utiq; jam poteſt dici Homo ſimilis nobis, patibilis & patiens, habitu planè toto inventus ut homo. Nemo ergo dixerit hunc, hominem non eſſe, eſt omnino, eſt ſanè homo: *Ecce Homo.*

16. *Ecce Homo.* Ohe Petre, ades quæſo, diſpice, inſpice: nunquid noſti hominem iſtum? Heri quidem negabas & jurabas tibi incognitum. hodie quid dicas, audiam. Noſti hominem hunc aliquando? Nega mi Petre, nega. revera enim nunquam vidiſti, nunquam noſti hominem iſtum.

17. *Ecce Homo.* Quid tu Morbide Senecio incuſas te non habere hominem, qui te mittat in piſcinam, cùm mota fuerit aqua? Ecce Homo, ecce ipſe te mittet in piſcinam, ipſe immò piſcina eſt, & commota quidem valde. en ait: *Et nunc anima mea turbata eſt.* Sed & corpus ejus totaq; Symmetria ejus valde commota eſt, concuſſa ſunt omnia viſcera ejus, dinumerata ſunt omnia oſſa ejus, confracti ſunt ad numerum dentes ejus. Eſt igitur commota piſcina. eſt *Ecce Homo.*

18. *Ecce Homo.* Qui in ſe ipſo commonſtrat, qualis futurus erat omnis homo; ſi iſte non fuiſſet factus homo & talis homo. Commonſtrat etiam hic homo, qualis debeat eſſe omnis homo, ſi vult eſſe verus homo. Etenim niſi omnis homo factus fuerit talis qualis eſt, iſte factus homo, non poterit eſſe ac dici verus & rectus homo. Iſte enim eſt ſolus homo talis, ad cujus ſimilitudinem debet ſe componere omnis homo. alioqui nequaquam erit homo.

19 *Ecce Homo.* agnoſco. & ſtatim mihi in memoriam revoco: quod is homo, quem conſpicor, cum eſſet in forma DEi, verus filius, unigenitus, conſubſtantialis, non rapinam, ſed naturam arbitratus, eſſe ſe æqualem DEo pro amore noſtrûm omnium factus ſit homo, natus eſt, vixit, laboravit, flevit &c Venditus, traditus, captus, illuſus, flagellatus, ſpinis confixus, conſputus, tandem & crucifixus eſt.

20. *Ecce Homo.* Deus alioqui erat, nullius indigus, factus eſt tamen homo, non aliud in naturâ noſtrâ quærens, nec diligens, niſi amorem ſuum quo dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris. Cor nimirum ejus Divinum amoroſiſſimum. ſciens nos omnes naturâ filios iræ, filios gehennæ, filios perditionis æternæ, tam opis inopes, quàm indigos, commotum eſt miſericordiâ ſuper nos; deſcendit ergo de cælis & homo factus eſt, paſſus eſt, mortuus eſt, propter ſcelera noſtra percuſſus, & attritus, & vulneratus, & occiſus eſt! Et *Ecce Homo* hic ipſiſſimus eſt! Ecce Agnus verus eſt, qui peccata mundi tollit, qui lavit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo.

21. *Ecce Homo.* Audio quidem hominem dici, ſed non video eſſe. Quid enim? Si hic homo eſt, ubi ſpecies & decor hominis? ubi aſpectus hominis forma? Sanguis quiſpiam eſt, livor & dolor & plaga tumens! Caro eſt quædam ſaucia & rupta, & in ſaniem aut cruorem verſa! Vulnus eſt potiùs tabo ſtillante ægulatum! opprobrium eſt quoddam & maledictum atq; ſupplicium. *Non eſt hic homo,* ſed vermis potiùs uſq; contritus pedibus, ad nihilum redactus, cujusq; nemo memor ſit ampliùs! Non eſt hic homo ſed Peripſema! ſed abjectio plebis! Sed canticum inſanientium & maledicentium: Reus eſt mortis, Barabbâ deterior, latronibus pejor! Non eſt hic homo; ſed locus quiſpiam ſordidus, ſputorum & excreationum receptaculum, pabulum virgarum, flagellorum Regnum, crudelitatis theatrum, Officina odii, locus abjectionis, & immiſericordiæ domicilium! Non eſt hic homo, ſed mortis ſpes, imago barbariei, Crucis exſpectatio, debitum patibuli, nauſea hominum, cadaverum frater, cibus volucrum, eſca vulturibus, corviſq; præparata! Non eſt hic homo ſed monſtrum quod-

Digitized by Google

ſtrum quoddam, quod oculi horrent, quod averſantur corda, corpus ſinè carne, vulnerum congeries, per quæ oſſa rubentia albicant; ſanies plena, ſanitas nulla! ut quid igitur de eo dicitur: A *Ecce Homo?*

22. *Ecce Homo* Et quis quæſo eum talem fecit hominem? cui tantùm de eo licuit? Non eſt uniùs artificis opus iſtud. Multa & magna ſudarunt hic ingenia. Variatum hic ſtudiis & artibus. Iuſtitia ſevera DEi, quæ in eo poſuit & caſtigavit iniquitates noſtras, & ulta eſt injurias ſuas. Iudaica & diabolica malitia atq; invidia; quæ ſeſe in eo explevit, atq; ejus pœnis ſatiavit. Iniquitas & mollities judicis Pilati, qui plus dedit gratiæ, quàm innocentiæ, maluit eſſe carnifex ejus, quem innoxium prædicabat, quàm Iudæis obſiſtere, quos per invidiam, Chriſto inimicos eſſe ſciebat. Charitas quoq; Chriſti in Patrem B & nos. Ut enim cognoſceret mundus, quia dilexit Patrem, & quia cum dilexiſſet ſuos uſq; in finem omnino dilexit eos, ſic fecit, & iſta pertulit. Deniq; peccata noſtra, peccata mea illa multa, illa gravia, illa fœda, illa ipſi inferno horrenda, quibus ſcatuit mundus, quibus plenus eſt quiſq; noſtrum! Hæc fera peſſima, devoravit, laniavit, laceravit Filium DEi Hominem factum, hominem iſtum. & iſte eſt qui ſtat miſerabilis adeó in oculis noſtris, factus talis pro peccatis & à peccatis noſtris, à peccatoribus nobis.

23. *Ecce Homo.* Venit mihi in mentem ille vetus Homo; cui novus homo iſte perſimilis eſt. Ut enim ille primus, C eſt inventus in peccato; ſic iſte primus ſiné peccato. Ille Pater morientium; iſte Pater eſt viventium, Pater futuri ſæculi. Ille nos à vita ad mortem traduxit; hic à morte ad vitam reduxit. Propter illum omnes morimur, & velut aquæ dilabimur in terram: iſte pro nobis moritur omnibus & per aquas in eo renaſcimur. Ille voluit fieri DEus cùm non eſſet; hic factus eſt homo cùm DEus eſſet. Ille in ligno victus eſt & captus: hic in ligno vicit & triumphavit. Ille per inobedientiam perdidit ſuam, & omnium juſtitiam atq; vitam: iſte ne perderet obedientiam, perdidit vitã, nobis autem factus eſt ipſe juſtitia & pax & veritas & vita. Ille nos ejecit D ex paradiſo: iſte nos reduxit ad paradiſum. Ille factus ſinè Patre & Matre Pater omnium: hic ſiné Matre in cælo, ſinè Patre in terra, natus eſt Pater omnium. Illi dictum eſt & factum eſt: *De terra es & in terram ibis;* huic dictum & præſtitum eſt: *Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem* Deniq; ille primus & vetus homo de terra terrenus: iſte eſt primus, & novus homo de cælo cæleſtis: qualis terrenus, tales terreni; qualis cæleſtis, tales cæleſtes. Sic ergo iſte homo diſſimilitudine mira perſimilis eſt illi vetuſto homini. Eſt vero adhuc inter utrumq; hunc hominem, non una nec modica comparatio: omnes enim miſerias, quas primus homo pertulit in anima ex peccato; hic pertulit in corpore pro peccato. Adam voluit eſſe ſicut DEus ſciens bonum & malum: Chriſtus elegit eſſe ſubjectus DEo, & Patre minor, minoratus etiam ab Angelis, ſcientiam ſuam omnem referens in Patrem & dicens: *Mea doctrina non eſt mea. quæcunq; audivi à Patre, annuntiavi vobis.* Adam per peccatum occidit animam: Chriſtus pro peccato poſuit animam. Adam ejectus ex Paradiſo miſer animâ & corpore: Chriſtus in mundo patitur in animâ & corpore. Adam exiit ſubjectus errori, inſcitiæ, ſtultitiæ: Chriſtus reputatus eſt inſanus, ſtultus, ſeductor, falſarius. Adam factus eſt mortalis peccato: Chriſtus factus eſt mortuus pro peccato. Adam in ſudore vultûs ſui comedit panem ſuum: Chriſtus in ſanguine vultus ſui elaboravit ſalutem noſtram. Adamo terra ſpinas & tribulos germinavit: Chriſto eaſdem ſpinas etiam capiti infixit, & iis corpus ejus flagellando aravit. De Adamo dixit DEus: Ecce Adam: De Chriſto dixit Homo: *Ecce Homo.*

24. *Ecce Homo.* Opportunè prorſus. Intueamur omnes hominem iſtum, iſte enim homo eſt ſpeculum uniuſcujuſq; noſtrûm. Iſte homo eſt liber in quo deſcripta eſt charitas ejus, juſtitia Patris, gravitas peccati, malitia & miſeria humana, obligatio noſtra. Iſte Homo eſt exemplar: quod inſpicere, & ſecundùm quod debemus facere, vitamq; & mores, ſtudia & cogitationes noſtras conformare. Iſte Homo eſt Magiſter noſter, de quo dictum eſt ad nos: *Ipſum audite, ipſum audite.* Iſte homo eſt Dominus & Rex & Dux Imperatorq; noſter, quem nos ſequi, cui famulari, cui obſequi, quem amare, pro cujus honore, voluntate, poſſeſſione, zelare & laborare, & fatigari & mori debemus. Non eſt enim ſervus major Domino ſuo, ſed ſufficit illi, ſi ſit ſicut Dominus ejus. Iſte Homo eſt refugium noſtrum, & ſalus

noſtra, qui ſe oppoſuit juſtitiæ & iræ DEi pro nobis. qui charitatem, gratiam, veritatem, miſericordiam, pacem, vitam, attulit nobis: ad eum ergo reſpicere, ad eum confugere, in omnibus periculis, A indigentiis, infirmitatibus, dubiiſq; noſtris debemus. Nemo noſtrûm dicat: Hominem non habeo, ut ſanus fiam. Ecce Homo iſte, eſt ſanitas, iſte eſt medicus, iſte eſt vita, iſte eſt ſolatium, iſte præmium, iſte omnia bona; iſte omne bonum, iſte mare omnium bonorum; & non alienum, ſed prorſus meum, prorſus noſtrum. Etenim Homo iſte: *Nobis eſt natus, nobis eſt datus &c.*

25. *Ecce homo.* Intuere illum, quæſumus ô Pater æterne, & reſpice in hanc faciem Chriſti tui: & deinde ſuper nos omnes, tanquam ſuper familiam ejus, pro qua ille non dubitavit manibus tradi nocentium, & iſtud adeò crudele ſubire perferreq; tormentum. Iam non B eſt tibi Pater æterne excuſatio, quominus miſerearis noſtri. habemus propitiationem paratam & Redemptionem ſanè copioſam. Ecce Homo, qui eſt apud te propitiatio pro peccatis noſtris, & non pro noſtris tantùm, ſed etiam pro peccatis totius mundi. Avertatur ergò furor iræ tuæ à nobis, & propitius eſto peccatis noſtris propter ſanguinem ejus &c.

26. *Ecce Homo.* Intuere illum & tu ô Mater miſera miſeri hominis iſtius! Vide ſi tunica filii tui iſta ſit, an non? Vide an iſte ſit homo ille ex te natus, à te educatus, à te dilectus, filius & unigenitus tuus? O ille omnino eſt, ille & non alius, ad hoc electus ex millibus, C & millibus filiorum hominum, qui in ſanguine ſuo ſalvaret mundum, & redimeret univerſum genus humanum. Hunc unum atq; ſolum natura humana edidit, quem expediebat, quem neceſſe erat mori pro populo filiorum Adam, & non tota gens ejus periret. Deprecare hunc hominem, filium tuum quidem, Redemptorem autem noſtrum, ut ſanguis ejus & paſſio & mors ſit nobis ſalus & Redemptio, ſit nobis vita & reſurrectio, ſit nobis gratia in hac, gloria & beatitudo in alterâ vitâ. Nemo noſtrûm, pollutum ducat ſanguinem iſtum, eumvé accipiat in damnationem &c.

27. *Ecce Homo.* Ille utiq; homo, qui ante oculos veſtros (ô Impii Iudæi) D haud ita dubium, tanta fecit beneficia, tanta patravit miracula, tanta enarravit oracula, tantas ſalutes atq; virtutes operatus eſt: quem non multò antè ſalutâſtis ut Regem, audiſtis ut Magiſtrum, laudâſtis ut bene omnia facientẽ? prædicâſtis ut Prophetam, commendâſtis ut veracem; admirati eſtis ut miraculorum patratorem; timuiſtis ut ipſis etiam dæmonibus terribilem; ipſis inanimatis imperantem; conſuluiſtis ut omnia ſcientem, & à DEo miſſum; dimittere à vobis noluiſtis, tanquam vobis utilem atq; ſalutarem & verba vitæ æternæ habentem! Quid jam inveniſtis ex nunc in eo iniquitatis? quam accuſationem adverſus eum affertis? quis ex vobis arguit eum de peccato? O infelix populus, vel nunc ſaltem cognoſce quæ ad pacem ſunt tibi. Ecce in oculis tuis proſcriptus eſt Chriſtus. Ecce oculi tui vident, quem multi Reges & Prophetæ videre voluerunt & non viderunt &c.

28. *Ecce Homo.* O Moyſes & Elia! ô Petre, Iacobe, Ioannes! adeſte. Vos vidiſtis hominem iſtum cùm eſſetis cum eo in monte Sancto Thabor: Nunquid ipſe eſt homo ille, cujus veſtimenta facta fuerant ſicut nix alba; & facies ejus reſplenduerat ſicut ſol; & nubes lucida circumfulſerat eum, loquebaminiq; cum eo de exceſſu ſuo, & bonum dicebatis vobis ſic eſſe? Num fortè iſte eſt exceſſus à vobis quidem tunc prænuntiatus, jam autem hodie completus in eo? O verè exceſſus eſt iſte, exceſſus charitatis in Chriſto, exceſſus iniquitatis in Pilato, exceſſus odii in Iudæo, exceſſus malitiæ in peccato, exceſſus juſtitiæ in Patre æterno, exceſſus doloris & deſpectûs in tormento, exceſſus menſuræ in debito, exceſſus doloris gladii in corde materno! Et ubi eſt facies reſplendens ſicut ſol? ubi veſtimenta candida ſicut nix? ubi nubes lucida? Ah! denigrata eſt ſuper carbones facies ejus! Veſtimentum purpureum, lacerum, & ſordidum, augendæ ignominiæ cumulatum! Nubes ſacratiſſimi corporis flagellatione lacerata crudeli, in imbrem pretioſi ſanguinis reſoluta, ſola reliquit vulnera dolentia, ſolum cruciatum illuſorium! Et nihilominus in omnibus iſtis, bonum eſt nos hîc eſſe omnes, quicunq; diligere volumus dulcem IESUM. Faciamus ſanè faciamus hic tria tabernacula, aut facta jam ingrediamur & inhabitemus deflendo peccata, operando virtutis opera, amorem redamando, & voluntatem ejus faciendo. Hic eſt enim hic homo, filius ille dilectus in quo complacuit Patri; de quo & præ-

Digitized by Google

cepit, dicens omnibus: Ipſum audite. Ab eo legem vitæ & diſciplinæ noſcite, in eo, quia & quantum mitis eſt, humiliſq; corde, diſcite.

29. *Ecce Homo.* Homo ſpecioſus formâ præ filiis hominum. Nauſeet eum Pilatus: conſpuat & percutiat gentilis: exſecretur & deteſtetur Iudæus. Electis certè DEi & oculos habentibus erit, & eſt in hac ipſa forma informi, ſpecioſus. Amans quædam anima dicebat atq; præmonebat ſpectatores ſuos dicens; Videte quomodo me intueamini: Nolite me conſiderare quòd fuſca ſim, quia decoloravit me ſol. Filii Matris meæ pugnaverunt contra me. Licèt ergo nigra, ſum tamen formoſa, inſolito genere formoſitatis. Scilicet, ſicut tabernacula Cedar, ſicut pelles Salomonis: & hoc nonniſì coram filiabus Hieruſalem. Licuit animæ tales oculos quærere, quæ in nigrâ facie formoſitatem agnoſcerent; non licebit amori ipſi, & amanti animas ſponſo, id ipſum poſcere & ſuadere & exigere? Nolite me conſiderare quotquot diligitis me: Nolite attendere quòd fuſcus ſim, quòd abſconditus vultus meus; quód, quasì leproſi ſimilis facies mea, decoloravit me ſol charitatis, radiis Paſſionis. pugnaverunt contra me filii Matris meæ: in domo, eorum qui diligebant me, denigratus ſum. Niger tamen licet ſim, formoſus nihilominùs ſum, ſicut tabernacula Cedar, ſicut pelles Salomonis. Sed hoc quoq;, niſi oculis filiarum Hieruſalem cæleſtis & ſupernæ, non verò iſtius, quæ occidit Prophetas, & cujus ab oculis abſcondita ſunt ea, quæ ad pacem eſſent illi. Iſta enim Hieruſalem terrena ſemen Chanaan & non Iuda. Meretrix & adultera, nihil videt, intrinſecùs latet; cùm tamen omnis gloria Regis, & filiæ ejus ab intus. Intus ergo ſpectandus eſt JESUS, ut appareat præ filiis hominum ſpecioſus. qui aforis ſpectat, nihil videt, nisì quód deſpiciat. Intus attende, ſpecioſum videbis. *Aſcendet* (ait Iſaias de eo) *ſicut virgultum & ſicut radix de terra ſitienti.* Quid pulchrũ, quid ſpetioſum habet radix, ſi aforis ſpectas? intus aſpice: quid non pulchrum, quid non amænum, quid non fæcundum, quid non ſalubre? Quare ut radix? (quærit Auguſtinus) ideo, quia non eſt illi ſpecies, neq; decor: paſſus eſt, humiliatus eſt, conſputus non habebat ſpeciem: Homo quidem apparebat, cùm DEus eſſet: ſed quomodo radix non eſt pulchra, ſed intus habet

Can: 1.5

Iſ: 53.2.

Aug: l. 50. hom: 36.

vim pulchritudinis ſuæ. attendis arborem pulchram, amænam, foliis virentem, fructibus opulentam, delectat aliquid de fructu carpere, ſub umbra ejus

A ſedere & requieſcere ab æſtu? laudas totam illam pulchritudinem: Si radix oſtendatur tibi, nulla pulchritudo in ea eſt, noli tamen contemnere, quod abjectum eſt, inde proceſſit, quod miraris. Attendite modo claritatem arboris: crevit Eccleſia, crediderunt gentes, victi ſunt terræ Principes, poſitum eſt collum eorum ſub jugo Chriſti, veniunt volatilia cæli, requieſcunt ſub ramis ejus: quæramus radicem: conſputus eſt, crucifixus eſt! Ecce hic ſpecies non eſt, ſed intus erat ſpecies. Qui cũ in formâ DEi eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem DEo. Hanc radicis pulchritudinem oculis fidei videtis &c.

B 30. *Ecce Homo.* Timendus & amandus; exaltandus & adorandus; imitandus & exorandus Homo. Etenim hic Homo conſtitutus eſt à DEo, in quo judicaturus eſt orbem; poſtquam ergo venerit judicii tempus: tunc apparebit iſte Homo, qui reddet unicuiq; ſecundúm opera ſua omnes enim nos manifeſtari oportet ante Tribunal Chriſti, ut recipiat unuſquiſq; propria corporis prôút geſſit. Bene agis? & recipere bona ſperas? ama hominem iſtum. Malè agis! & recipere mala formidas? time hominem iſtum. Bonus eſſe vis? condonari tibi culpas, & culparum pœnas vis? imitare & deprecare hominẽ iſtum. exalta & adora, & venerare hominem iſtum. Imprime tibi ô homo

C & inſculpe in profundo cordis tui hominem iſtum, & ſcito quia hic Homo, qui modò nullius pretii eſt coràm te, cujus lex & doctrina, mores & exempla, ſanguis & mors, gratia & merita apud te ſunt modo exilia, deſpreta & contempta; hic inquam Homo judicabit te & aut ſalvabit, aut damnabit te. Nunc quidem ille tibi offert, obtrudit omnia bona, & ad ſalutem neceſſaria media: ſed ſi neglexeris, veniet tempus, quando auferet à te omnia ſua bona, & retribuet tibi ſecundùm opera tua mala. Etenim hic Homo: ſicut modò eſt propter te & pro te Homo, ita poſtmodum erit idem contra te & adverſa-

D rius tibi Homo. Et qui modò eſt infra omnes Homo, erit etiam immo jam eſt ſupra omnes Homo. quippe non tantùm eſt Homo, ſed etiam eſt DEVS-Homo. Ea propter is ipſe & eſt Ho-

Digitized by Google

mo & eſt nō homo. Eſt infra hominem & eſt ſupra omnem hominem. eſt pro homine, & eſt etiam eritq; maximè in hora judicii contra hominem. Ama ergo hominem, æſtima DEVM Hominem, imitare eum infra hominem, deſidera eum ſupra hominem, utere eo, dum eſt propter hominem, & ſic non experieris neq; timebis eum, quandò erit contra hominem.

31. *Ecce Homo.* Ille Homo, qui cum in formâ DEi eſſet, exinanivit ſemetipſum formam ſcilicet DEi, in ſimilitudinem hominum factus & habitu inventus ut homo accipiens formam ſervi. Ille Homo, quem Pater ſanctificavit & in terram miſit, non ut judicet mundum, ſed ut mundus ſalvetur per ipſum. Ille homo qui dicitur IESVS, qui fecit lutum ex ſputo, fecit ſe hominem ex materno ſanguine, & illuminavit magnum cæcum à nativitate, hoc eſt totum genus humanum, naturâ iræ filium. Ille homo, qui dixit non tantùm Samaritanæ, ſed etiam omni animæ: & quæcũq; fecit, & quæcunq; non fecit, & quæcũq; facere debet. Nunquid ipſe eſt Chri-
Pſ. 95. 4. ſtus? Ille Homo magnus ſicut Dominus & laudabilis nimis, qui in ſanguine ſalvum fecit populū ſuum à peccatis eorum. Etenim quis Dominus, niſi
Aug: in IESUS Chriſtus (verba ſunt Augu-
Pſal: 95 ſtini) Magnus & laudabilis nimis. *Ecce Homo!* Nôſtis certé quia Homo apparuit: nôſtis quia in utero fœminæ cōceptus eſt: nôſtis quia natus, quia circumciſus, quia crevit, quia pro illo Hoſtia oblata eſt. Poſtremó nôſtis quia expalmatus eſt, quia conſputus, quia ſpinis coronatus. Nôſtis quia hæc omnia paſſus eſt. Magnus tamen & laudabilis nimis. Ecce ergo, Homo ſingularis, nolite contemnere parvum, intelligite magnum. Parvus factus eſt, quia parvi eratis: intelligebatur magnus, & in illo magni eritis. Parvus magnus eſt, & magnus nimis! Finivit verba; volebat dicere: quantùm magnus! etſi totâ die diceret magnus magnus: quid magnum diceret? totâ die dicens magnus, finiret aliquando, quoniam finitur dies. Magnitudo DEi ante dies, ultra dies, ſiné die. Ergó quid diceret? Quoniam Magnus Dominus & laudabilis nimis, dicendo, nimis: emiſit vocem, & dedit cogitationi, quòd ſapiat. tanquam dicens: quòd ego ſentire non poſſum, tu cogita, & cùm cogitaveris parum erit. Talis eſt iſte homo qui mihi oſtenditur, de quo mihi dicitur: *Ecce Homo.* O verè parvus magnus Homo, verè magnus parvus Homo! DEus enim magnus & nimis magnus! Homo autem & ſic de-
A ſpectus homo parvus & nimis parvus! Et ſic factus eſt: Magnus parvus; parvuſq; magnus. Ecce parvulum dedi te in gentibus; contemptibilis tu es valde! quis màgis parvulus, quis màgis contemptibilis quàm iſte homo? qui tamen quia eſt DEus, & quidem nimis magnus DEus; ideò eſt parvus magnus nimis. Ideo eſt magnus parvus valde, parvus nimis. Ipſe eſt qui dixit per Prophetam. *Singulariter ſum ego, donec tranſeam.* quaſì dicat ſingularis homo ſum ego, donec torrentem Paſſionis tranſeam: donec calix Paſſionis meæ tranſeat. *Pſal: 140. 10.*

32. *Ecce Homo.* Sancte Propheta tibi hic contradicitur. tu dixeras olim Spi-
B ritu iſtius & in perſonâ illius: *Ego autem ſum vermis & non Homo*: Et vero Præſes Pilatus ab alto pegmate digitum intendens ait: *Ecce Homo.* Quis eſt iſte Homo non homo? Homo eſt, quia humana paſſus pro homine paſſus, ſecundùm hominem, quem portat, paſſus. Non homo eſt quia inhumana paſſus, quia & is pro quo paſſus, & is, à cujus odio manuq; paſſus hominem exuit, mutatuſq; eſt totus huic homini in crudelem. Homo autem iſte mutatus eſt & factus in vermem. *Pſ: 21. 7*

33. *Ecce Homo.* O quiſquis es, rogamus, à te audire quæ ſentis: *nam* de Homine hoc *notum eſt nobis, quia ubiquè ei contradicitur.* nec eſt omnium unus ſenſus. *Act. 28. 22.*
C Gabriel quidem Angelus annuntiavit de eo: *Hic erit magnus & filius altiſsimi vocabitur, & dabit ei Dominus ſedem David Patris ejus, & regnabit in domo Iacob in æternum, & Regni ejus non erit finis.* Angelus in ſomnis loquens ad Ioſeph dicit de eodem: *Quia ipſe ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Simeon juſtus & timoratus eundem in ulnis geſtans parvulum, prophetavit dicens: *Ecce hic poſitus eſt in ruinam, & in reſurrectionem multorum in Iſràel, & in ſignum, cui contradicetur.* Ioannes aſſerit de illo: *Ecce Agnus DEi qui tollit peccatum mundi: qui major me eſt, ante me factus eſt: cujus non ſum dignus calceamenta portare, ſolvere corrigiam calceamenti ejus.* Ioannes alter aſſerit: *quia DEus erat Verbum, & Verbum Caro factum eſt,*
D *& habitavit in nobis, & vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi Unigeniti à Patre plenum gratiæ & Veritatis. Quod vidimus, quod audivimus quod manus noſtræ contrectaverunt, annuntiamus vobis*

Digitized by Google

Io: 3. 2. *mus vobis de verbo vitæ.* Nicodemus aſſerit de illo: *Scimus quia à DEo veniſti Magiſter, nemo enim poteſt hæc ſigna facere, niſi fuerit DEus tum eo.* Samaritana dicit de eo: Io: 4. 29. & 42. *Venite & videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcunq; feci. Nunquid ipſe eſt Chriſtus?* Samaritani quoq; de eodem dicunt: *Audivimus & ſcimus quia hic eſt verè Salvator mundi.* Phariſæi dicunt de eo: quia *Samaritanus eſt, Dæmonium habet: Non eſt hic homo à DEo. In principe dæmoniorum ejicit dæmonia: Nos ſcimus, quia hic homo peccator eſt.* Legis Doctor de eo fatetur: *Quia verax eſt & viam DEi in veritate docet.* Princeps Sacerdotum & univerſum Cōcilium dicunt de eo: quia *Blaſphemavit. Reus eſt mortis. Hunc invenimus ſubvertentem gentem noſtram. facere ſe Regem Chriſtum, prohibentem dare tributa Cæſari. Commovere populum, filium DEi ſe facere.* Pilatus contra ait: *Nullam invenio in eo cauſam* Mortis. *ſed neq; Herodes. Innocens ego à ſanguine juſti hujus. Nihil mali fecit.* Vxor Pilati ait viro ſuo nuntians *Nihil tibi & juſto illi.* Milites dicunt ei: *Ave* Matt:27. 19. *Rex Iudæorum.* Populus occurrens illi in aſello urbem intranti ſucclamat: *Hoſanna filio David: benedictus qui venit in Nomine Domini.* Matt: 21 9. *Hoſanna in altiſsimis. Propheta ſurrexit in nobis, & quia viſitavit Dominus plebem ſuam.* MARIA Virgo; illum filium ſuum vocat & agnoſcit & ſpectat. DEVS de cælo ait: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipſū audite.* Dæmones aſſerunt: *Scimus quis ſis Sanctus DEi. veniſti ante tempus torquere nos.* Latrones qui crucifixi ſunt cum eo; & confixores ejus aliiq; ſpectatores ajunt de illo: *Alios ſalvos fecit, ſe ipſum ſalvare non poteſt. Si filius DEi es, deſcende de Cruce; & credimus.* Unus Latronum qui Crucifixi ſunt cum eo, reſipiſcens tuetur famam ejus: *Nos quidem juſtè patimur: nam digna factis recipimus. hic autem quid mali fecit? Domine memento mei, dum veneris in Regnum tuum.* Ita huic homini ubiq; aut contradicitur, aut de illo contraria dicuntur! Nos autem quem te eſſe dicemus Domine IESU, DEus & Homo? *Tu es Chriſtus Filius DEi vivi.* Tu es bonus Paſtor qui animam tuam ponis pro ovibus tuis: qui vitam æternam das nobis, qui verba vitæ æternæ habes, qui in finem dilexiſti nos & tradidiſti temetipſum propter nos, qui veniſti peccatores ſalvos facere, quorum ego primus ſum. Tu es lux mundi. Tu es via, veritas, & vita. Et ego mi IESU quem te eſſe dicam? Tu es amor meus crucifixus. Tu es DEus meus & omnia. Tu es Iudæis quidem ſcandalum, gentibus verò ſtultitia: Mihi autem, DEi virtus & ſapientia, propter quem omnia detrimentum feci; A omnia arbitror ut ſtercora, propter quem ſtultus factus ſum: à cujus charitate nemo ſeparabit nos. Non tribulatio, non Anguſtia &c. non ulla creatura: quoniam omnia poſſum in te, qui me confortas.

34. *Ecce Homo.* O quàm admirabilis homo. Unus homo, ſed qui unus pro omnibus eſt homo, omnibus unus ſufficit homo, pro omnibus unus ſatisfacit & immolatur homo, in quo omnia invenit, quæcunq; perdiderat, & quibus opus habet homo: qui omnibus major & celſior eſt non tantùm hominibus ſed etiam Angelis Homo. Majus quippe & celſius nomen hæreditavit, quàm ullus vel Angelus vel homo. Ab hoc homi- B ne ſtulti diſcant ſapientiam, ſuperbi modeſtiam, elati humilitatem, iracundi manſuetudinem, avari largitatem, ſordidi puritatem, rebelles ſubjectionem, inobedientes obedientiam, tepidi fervorem, timidi fortitudinem, guloſi abſtinentiam; delicati mortificationem; impatientes patientiam, laſcivi continentiam, cupidi paupertatem, ſeipſos amantes abnegationem. Ab hoc Homine diſcant Apoſtoli charitatem, Prophetæ ſcientiam, Paſtores vigilantiam. Martyres conſtantiam, Sacerdotes devotionem, Continentes integritatem. Omnes omnem virtutem diſcant, & hauriant gratiam.

35. *Ecce Homo* in hac vità & via pro- C poſitus ad commiſerationem, ad adminiſtrationem, ad fidem, ad ſpem, ad dilectionem, ad imitationem, ad emendationem, ad humiliationem, ad fervorem, ad devotionem, ad compunctionem, ad confortationem, ad eruditionem, ad confuſionem, ad pretium, ad munimen, ad ſpeculum, ad occupationem, ad conſiderationem, ad negotiationem, ad refugium, ad oblectationem. In alterâ autem proponendus ad æternum præmium, ad ſempiternam beatitudinem.

36. *Ecce Homo.* Nunquid ille: *qui non poſuit DEum adjutorem ſuum?* ecce unâ Pſ: 51. 9. quidem parte is eſſe ipſe videtur; revera enim Dominus IESVS non po- D ſuit DEum adjutorem ſuum, qui cùm in forma DEi eſſet, exinanivit ſemetipſum formam ſervi accipiens, factus obediens uſq; ad mortem, mortem autem crucis. Revera non poſuit DEum

adjutorem ſuum, qui dicebat: *An putas, quia non poſſum rogare Patrem & exhibebit mihi modò plusquam 12. legiones Angelorum?* Revera non poſuit DEum Adjutorem ſuum, qui cùm ſciret, quia Pater eum ſemper audit, non tamen ſupplicavit, ut tranſiret ab eo hora Paſſionis, transferreturq; ab eo calix tormentorum; nisì continuò adjiceret: Verumtamen non mea voluntas Pater fiat, ſed tua. Nó quod ego volo, ſed quod tu. Revera non poſuit DEum adjutorem ſuum, qui, cùm pro poteſtate ſua Divina poſſet innumeris modis declinare paſſionem & dolores atq; injurias omnes, in nullo tamen horum exhibuit hanc poteſtatẽ; ſed eâ tantùm eſt uſus ad ſufficiendas mortali naturæ vires, quibus duraret, non autem deficeret in tantis, tam violentis, tamq; diuturnis & univerſalibus tormentis, uſq; dum omnia, quæ de eo ſcripta erant, complerentur, abſq; tamen ullâ naturæ ipſius ita firmatæ conſolatione & recreatione. Non ergo poſuit Dominus IESUS DEum Adjutorem ſuum. Attamen ex altera parte non eſt Dominus IESUS ille homo qui non poſuit, ſed potiùs ille, qui poſuit ſemper DEum adjutorem ſuum. Quod uſq; adeò de illo notum fuit omnibus, ut ipſi inimici ejus, ex hoc capite inſultarent ei jam in cruce pendenti: *Confidit in Deo, liberet eum nunc, ſi vult*, blaſphemâ voce dicentes.

37. *Ecce Homo.* Requirit nì fallor quæpiam Mater filium ſuum, quem captum & judici oblatum, deq; multis accuſatum inaudivit. O Mulier? *Ecce Homo*, quem quæris, aſpice illum, ſi fortè agnoſcas. Aſpectat illum Hominem ſublimè ſtantem, MARIA miſerabilis Mater, & viciſſim ab illo Homine Filio, deſuper aſpectatur, vocibusq; cordis compellatur: Ecce ego Homo & Filius Hominis. O Mulier vide ſi hæc eſt Filii tui tunica Humanitatis, quam illi de tuis ſanguinibus puriſſimis communicâſti? Illa verò reſpondet: Oh! fera peſſima devoravit filium meum. Hæc mea tunica, non eſt mea! Non es tu Homo ex me talis natus, ſed tu es ſpolium quoddam & abortivum humanitatis. Carnificinæ theatrum, ſpectaculum furoris, ager crudelitatis, barbaræ immanitatis monſtrum & meſſis. Dicit iterum Filius Ecce Homo. Sed mater effari plus non ſinens: quid, quæſo te, Fili mi, humanitatis ac hominis habes? leproſum te & ego video & Prophetæ dicunt, & cum milite Præſes oſtentat à planta ad

Ex Glad: Marc: c. 5.

verticem ſanitate carentem. Inclamat nihilominus IESUS Matri: Ecce Homo! Sed illa rurſum: Ita eſt, verè Homo es, ſolus inter omnes iſtos Homo: Hi enim alii homines mutati ſunt tibi in crudeles belluas, urſos & lupos, pardos, & tauros, leones & moloſſos, qui ſicut nullum in ſua mente habent, ita in tua carne relinquunt humanitatis veſtigium! Pergit adhuc IESUS ad aurem materni cordis clamare: *Ecce Homo!* At illa: Agnoſco, Fili mi agnoſco, Hominem te eſſe, & humanitate, miſericordiaq; notum, talem te, qualis es, ab inhumanitate hominum factum! Verè fili mi Homo es; tantò quidem magìs verè Homo, quantò ab hominibus pro ipſiſmet hominibus, factus es talis Homo, ut verè monſtrari poſſis *Ecce Homo!* jureq; dubitari poſſit: an ſis homo? Ait adhuc Matri IESUS: *Ecce Homo!* Tum Mater: Omnino inquit es Homo, per quem factus eſt omnis homo; per quem in hac ipſa præſenti forma, reſtauratur & reparatur homo. per quem luctuoſo iſto tuo ſchemate repræſentatur, qualisnam futurus erat omnis homo; nisì tu Fili mi DEus-Homo, factus fuiſſes pro hominibus talis homo. Necdum ceſſat IESUS Matri dicere: *Ecce Homo!* Non ceſſat & gemens Mater reſpondere: Tu quidem homo es, ſed apud ingratos fratres tuos, apud contradicentem gentem tuam, né quidem homo es. At venient dies, quando infelices, agnoſcent te, non tantùm Hominem, ſed & DEum Hominem eſſe. O ſi faceres Fili mi: ut te hac horâ agnoſcerent DEum-Hominem, ſuumq; Meſſiam ac Redemptorem! Talibus aut ſimilibus inter ſe, per illud miſerabile otium, Filius & Mater, affectuum vocibus colloquebantur, mutuisq; ſe ſauciabant, & ſaginabant mærentia corda gemitibus; & quot erant inter ipſos mutuorum jactus, aſpectusq; oculorum, tot ad medullas uſq; animæ pervadebant ictus, & mucrones gladiorum!

38. *Ecce Homo.* Aſpice anima mea opus manuum tuarum: neſcis, quid feciſti? *Ecce Homo*, ecce opus tuum: ille IESUS fœdus & fœdatus; ille faucius & vulneratus, ille vili lacernâ, ille ſpineâ coronâ horridus; ille ſpurco phlegmate madidus, ille vermis non homo, ille cujus non eſt aſpectus, tuum eſt opus; tu talem feciſti, quia peccâſti! O infelix! non te commovet hoc ſpectaculum? non te pænitet ſuper tantâ contritione Unigeniti DEi, quam tu feciſti?

Ex Med: de Paſſ: Dom: feriâ 2da. Dominicæ 4.

Si quis

Si quis Patrem tuum ſic tractâſſet, & in oculis tuis illum ſtatueret; non indignareris Auctori? Si tu amicum vel Patrem tuum ſic tractâſſes, non te malitiæ puderet, ſimul ac tæderet? non omni ratione curares ſcelus hoc abolere? Aſpice frequenter hunc Patrem, hunc amicum, hunc fratrem, hunc Regem, hunc ſponſum, hunc hominem ô anima: & opus tuum exſecrare condigna pœnitudine dele; amariſſimis lacrymis IESUM deprecare: atq; ne iterans haſce infelices vias tuas viliſſima & in æternum abjecta fias, cave.

Ubi ſup. 39. *Ecce Homo.* Vidiſti anima quid feceris tu in homine iſto; vide etiam quid ipſe fecerit in ſe ipſo. Fuit DEus, ecce jam Homo. Fuit Dives, ecce jam pauper. Fuit innocens, ecce jam reus mortis, & morte punitus. Fuit ſapientia æterna: ecce illuſus & fatuus. Fuit Rex, ecce ludibrium. Fuit Homo ecce vermis. O quàm varium ſpectaculorum theatrum tibi proponitur, ab homine iſto ô anima! Vis humilitatem? Ecce Homo humiliatus & humilis. Vis Patientiam? Ecce Homo patiens & patientiæ portentum. Vis obedientiam? Ecce Homo factus obediens uſq; ad crucis mortem, qui ne perderet obedientiam, perdidit vitam. Quicquid demum vis, ecce Homo omnium tibi exemplũ, Magiſter, ſpeculum. Et nunquid tu talis Homo es? nunquid talis eſſe debes qualis es, aut qualem hunc vides? Vis etiam noſſe qualis Homo futurus eras? hunc aſpice. vicem enim tuam obit, & ſuſtinet, & exhibet ille Homo.

40. *Ecce Homo.* Ah! quid, qualiſvè factus Homo propter me? Ego autem quid tandem hactenus feci ejus cauſa? quid facio, quid feciſſe pridem oportebat propter talem hominem, propter DEum-Hominem? O quouſq; ſterilia & irreſoluta deſideria ac vota! Ecquando ſerviam Chriſto uſq; ad defatigationem, ad Paſſionem, ad abjectionem, ad annihilationem uſq;? O quando nihil in me erit, vivet, eminebit aliud, niſi hic Homo? quouſq; iſtum hominem terrenum, non hominem ſed jumentum portabo? quando induam iſtum cæleſtem, qui ſecundùm DEum, & propter charitatem creatus eſt. Mi IESU qui factus es propter me Homo, & talis Homo; da & fac ut aliquando deſinã, talis eſſe, qualis ſum homo; incipiam autem tibi eſſe per omnia paſſibilia & poſſibilia ſimilis homo!

41. *Ecce Homo.* Utinam liceret introſpicere interiora IESU ſtantis in illo ſublimi palatii; & videre cogitationes illas, quas tunc habuit dignas Filio DEi, dignas Homine-DEo. Nunquid dicebas Domine ad Patrem verba illa: *DEus DEus meus reſpice in me.* Pſ. 21. 1. Offerebaſq; ſimul manipulum illum, cruciatuum tuorum opprobriorumq; illo jam die toleratorum ex obedientia Patris? Nunquid dictum illud implebas Patris tui Abrahæ pro Iſaâc, arietem in ſpineto cornibus hærentem immolaturi: In monte hoc: Dominus videbit: teq; videndum Domino ſtatuebas, horridam ſpinis coronam capite geſtantem? Num indultam nuper pauxillam humanitati tuæ gloriam ſuper montem Thabor, inter Moyſen & Eliam coram pauculis diſcipulis compenſabas, & abolebas immani illa transfigurationis amaritie, inter Pilatum & militem, coram innumera inimicorum multitudine? oſtendens veſtimentum rubrum pro candido. Vultum horrentem ſicut cilicium, pro ſolari fulgore? Num te offerebas æterno Patri, atq; etiam generi humano univerſo pro perficiendo ſalutis ejus opere? Num ſitim charitatis tuæ irritabas atq; provocabas deſuper ſpectandam proponendo, uberrimam adhuc ſupereſſe meſſem perpetiendorum, adeſſe inimicorum magnam copiam.

42. *Ecce Homo.* Ita quidem hodie dicitur Chriſto & de Chriſto ab impiis, *Ecce Homo,* ſed adeſſe feſtinant tempora & dies, in quibus Chriſtus verſa vice unà cum ſanctis ſuis in judicio aſſeſſoribus, impios quà ſigillatim, quà collectim oſtentans & inſultans dicet: Ecce Homo: Ecce Homo. Vidit hoc & prædixit David: *Videbunt juſti & timebunt, & ſuper eum videbunt & dicent: Ecce Homo qui non poſuit DEum adjutorem ſuum.* Pſ. 51. 8. Stabit in conſpectu illo ſuperbus, qui in cælum poſuit os ſuum. & de illo dicent Sancti ſuper eum ridentes: *Ecce Homo.* Stabit immiſericors avarus, idolis pecuniarum ſuarum ſerviens & ridentes Sancti eum, dicent: Ecce Homo &c. Stabit Epulo guloſus, qui epulabatur quotidie ſplendidè, qui cum canibus ſuis pauperis Lazari partem ponere non dignabatur, & de eo Sancti irriſoriè dicent: Ecce Homo, qui non poſuit DEum adjutorem ſuum, ſed ſperavit in incerto divitiarum ſuarum &c. Ergo homines peccatores ſic modò reſpicite hominem iſtum Chriſtum, ut recordemini & vos brevi ſtatuendos ante illum, & audituros ab illo: Ecce Homo

& opera ejus &c. Sic modo intueamini Hominem iſtum, ut non vos feriant

Aug l. de Symb:

illa Hominis hujus verba apud Auguſtinum: (Ecce Hominem, quem crucifixiſtis, videtis vulnera, quæ inflixiſtis, agnoſcitis latus, quod transfixiſtis, quoniam per vos & propter vos apertum eſt, nec tamen intrare voluiſtis.)

PARAGRAPHVS CXVI.

Io: 19 6. Vide ſupra par: 101. & infra par: 126.

IESVS conſpectus à Iudæis ad Crucem poſtulatur.

PRÆDICTIO.

Pſal: 21. 14.

Aperuerunt ſuper me os ſuum, ſicut leo rapiens & rugiens.

STROMATA

Aug: tr: 16 in Ioã.

1. ADduxerat, oſtenderat, miſeratione dignum aſſeruerat IESUM Pilatus Iudæis: Ecce (inquiens Homo) non clarus imperio, ſed plenus opprobrio, portans Coronam ſpineam & purpureum veſtimentum: Si Regi invidetis, jam parcite, quia dejectum viditis, flagellatus eſt, ſpinis coronatus eſt, ludibrioſâ veſte amictus eſt, amaris conviciis illuſus eſt, alapis cæſus eſt, fervet ignominia, frigeſcat invidia) Sed hoc ſpectaculo malitia Iudæorum & invidia non frigeſcit, ſed potiùs exardeſcit, vociferatur ergo: *Crucifige, crucifige.* Dixiſſe ſat non erat, repetendum fuit, ut duæ crudeles voces, pro duabus manſuetioribus: (*Ecce Homo.*) reponerentur, utq; non ſatiatam ſitim ſanguinis, biſſulco repetitæ vocis jaculo, tartareiq; ſerpentis linguam mutuatam cum veneno demonſtrarent.

2 Venatores ſi quando venatum progreſſi odoram canum vim ad indagandam feram dimiſerint, eamq; inventam à canibus, conſpicati fuerint, in more habent clamores tollere, canes ad perſequendum inſtigare, vocibus repetitis inſtare, feram canum morſibus, cruentæq; lanienæ & morti devovere. Nonné hoc ingenio videntur eſſe Iudaici iſti Moloſſi, funeſtiq; venatores? conſpicati innocentem Agnum, propoſitum, ſcilicet ſibi à Pilato IESUM: tanquam paratam & fugacem feram, vah! quantos clamores tollunt! quales voces ingeminant! quàm magnis vocibus inſtant, devoventes innoxiam prædam Cruci atq; morti! nihil proficiente crudeli flagellatione, nihil commovente diriſſimâ coronatione, Crux & mors ad hæc omnia inſuper exigitur.

3. Homines peccatores vos appello: indignamini Iudæis, ſanguinolentum miſerrimumq; IESUM cernentibus, & tamen ad Crucem depoſcentibus. Vobis non indignamini, qui peccata peccatis addentes; deq; die in diem; de horâ in horam; annos per multos repetentes, blaſphemari nomen DEi, proximum opprimi, pupillos viduasq; devorari, ſcandala paſſim augeri facientes, nihil aliud, quàm Crucifige, crucifige; Tolle, tolle: Legem DEi & DEum, Eccleſiam & jura ejus & perſonas Eccleſiaſticas; conſcientiam & virtutem; leges & jura, & bona, & pacem publicam, inclamatis, repetitis, vocibus magnis, quin & legibus ſancitis inſtatis! An mitior mel oivé vox eſt, dicere: Opprimamus fas & jus, præſint profana Sacris, cedant publica privatis, ſerviant Divina politicis, quàm dicere: Crucifige, crucifige? An minùs inſanit Chriſtianus crucifigens Chriſtum, quem fatetur Dominum, Redemptorem ſuum, & DEum: quàm crucifigi urgens Iudæus eundem, quem videri vult ſibi inimicum & in multis noxium atq; mortis reum? Prudentiùs certè Iudæi mali ſunt, qui malum eum proclamant, quem ad Crucem poſtulant: quàm peccantes Chriſtiani, qui ejus honori, gloriæ, legi, meritis, ſanguini, charitati, contumeliam faciunt, quem Salvatorem & Dominum DEumq; ac Iudicem ſummum etiam bonum ſuum deprædicant, hoc enim facere nihil eſt aliud, quàm vel inſanum, vel impudentem, vel inexcuſabilis, irremiſſibiliſq; malitiæ reum eſſe.

4. Moyſes cùm percuſſiſſet virgâ ſuâ petram bis, dedit aquas largiſſimas populo Iſraël & jumentis ipſorum, recreatiq; ſunt in ſiti, quâ laboraverant: Iudæi iſti non virgâ, ſed linguâ, (juxta illud: *Venite percutiamus eum linguâ*) percuſſerunt Petram (*Petra autem erat Chriſtus*) bis inclamantes: Crucifige, crucifige: quos ictus ſecutæ ſunt aquæ ſalutares, Iudæis ipſis atq; gentilibus etiam ſalutis poculum propinantes.

5. Inclama & tu tibi, ô Chriſtiane (magìs etiam Religioſe, Eccleſiaſtice) tuiſq; mo-

tuiſq; moribus & vitiis & paſſionibus indomitis, & cupiditatibus effrænatis: Crucifige, Crucifige, Tolle, Tolle. Quid enim? ingeminabuntur iſta Chriſto; non ingeminabuntur Chriſtiano, Chriſtiq; famulo, aut diſcipulo? Immò ingeminanda ſunt partim ab alio, partim etiam à temetipſo, ac ab alio quidem ſæpè ſpontè audies, ſi virtutibus præſertim deditus eſſe voles: Crucifige, Crucifige eum. contrarius eſt enim operibus noſtris, abſtinet ſe à viis noſtris, tanquam ab omnibus immunditiis. Ex quo auditu tantùm proficies, quantùm manſuetudine & humilitate ad patientiam occallueris: ſed ut ipſi tibi tu oggeras & occinas ſæpè, quotidie, aſſiduè, hoc opus, hic labor, hic fructus eſt; hoc demum Chriſto dignum eſſe Diſcipulum, imitatoremq; eſt. Quoties ergo te prolicit ad illicita quæpiam cupiditas, ambitio, invidia, tepiditas, vanitas, curioſitas, vindictæ aut voluptatis libido, aut quicquam horum ſimile, exclama vigil; exclama acer; exclama iratus; exclama indignans: Crucifige, Crucifige. Tolle Tolle. Crucifigatur.

6. Tradunt pii Scriptores ad ingeminantes ſuum Crucifige, Iudæos erupiſſe piiſſimæ Matris, nec non aliorum præſentium amicorum, ex oculis lacrymas, concuſſis, videlicet, tam ferali clamore cordibus, indignitateq; crudelitatis auditæ, & minimè ob tam miſerabilem Domini ſpeciem ſperatæ, compreſſis: atq; ego exiſtimo, nè ipſius quidem Domini IESU ſiccos tunc fuiſſe oculos, quando audiit turbam infelicem, dantem, & repetentem contra ſe diram vocem, leonumq; famelicorum ritu rugientem. Et quidem fleret, tam indigno ſe loco videns eſſe, apud eum populum, qui tantopere à tot ſæculis, fuerat à DEo dilectus, inſuper, qui etiam ad hoc, ut ex eo naſceretur Chriſtus, præ omnibus terræ nationibus delectus.

7. Tauri, Uri, & Elephanti, conſpecto ſanguine vel rubeo panno ferociunt atq; ſæviunt: ita iſti Iudaici tauri, conſpectu Chriſti cruentati & purpurati magis in rabiem verſi ſunt.

PARAGRAPHVS CXVII.

Io: 19. 7. *JESVS ſecundùm legem debet mori.*

STROMATA

A 1. R Ejectum ſe indignans in tam juſtâ cauſâ Pilatus dixerat Iudæis; Accipite eum vos & Crucifigite, ego enim non invenio in eo cauſam. Similem rejectionem & ante has illis fecerat atq; ad legem ipſorum illos rejecerat, ſugillans fortè ab ea illis permitti cædē innocentem, quandoquidem Legisperiti Doctores, Sacerdotumq; ipſi primores urgerent juſtum occidi: qua rejectione Iudæi ſaucii dixerant Pilato: Nobis nō licet interficere quemquam. Nunc renovante hanc ipſam rejectionem Præſide, verſuta impiorum natio legem appellat, & moriendum eſſe Chriſto ſecundùm legem obnuntiat. *Supra parag: 80.*

2. Et revera Chriſto erat moriendum B ſecùndum legem: non præcipientem innoxium occidi id enim potius vetabat lex: ſed in figuris & Prophetis atq; Cerimoniis, ſacrificiiſq; legalibus mortem Chriſto innocenti ab impiis inferendam eſſe prædicentem.

3. Adhæc ſecundùm legem moriendum erat Chriſto: ſed Paternam & cæleſtem. Pater enim præcepit & mandatum dedit Filio de morte, pro hominibus ſalvandis perferenda, quam mortem impietas impiorum erat illatura, atq; quòd eſſet illatura, figuris & Prophetis erat longè ante prænuntiata.

4. Moriendum etiam erat Chriſto ſecundùm legem Amoris, cujus lex eſt (ipſo Chriſto teſte) ut animā ponat quis C pro amicis, ſeu pro iis, quos amat, habetq; pro amicis.

5. Moriendum etiam erat Chriſtò lege juſtitiæ; quia enim volebat liberare alios à morte, æquum erat, ut hoc faceret per mortem: maximè quando Iuſtitia liberationis hujus, exigebat plenitudinem rigoroſæ ſatisfactionis, reparationemq; ad æqualitatem læſæ peccato Divinæ Majeſtatis. Hanc ad legem reſpexit ille Propheta qui dixit: *Si tradiderit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longævum.* Et ipſe Dominus ait: *niſi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipſum ſolum manet; ſi autem mortuum fuerit multum fructum affert.*

6. Moriendum fuit etiam Chriſto lege civili atq; politicâ. Sicut enim po-D pulus vel ſubditi tenentur pro Principe vitam ponere, quando is in periculo eſt: ita viciſſim eâdem lege tenetur Princeps non parcere vitæ ſuæ, ut conſulat

 indemni-

Digitized by Google

indemnitati, ſeu incolumitati publicæ. Ita David oppoſuit ſe Paſtor, pro ovibus. Ita quoq; ipſe Chriſtus aſſeruit: *Bonus Paſtor dat animam ſuam pro ovibus ſuis.* Ita Moyſes pro Filiis Iſraël: A aut me dele, aut his parce. Ita Paulus anathema pro fratribus ſuis optavit fieri. Ita Codrus Athenienſis; ita Decius, Curtius, Paulus, Romani, feciſſe leguntur; in quibus certé non erat charitas major in ſuos, quàm Chriſti in omnes nos.

7. Moriendum fuit etiam Chriſto lege naturali: feræ tygres, ac leænæ, induunt ſe laqueis ac venabulis pro catulis; Pelicanus ſanguine ſuo paſcit & morte vivificat pullos, capi ſe ſinunt volucres, ut ſervent pullos indemnes. Hæc lex à natura dictatur: ſecundùm hanc Dominus IESUS debuit mori pro nobis, qui eſt naturalis noſter, pluſquam Pater, pluſquam Mater. Ergo verum eſt B quòd Dominus ſecundùm legem debet mori.

8. Moriendum fuit Chriſto etiam lege poſitivâ juſtitiæ commutativæ, quæ indicatur ab ipſo Chriſto dicente ad diſcipulos morte ipſius turbatos. *Nonnè hæc oportuit pati Chriſtum, & ſic intrare in gloriam ſuam.* Debebatur quidem Chriſto gloria jure naturali: ſed ſi vellet Chriſtus eandem gloriam habere & obtinere jure acquiſito, meritorio, ac quaſi ſoluto juſto pretio apprehendere: oportebat Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam, alioqui ſuam. Iuſtitiæ eſt Principium Do, ut Des; Facio, ut facias &c.

9. Moriendum fuit Chriſto etiam lege C quadam pietatis, & obſervantiæ in Patrem æternum. Læſus erat & lædebatur honor Paternus enormiſſimé ab humano genere; nec fiebat, nec fieri poterat ſatis, etſi omnis gens æternaliter periiſſet! & tamen manere DEi Patris honorem à creaturâ conculcatum quidem, ſed non reparatum, manifeſté apparebat, & erat intolerandum: Decebat pietatem Filii erga Patrem; decebat zelum pro honore Paterno: ut quod ſolus ille facere poterat, ſolus etiam faceret injuriasq; honori Divino irrogatas tolleret, aboleret, inimicitiasq; inter creatorem & creaturas exſcinderet, atq; pace æterna animos mutuò colligaret. Maximè cum mori Chriſtū, D ſi res hæc ipſa in ſeſe ſpectetur, peccatum & intrinſecè malum non ſit; at verò DEum offendi, voluntati ejus & honori contravenīri, neq; unquam ſatisfieri, ex natura & ab intrinſeco malum indignum eſt; proinde præſtabat Chriſtum ſuo modo mori, læſum jus & honorem Patris ſarciri, quàm ſemper vulnus in corde Divino, immedicatum manere, ſemper jaculum offenſionis infixum inhærere.

10 Moriendum fuit Chriſto lege Moſaica, quæ tota mortem Meſſiæ ſive Chriſti prædicabat, & figurabat, & adumbrabat: Unde evidenter dicebat Dominus ſæpe idipſum. *Si crederetis Moyſi crederetis forſitan & mihi, de me enim ille ſcripſit.* Et prohibentibus illum de morte ſua tractare. *Quomodo ergo* ait *implebuntur ſcripturæ?* Item Diſcipulis duobus cum dixiſſet: Oportuiſſe Chriſtum pati: mox incipiens à Moyſe & Prophetis interpretabatur illis ſcripturas quæ de illo erant. Moſaica ergo lege moriendum Chriſto erat.

PARAGRAPHVS CXVIII.

JESVS Filium DEI ſe eſſe fecit.

STROMATA

1. HAnc necis cauſam olim Chriſto fuiſſe objiciendam prædictum eſt luculenter in ſapientia. Ita enim, conſpirantes ibi in necem Chriſti loquuntur: *Promittit ſe ſcientiam DEi habere & Filium DEi ſe nominat.* Et inferius: Sap. 2. 13. 16. *Gloriatur*, inquiunt, *Patrem ſe habere DEum.* Et reverà nullam veriorem poterant Iudæi cauſam Chriſto objicere quàm iſtam: *Filium DEi ſe fecit*, Filium DEi ſe nominat, gloriatur Patrem ſe habere DEum. Tu Homo cùm ſis, facis te ipſum DEum; omnino enim Chriſtus ſe Filium DEi faciebat prædicabat probabat, convincebat: idq; Iudæi ſciebant. Sed ex eo non necis conſilia Iudæi promere debuerant; ſed diligentis inquiſitionis, ſed ſcrutationis (ut monebat Chriſtus) ſcripturarum, ſed computationis temporum per Prophetas prædictorum; ſed pacatæ cum ipſo Chriſto collationis & indagationis; ſed morum, doctrinæ, operum, miraculorum, accuratæ diſcuſſionis, inſpectionis (uti etiam Chriſtus hortabatur) ſtudia

aſſumere

aſſumere conveniens erat. quorum nihil Iudæi fecerunt, niſi fortè in ſpeciem & cum dolo, tentantes ſcilicet eum, ut caperent eum in ſermone, ut poſſent accuſare eum: feciſſent, ſicut Nicodemus nocte. ita illi palàm & publicâ auctoritate: Nemo poteſt hæc ſigna facere, quæ tu facis, niſi fuerit DEus cum illo: videris à DEo veniſſe Magiſter. Feciſſent Chriſto, ſicut Ioanni fecerant legatione miſsâ interrogantes: *Tu quis es?* Feciſſent diligentiam in eo inveniendo, quem Ioannes oſtendebat: *Medius veſtrûm ſtetit, quem vos neſcitis, cujus non ſum dignus &c.* Quem me eſſe putatis, Non ſum ego Chriſtus. Medius veſtrûm ſtetit. Hæc ab Ioanne audiêrunt, ſed neglexerunt; volebant ad horam exultare in luce ejus. Lucem veram, quæ, in hunc mundum, venientem omnem Hominem, illuminabat, cæcitate voluntariâ non videbant. Chriſtum, quod ſe Filium DEi eſſe, DEum Patrem habere aſſereret, blaſphemiæ ob id reum, ac tandem ex lege Moyſi contra blaſphemos latâ morte dignum aſſerebant: hocq; in præſenti tanquam novum & grande ſcelus Chriſti, Pilato intulerunt.

2. Revera Chriſtus ſicut Filius DEi erat, ita etiam ſe pro tali gerebat, & die heſternâ coram Caipha adjurante, & hodie manè coram eodem univerſoq; Concilio confeſſus fuerat: Confirmabat hoc Chriſtus tam evidenter, quàm evidentia ejus erant omnia miracula. *Si mihi & verbis meis non creditis, operibus credite. Opera, quæ ego facio teſtimonium, perhibent de me.* Probabat ſcripturis, tum quærens ex Iudæis, quid eis videretur de Chriſto, cujus Filius eſſet? reſpondentibus illis: Filium Davidis eſſe intulit: Quomodo ergo David vocat eum in ſpiritu Dominum dicens: Dixit Dominus Domino meo ſede à dextris meis. Si Dominus ejus eſt, quomodo filius ejus eſt? Ubi Chriſtus maximam aperuerat januam Iudæis ad inquirendum de Chriſto & Meſſia: evidenter etiam aperiebat in Meſſia ſeu Chriſto, duas debere aſſignari naturas, ſecundùm quarum unam Dominus Davidis, ſecundùm alteram verò Filius Davidis erat futurus. Non enim poterat ſolvi ſcriptura: ſed verum eſſe debuit utrumq;, nempe ut Filium & Dominum Davidis Chriſtum eſſe debuiſſe. Sed ad iſta Iudæi excæcati, odio atq; invidiâ Domini ſurdi & tardi erant, nec inquirere dignabantur, ne viderentur aliquid à Chriſto didiciſſe.

3. Revera Chriſtus & fuit, & ſe fecit Filium DEi. Fuit quidem, quia ab æterno ante Luciferum ex Patre, non A factus, non creatus, ſed genitus eſt ex utero: ut Pſalmiſta loquitur. Fecit autem ſe. etenim unâ communi cum Patre & Spiritu ſancto actione (Trinitatis enim indiviſa ſunt opera) Naturam humanam ex puriſſimis ſanguinibus Matris Virginis MARIÆ, ſibi formavit, adaptavit, & hypoſtaticè univit ſeq; Filium DEi, verum, naturalem, conſubſtantialem fecit. Iudæi porrò qui blaſphemiæ in DEum accuſabant, atq; ex lege in tales latâ, moriendum Chriſto aſſerebant; in hoc tamen ipſo aſſerto prævaricatores legis erant, pro qua ſcilicet zelabant, lex enim blaſphemum lapidari jubebat, ipſi autem crucifigi volebant. Sed iſti ignorantes, (ut poſt- B modum aſſeruit Sanctus Petrus) implebant ſcripturas de Chriſto in ipſo Chriſto. Sicut etiam illud, quòd lex tota dicebat, Meſſiam Filium DEi futurum fuiſſe, unde Meſſias pro Filio DEi ſe gerere, eumq; ſe eſſe omnino aſſerere, atq; ut talis excipi ab Iudæis debebat. Iſti autem Dominum IESUM eo nomine volunt occidi, quia ſe Filium DEi fecit: ex quo ipſo, niſi malitiâ cæci fuiſſent, concludere debuiſſent IESVM Meſſiam eſſe, quoniam Filium ſe DEi aſſereret. Meſſiam Filium DEi eſſe debere ipſis conſtabat, proinde aut ſinè cauſa IESUM hoc nomine mori volebant, aut ſe non fuiſſe paratos Meſſiam recipere fateri coguntur. quoniam & C Meſſias filius DEi futurus erat; proinde ſecundùm legem moriendum illi tanquam blaſphemo, iſtis impiis judicibus, legisq; interpretibus erat. Ea igitur fuit conditio atq; diſpoſitio Iudæorum: ut etiamſi Meſſiam agnoviſſent, tamen eum tanquam blaſphemum occidiſſent. Si eum de ſe quòd Filius DEi eſſet, aſſerentem audiſſent; cùm interim longè aliter fuerit eis argumentandum, hoc ſcilicet aut ſimili modo: Meſſias ſeu Chriſtus Filius DEi eſſe debet juxta Prophetas & legem. Sed iſte IESUS ſe Filium DEi facit ſeu aſſerit. Ergo etiam Meſſiam ſe aſſerit. Probat autem ſignis & miraculis evidentibus ſe eſſe Filium DEi; probat ergo & ſe eſſe Meſſiam. Non igitur necandus eſt ut Filius D Dei, ſed recipiendus ut Meſſias &c.

4. Attamen linquamus controverſa cum Iudæis: hic locus contra Arianos facit, qui pejus de Chriſti Divinitate ſentiunt,

Digitized by Google

ſentiunt, quàm ſentiebant Iudæi. Hi enim veram & conſubſtantialem filiationem apprehendebant, & talem ſibi à Chriſto arrogari, & affingi putabant, ideoq; blaſphemum & mortis deniq; reum aſſerebant. quæ ſententia de vera & conſubſtantiali Chriſti Divinitate filiationeq; DEi Catholica eſt; Et niſi talem Iudæi concepiſſent, ſed de adoptiva Chriſtum loqui ſomniâſſent, certè blaſphemiæ crimen & mortis ſupplicium, nonniſi dementes Chriſto poſtulâſſent, quin & Pilatus audiens, quòd Chriſtus Filium DEi ſe faceret, de altiore aliqua natura in Chriſto, ſermonem eſſe cogitabat, ideòq; magìs etiam timuit nè in aliquem, qui pluſquam Homo eſſet, ignorans peccaret: unde & ſecretius colloquium cum Chriſto exorſus eſt inquirens: *Unde es tu?* Chriſtoq; ad id tacente, quòd ille à ſe ſciri intereſſe ſuum credebat, iraſci ac minari cœpit. At vero infelices Arriani omnia alia de Chriſti Divinitate ſentire malunt, quàm conſubſtantialem Deitatem, Filiationemq; agnoſcere: & amplectuntur effinguntq; errores chymericos circa hoc punctum infinitos, ſinguliq; pænè alios & alios, unicam ſemper prætereuntes veritatem Catholicam, Catholicam dico, quia Arriani (& eſt hoc commune omnibus Hæreſibus Hæreticisq;) diſtinguunt veritatem à Catholiciſmo: & quærunt veritatem aſſiduò, ſed eam quæ non ſit Catholica; cùm tamen hæc ſint inſeparabilia, neceſſeq; ſit, ut altero careat, qui alterum ab altero ſeparat: ſed iſti errones volunt omnino ſibiq; perſuadent Catholicam veritatem, eſto ſit Catholica, veritatem tamen non eſſe. hinc eſt quòd quærant, effingant, forment, reforment, ſecundùm pænè individua ſua capita veritatem aliam & aliam & aliam, in omnibus à ſe mutuò diſcordem, in hoc uno concordem, quòd Catholica ſit nulla earum. Ex quo deinde aſſequuntur, ut nulla earum ſit veritas. quia cùm omnes non poſſint eſſe veritas, quæ una eſt tantùm ſemper: una etiam ex illis omnibus eſſe non poteſt, quia Catholica non eſt, immo eſſe non vult, & ad hoc affecta eſt ut Catholicæ contradicat. Veritas porrò ſi veritas eſt, communis eſt, nam ſi communis non eſt, veritas non eſt, ſed alia hic, alia alibi, alia in hujus, alia in alterius cerebro erit: & ita non una, non veritas erit, quia ſcilicet non Catholica non communis, non univerſalis, non omnium erit. Hanc veritatis articulorum fidei cùm Catholiciſmo inſeparabilem, inſuperabilemq; connexionem ſi agnoſcerent, tam Arriani, quàm quilibet alii ſectarii: illico nulli eſſent, quia à ſolo A Catholiciſmo in notitiam veritatis devenirent, & ſic à Schiſmatibus, pertinacia, ceſſaretur & finis Hæreſum eſſet.

5. Improbæ familiaritatis, & in omnem licentiam projectæ aſſolet eſſe vox contra eos qui ſaniora conſilia, moreſq; ſanctiores vel ſectantur, vel ſectari ſtatuunt incipiuntq;: ajunt enim ad invicem: Nos legem habemus & ſecundùm legem debet mori, iſte & iſte talis & talis, quia Filium DEi ſe fecit: omnino non permittamus eum abire innoxium, evolare è noſtro contubernio, adjungere ſe melioribus & virtutibus & ſodalibus, pereat & perdatur nobiſcum, nihil nobis & ſanctulis: aliaq; id genus quæ effutire aſſolent illi, quibus pietas B impietas, virtus probrum, caſtitas fœditas, modeſtia ſtupiditas, Patientia inſania eſt: apud hos enim ex eorum diſciplina & legibus morti deſtinati ſunt, & inter ſepultos abortivoſq; reputantur illi, qui relictis improbitatis exercitiis, DEum & virtutis caſtæ ſectatur Conſilia.

PARAGRAPHVS CXIX.

JESVS unde ſit? Pilatus quærit.

C

STROMATA.

1. AUdit Pilatus quòd IESUS ſe Filium DEi dictaverit: erat in ancipiti tunc homo ille æquitatem ſatis cernens, non ſatis tenens, innoxium IESUM per invidiam & calumnias oppreſſum noverat: modeſtiam patientiamq; ultra humanum modum inter tantas calamitates in IESU intuebatur; prodebat ſe & objiciebat oculis ejus latens aliquid humano majus, in tam abjecto licet homuncione; ubi audivit quod ſe Filium DEi dixerit, timidus & ſuſpicax, & ſuperſtitioſus etiam D homo, magìs timuit, nè ſcilicet more ſenſuq; gentilium in Heroëm aliquem ac Deaſtrum incidiſſet: ergo introgreſſus prætorium, ſemotis arbitris eth-

amcredo.

am credo, diligentiùs in ſtatum & genus Hominis inquirendum ratus; inde orditur quæſtionem: *Unde es tu?* Obſervare eſt in Pilato, quòd caſuſvé DEuſvé, in ſtupendas quæſtiones eum deduceret. Alias quæſierat ex JESU quid eſt veritas? Admiranda ſanè quæſtio, ſi videre, ſi audire veritatem, amplectiq; coram ſtantem & eloquentem immo & patientem operantemq; voluiſſet. Nunc etiam quærit magno ſanè auſu ex IESU: Vnde es tu? O quis enarrabit generationem ejus? Brachium Domini cui revelatum eſt? Ubi invenitur Sapientia? & quis eſt locus intelligentiæ? Mi Pilate, jam cognoviſti quod Homo Galilæus ſit: quid quæris, unde ſit? Non intereſt unde ſit; ſed an innocens, an Mortis reus ſit.

2. Ita facere conſvevimus multi: pro eo quòd ſit aliquis juvandus in calamitate, quærimus; unde ſit? pro eo quòd ſit aliquis recta ſuadens, aut monens audiendus, quærimus, unde ſit? Locutus eſt pauper & dicunt: quis eſt hic? Locutus eſt & legit aliquando coram Iudæis IESUS, ſcripturamq; impletam in auribus eorum aſſeruit, at illi relicto dictorum ſenſu & nucleo; quærunt: *Quomodo hic literas ſcit, cùm non didicerit?* Et rurſum: *Unde huic iſta omnia, & ſapientia?*

3. Interroga Iudæos Pilate unde ſit Chriſtus? dixerunt enim aliquando: Chriſtus cùm venerit *nemo ſciit: hunc autem unde ſit ſcimus. Nonne Pater & Mater ejus & Fratres apud nos ſunt?* Quibus dixerat IESUS: Et me ſcitis & Patrem meum ſcitis, & à me ipſo non veni.

4. O Mater! audin hanc Quæſtionem: Unde ſit Filius tuus? An dixeris, ſicut & illi quondam Parentes: *Ætatem habet ipſe, de ſe loquatur?*

5. O Æterne Pater! nunc fortè dicendum & tertio repetendum eſſet: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui?*

6. O Petre, aut tu repete confeſſionem tuam, *quàm tibi non Caro & ſanguis, ſed Pater cæleſtis revelavit, & dic: Tu es Chriſtus Filius DEi.*

7. Pilate ſciunt Iudæi unde ſit Chriſtus: audiêrunt ab illo dicente: *Ego ex DEo proceſſi & veni.* Audiêrunt ab illo: *Ego & Pater unum ſumus.* Audiêrunt ab illo: *Antequam Abraham fieret, ego ſum.* Audierunt ab illo heri & hodie: quòd ſit Chriſtus Filius DEi benedicti, venturus etiam judicare mundum cum majeſtate multa, & poteſtate. Audiſti & tu Pilate jam hodie ex ipſo: quod *Regnum ejus non ſit de hoc Mundo, ſed in hoc natus ſit, ut teſtimonium perhibeat veritati.* Scit & Nicodemus Iudæorum Princeps, ipſe enim dixit illi: *Scimus quia à DEo veniſti Magiſter.* Sed Nicodemo quoq; confeſſus eſt ipſe IESUS: *Sic DEus dilexit mundum ut Filium ſuum Unigenitum daret, ut mundus ſalvetur per ipſum.* Hæc Pilate ſatis tibi dicunt: Unde ſit Chriſtus.

8. Non eſt omni ſpiritui credendum, ſed neq; propriæ prudentiæ innitendum: monemur probare ſpiritus, ſi ex DEo ſint Dicendum eſt ſæpe: Unde es tu? *Etenim Angelus Sathanæ, transfigurat ſe in Angelum lucis.* Iſaac invitatus à Iacob Eſaum ſimulante, aut repræſentante, ad veſcendum de venatione; cautus ſenex ait: *Quis enim es tu?* nec contentus interogâſſe; *accede* (ait) *ut tangam te.* Et neq; ſic evaſit errorem: unde veniente jam vero Eſau & ſimiliter ad eſcam de venatu ſuo invitante, expavit terrore nimio correptus, poſt tam providam diligentiam, deceptum tamen ſe recognoſcens. Ergo probandi ſunt ſpiritus & inſtinctus, & impetus, & propoſita mentis, atq; dicendum eis, inquirendumq; cum aliis de eis: *Unde es tu?* Gen. 27.

9. Quid quærimus: Unde ſit IESUS? quæramus hoc ex Patris ejus charitate: ipſa enim ſcit, unde ſit iſte IESUS, iſte abjectus, iſte ſaucius, iſte cruentus, iſte illuſus; illa dicet: Unde ſit talis IESUS: Sic DEus dilexit mundum ut Filium ſuum Unigenitum daret, ut mundus ſalvetur per ipſum. Inde inde eſt iſte IESUS. Charitas enim eum fecit, voluntas fecit, juſtitia fecit, &c.

PARAGRAPHVS CXX.

JESVS non reſpondet: Vnde ſit. Io: 19. 9.

STROMATA

INterroganti Pilato reſponſum non dedit IESUS. non contumaciâ, ſed ſapientiâ. neq; enim incognitam rem quærebat Pilatus: cùm ſatis ſuam conditionem, originiſq; locum compertum haberet.

Digitized by Google

haberet. Etſi autem quæſtio ejus latiſſimè pateret, reſpectu atq; etiam in ſenſu Chriſti, ea tamen non ex mente Pilati fuit, & ſupra captum ejus fuit, non erat pro tunc Pilato neceſſarium ab- A ſtruſa myſteria cognoſcere quæ non crediſſet, ut etiam audire dignatus (ut antea de veritate) non fuiſſet, ſed juſtitia & æquitas pro innocente contra validos & iniquos oppreſſores decernenda atq; defendenda incumbebat. quod non facturum Chriſtus ſciebat, ideòq; ſuperfluo reſponſo, non eum dignum ducebat. Revera inutilis quæſtio bene ſolvitur ſilentio. Sic & Herodis vanitas caſtigata eſt, ſic & ſuperſtitioſa Pilati timiditas correcta. Sic & Iudæorum quondam, palam ſibi edici, *an ipſe eſſet Chriſtus?* urgentium, nequiſſima malignitas, & accuſandi anſam captans perverſitas ingenuo & ſapienti, atq; ab intimo cordium ipſorum ſenſu B deſumpto reſponſo: *loquor* ait *vobis & non creditis &c.* compreſſa eſt. Nimirum ſapientiſſimé monet Sapiens: *Reſponde ſtulto ſecundum ſtultitiam ejus ut non ſibi ſapiens videatur.* Reſpondetur ſtulto etiam tacendo, interroganti tacenda, vel malé accepturo audita.

PARAGRAPHVS CXXI.

Ioan: 19. 10. *JESV ſilentio Pilatus offenditur & ei poteſtatem ſuam minatur.*

STROMATA.

1. IAm aliàs de ſilentio Domini in paſſione præſertim tractatum eſt. hic iterum Pilatus non jam ad admirationem ſicut priùs, ſed ad indignationem commovetur ſilentio Chriſti, adeòq; etiam comminatur Chriſto poteſtatem ſuam, è qua pendeat ſalus & perditio Chriſti. *Mihi* ait *non loqueris? neſcis, quia poteſtatem habeo crucifigere te, & poteſtatem habeo dimittere te?* loquebatur ſatis ſua pro Chriſto innocentia; loquebatur ipſius Pilati hac de re ipſo ejus ore teſtata conſcientia; loquebatur nota & immanitate ſua ſe damnans Iudæorum invidia; loquebatur adeò ſæva & mutiplex Chriſto innocenti inflicta injuria Neq; tamen has loquelas Pilatus ſentiebat, ſed quod ad cauſam Chriſti minimè, opus erat nôſſe requirebat, & ſilentium IESU ſuam contumeliam, ſuæq; poteſtatis & auctoritatis injuriam reputabat. Hæc eſt pravitas humana potentiæ impotenti conjuncta!

2. Colluſit Pilatus Herodi: nam ut ille relicta Chriſti innocentiæ cognitione, curioſitati ſuæ indulgere ſtuduit, & Chriſtum ob non expletam illam illuſit ac ſprevit; ita iſte omiſsâ omni Chriſti tam ſeriâ causâ, ob negatum ſibi reſponſum, mortem Chriſto pro poteſtate minatur. Ita Magnates non raro in cauſis, in ruinis, in capitibus pauperum licèt innocentum ludere non dubitant: & poteſtatem ſuam, quæ innocentiæ infirmæ patrocinari, malis autem eſto potentium operibus & ſtudiis debuit eſſe timori, in terrorem & gravamen, vertunt innocentium.

3. Solent quandoq; homines ſuperbiâ aut impatientia tumentes, dum DEo preces fundunt pro ſua neceſſitate, neq; exaudiri ſe putant pro ſua voluntate; exprobrare DEo hac fermè Pilati phraſi: *Mihi non loqueris?* Minariq; DEo non erubeſcunt, ſe ejus cultum, aut etiã fidem neglecturos, eò quòd ſurdas ejus aures ſe experiri putent immeritos. Ita quondam Naaman Syrus, ad Eliſæum cauſa lepræ curandæ accedens, eumq; nec ad ſe prodire, nec DEum pro ſe orare, nec manu ſua lepram tangere videns, iratus & inflatus retro redibat. Nimirum hæc eſt potentûm ſuperbia, ut etiam tunc cùm inferiorum requirunt C opem, ſe illis beneficium præſtare arbitrentur. Sed calcat DEus ſuperborum colla; & quidem infirmorum contemptorumq; pedibus. Sicut olim Ioſue pedibus Filiorum Iſräël colla Regum inimicorum calcari fecit. Sicut & hic noſter IESUS jactantiæ Pilati validos injicit frenos: cùm illi poteſtatem vitæ & necis jactanti: *Non haberes* (ait) *poteſtatem adverſùm me ullam, niſi tibi datum eſſet deſuper.* quaſi dicat: nè jacta poteſtatem, quæ tibi de ſupernis, nimirum à Cæſare, vel potiùs à DEo data eſt; non innatam habes, ſed inditam. non propriam ſed indultam, nec majorem, quàm fuit & eſt in concedentis arbitrio: quâ non ampliùs uti potes, niſi quantum permittit, qui dedit, quæ D ſicut data eſt, ita & auferri poteſt. & ſicut indulta eſt tibi, ita poteſt indulgeri & alteri. & ſicut modò eſt penes te ſuper alios, ita poteſt eſſe, immo erit

brevì ſuper

Digitized by Google

breví ſuper te penes alios. Ne deſpice quos habes infra te: magìs ſuſpice quem habes ſupra te: quemadmodum timeri vis ab his, quos habes infra te, ita metue ipſemet eum, qui eſt deſuper ſupra te. Magnum & rarum ſimulq; utile documentum, & ſubditis, ut honorent poteſtatem in eis, qui eam acceperunt deſuper: & poteſtatibus, ut poteſtate non magis abutantur, quàm eſt voluntas ejus, qui eam conceſſit deſuper.

PARAGRAPHVS CXXII.

Ioan: 19. 11. *JESVM qui tradidit Pilato majus peccatum habet.*

STROMATA

1. INterpretatus Pilati ſuper ſe poteſtatem Dominus, originemq; ac menſuram ejus, docet etiam inſontem non eſſe, nec fore, ſi ea ſit abuſus: & confirmat id à peccato vicino traditorum & inimicorum ſuorum: à peccato inquam graviori. Majus peccatum, inquit, habet populus iſte, qui me tibi tradidit, tanquam reum, quem novit innoxium: Majus peccatum habet ille, qui te ad mortem meam iniquam concitat: ſed tamen, neq; tu immunis à peccato eris, ſi me innocentem videns ac ſciens, mori feceris.

2. Majus peccatum habet, Itané verò majus peccatum habet qui Chriſtum tradit, quàm qui Chriſtum occidit? Effatum veritatis eſt, & ideo falſum eſſe nequit. Qui Chriſtum tradit occiſuro: & ipſe peccat, & alterum peccare facit: proinde majus peccatum habet, quia duplex peccatum habet; cùm interim unum tantùm habeat, qui inductus facit. Iereboami nequitiam Spiritus Sanctus ſæpiſſimè hoc ſolo ex nomine deteſtatur: quia peccare fecit Iſraëlem! plus nimirum oderat DEus eum unum, qui peccare fecerat alios, quàm omnes alios, qui peccabant. O quàm non ſinè cauſa exclamat veritas: *Væ Mundo à ſcandalis!* Scandalis enim aggravantur adeò ſcelera, ut melius ſit molam aſinariam appenſam collo habere, & in profundum maris mitti, quàm ſcandalo gravari, quàm ſcilicet alium ſcandalizare. O aliena peccata quam multa, quàm gravia, quàm contempta paſſim eſtis! Et tamen quisquis alienum peccatum habet ſuper ſe, majus peccatum habet, quia A nimirum ſcandali intolerabile ſcelus in ſe habet.

3. Verè majus peccatum habet, qui ſanguine Chriſti, tam copiosè, tam ſæpe, ablutus cum ſit, indigné tamen Chriſto & ejus ſanguine vivit. Utquid enim propter prædicationem Chriſti infructuosé auditam, Galilææ urbibus in die judicii intolerabilius erit, quàm terris Sodomorum; & non erit dirius judicium his, qui Chriſti ſanguine abluuntur & madent, & natant, & nutriuntur, quàm qui longè ſunt ab hac ſpiritualium abundantia gratiarum, ſalutiſq; mediorum? Si ubi abundavit delictũ, ibi abundavit & gratia: cur non etiam ubi abundat gratia & miſericordia, B non etiam exundet iniquitas & malitia? ô quotquot civitates Chriſti incolitis, quotquot inter delicias Chriſti nutrimini, quotquot inter bona gratiæ, inter media ſalutis, inter auxilia, perfectionis atq; ſanctitatis uſq; ad nauſeam vivitis: Videte né ſicut modo uſq; in cælum exaltamini, ita propter cæcitatem & torporem veſtrũm uſq; in infernum deſcendatis.

PARAGRAPHVS CXXIII.

C *JESVM dimittere quærenti Pilato obſtrepunt Iudæi: Si hũc dimittis, non es amicus Cæſaris.* Ioan: 19. 12.

PRÆDICTIO.

Congregati ſunt adverſum me fortes & gigantes ſteterunt contra me.

STROMATA

1. ERat in Pilato tantum luminis, ut Chriſti vocem & de poteſtatis moderamine, & de peccati gravitate ſatis ad animum admitteret, & exinde D quærebat Pilatus dimittere eum. Conatus Pilati pro liberatione Chriſti ſupra recenſuimus, repetere hic opus non eſt: hoc tamen non eſt omittendum; §. 97.

Digitized by Google

multas ſatis eum hic adhibuiſſe induſtrias ad hunc effectum. Nam demum pro Tribunali publicè ſedit, IESUM ante ſe ſtatuit: Iudæis quòd Regem ſuum tam probroſe necari urgerent, exprobravit tanquam eos probro & ſarcaſmis ab hac mente dejecturus. Acceſſit inſtantia Pilati uxoris pro Chriſto: acceſſit totius ſceleris à ſe in populum crudelem depulſio: ſed hæc omnia conſtantiam deſiderârunt in Pilato, ac velut lampas, quando jam jam extinguenda eſt, plurimum lucere conatur inq; conatu exſtinguitur: ſic æquitas ratioq; Pilati dum maximè conata eſt ſtare pro Chriſto, & innocenti ſuffragari, concidit, & extincta, in miniſterium furioſæ cæcitatis cæciq; furoris Iudaici tranſiit IESUMq; voluntati Iudæorum tandem tradidit.

2. Aries qui maximè conſtantiam Pilati concuſſit hic præcipuus fuiſſe vulgò à Sanctis creditur, nec obſcurè id à Sancto Ioanne innuitur. Videntes enim Iudæi tam multa moliri pro Chriſto, & metuentes, nè demum perficeret ejus liberationem, clamabant dicentes: *Si hunc dimittis non es amicus Cæſaris. omnis enim qui ſe Regem facit, contradicit Cæſari.* Hac Catapulta quaſſatus concidit Pilati animus, & juſtitiam deſeruit deditq; furori manus. Ille Pilatus, qui tantis artibus innocentem IESUM defendit, qui tantum, perſuadere Iudæis laboravit, nè innoxii ſanguinem ſitirent. Ille Pilatus, qui toties, tamq; liberè, nullam ſe mortis in Chriſto cauſam invenire profeſſus eſt. Ille Pilatus, qui etiam nunc teſte ſua conſcientia, etiam dum damnat innocentem proclamat. ille inquam nihilominus Chriſtum morti adjudicat & voluntati hoſtium tradit. propter unicum gratiæ amicitiæq; Cæſaris amittendæ metum, conſervandæ ambitum! Proh Ambitio! proh humanæ rationes reſpectuſq;! quàm ſoli vos & quidem ſemper, repugnante non ſolùm ratione, ſed etiam ipſa voluntate, infandis funeſtiſq; Chriſtum addicitis ſuppliciis! O cæcas viſiones! ô reſpectus non reſpicientes! quanta vulgò veſtra in animos hominum poteſtas? ſinè vobis nihil agitur mali, ſinè vobis nihil negligitur boni! Vos eſtis diſciſſio amicitiæ inter DEum & Hominem, vos venenum charitatis, vos gloriæ DEi peſtis. Vos facitis, ut mala negligantur, ſed malè; vos facitis, ut bona fiant, ſed non benè. Vos merces vaniſſima laborum humanorum. Vos injuria DEi omnibus major. Quæ enim major poteſt cogitari injuria, quæ improbitas enormior, quàm reſpectui hominum, gratiæq; ac judicio & favori, DEum A poſtponere quantus quantus eſt? In omni quidem peccato eſt aliqua converſio, à creatore ad creaturam, ſed in hoc ſolo eſt explicita expreſſaq; & concepta DEi propter creaturam contemptio, creaturæ ſuper Creatorem exaltatio; proinde non abſq; cauſa & ratione hac demum machinâ everſus eſt, à recto Pilati animus, & damnatus ad Crucem Chriſtus; hoc enim facinus ſoli huic malitiæ, ſicut par, ita & debitum fuit.

3. Si hunc dimittis &c. Cum paulò ante Iudæi dicerent Pilato: Moriendum eſt Chriſto eò quòd ſe Filium DEi feciſſet: non tantùm non eſt commotus hac ratione ad necem Chriſti Pilatus, ut potiùs fuerit ab eadem avocatus: timuit enim ne fortè Filium DEi occideret. at ubi gratiam Cæſaris in medium adductam audiit, mox colorem & animum mutavit. O Pilate, ergonè plus ad ne-
B cis meritum facit in Chriſto facere ſe Regem, quàm DEi Filium? Ergo facientem ſe DEi Filium occidere times, facientem ſe Regem non times? ergonè niſi occidas eum qui ſe regem facit, non es amicus Cæſaris: ſi autem occidas eum qui ſe Filium DEi facit, es amicus Cæſaris? Quid ſi idem eſt & Filius DEi & Rex? necas Regem, necas ergo & Filium DEi. Si Filium DEi abſolvis, & Regem abſolve. Si Regem damnas, & Filium DEi damnas. Sed minore loco fuit apud Pilatum, Filium
C DEi ſe facere quàm Regnum ambire. Regni ambitum morte plectit, qui Deitatis ambitum contempſit. Ita hic Statiſtarum Patriarcha, DEum ſtatum amplius coluit, honoremq; ejus zelavit, ac invaſorem ſtatus vindicavit, quàm Divinitatis occupatorem. Hunc enim neglexit, illum morte affecit. Et tamen Statiſtæ Athæi non ſunt, qui pluris ſtatus ſecuritatem, quam DEi majeſtatem faciendam, acriusq; vindicandam cenſent? Pilato parum, aut nihil intereſſe videbatur, Chriſtum eſſe vel non eſſe DEum: vivere vel non vivere DEum: at Regem eſſe, Regem ſe facere, hoc demum magni intererat, hoc morte & quidem crudeli, & quidem accelerata piandum erat. Tales ſunt eorum men-
D tes, quorum DEus ſtatus eſt, talis eorum pietas, talis Religio. DEus illis idolum, idolum DEus eſt. occinuntq; ſtatui ſuo illud: *Quoniam tu ſolus Dominus*

altiſſimus:

altiſsimus: nimis exaltatus es ſuper omnes DEos. O progenies Pilato digna, labes Chriſtianitatis, Atheiſmi medulla, genuinus Antichriſtianiſmus, ſumma & complementum perfectioq; impietatis. Et ſunt nihilominus Chriſtiani (utinam autem Chriſtiani) qui ſe Staticos Theologos profitentur, qui melius impios ſe Atheos (quales revera ſunt) faterentur.

PARAGRAPHVS CXXIV.

Ioan: 19. 17. *JESVS ante Pilatum pro Tribunali ſedentem.*

PRÆDICTIO.

Ecc: 3. 16. *Vidi ſub ſole in loco judicii impietatem & in loco juſtitiæ iniquitatem.*

STROMATA.

1. VAriis ſtudiis agitatus Pilatus: ex una parte metu injuſtæ condemnationis, ex altera metu perdendæ amicitiæ Cæſaris, inde manifeſtâ innocentiâ hinc furore implacabili populi, inde nolens vim facere reclamanti conſcientiæ, hinc volens ſatisfacere populi inſaniæ, adhuc ex parte dubius quid faceret, adhuc cupidus ut IESUM liberet, plùs tamen placita populi reputans, maximè verò accuſationes calumniasq; & delationes Iudæorum apud Cæſarem reformidans, volens, nolens, impoſiturus quoquo modo finē importunæ quæſtioni, prodit in publicum pro Tribunali eminentior de more rituq; judicum Romanorum ſedit. Statuitur coram IESUS ultimas cauſæ ſuæ transactiones deciſionesq; auditurus. Pænè deſperabant victoriam Iudæi videntes Pilati moram, & pro innocente laborem: deſperatione tamen in furorem agebantur, & omnia tentare, nihilq; Pilati zelo concedere omnibus modis reſtitantem in ſententiam ſuam impellere pergebant. Stabat IESUS interea tanquam Agnus ad victimam, ſtabat tanquam præda beſtiis rugientibus ad eſcam. Stabat intuens extremæ rabiei plena omnia ſtudia inimicorum ſuorum. Stabat fluctuantem & ſubverſioni proximum, aut etiam ſubditum jam judicis cernens animum. Stabat certus complendæ in ſe damnando, ejuſdem iniquitatis. Stabat Patri æternò ſeſe paratum ad audiendam mortis per os hominis ſententiam exhibens. Stabat geſtiens animo, hanc etiam clauſulam Redemptionis & Redemptoris operi apponens ut pro ſalute omnium condemnatorum ad æternam mortem unus ille condemnaretur ad crucis mortem. Stabat DEus coram homine ſedente. Stabat Innocens reus coram impio judice. ſtabat coram homine DEus: coram quo ſtabit aliquando reus totus mundus. O quàm diſparatus tunc rerum ſtatus erit, quando judex ſedebit in nubibus Chriſtus, & coram eo palpitabit reus orbis univerſus. Verùm hæc etiam uſq; hodie abſcondita ſunt ab oculis mundi, & præcipuè à poteſtatibus ejus. Etenim ſic judices ſedent; ſic rebus, & cauſis & capitibus hominum præſunt, ut ſeſe extremæ ſententiæ atq; inſtantiæ judices arbitrentur: ignari aut immemores, quód judicia ſua, quæ faciunt, crimina ſint ſua, ob quæ judicabantur.

2. Sedebat Pilatus, ſtabat verò coram eo Chriſtus, ille ſedebat quaſi judex, hic ſtabat quaſi reus: & tamen ſi fidei eſt fides, is qui ſedebat reus erat, qui autem ſtabat judex erat: & judicabat reus judicem ſuum, à quo diſcutiendum eſſet illud ipſum judicium ſuum. Et hoc quidem ignorabat Pilatus, ſed non ignorant Chriſtiani Præſides: & tamen nihil à Pilati iniquitate, recedunt in judicando pleriq; Chriſtiani judices.

3. Sedebat Pilatus in Tribunali lapideo: utinam judex & ipſe lapideus; ſed magis ipſe fuit judex ficulneus aut figlineus, ex quo Judæi tanquam figuli, pro ſuæ nequitiæ arbitrio fingebant judicem, qualem ipſi vellent, non qualem vel cauſæ juſtitia, vel ipſius Pilati conſcientia, vel Chriſti innocentia requireret.

4. Uſq; hodie ſtat ante Pilatum IESUS quoties juſtiorem ſe devorat aliquis impius, quod enim eſt Pilatus judicans aut damnans IESUM, niſi impius, vel iniquus, poteſtate ſua abutens in innocentem ac infirmum? Et nonnè ſic hodie orbis ſolvitur: Non dico Regnum, non dico Provinciam, non dico urbem; dico domum vix reperias in qua IESUM non damnet Pilatus judex. Iudicent Domini famulos, Heræ ancillas, Patroni clientes, Parentes filios, vicini vicinos, amici amicos, Religionē,

pietatem, ſanctitatem, profeſſi, Sanctos; audeo dicere: etiam hic à Pilato ſuo judicatur IESUS?

PARAGRAPHUS CXXV.

Matt: 27. 19.

JESV liberationem uxor Pilati ſuadet.

STROMATA

1. UXor Phutipharis contra Ioſephum innocentem, maritum inſtigavit. Uxor Pilati pro IESU liberando, apud virum laboravit.

2. Contra Patris Saulis furorem Michol Filia, Davidis Uxor Davidem defendit, & à cæde, neceq; liberavit,

3. Dubium eſt inter Patres & interpretes bono an malo ſpiritu per viſum ſeu ſomnium acta hæc Mulier, pro Chriſto laboraverit: Diabolusné jam cauſæ ſuæ timens, Chriſtumq; innocentem mori in ſuum malum præſagiens, hac viâ necem hanc impedire laboravit? an potius DEus per Angelum ſanctum hac etiam viâ Pilatum judicem in bonam ſententiam flectere & in tuenda Chriſti ſat nota innocentiâ tenere voluerit? At conſultiùs efficaciùſq; Dæmon Chriſti mortem impediſſet, ſi Iudæorum corda mitigâſſet: niſi forté incertus quid ageret, utrumq; egerit & eventui rem permiſerit. Proniùs tamen eſt ſentire, bono ſpiritu, & de nocte turbatam, & de die ad maritum interceſſione conſilioq; pro Chriſti liberatione uſam, innocentiæ illius dediſſe teſtimonium, & ab iniquâ ſententia maritum revocâſſe.

4. Fæminam hanc (quæ Claudia Procula nomen habuiſſe ſcribitur) non tantùm poſtmodum Chriſtianam, verum & S. Paulo notam nominatamq;, deniq; ſanctam Græci in ſuo Monologio ſcribunt. *2. Timot. 4. 17.*

5. Species ea, gentium plebis eſt, (ait S. Hilarius) quæ jam fidelis, eum, cum quo converſabatur incredulum populũ ad Chriſti fidem advocat. quia ipſa multum ſit paſſa pro Chriſto, in eandem gloriam futuræ ſpei illum invitat. *Hil: can: 33. in Matt: 27. 19.*

6. Auguſtinus ait: In nativitate mũdi uxor ducit virum ad mortem (Eva ſcilicet Adamum) in Paſſione Chriſti uxor provocat ad ſalutem: S. Claudia Pilatum. Ergo hæc felicior quàm Eva & nobilioris operis adminiſtra: ad dandum pro Chriſto tale tempore teſtimonium quæ adhiberetur digna judicata, toti Senatui populoq; Iudæorum contradicere auſa, prophetico Spiritu afflata. quin & pati propter Chriſtum jam docta, Chriſtum neci ſubducere ſolicita: juſtum publicè proclamat. *Aug: ſer: 121. de Tempore* A

7. Digna ſané & boni ominis res hæc eſt, quod inter tot Chriſti, undiq; hoſtilia oblatrantes, hoſtes: duæ perſonæ gentiles eæq; Principes pro Chriſto laborent, ſententiamq; de innocentiâ ferant. Pilatus enim ait: *Nihil mali fecit.* Claudia uxor ejus: *Nihil tibi & juſto illi.* Eccleſiæ gentium iſta præludebant. Eccleſiæ gentium merita apud Chriſtum adumbrabant. Eccleſiæ gentium erga Chriſtum affectum libabant. Eccleſiæ gentium pro Chriſti nomine zelans & pugnax ingenium, indolemq; depingebant. B

8. Ardente prorſus animo hanc fuiſſe matronam in Chriſti cauſam apparet, quæ cùm multis exagitata eſſet de nocte modis propter eum: ex eo non animo fracta, nec à Chriſto alienata, ſed potius in patrocinium ejus rapta: dum maximé flagraret ferveretq; æſtus negotii ejus: ſedente pro Tribunali Pilato marito, interpellat judicium, mittit nuntium ſuadet candidam ſententiam, atteſtatur Chriſti innocentiam. toti Phariſæorum, Legis-doctorum Scribarum, Sacerdotum Principum obſtrepit & obſiſtit voto: fert contra omnes illos ſententiam: *Nihil tibi & juſto illi.* Non eſt in Chriſto crimen; non ſit in judice examen, faceſſat peccandi in innocentem diſcrimen. Si audeam hujus Mulieris fidem aſſerere: auderem Latronis confeſſioni in Cruce conferre. Una certè hæc Mulier gentilis, fecit confuſionem in omni populo Iſraël: quando illo, omnia ſcelerum genera; omnia injuriarum tormentorumq; probra in Chriſtum côacervante, hæc ſola reclamare audet & dicit: *Nihil tibi & juſto illi.* Si hic zelus pro Chriſto, non ex Chriſti Spiritu fuit: equidem neſcio unde fuit. aut ſi ex Chriſto fuit: utiq; abſq; ſalvationis effectu ac præmio non fuit. Nam ſi quis ſitienti calicem aquæ frigidæ, nomine Prophetæ offerat, non perdet mercedem Prophetæ. Hæc nobilis Romana quæ Chriſto id temporis innocentiæ teſtimonium, abſolutioniſq; ſuffragium (plus utiq; quàm frigidæ poculum) C D

Digitized by Google

culum) obtulit ac impendit, mercedemné Chriſti & à Chriſto perdidit?

9. Somnians hæc, propter Chriſtum paſſa eſt multa, ut jam tunc per hoc daretur intelligi Eccleſiæ gentium: quòd A propter Chriſtum eſſet multa in omni ætate ſuâ, at potiſſimum in Martyribus ſuis, non per ſomnium, ſed per verum & crudele experimentum perpeſſura. Veré per viſum paſſa eſt Eccleſia: Nam ſatis ſuperq; vidit & ſpectavit, filiorum ſuorum cruentiſſima tormenta; ut jam etiam tunc de ea, Chriſtus dicere potuerit in figura iſta: Ego oſtendam ei quãta oporteat eam (Eccleſiam) pro nomine meo pati.

In Græco eſt per ſomnũ: in Latino per viſũ.

10. Hæc legatio Uxoris ad Pilatum, inexcuſabilem fecit, tum Pilatum, tum Iudaicum populum. ille audiens, ad ſuum de Chriſti bene cognita innocentia ſenſum, accedere etiam uxoris, nocte acceptum per viſionem monitum, prudenter debuerat confirmari ad ferendum pro Chriſto ſuffragium: Iudæi autem interventricem videntes pro Chriſto Pilati ipſius uxorem, ac ſimul nocturno monito compertæ innocentiæ teſtẽ: frangere furorem ſuum debuerant, & ab improbitate ſua diſcedere. Neutrũ horum factum eſt, propterea inexcuſabile utriusq; peccatum factum eſt.

11. Audiverit licet Pilatus ab uxore tum ſuaſionem ſanam, tum ſententiam de innocentia Chriſti cælitus cognitam, ſuæ ſententiæ conſonam: *Nihil tibi & juſto illi.* Nihilominus nec ſe judicio illo expedivit, neq; peccató ſubduxit. Talis eſt conditio plerumq; juſtitiæ, æquitatis, veritatis, meliorisq; cauſæ apud potentes & magnates hujus ſeculi: Eſto norint, eſto nôſſe poſſint æquitati & veritati vim fieri, à ſe ſuisvé adminiſtris obſurdeſcunt tamen & in injuria, oppreſſioneq; perſeverant: nè ſcilicet erràſſe, nè cujus perſuaſioni meliori locum dediſſe videantur. Quo iſtos nomine voces? niſi Pilatos; veritatem quidem & æquitatem ſcientes, contra utramq; tamen decernentes.

PARAGRAPHVS CXXVI.

JESV mortem apud Pilatũ urgent Iudæi, abnegant Regem. D

PRÆDICTIO.

Exſpectavi ut faceret judicium, & ecce iniquitas: & juſtitiam, & ecce clamor. Iſa. 5. 7.

STROMATA.

1. SEdens pro Tribunali Pilatus; & de ultima in Chriſtum ſententia, ultimùm deliberans; interq; juſtitiam & metum fluctuans atq; ſecum ipſe luctans, adhuc flectere Iudæos nititur, atq; à furore avertere eorum ipſorum probris. ait ergo: *Ecce Rex veſter Iudæi*, illi verò dederunt contra Chriſtum vocem, & ſuum Regem dici probrum ſuum ſuum interpretati, nec nominare quidem eum dignantes exclamant: *Tolle, tolle, crucifige eum.* Non ceſſat tamen à propoſito Pilatus, & ſeu ſerio ludens, ſeu ludendo ſerius: *Regem veſtrum crucifigam?* B Non metuitis, nè hæc labes veſtro nomini adhæreſcat; quod Rex veſter crucis trabi affixus fuerit? Hic verò Iudæi Romanizantes, hoc eſt Romano Principi adulantes: nè (inquiunt) de noſtro probro ſolicitus ſis: neq; de Rege crucifigendo; *Non habemus Regem, niſi Cæſarem.* Sed ô Iudæi quid de Herode & præſente Rege dicitis: non eſt Rex ille, non veſter ille? non habetis Regem? non habemus (inquiunt) Nam & Herodes ſervus Romanus eſt, gratia Cæſaris regnat, non habemus Regem niſi Cæſarem: proinde iſtum ſuâ licet opinione Regem, tolle tolle, crucifige eum. O Domine nunc eſt tempus vocis illius, quàm Samueli quondam dixiſti: C *Non te abjecerunt, ſed me, nè regnem ſuper eos.*

Vide ſupra par: 101. & 116.

2. Ad ſolatium membrorum ſuorum Dominus caput noſtrum, exſecrationem hanc audire voluit: *Tolle tolle.* Ita olim Paulus audivit eundem populum dantem contra ſe vocem eandem. *Tolle tolle.* Ita Polycarpus inclamante totâ populi multitudine in theatro igni traditus eſt. Ita innumeri Martyres mundo propter nomen Chriſtianum exoſi, veluti oves ad occiſionem, omniſq; generis mortem raptati ſunt; quibus omnibus omnem perſecutionum acerbitatẽ, dulcem faciebant, hæc contra Chriſtum conclamata ſæpius verba: *Tolle tolle: crucifige eum.*

3. Olim ſub Rege Achab clades imminens Iſraëli oſtenſa fuit Prophetæ hoc modo, ut videret populum diſperſum, quaſi accepta clade in prælio Regeq; amiſſo: & dixit Dominus: *Non habent*

iſti Paſtorem. Verè ita eſt nunc, amittit infeliciſſimus populus Regem, negans eum, immo necans ante faciem Pilati. Non habent ergo Paſtorem: ſed vulpem Herodem, & lupum Cæſarem Romanum: à quo demum ſub Tito Veſpaſiano, ita ſparſi & lacerati ſunt, ut (quemadmodum Ioſephus ipſe teſtatur) locus crucibus, cruces corporibus Iudæorum deeſſent: totumq; mundum tanquam veri filii Cain, exulibus exilibusq; ſuis complerent.

4. Capita impiobiſſima, & ſolius tantùm nequitiæ, furoriſq; recordantia. Quid, ſi vobis Pilatus objiciat hoc, quod ante paucos ſatis dies inclamâſtis: nunc autem in caput veſtrum mentientes, retractatis? Et quis eſt ille populus nuper clamans: *Chriſtus Rex Iſrael: Oſanna filio David. Benedictus, qui venit in Nomine Domini.* Hæc nonnè plenis buccis concrepâſtis nuperrimè? Et cur tunc non dicebatis, quod nunc reboatis: Non habemus Regem niſi Cæſarem? Item quàm diverſa ſunt: Chriſtus Rex Iſraël &c. Non habemus Regem. Benedictus qui venit in nomine Domini. &: Tolle tolle. Oſanna filio David & crucifige eum! Sed ſcilicet hoc eſt (Memorabile Divinæ operationis inſigne, ut adverſùm ſe teſtimonium extorqueatur, invitis, cùm DEum negant affectibus, quem vocibus confitentur.) Ex quo gravius portabunt judicium: quia inexcuſabiles ſe faciunt diverſum voce & ratione apud eos extorquente, & diverſum perverſæ voluntatis, nequiſſima affectione perſtrepente. O Chriſtiani vos concernit parabola iſta: qui verbis confitemini vos DEum nôſſe, quem tamen factis & operibus abnegatis: teſtimonium à vobis adverſùm vos extorquetur vel invitis, cùm DEum negatis affectibus & operibus, quem fide confitemini & vocibus.

Aug. in c. 19. Luc:

5. Omnium flagitioſorum ad ſcelus meditatum feſtinantium, hæc vox eſt cordis & operis, contra DEum legemq; ipſius peſſimâ voluntate ſucclamantiū: *Tolle tolle, crucifige.* Reclamat miſera ratio ſæpe; reclamat fides; reclamat conſcientia, lapideo & rigido inſidens in Tribunali, digitumq; in DEum intendens obtrudit peccaturis: *Ecce Rex veſter! Regem veſtrum crucifigetis* improbi? Ecce lex DEi veſtri. Ecce lex Chriſti: Ecce profeſſio veſtra. Ecce fides veſtra! Quid ad hæc impii & effrenatæ voluntatis, cæcæq; cupiditatis ſervi. Nimirum tolle à memoria DEum, à conſcientia morſum, à mente metum. Crucifigatur. Non habemus Regem DEum, ſed Cæſarem noſtrum affectum, in cujus obſequium jubemus ire, cogimus A deſcendere Præſidem & juſta ſuggerentem intellectum. Et ſic quidem filii iniquitatis in ſuam perniciem: utinam verò ſic etiam ſuo modo in ſuam ſalutem, & in Chriſti gloriam filii lucis ambulent & dicant malis affectibus, pravis tentationibus, perverſis cogitationibus. Tolle tolle, crucifige eum. Non habemus Regem affectum. Non habemus Cæſarem cupiditatem, non obſequimur propriæ voluntati, non acquieſcimus propriæ libidini. Tolle, crucifige, non habemus Regem. Beata valde, & optanda ſummè, quærendaq; & tenenda obnixè juſtorum libertas, quibus *non eſt lex poſita, ſed naturaliter*, ſed quaſi connaturaliter, *ea quæ legis ſunt, faciunt.* B ita obſequentes, ita duci faciles ad omnem gratiæ nutum, motū & ductum, ut gratia pro natura inoleviſſe videatur. Qui ſinè regula vivunt ad regulam, ſinè Rege reguntur, pondus eorum, amor eorum, quocunq; feruntur amore feruntur, & intra cancellos obſequii Divini, non timore, non ſpe, non præmio, ſed lege gratiæ, ſed charitatis conſvetudine, ſed in naturam verſo rectè & ſanctè vivendi agendiq; uſu cohibentur. Talibus ex vero licet dicere: Non habemus Regem, motivum humanum, aut minùs ad purum excoctum affectum; ſed habemus Cæſarem, Regum Regem, Dominantiumq; Dominum. Talibus licet dicere: Non habemus Regem, niſi Amorem, niſi charitatem, exuratur C cælum, extinguatur infernus: nihil hæc ad nos. non habemus Regem niſi charitatem, niſi DEi Amorem, niſi Chriſti pro nobis paſſi amorem: ſit timori, ſit ſpei locus ſuus, ſed tamen nos non timore, non ſpe ſervimus.

6. Non habemus Regem. Vide quomodo degenerent in pejus Filii Iſraël. Olim pertæſi regiminis Divini dicebant Samueli: *Conſtitue nobis Regem.* Nunc dicunt rurſum. Non habemus Regem, niſi Cæſarem. Nolumus hunc regnare ſuper nos: Ergo vel nolentes fatentur impletas eſſe Prophetias, ablatum à ſe Regem & Regnum. Reſtat ut fateamini impletum eſſe, & dictum Domini noſtri ad vos. *Auferetur à vobis Regnum DEi,* D *& dabitur genti facienti fructus ejus.* Ita Simoni Cyrenæo homini gentili, datum eſt. *Crucem Chriſti portare poſt JESUM.* de quo infra.

PARA-

PARAGRAPHVS CXXVII.

Matt: 27. 24. ***JESVM damnaturus Pilatus manus lavat coram populo.***

PRÆDICTIO.

Ier: 2. 23. *Si laveris te nitro, & multiplicaveris tibi herbam borith maculata es in iniquitate tua coram Domino.*

Ibid: 2. 33. *Quid niteris bonam oſtendere viam tuam, dicens: Abſq; peccato ego ſum & innocens. ecce ego judicio contendam tecum, quia dixiſti: non peccavi.*

STROMATA.

1. VIdens Pilatus, quia multa conatus pro eliberando ſe ab iniquâ IESU condemnatione, ſed magis tumultus fieret, adhuc unum adhibuit medium, quo vel Iudæos à propoſito avocaret, vel ſaltem ſe invitum ad injuſtam ſententiam deſcendere teſtaretur: *acceptâ aqua lavit manus coram populo dicens*, & conteſtans ſe *innocentem à ſanguine juſti hujus.* Teſtimonium eſt hoc pro innocentiâ Chriſti in tali tempore, inq; his circumſtantiis, ab ipſo judice pro Tribunali ſedente, prolatum. Et ſatis eſſe poterat ad eum liberandum dimittendumq; & poterant Iudæi confuſis vultibus, dejectis capitibus, deſperatâ victoriâ, impoſito controverſiæ fine, C Chriſto abſoluto & juſto pronuntiato, ire & abire à Tribunali, præſertim cùm præſes totam ſceleris, totam innocentis ſanguinis damnati invidiam, à ſe amoliretur, & in Iudæos devolveret: ſed enim conſummata malitia Iudæorum, id quod extinguendo furori ſuo erat ab judice apparatum appoſitumq;, in acerbioris odii flammam commutavit: tantoq; exarſit malitioſa furioſitas vehementiùs, quantò reſtingui videbatur diligentiùs. Verùm hunc furorem inferiùs expendemus. Nunc juſtitiam Pilati cum injuſtitia adhuc colluctantem diſpiciamus. Eam enim luctam adhuc in corde Pilati duraſſe oſtendit, tum hæc lotio manuum, tum illa teſtificatio innocentiæ ſuæ à ſanguine Chriſti, tum rejectio totius culpæ in Iudæos per illa verba (*vos videritis*) tum deniq; iſta ſeria conteſtatio juſtitiæ Chriſti: ita ut manifeſtum ſit, nec, dum tunc planè deliberatum decretumq; fuiſſe Pilato damnare Chriſtum, ſed uſum hoc ablutionis ritu, tum causâ perſuadendi Iudæis A mitius conſilium, tum conteſtandi, ſe invitum devolvi, vimq; inferri, & æquitati cauſæ, & conſcientiæ ſuæ, ab eis, tum demonſtrandi, ſummam injuriam Chriſto fieri, tum deniq; devolvendi crimen totum in Iudæos, à ſe autem illud amovendi. Nihil tamen & ritus iſte, & conteſtatio profuit Pilato, ad excuſandum ſe à peccato Chriſticidii. etſi enim hæc ejus reſiſtentia utcunq; bona fuit, ad extremum tamen mala exſtitit. quia conſtantiam non tenuit, quam tenere debuit. Poterat enim ſeverius aliquid effari & denuntiare tam plebi inſanè furenti, quàm Principibus Iudæorum, hujus totius tragediæ authoribus & incentoribus, quod nec difficile, B nec inſolens fuit facere Romanis præſidibus: & ipſi etiàm Pilato. Poterat differre judicium & deliberare: neq; præcipitare ſententiam: dum ſcilicet liqueret cauſa ampliùs: vel potiùs dum conquieſceret, aut etiam conſeneſceret elangveſceretq; furor populi. Poterat & ipſe ut hactenus ex parte fecerat ſuam in tutelam Chriſtum recipere indemnemq; ſervare. Poterat etiam precibus uxoris hoc ſe tribuere interim affirmare. Poterat Chriſto à tot accuſatoribus obruto, ab omnibus autem patronis deſtituto, ipſe authoritate ſuâ defenſorem attribuere: ac per hoc ſpatium plurium etiam dierum cauſæ vitæq; Chriſti largiri. Poterat Cæſaris incuſſum ſibi metum à Iudæis in Iudæos ipſos retorquere, ac dicere; metuere ſe, ne quis vindex injuſtè occiſi damnatiq; Chriſti exiſtat, & ſuum nomen Cæſari deferat, evincatq; à ſe innoxium & utilem Reipublicæ hominem, inauditum, imò & juſtum cognitum, ac inventum, contra jura & leges, ob ſolos furentis plebis clamores, ſinè ulla forma judiciorum ſervata, damnatum ad infame ſupplicium eſſe. Poterat afferre ponereq; legem Tyberii Cæſaris tunc feliciter rerum potientis, jubentem etiam damnati rei necem decimum ad diem differri: quæ lex, ante hoc Chriſti judicium, duodecim annis perlata fuerat à Tiberio. Poterat deD niq; poteſtatem illam quam ſe habere nuperrimè Chriſto ipſi objectabat ad dimittendum, ſicut & ad crucifigendum, in actum reducere, & Chriſtum pro po-

teſtate illâ, exigente innocentiâ Chriſti, nec non ſceleſtâ invidiâ populi, utrâq; Pilato notâ dimittere. Ergo nihil profuit Pilato manuum ablutio. *Iudex enim bonus & conſtans* (ait Auguſtinus) *ne ſanguinem innocentis adduceret, nec invidiæ cedere debuit, nec timori.* Eam ob rem præclarè Sanctus Leo, *Non* (ait) *purgant contaminatum animum manus lota: nec in aſperſis aquâ digitis expiatur, quod ſimulante impiâ mente committitur. Exceſsit quidem culpam Pilati facinus Iudæorum: qui illum nomine Cæſaris territum, & invidioſis vocibus increpatum ad effectum ſui ſceleris impulerunt. Sed nec ipſe evaſit reatum, qui cōoperatus ſeditioſis reliquit judicium proprium, & in crimen tranſivit alienum.* Fruſtra itaq; Pilate laviſti manus tuas, fruſtra te innocentem affirmas, quoniam juſte hujus, quem damnas ſanguis, maculat manus tui cordis: facitq; te noxium, imperata mors ejus, quem fateri juſtum.

Serm: 118. de Temp. *Serm: 8. de Paſs.*

2. *Lavat Pilatus manus.* Lavamus & nos *quoties* operibus iniquis obtendimus ſpeciem excuſationis; *quoties* in alios culpam facti rejicimus, cujus ipſi conceſſione, aut diſſimulatione nutritores ſumus: *quoties* vitium verum fucato virtutis nomine coloramus: *quoties* ſpeciem quidem pietatis extrinſecus proponimus, virtutem autem penitus abnegamus; *quoties* vim conſcientiæ, detortâ veritate in pravum, facimus; aut laxitate periculoſi dogmatis eludimus: *quoties* authoritati vel potentium, vel multorum obniti formidantes, ſeu veritatē ſeu pietatem, ſeu juſtitiam æquitatemq; cauſæ quæſito qualicunq; colore deſerimus: vel opprimimus. Scriptum
Eccl: 7. 6. eſt autem *Noli quærere fieri judex, niſi valeas virtute irrumpere iniquitates.* Scriptum
Exod: 23. eſt etiam. *Non ſequaris turbam ad faciendum malum: nec in conſilio plurium acquieſcas, ut à vero devies.* Lavit manus Saul, quando Davidem extinguere manu hoſtium volens, periculoſo Philiſtæorum bello ſpecie dotis expoſuit. *Non ſit,* in-
1. Reg: 18. 17. quiens *manus mea ſuper David*: cadat ſcilicet manibus Philiſtiim: Lavit manus & ipſe David: quando Uriam ſpecie
2. Reg: 11. 8. honoris, ex caſtris advocatum, honoratumq; domum abire juſſit, cibumq; Regium ſequi poſt eum mandavit. Lavit manus Iudas Iſcarioth; quando ad IESUM, oſculaturus, oſculo tamen proditurus, acceſſit: lavit etiā tunc; quan-
Io: 12. 5. do pretioſum ungventum à Magdalenâ ſuper caput Chriſti effuſum videns, pro unguenti perditione, & pro egenis ſcilicet zelavit: re autem verâ ſuæ furacitati illius unguenti pretium ſubtractum doluit. Lavit manus & illa; quæ à Salomone deſcribitur poſt patratum ſcelus oſculari manum, & tergere os ſuum ac dicere; *Non ſum operata malum.* Omnis hypocrita, omnis impoſtor, omnis doloſus, omnis bilinguis, omnis duplici corde, omnis incedens fraudulenter, hic eſt qui manus quidem ſuas lavat, ſed Chriſtum damnat: id eſt, cor peccatis maculat, animam ſceleribus ſordidat, extrinſecùs tamen ſe immunem à malo demonſtrat. *Pro: 30. 20.*

3. *Lavat manus Pilatus.* Etiam hic Patriarcham pſeudopoliticorum, vel uti ſeſe appellitare volunt, Staticæ Theologiæ, veriùs Atheologiæ & Idolomaniæ cultorum attendite. Lavat manus, bonus ſcilicet ſectæ hujus anteſignanus, innoxias populo oſtendit, puras à ſanguine juſti Chriſti pronuntiat, decretum tamen mortis in Chriſtum eundem profert, eumq; extremo ſupplicio afficit. Ohe Pilate, quâ quæſo id facis conſcientiâ, quâ juſtitiâ? Nempe videndum fuit providendumq; ne quid Reſpublica detrimenti caperet: nequid in Provinciâ turbarum detur: ne populo & principibus in re tantilla, qualis eſt vita homuncionis unius non ſatisfiat. *Pilatus ergo volens ſatisfacere populo: tradidit IESUM voluntati eorum, ut crucifigeretur.* Mar: 15. 15.
Ita IESUS victima Pſeudopolitiæ factus eſt: ita Poplicolatûs hoſtia cecidit: ita DEus ſtatûs, morte Chriſti DEI-Hominis placatus & ſaginatus eſt. O nunquam Pſeudopolitiam aliter impiā, quam, dū in DEIcidio & Religionis Divinæ cruore manus ſuas laverit, quod Pilatus fecit, hoc facit omnis Pſeudopoliticus: cujus eſt prima pietas, in DEum verum, eſſe audacter, ſed ablutis manibus, impium. Politia enim falſa non eſt, niſi quando DEum, & ejus cultum legemq;, ſtatui, & privato bono ſupponit. Privato inquam bono: nam quod bonum iſti publicum indigitant: mentiuntur. etenim boni publici prima præcipuaq; portio, eſt DEus, & cultus ejus. quid enim poteſt eſſe bonum, & maximè publicum, & publicè bonum, ſi ab eo excluditur DEus, qui eſt utiq; ſummum & omne bonum? Mētiuntur ergo iſti Statiſtæ, qui ſe bono publico per DEI contemptum conſulere affirmant. deponant fucum, aut interiora ſua ipſi, plena dolo, tantiſper excutiant; & videbunt, & fatebuntur privatum eſſe, propriumq; commodum, pro quo ſatagunt: illud verò re ipsâ & verâ publicum

Digitized by Google

rã publicum eſſe bonum, quod tanquã malum, non tantùm avertunt, ſed etiam evertunt. Sicut in præſenti videmus factum: nam Chriſtum vivere, incolumemq́; eſſe, bonum commune, commodumq́; publicum fuit. Eum autem mori; tantùm ipſorum Phariſæorum invidiæ ſatiandæ, Pilati autem apud Iudæos, vel Cæſarem declinandæ, commodavit: quod non ignoravit Pilatus, qui ſciebat, quòd per invidiam tradidiſſent eum: qui videbat, quod Principes plebem concitarent, in Chriſtum ad necem poſtulandum: qui deteſtabatur nihil ſe invenire cauſæ ad mortem in eo: qui pronunciabat, etiam cùm damnabat, eundem juſtum: his tamen non obſtantibus, magìs timuit inſanientem irritare populum, quàm ſanguinem fundere innoxium. pluris fecit Cæſaris gratiam, quàm officii ſui juſtitiam, uno verbo; ut indulgeret privato, nocuit publico. Nam ſatisfecit furori privato, quod publicum malum eſt in Principe: nocuit publicè, & palàm Innocenti: quod defendere ac prohibere, publicum bonum eſt: & incumbit poteſtatem habenti. Ita ergo, ſi verum fateri velint, apud Statiſtas ſemper exulat publicum, ſemper Divinum bonum: privatum verò quantumlibet os recondat, quantumlibet manus lavet, occupat utriuſq́; locum.

4. *Lavat manus Pilatus.* O ſi laviſſet ìta, pròût dicitur per Prophetam! *Lavamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum, quieſcite agere perversè: diſcite benè facere: quærite judicium, ſubvenite oppreſſo, judicate pupillo, defendite viduam.* Tunc feliciter manus laviſſes Pilate; ſi, quem innocentem videbas, & pronunciabas, non damnares: ſi à ſanguine hominis, quem toti populo juſtum denarrabas, & à quo te innocentem eſſe velle teſtari ſtudebas; tam pro poteſtatis officio, quàm pro uxoris tuæ teſtimonio, quàm conſcientiæ tuæ judicio, abſtineres.

Iſa: 1.16

5 *Lavat manus Pilatus.* Mira certè perverſitas humanæ mentis: IESUM publicè innocentem pronuntiabat, & ſimul tamen reum mortis, cruceq́; dignum declarabat. Publicè innocentem inventum, publicè damnat ad Crucem: & lavat manus, & cruentat pectus: abluit aquâ digitos, maculat ſanguine conſcientiam: propinat populo innocentis vitam, quam eripit. O Pilate: non tu oſtenderes, ſed magis faceres, te innocentem: non rejiceres in populum, ſed arceres à populo ſanguinem juſti, dares eâdem operâ & innocenti vitam, & populo innocentiam: tibi verò, & in conſcientia integritatem, & in æquitate conſtantiam. Nunc autem factus es, & Dux ſceleris & ſervus: dum & populo præis ad facinus, & ejuſdem furenti ſævitiæ infandum pabulum adminiſtras.

6. *Lavit manus Pilatus.* Ritu id quidem veteri tam Romanorum, quàm & Hebræorum; erat Hebræis lata lex, ut ſi cadaver hominis occiſi fortè inventum eſſet, & de authore cædis non conſtaret, primores civitatis, in cujus vicinia cædes contigiſſet, vitulam mactarent: manuſq́; ſuper eam aquâ lavantes dicerent *Manus noſtræ non effuderunt ſanguinem hunc, neq́; oculi viderunt Propitius eſto populo Iſrael, quem redemiſti Domine* Erat etiam mos Romanis *expiari in luſtrationibus* (verba ſunt Dioniſii Ha lic: lib: 3.) *quas involuntariæ cædi præſcripſerunt leges.* Cui etiam mori conſonat, alius priſcus judicum mos: quo reum ad necem damnaturi, ut ſe non voluntate, odiove ſuo, in hominem adductos; ſed ejus ipſius criminibus, boniq́; publici ſervandi ſtudio, & vi legum adactos capitis in eum ſententiam ferre oſtenderent; manus ad ſolem ſublatas vertebant: ſicq́; à ſanguine immunes ſole teſte probabant. Quæ mens etiam Pilati fuiſſe videtur; dum omnem populum teſtem habere voluit, quòd nolens & invitus morem populo gereret, dum Chriſtum damnaret.

Deut: 21: 1.
Deut 2 7.
Diõ: Halic:
Clem: Rõ: l 2. Conſt: Apo::c.56. Baſi: Ep: 79 apud Mallonium de ſtigm: c. 10 fol: 169.

7. *Lavit Pilatus manus, antequam Chriſtum damnaret.* Ita vel ad conſceleratam Filii DEi cædem illotis manibus accedendum non fuit. Attendite quæſo Sacerdotes Chriſti: vos qui corpus Dominicum & myſticum tractatis, & verum in ſacrificio incruento mactatis, nec non in Sacramento tam vobis quàm populis ad ſumendũ porrigitis: Proh quàm lotis, quàm mundis, quàm puris manibus ad id muneris opus habetis! Ecce Chriſtus, ne damnari quidem à judice non lotas manus habente ſuſtinuit: quomodo à vobis, impuritate carnis, juxtà & mentis ſordentibus, in tremendis ſacroſanctiſq́; altaribus ac myſteriis immolari, manducari, & tractari ſuſtinebit? O quo non auro puriorem linguam, quo non cryſtallo nitidiorem mentem, quâ non nive mundiorem manum, quâ non gemmâ pretioſiorem animam eſſe oportet, ad illa, Cherubinis, Seraphiniſq́; tremenda & in-

Digitized by Google

Naziãz: in Apologetico. acceſſa miniſteria ſimul ac myſteria acceſſuram? Nazianzenus, quemlibet ad Diviniſſima hæc Sacrificia Sacramentaq; acceſſurum, eâ vult totius hominis puritate Sanctimoniâq; nitere, ut ejus A oculus, ità res omnes aſſueverit intueri, ut inde animus ad earum creatoris laudem & admirationem traducatur: Aures Divinis ſolùm præceptis ac monitis pateant: Os, labia, lingua eo modo ſint compoſita, ut é cœlis duntaxat Spiritum ſalutarem ac vitalem hauriant; occluſa quoq; ac decenter aperta ſoli præfixo ſibi muneri deſerviant: Lingua verò, quasi plectrum Spiritus Sancti, concentum harmoniamq; ad unius DEi gloriam efficiat: Pedes more cervorum comparati firmentur in petrâ; neq; aliud iter nôrint, nisi gratum DEo, & ipſius conſentaneum voluntati. Omnia demum corporis membra, facta ſint membra juſtitiæ, & quasi exutâ morta- B litate abſorbeantur à vita. *Damaſc: 4. fidei c. 14.* Damaſcenus verò, talem eſſe vult omnem tam Sacrificii quàm Sacramenti altaris participem, & maximé miniſtrum *Ardenti cupiditate ad eum adeamus, manibuſq; in Crucis formam compoſitis, crucifixi Corpus ſuſcipiamus, atq; & oculis, & labiis, & frontibus compoſitis Divini carbonis participes efficiamur: ut ignis deſiderii in nobis inſiti, aſſumptâ eâ, quæ ex carbone oritur inflammatione, peccata noſtra exurat, ac pectora noſtra colluſtret: demuſq; operam, ut per Divini ignis participationem inardeſcamus, Diiq; efficiamur.* Et Damaſcenus quidem ſic: brevius autem, ſed pariter ignitè ac Divinè monet Bonaventura dicens. *Cùm fuérit totus alteratus & Divinus effectus, ità ut nihil videat nisi DEum, tunc accedat.* Ergo vel à Pilato diſcamus, ablutiſſimis manibus, hoc eſt puriſſimis mentibus, ad IESUM Criſtum immolandum, æternoq; Patri, pro mundi neceſſitatibus, gratiſſimam hoſtiam offerendum, accedere. Pilatus illotis manibus decretum mortis in Chriſtum proferre noluit: nos impuriſſimis manibus juxta, mentibuſq;, in tantâ licet fidei luce, eundem Chriſtum DEi Filium, Patri ſuper altare immolamus. Et quid querar, leviora quidem, magna tamen emortuæ, & cadaver redolentis noſtræ fidei argumenta: quòd nobis quidem niteant Palatia, ſordeant autem altaria: quòd menſæ noſtræ argento graventur, & primo natent vino, Templi autem calices centenario ſordeſcant pulvere: & vinum illud, quod conficiendo ſanguini Chriſti apparatur, vix ad fœces vini accedat: certè ejuſmodi; quod erudita noſtra gula, à menſis longiſſimè ſubmoveat. Sed hæc quia deflere magis, quam emendare licet, miſſa faciamus.

8. *Lavit manus Pilatus.* Id quidem exiſtimo ſanctiùs & ſinceriùs in Spiritu factum, ab Æterno Chriſti IESU Patre: qui Chriſtum Unigenitum conſubſtantialemq; ſibi Filium, non ad furentis invidiâq; inſanientis populi Iudaici clamores: ſed ad totius humani generis, in extrema, omniaq; malorum genera irremediabiliter prolapſi miſerabiles vociferationes; tanquam magnus medicus, magnum nactus infirmum, magnum quoq; appoſiturus medicamentũ: lotis manibus ſuis, in aquâ miſerationes ſimul ac juſtitiæ, *propter nimiam charitatem ſuam, quà dilexit nos, tradidit in mortem*, pro peccatis totius mundi. *ad Eph: 2. v. 4.* Et innocens quidem eſt revera, Pater ille B miſericordiarum, à ſanguine Iuſti hujus Filii ſui: verùmtamen ô mortales, vos videritis: ut ſanguis ejus, ſit ſuper vos, & ſuper filios veſtros, ad redemptionem & ſalutem: non autem ad damnationem & mortem: alioqui *terra Sodomorum in die judicii remiſſius erit, quàm vobis.* *Matt: 11. 24.*

9. *Chriſtus iturus ad mortem lavit pedes diſcipulorum,* Pilatus condemnaturus Chriſtum, lavit manus ſuas coram populo. Multùm intereſt inter hypocriſim & virtutem. Viliores, humiliores, ſordidiores ſunt pedes alieni, quàm manus propriæ: illos ergo abluere difficiliùs, laborioſiùs, abjectiùs, ſolidioriſq; virtutis eſt, & omnis ſolida virtus, internâq; C operatio laborem comitem habet, ſimul & conſtantiam, & veritatem; at verò ſimulare ſpeciem virtutis, & eam ad tempus propter oculos alienos aſſumere, ſicut nullius laboris, ita & nullius valoris eſt.

10. *Lavit manus Pilatus.* O communem virtutum & conſiliorum bonorum mollitiem, teporem, ac timiditatem! Quando maximè impii fervent & furunt contra cauſam Chriſti, & virtutis, & æquitatis, tunc juſtiores languent, metuunt, cunctantur, pro Chriſto, & virtute, & æquitate. Pro eo, quòd ſe murum opponere debebant pro domo DEi, quòd debebant irrumpere in iniquitatem. *Eccl: 13. 5.* *Eccl: 7. 6.* illi mollia tractant, illi manus lavant, illi condeſcendendum malis temporibus fa- D bulantur. O veré mala ſunt iſta tempora: quando iniquitati licet etiam furere: virtuti autem, & cauſæ meliori, non eſt animus, ut audeat, non dico fremere, ſed

re, ſed vel mutire. Verè mala tẽpora, in quibus mala cauſa triumphat, & malitia vincit ſapientiam, & in domo virtutis, ac æquitatis ſtabulatur nequitia cum iniquitate, & in Regno Catholico paucorum prævalet hæreſis, nobis interim manus lavantibus: & nec unum pedem in reſiſtendo obfirmantibus. Virtus, ſi virtus eſt, mala tempora ea non cenſet, in quibus maſculi robuſtiq; ſui pectoris indolem exercere poteſt. Exſpectet nequitia pro ſe meliora tempora: zelus DEi, & amor juſtitiæ, defendat ſua jura, utaturq; ſuis temporibus. Impugnatio cauſæ bonæ, optimum eſt tempus defenſandæ cauſæ bonæ. Nam quando tandem tempus erit propugnandæ virtutis, ſi non eſt tempus oppugnandæ illius? Cùm non oppugnatur virtus, non indiget etiam propugnatione. Tunc & lavare & recondere licet manus. At dum hoſtis oppugnat æquitatem, juſtitiam, innocentiam, virtutem, Religionem, non eſt virtutis, & juſtitiæ, & Religionis proditor is, qui mala cauſat tempora, qui cauſam æquitatis deſerit, qui lentas, timidas, proditoriaſq; manus, putidis excuſationum aquis abluit?

11. Solemnè eſt impiis, ut peccata commiſſuri, ea parva judicent, & facili negotio, leviſſimoq; piaculo, abolenda, adeo ut vix labore manuum aquâ lavandarum opus fore credant; artificio diaboli idipſum agente; ut peccata admittenda minora ſemper, quàm ſunt, eſſe perſuadeat. Sed ô infelix ſtultitia, judicem attende DEum, qui æternas præparavit flammas, ulciſcendis ſceleribus. Quantum peccatum ſuum primi Parentes credidere, cùm de ligno vetito guſtare deliberabant? & tamen nullis ſatìs vel hactenus diluviis ablui poteſt.

12. Potentum hujus ſæculi proprium eſt: ut iniquitates ſuas, tanti vix faciant, quanti maculas fortuitas manuum ſuarum, quæ aquis ad abluendum vix opus habeant: at ô miſeri nunquam audiſtis, quia *Potentes potenter tormenta patientur.* & meritò potenter patientur, quia cùm ſint tam potentes ad peccandum, ut vix ullum peccatum reputent ſibi difficile & grave, juſtè etiam pœnas ſcelerum nullas reputare debent ſibi graves. (Sap. 6. 7.)

PARAGRAPHVS CXXVIII.

(Matt. 27. 24.)

JESV ſanguinem accipiunt Iudæi ſuper ſe & ſuper poſteros ſuos.

PRÆDICTIO.

Captabunt in animam juſti & ſanguinem innocentem condemnabunt. Pſal. 93. 21.

STROMATA.

1. Quia hoc unicum deſiderari videbatur ad decretũ contra Chriſtum obtinendum à Pilato, ut crimen ſuppliciumq; mortis ejus, damnationiſq; injuſtæ in Pilato non reſideret, ſed in populum mortis ejus ſitientem, redundaret: acceptat amentiſſimus furore populus optionẽ conditionemq; iſtam: & reſpondens univerſus populus dixit Pilato. *Sanguis ejus ſuper nos & ſuper filios noſtros.* Siquidem hoc unum oratur damnationem inviſi capitis, ut cædes ejus penes nos ſit: acceptamus conditionem: atq; ut tam culpa, quàm pœna ſanguinis, IESU à te ô præſes condemnandi, penes nos, peneſq; noſtros poſteros omnes reſideat, nobiſq; per omnes ætates ſecuturas luenda incumbat, volumus. Hac infelici voce, hac plus quàm diabolica rabie, miſerabiles Iudæi, hoc tandem apud DEum effecerunt, ut ſecundùm Danielis prædictionem adveniret eis ex tunc, inchoata & necdum finita, ſed neq; ad mũdi finem finienda conſummatio, perſeveretq; in finem *ſtatuta deſolatio*: (Dan. 9. 27.) cujus perſeverantiæ ampliùs quàm mille ſexcentos annos numeramus: quibus infelix iſta progenies, ſine Regno, ſine Rege, ſine templo, ſine ſacrificiis, ſine Sacerdotio, ſine urbe, ſine Regione, ſine ſedibus, ſine Republicâ propriâ, ſuper univerſam terram, profuga, & vaga, habens in ſe ſignum Caim, odium ſcilicet & contemptum nationum omnium, infra conditionem ſervilem dejectior, omnibus non tantùm principibus, ſed penè dixerim hominibus ſeruit: perſeverante in eâ, & perſequente illos ubiq; ſanguine Domini noſtri IESU Chriſti. Quæ ſola unaq; plus quàm evidentiſſima ratio convincere illam ſufficeret, atq; ad deponendam aliquandò tandem obſtinatam perfidiam, & ad Chriſti Domini, tanquam veri & in lege Patribus ejus ipſiq; promiſſi Meſſiæ fidem adducere.

Digitized by Google

2. *Sanguis ejus ſuper nos.* Hoc Iudæorum votum ſi meliore ſenſu, & ſaniore affectu prolatum fuiſſet ab Iudæis; quẽadmodum & profertur ab eccleſiâ Chriſti, omnibusq; filiis ejus; omnino ſaluberrimum, & Chriſto gratiſſimum fuiſſet. Sicut in Eccleſia Chriſtiana videmus. Sanguis enim Chriſti Dos eſt Eccleſiæ: pretium mundi, Sacrificium DEi, ablutio animarum, potus cordium, Sanctificatio juſtorum, emollitio obduratorum, lac in Chriſto parvulorum, ſolidus cibus perfectorum, clavis cœli, refrigerium purgatorii, extinctio inferni. Beatiſſima Chriſti Martyr, Agnes, Virgo Romana non dubitat gloriari ſanguine Chriſti Sponſi ſui genas ſuas ornatas eſſe. Uſq; adeo ſcilicet optabile votum eſt, ut Domini noſtri ſanguis ſit ſuper nos & ſuper filios noſtros. O Domine *o Sponſe ſanguinum* JESU veniat quæſo, veniat ſuper me, & ſuper omnes meos, quos in charitate tuâ diligo, & ſuper omnes Eccleſiæ filios, & ſuper omnes filios hominum, quos mihi ſanguis tuus, melius quàm ſanguis Adami fecit conſanguineos; veniat inquam tuus iſte pretioſus, & deſiderabilis, & ſalutaris ſanguis ſuper omnes nos, qui nos lavet & mundet ab omnibus inquinamentis peccatorum noſtrorum; & exhibeat tibi nos omnes *populum acceptabilem ſine ruga & ſine macula*, (*Tit:2. 14. Eph: 5. 27.*) Non veniat ſuper nos ita; ſicut venit ſuper infelices Iudæos: ſuper quos dura & intolerabilis eſt ira ſanguinis tui uſq; in præſentem diem. Non veniat ſuper nos in confuſionem & condemnationem: quemadmodũ prædixiſti ſuper Iudæos (*Matt:23 35.*) *venturum omnem ſanguinem juſtum, incipiendo à ſanguine juſti Abel.*

3. *Sanguis ejus ſuper nos.* Mira certè & vix poſt homines natos uſpiam gentium audita, furentis invidiæ, malitiæq; ac odii rabies: ad cujus auditum arbitror non terram tantùm & cœlum, ſed ipſum etiam infernum, ejuſq; incolas dæmones cohorruiſſe: quis enim non exhorreſcat ingentem integrumq; populum, ita impotenter, ita beſtialiter, ita efferatè unius hominis, & quidem vulgò de innocentia, juſtitia, ſanctitate, beneficentia in omnes noti, necem ac mortem injuſtam, crudelemq; ſitire; ut pro ejus nece, pro ejus ſanguinis profuſione obtinendâ, offerat totum ſuum ſanguinem & vitam: offerat inſuper omnium filiorum poſterorumq; ſuorum ſanguinem quoq; ac vitam: ad pœnas calamitateſq; tanto ſceleri & furori haud dubiè pendendas. Hæc rabies, hic furor, hæc malitia, ſi omnes malitiæ, furoris, rabieiq; limites ac modos non exceſſit, ſi diabolicam nequitiàm non evicit, ſi inferorum pœnis æternis major non eſt, ſi adhuc quò altius ire impietas poſſit, aliquid in improbitatis regno supereſt, equidem fateor, me, quid ſit malitia, non ſatis animo conſequi, intelligentiaq; capere. Iudæi certè hac unâ voce ſua, æternum indixerunt Chriſto bellum, nunquamq; reconciliandos animos conteſtati ſunt, non tantùm ſuos, ſed etiam filiorum, poſterorumq; ſuorum omnium, idq; non tantùm viventi Chriſto, verùm etiam mortuo, & nunquam (ut rebantur) ad vitam redituro: quo genere odii? quod quæſo poteſt cogitari majus? Auget tamen immanitatem illius hoc: quòd non tantùm odiſſe velint Chriſtùm, ſed etiam pœnis, odiis, huic pendendis, ſe, ſuamq; poſteritatem omnem in æternum addicant, quo pacto non tantùm ſe, & poſteros ſuos omnes fecerunt Chriſticidii reos, ſed etiam toties reos, quot haberent poſteros, & præterea non tantùm toties pœnarum reos, verùm etiam per ipſaſmet pœnas reos: ut ſcelus ſuum odiumq; in Chriſtum, non tantùm caſtigaretur, ſed etiam innovaretur ſuis pœnis. Imitati haud dubiè, ſi non etiam ſupergreſſi *Patrem ſuum* (ut vocabat Chriſtus) *Diabolum*: (*Ioã:8.44.*) qui ita odio flagrat DEi, ut ipſas ſuas, quas pendit pœnas odii DEi, convertat in incrementa ſui in DEum odii. O quàm nimis verax fuit vates Iacob Patriarcha, tanto ante de filiis ſuis vaticinans. *Maledictus furor eorum, quia pertinax, & indignatio eorum, quia dura. Non veniat in conſilium eorum anima mea.* (*Gen: 49. 7. & 6.*)

4. *Sanguis ejus ſuper nos.* Qui ad Eccleſiaſtica bona occupanda, ex eiſq; corradendas opes, & vivendum ex eis lautè, honorificèq; aſpirant, filiosvè, ac nepotes, & aliam conſanguineorum turbam, ad eadem obtinenda inducunt; hi plerumq; facto ipſo & operè, eſto non linguâ, neq; voce, hoc Iudaicum votum uſurpant. Patrimonium enim crucifixi, & ſanguinem IESU Chriſti, ſeu bona Eccleſiæ, per illum ſanguinem quæſita, in ſeſe & in ſuos, dum accipiunt, quid aliud dicunt quàm hoc; *Sanguis ejus ſuper nos & ſuper filios noſtros?* O miſeri, quàm præſtaret propria & honoratâ paupertate, aut mediocritate vos eſſe contentos: & non per ſanguinis Chriſti

ventus à facie terræ. Lapis lydius explorator eſt Crux Chriſti: virtutem veram à fucatâ internoſcit. Induerat David aliquando Saulis arma: ſed cùm pertentaret, invenit ſe non poſſe ſic incedere, multòq; minùs contra Goliam ad pugnam prodire: ergo ad baculum, & fundam, & lapillos ſuos reverſus, triumphavit ex hoſte: ita propriis veſtibus indutus vicit: qui alienis armatus nè incedere quidem potuit. Ad crucem ergo, qui amplectendam & ferendam venit, virtutibus propriis, & intus, & in animo ſuo fundatis egregiè indutus ſit: tunicâ quidem inconſutili charitatis, ſciſſuram nullam cum DEo, nullam cum proximo habentis. deinde aliâ tunicâ jam diviſionem quadripartitam patiente, hoc eſt virtutum quatuor cardinalium ornatum in ſe complectente.

PARAGRAPHVS CXXXI.

JESV ad Crucem damnati & ducendi mortis ſententia publicatur.

STROMATA

1. DAmnato tandem, per Præſidis Pilati ſententiam, Chriſto: cùm ſe præ gaudio Iudæi, ac præſertim primores non caperent: moras nullas nectentes, ne fortè aut pœnitudo Pilatum C ſubiret, aut quid interceſſionis pro Chriſto interveniret; aut Chriſtus aliquâ arte ſeſe ſupplicio imminenti eximeret, aut certè ante crucis mortem, præ debilitate fractarum, exhauſtarumq; virium, exſpiraret, dum feſtinant, & ad feſtinandum milites perurgent, dum veſtitur veſtimentis ſuis Dominus, dum Crux aptatur, affert urq;, dum foràs ex prætorio producitur vinctus, dum cætera apparantur neceſſaria crucifixioni, dum comitatus & præſidium cogitur, quòd adusq; ſupplicii locum deducat reum, affectoq; ſecuritatis causâ aſſiſtat: hæc inquam dum properātur aguntu rq;, interea ſententia mortis proùt à Pilato concepta fuerat, per plura fortè celebriora urbis loca & fora, ſed inprimis ante prætorium, præſente & audiente Chriſto, adſtante confertiſſimâ multitudine, adgaudentibus furori ſuo primoribus Principibusq; Iudæorum, non absq; maximâ Domini innocentiſſimi infamiâ, injuriâ, contumeliâ, confuſione: A aliâ præconis voce pronuntiata, & omnium auribus notitiæq; infuſa eſt. Dubium nullum eſt fuiſſe hanc rem Domino ſicut probroſiſſimam, ita & doloroſiſſimam, longè certè magìs quàm cùm nuper, ex eminentiore loco iiſdem Iudæis, flagellatus, & ſpinis coronatus, atq; variè illuſus à Pilato fuerat præſentatus, & illâ voce: *Ecce Homo*, declaratus. *Ioan: 19. 4.* Tunc enim adhuc Chriſtus damnatus non fuerat, tunc adhuc Pilatum faventem cauſæ ſuæ habebat; tunc adhuc Iudæi de cauſæ eventu metuebant: tunc adhuc Pilatus pro Chriſto liberando, proq; populo ad miſerationem flectendo, pro innocentiâ Chriſti demōſtrandâ, deniq; pro evincendo, quòd jam B ſatis pœnarum luiſſet, ſi quas meruiſſet, laborabat. Erat proinde aliquantula in ſpeciem ſaltem, Chriſto, & ejus amicis, ac notis conſolatio & ſpes reſidua: at nunc ita in ſpectaculum datus, ita jam damnatus, jam denuntiatus, jam manibus carnificum traditus, jam ſuum ipſe ſupplicium tenens manibus, aut geſtans humeris, jam ad omnium notitiam tanquam reus, & convictus ſcelerū, delatus, cùm omnium ob oculos ſtaret, cùm omnium oculis, digitis, vocibus, convitiis, exprobrationibus plurimorum configeretur, confunderetur, lancinareturq;, cùm deniq; omnis ſpes abeſſet, omniaq; deſperata eſſent: quantus neceſſario generoſiſſimam illam Domini noſtri indolem dolor & pudor occupabat! quanta confuſio faciem illam admirabiliter amabilem ſimulq; ſummè miſerabilem operiebat! hoc equidem in hominis nullius, præterquam in Chriſti ſolius cor animumq; arbitror aſcendere poſſe. Formulas porrò decreti illius iniquiſſimi à variis varias afferri invenio: quarum complures, cùm Daniel Mallonius repræſentet, eas ab eodem deprompt as lectori propono: eo maximè conſilio ut pateat, quid Dominus noſter IESUS pro nobis injuriarum probrorumq; ſufferre dignatus ſit. Omnibus autem decreti formulis, à Mallonio relatis propono quoad recenſendi ordinem formulam, quæ maximè Hieremiæ Drexelio probatur, & eſt hujuſ- *Drexelio Chr: mor: c. 5. § 2.* D modi.

1. IESUM Naſſarænum Regem Iudæorum crucifigi jubeo (Cur hanc formam potiſſimùm ille probet, dat rationem)

Digitized by Google

multas ſatis eum hic adhibuiſſe induſtrias ad hunc effectum. Nam demum pro Tribunali publicè ſedit, IESUM ante ſe ſtatuit: Iudæis quòd Regem ſuum tam probroſe necari urgerent, exprobravit tanquam eos probro & ſarcaſmis ab hac mente dejecturus. Acceſſit inſtantia Pilati uxoris pro Chriſto: acceſſit totius ſceleris à ſe in populum crudelem depulſio: ſed hæc omnia conſtantiam deſiderârunt in Pilato, ac velut lampas, quando jam jam extinguenda eſt, plurimum lucere conatur inq; conatu exſtinguitur: ſic æquitas ratioq; Pilati dum maximè conata eſt ſtare pro Chriſto, & innocenti ſuffragari, concidit, & extincta, in miniſterium furioſæ cæcitatis cæciq; furoris Iudaici tranſiit IESUMq; voluntati Iudæorum tandem tradidit.

2. Aries qui maximè conſtantiam Pilati concuſſit hic præcipuus fuiſſe vulgò à Sanctis creditur, nec obſcurè id à Sancto Ioanne innuitur. Videntes enim Iudæi tam multa moliri pro Chriſto, & metuentes, nè demum perficeret ejus liberationem, clamabant dicentes: *Si hunc dimittis non es amicus Cæſaris. omnis enim qui ſe Regem facit, contradicit Cæſari.* Hac Catapulta quaſſatus concidit Pilati animus, & juſtitiam deſeruit deditq; furori manus. Ille Pilatus, qui tantis artibus innocentem IESUM defendit, qui tantum, perſuadere Iudæis laboravit, nè innoxii ſanguinem ſitirent. Ille Pilatus, qui toties, tamq; liberè, nullam ſe mortis in Chriſto cauſam invenire profeſſus eſt. Ille Pilatus, qui etiam nunc teſte ſua conſcientia, etiam dum damnat innocentem proclamat. ille inquam nihilominus Chriſtum morti adjudicat & voluntati hoſtium tradit. propter unicum gratiæ amicitiæq; Cæſaris amittendæ metum, conſervandæ ambitum! Proh Ambitio! proh humanæ rationes reſpectuſq;! quàm ſoli vos & quidem ſemper, repugnante non ſolùm ratione, ſed etiam ipſa voluntate, infandis funeſtiſq; Chriſtum addicitis ſuppliciis! O cæcas viſiones! ò reſpectus non reſpicientes! quanta vulgò veſtra in animos hominum poteſtas? ſinè vobis nihil agitur mali, ſinè vobis nihil negligitur boni! Vos eſtis diſciſſio amicitiæ inter DEum & Hominem, vos venenum charitatis, vos gloriæ DEi peſtis. Vos facitis, ut mala negligantur, ſed malè; vos facitis, ut bona fiant, ſed non benè. Vos merces vaniſſima laborum humanorum. Vos injuria DEi omnibus major. Quæ enim major poteſt cogitari injuria, quæ imbrobitas enormior, quàm reſpectui hominum, gratiæq; ac judicio & favori, DEum
A poſtponere quantus quantus eſt? In omni quidem peccato eſt aliqua converſio, à creatore ad creaturam, ſed in hoc ſolo eſt explicita expreſſaq; & concepta DEi propter creaturam contemptio, creaturæ ſuper Creatorem exaltatio; proinde non abſq; cauſa & ratione hac demum machinâ everſus eſt, à recto Pilati animus, & damnatus ad Crucem Chriſtus; hoc enim facinus ſoli huic malitiæ, ſicut par, ita & debitum fuit.

3. Si hunc dimittis &c. Cum paulò ante Iudæi dicerent Pilato: Moriendū eſt Chriſto eò quòd ſe Filium DEi feciſſet: non tantùm non eſt commotus hac ratione ad necem Chriſti Pilatus, ut potiùs fuerit ab eadem avocatus: timuit enim ne fortè Filium DEi occideret. at ubi gratiam Cæſaris in medium adductam audiit, mox colorem & animum mutavit. O Pilate, ergonè plus ad ne-
B cis meritum facit in Chriſto facere ſe Regem, quàm DEi Filium? Ergo facientem ſe DEi Filium occidere times, facientem ſe Regem non times? ergonè niſi occidas eum qui ſe regem facit, non es amicus Cæſaris: ſi autem occidas eum qui ſe Filium DEi facit, es amicus Cæſaris? Quidſi idem eſt & Filius DEi & Rex? necas Regem, necas ergo & Filium DEi. Si Filium DEi abſolvis, & Regem abſolve. Si Regem damnas, & Filium DEi damnas. Sed minore loco fuit apud Pilatum, Filium
C DEi ſe facere quàm Regnum ambire. Regni ambitum morte plectit, qui Deitatis ambitum contempſit. Ita hic Statiſtarum Patriarcha, DEum ſtatum amplius coluit, honoremq; ejus zelavit, ac invaſorem ſtatus vindicavit, quàm Divinitatis occupatorem. Hunc enim neglexit, illum morte affecit. Et tamen Statiſtæ Athæi non ſunt, qui pluris ſtatus ſecuritatem, quam DEi majeſtatem faciendam, acriusq; vindicandam cenſent? Pilato parum, aut nihil intereſſe videbatur, Chriſtum eſſe vel non eſſe DEum: vivere vel non vivere DEum: at Regem eſſe, Regem ſe facere, hoc demum magni intererat, hoc morte & quidem crudeli, & quidem accelerata piandum erat. Tales ſunt eorum mentes, quorum DEus ſtatus eſt, talis eorum pietas, talis Religio. DEus illis idolum, idolum DEus eſt. occinuntq; ſtatui ſuo illud: *Quoniam tu ſolus Dominus altiſſimus:*

altiſſimus:

Digitized by Google

altiſsimus: nimis exaltatus es ſuper omnes DEos. O progenies Pilato digna, labes Chriſtianitatis, Atheiſmi medulla, genuimus Antichriſtianiſmus, ſumma & complementum perfectioq; impietatis. A Et ſunt nihilominus Chriſtiani (utinam autem Chriſtiani) qui ſe Staticos Theologos profitentur, qui melius impios ſe Atheos (quales revera ſunt) faterentur.

PARAGRAPHVS CXXIV.

Ioan: 19. 17.

JESVS ante Pilatum pro Tribunali ſedentem.

PRÆDICTIO.

Ecc: 3. 16. *Vidi ſub ſole in loco judicii impietatem & in loco juſtitiæ iniquitatem.* B

STROMATA.

1. VAriis ſtudiis agitatus Pilatus: ex una parte metu injuſtæ condemnationis, ex altera metu perdendæ amicitiæ Cæſaris, inde manifeſtâ innocentiâ hinc furore implacabili populi, inde nolens vim facere reclamanti conſcientiæ, hinc volens ſatisfacere populi inſaniæ, adhuc ex parte dubius quid faceret, adhuc cupidus ut IESUM liberet, plùs tamen placita populi reputans, maximé verò accuſationes calumniasq; C & delationes Iudæorum apud Cæſarem reformidans, volens, nolens, impoſiturus quoquo modo finē importunæ quæſtioni, prodit in publicum pro Tribunali eminentior de more rituq; judicum Romanorum ſedit. Statuitur coram IESUS ultimas cauſæ ſuæ tranſactiones deciſionesq; auditurus. Pæné deſperabant victoriam Iudæi videntes Pilati moram, & pro innocente laborem: deſperatione tamen in furorem agebantur, & omnia tentare, nihilq; Pilati zelo concedere omnibus modis reſtitantem in ſententiam ſuam impellere pergebant. Stabat IESUS interea tanquam Agnus ad victimam, ſtabat tanquam præda beſtiis rugientibus ad eſcam. Stabat intuens extremæ rabiei plena omnia ſtudia inimicorum ſuorum. Stabat fluctuantem & ſubverſioni proximum, aut etiam ſubditum D jam judicis cernens animum. Stabat certus complendæ in ſe damnando, ejuſdem iniquitatis. Stabat Patri æterno ſeſe paratum ad audiendam mortis per os hominis ſententiam exhibens. Stabat geſtiens animo, hanc etiam clauſulam Redemptionis & Redemptoris operi apponens ut pro ſalute omnium condemnatorum ad æternam mortem unus ille condemnaretur ad crucis mortem. Stabat DEus coram homine ſedente. Stabat Innocens reus coram impio judice. ſtabat coram homine DEus: coram quo ſtabit aliquando reus totus mundus. O quàm diſparatus tunc rerum ſtatus erit, quando judex ſedebit in nubibus Chriſtus, & coram eo palpitabit reus orbis univerſus. Verùm hæc etiam uſq; hodie abſcondita ſunt ab oculis mundi, & præcipuè à poteſtatibus ejus. Etenim ſic judices ſedent; ſic rebus, & cauſis & capitibus hominum præſunt, ut ſeſe extremæ ſententiæ atq; inſtantiæ judices arbitrentur: ignari aut immemores, quód judicia ſua, quæ faciunt, crimina ſint ſua, ob quæ judicabantur.

2. Sedebat Pilatus, ſtabat verò coram eo Chriſtus, ille ſedebat quaſi judex, hic ſtabat quaſi reus: & tamen ſi fidei eſt fides, is qui ſedebat reus erat, qui autem ſtabat judex erat: & judicabat reus judicem ſuum, à quo diſcutiendum eſſet illud ipſum judicium ſuum. Et hoc quidem ignorabat Pilatus, ſed non ignorant Chriſtiani Præſides: & tamen nihil à Pilati iniquitate, recedunt in judicando plèriq; Chriſtiani judices.

3. Sedebat Pilatus in Tribunali lapideo: utinam judex & ipſe lapideus; ſed magis ipſe fuit judex ficulneus aut figlineus, ex quo judæi tanquam figuli, pro ſuæ nequitiæ arbitrio fingebant judicem, qualem ipſi vellent, non qualem vel cauſæ juſtitia, vel ipſius Pilati conſcientia, vel Chriſti innocentia requireret.

4. Uſq; hodie ſtat ante Pilatum IESUS quoties juſtiorem ſe devorat aliquis impius, quod enim eſt Pilatus judicans aut damnans IESUM, niſi impius, vel iniquus, poteſtate ſua abutens in innocentem ac infirmum? Et nonnè ſic hodie orbis ſolvitur: Non dico Regnum, non dico Provinciam, non dico urbem; dico domum vix reperias in qua IESUM non damnet Pilatus judex. Iudicent Domini famulos, Heræ ancillas, Patroni clientes, Parentes filios, vicini vicinos, amici amicos, Religionē,

pietatem, ſanctitatem, profeſſi, Sanctos; audeo dicere: etiam hic à Pilato ſuo judicatur IESUS?

PARAGRAPHUS CXXV.

Matt: 27. 19. *JESV liberationem uxor Pilati ſuadet.*

STROMATA

1. UXor Phutipharis contra Ioſephum innocentem, maritum inſtigavit. Uxor Pilati pro IESU liberando, apud virum laboravit.

2. Contra Patris Saulis furorem Michol Filia, Davidis Uxor Davidem defendit, & à cæde, neceq; liberavit,

3. Dubium eſt inter Patres & interpretes bono an malo ſpiritu per viſum ſeu ſomnium acta hæc Mulier, pro Chriſto laboraverit: Diabolusne jam cauſæ ſuæ timens, Chriſtumq; innocentem mori in ſuum malum præſagiens, hac via necem hanc impedire laboravit? an potius DEus per Angelum ſanctum hac etiam viâ Pilatum judicem in bonam ſententiam flectere & in tuenda Chriſti ſat nota innocentiâ tenere voluerit? At conſultiùs efficaciùſq; Dæmon Chriſti mortem impediſſet, ſi Iudæorum corda mitigâſſet: niſi forté incertus quid ageret, utrumq; egerit & eventui rem permiſerit. Pronius tamen eſt ſentire, bono ſpiritu, & de nocte turbatam, & de die ad maritum interceſſione conſilioq; pro Chriſti liberatione uſam, innocentiæ illius dediſſe teſtimonium, & ab iniquâ ſententia maritum revocâſſe.

4. Fæminam hanc (quæ Claudia Procula nomen habuiſſe ſcribitur) non tantùm poſtmodum Chriſtianam, verum & S. Paulo notam nominatamq;, deniq; ſanctam Græci in ſuo Monologio ſcribunt. *2. Timot. 4. 21.*

5. Species ea, gentium plebis eſt, (ait S. Hilarius) quæ jam fidelis, eum, cum quo converſabatur incredulum populũ ad Chriſti fidem advocat. quia ipſa multum ſit paſſa pro Chriſto, in eandem gloriam futuræ ſpei illum invitat. *Hil: can: 33. in Matt: 27. 19.*

6. Auguſtinus ait: In nativitate mũdi uxor ducit virum ad mortem (Eva ſcilicet Adamum) in Paſſione Chriſti uxor provocat ad ſalutem: S. Claudia Pilatum. Ergo hæc felicior quàm Eva & nobilioris operis adminiſtra: ad dandum pro Chriſto tale tempore teſti-
A monium quæ adhiberetur digna judicata, toti Senatui populoq; Iudæorum contradicere auſa, prophetico Spiritu afflata. quin & pati propter Chriſtum jam docta, Chriſtum neci ſubducere ſolicita: juſtum publicè proclamat. *Aug: ſer: 121. de Tempore*

7. Digna ſané & boni ominis res hæc eſt, quod inter tot Chriſti, undiq; hoſtilia oblatrantes, hoſtes: duæ perſonæ gentiles eæq; Principes pro Chriſto laborent, ſententiamq; de innocentiâ ferant. Pilatus enim ait: *Nihil mali fecit.* Claudia uxor ejus: *Nihil tibi & juſto illi.* Eccleſiæ gentium iſta præludebant. Eccleſiæ gentium merita apud Chriſtum adumbrabant. Eccleſiæ gentium erga Chriſtum affectum libabant. Eccleſiæ
B gentium pro Chriſti nomine zelans & pugnax ingenium, indolemq; depingebant.

8. Ardente prorſus animo hanc fuiſſe matronam in Chriſti cauſam apparet, quæ cùm multis exagitata eſſet de nocte modis propter eum: ex eo non animo fracta, nec à Chriſto alienata, ſed potius in patrocinium ejus rapta: dum maximé flagraret ferveretq; æſtus negotii ejus: ſedente pro Tribunali Pilato marito, interpellat judicium, mittit nuntium ſuadet candidam ſententiam, atteſtatur Chriſti innocentiam. toti Phariſæorum, Legis-doctorum Scribarum, Sacerdotum Principum obſtrepit & obſiſtit voto: fert contra omnes il-
C los ſententiam: *Nihil tibi & juſto illi.* Non eſt in Chriſto crimen; non ſit in judice examen, faceſſat peccandi in innocentem diſcrimen. Si audeam hujus Mulieris fidem aſſerere: auderem Latronis confeſſioni in Cruce conferre. Una certè hæc Mulier gentilis, fecit confuſionem in omni populo Iſraël: quando illo, omnia ſcelerum genera; omnia injuriarum tormentorumq; probra in Chriſtum coacervante, hæc ſola reclamare audet & dicit: *Nihil tibi & juſto illi.* Si hic zelus pro Chriſto, non ex Chriſti Spiritu fuit: equidem neſcio unde fuit. aut ſi ex Chriſto fuit: utiq; abſq; ſalvationis effectu ac præmio non fuit. Nam ſi quis ſitienti calicem aquæ frigidæ, nomine Prophetæ offerat, non
D perdet mercedem Prophetæ. Hæc nobilis Romana quæ Chriſto id temporis innocentiæ teſtimonium, abſolutioniſq; ſuffragium (plus utiq; quàm frigidæ poculum)

Digitized by Google

culum) obtulit ac impendit, mercedemné Chriſti & à Chriſto perdidit?

9. Somnians hæc, propter Chriſtum paſſa eſt multa, ut jam tunc per hoc daretur intelligi Eccleſiæ gentium: quòd A propter Chriſtum eſſet multa in omni ætate ſuâ, at potiſſimum in Martyribus ſuis, non per ſomnium, ſed per verum & crudele experimentum perpeſſura. Verè per viſum paſſa eſt Eccleſia: Nam ſatis ſuperq; vidit & ſpectavit, filiorum ſuorum cruentiſſima tormenta; ut jam etiam tunc de ea, Chriſtus dicere potuerit in figura iſta: Ego oſtendam ei quãta oporteat eam (Eccleſiam) pro nomine meo pati.

In Græco eſt per ſomnũ: in Latina per viſũ.

10. Hæc legatio Uxoris ad Pilatum, inexcuſabilem fecit, tum Pilatum, tum Iudaicum populum. ille audiens, ad ſuum de Chriſti bene cognita innocentia ſenſum, accedere etiam uxoris, nocte acceptum per viſionem monitum, prudenter debuerat confirmari ad ferendum pro Chriſto ſuffragium: Iudæi autem interventricem videntes pro Chriſto Pilati ipſius uxorem, ac ſimul nocturno monito compertæ innocentiæ teſtẽ: frangere furorem ſuum debuerant, & ab improbitate ſua diſcedere. Neutrũ horum factum eſt, propterea inexcuſabile utriusq; peccatum factum eſt.

11. Audiverit licet Pilatus ab uxore tum ſuaſionem ſanam, tum ſententiam de innocentia Chriſti cælitus cognitam, ſuæ ſententiæ conſonam: *Nihil tibi & juſto illi.* Nihilominus nec ſe judicio illo expedivit, neq; peccato ſubduxit. Talis eſt conditio plerumq; juſtitiæ, æquitatis, veritatis, melioriſq; cauſæ apud potentes & magnates hujus ſeculi: Eſto norint, eſto nôſſe poſſint æquitati & veritati vim fieri, à ſe ſuisvé adminiſtris obſurdeſcunt tamen & in injuria, oppreſſioneq; perſeverant: nè ſcilicet errâſſe, nè cujus perſuaſioni meliori locum dediſſe videantur. Quo iſtos nomine voces? nisi Pilatos; veritatem quidem & æquitatem ſcientes, contra utramq; tamen decernentes.

PARAGRAPHVS CXXVI.

JESV mortem apud Pilatũ urgent Iudæi, abnegant Regem.

D

PRÆDICTIO.

Exſpectavi ut faceret judicium, & ecce iniquitas: & iuſtitiam, & ecce clamor. Iſa. 5. 7.

STROMATA.

1. SEdens pro Tribunali Pilatus; & de ultima in Chriſtum ſententia, ultimùm deliberans; interq; juſtitiam & metum fluctuans atq; ſecum ipſe luctans, adhuc flectere Iudæos nititur, atq; à furore avertere eorum ipſorum probris. ait ergo: *Ecce Rex veſter Iudæi,* illi verò dederunt contra Chriſtum vocem, & ſuum Regem dici probrum ſuum ſuum interpretati, nec nominare quidem eum dignantes exclamant: *Tolle, tolle, crucifige eum.* Non ceſſat tamen à propoſito Pilatus, & ſeu ſerio ludens, ſeu ludendo ſerius: *Regem veſtrum crucifigam?* B Non metuitis, nè hæc labes veſtro nomini adhæreſcat; quod Rex veſter crucis trabi affixus fuerit? Hic verò Iudæi Romanizantes, hoc eſt Romano Principi adulantes: nè (inquiunt) de noſtro probro ſolicitus ſis: neq; de Rege crucifigendo; *Non habemus Regem, niſi Cæſarem.* Sed ô Iudæi quid de Herode & præſente Rege dicitis: non eſt Rex ille, non veſter ille? non habetis Regem? non habemus (inquiunt) Nam & Herodes ſervus Romanus eſt, gratia Cæſaris regnat, non habemus Regem niſi Cæſarem: proinde iſtum ſuâ licet opinione Regem, tolle tolle, crucifige eum. O Domine nunc eſt tempus vocis illius, quàm Samueli quondam dixiſti: C *Non te abjecerunt, ſed me, nè regnem ſuper eos.*

Vide ſupra par: 101. & 116.

2. Ad ſolatium membrorum ſuorum Dominus caput noſtrum, exſecrationem hanc audire voluit: *Tolle tolle.* Ita olim Paulus audivit eundem populum dantem contra ſe vocem eandem. *Tolle tolle.* Ita Polycarpus inclamante totâ populi multitudine in theatro igni traditus eſt. Ita innumeri Martyres mundo propter nomen Chriſtianum exoſi, veluti oves ad occiſionem, omniſq; generis mortem raptati ſunt; quibus omnibus omnem perſecutionum acerbitatẽ, dulcem faciebant, hæc contra Chriſtum conclamata ſæpius verba: *Tolle tolle: crucifige eum.*

3. Olim ſub Rege Achab clades imminens Iſraëli oſtenſa fuit Prophetæ hoc modo, ut videret populum diſperſum, quasi accepta clade in prælio Regeq; amiſſo: & dixit Dominus: *Non habent*

iſti Paſtorem. Verè ita eſt nunc, amittit infeliciſſimus populus Regem, negans eum, immo necans ante faciem Pilati. Non habent ergo Paſtorem: ſed vulpem Herodem, & lupum Cæſarem Ro- A manum: à quo demum ſub Tito Veſpaſiano, ita ſparſi & lacerati ſunt, ut (quemadmodum Ioſephus ipſe teſtatur) locus crucibus, cruces corporibus Iudæorum deeſſent: totumq; mundum tanquam veri filii Cain, exulibus exilibusq; ſuis complerent.

4. Capita improbiſſima, & ſolius tantùm nequitiæ, furoriſq; recordantia. Quid, ſi vobis Pilatus objiciat hoc, quod ante paucos ſatis dies inclamâſtis: nunc autem in caput veſtrum mentientes, retractatis? Et quis eſt ille populus nuper clamans: *Chriſtus Rex Iſrael: Oſanna filio David. Benedictus, qui venit in Nomine Domini.* Hæc nonnè plenis buccis concrepâſtis nuperrimè? Et cur tunc non B dicebatis, quod nunc reboatis: Non habemus Regem niſi Cæſarem? Item quàm diverſa ſunt: Chriſtus Rex Iſraël &c. Non habemus Regem. Benedictus qui venit in nomine Domini. &: Tolle tolle. Oſanna filio David & crucifige eum! Sed ſcilicet hoc eſt (*Aug. in c. 19. Luc.* Memorabile Divinæ operationis inſigne, ut adversùm ſe teſtimonium extorqueatur, invitis, cùm DEum negant affectibus, quem vocibus confitentur.) Ex quo gravius portabunt judicium: quia inexcuſabiles ſe faciunt diverſum voce & ratione apud eos extorquente, & diverſum perverſæ voluntatis, nequiſſima affectione perſtrepente. O Chriſtiani vos concernit parabola iſta: qui verbis confitemini vos DEum nôſſe, quem ta- C men factis & operibus abnegatis: teſtimonium à vobis adversùm vos extorquetur vel invitis, cùm DEum negatis affectibus & operibus, quem fide confitemini & vocibus.

5. Omnium flagitioſorum ad ſcelus meditatum feſtinantium, hæc vox eſt cordis & operis, contra DEum legemq; ipſius peſſimâ voluntate ſucclamantiū: *Tolle tolle, crucifige.* Reclamat miſera ratio ſæpe; reclamat fides; reclamat conſcientia, lapideo & rigido inſidens in Tribunali, digitumq; in DEum intendens obtrudit peccaturis: *Ecce Rex veſter! Regem veſtrum crucifigetis* improbi? Ecce lex DEi veſtri. Ecce lex Chriſti: Ecce profeſſio veſtra. Ecce fides veſtra: D Quid ad hæc impii & effrenatæ voluntatis, cæcæq; cupiditatis ſervi. Nimirum tolle à memoria DEum, à conſcientia mortum, à mente metum. Crucifigatur. Non habemus Regem DEum, ſed Cæſarem noſtrum affectum, in cujus obſequium jubemus ire, cogimus deſcendere Præſidem & juſta ſuggerentem intellectum. Et ſic quidem filii iniquitatis in ſuam perniciem: utinam verò ſic etiam ſuo modo in ſuam ſalutem, & in Chriſti gloriam filii lucis ambulent & dicant malis affectibus, pravis tentationibus, perverſis cogitationibus. Tolle tolle, crucifige eum. Non habemus Regem affectum. Non habemus Cæſarem cupiditatem, non obſequimur propriæ voluntati, non acquieſcimus propriæ libidini. Tolle, crucifige, non habemus Regem. Beata valde, & optanda ſummè, quærendaq; & tenenda obnixè juſtorum libertas, quibus *non eſt lex poſita, ſed naturaliter*, ſed quaſi connaturaliter, *ea quæ legis ſunt, faciunt.* ita obſequentes, ita duci faciles ad omnem gratiæ nutum, motū & ductum, ut gratia pro natura inoleviſſe videatur. Qui ſinè regula vivunt ad regulam, ſinè Rege reguntur, pondus eorum, amor eorum, quocunq; feruntur amore feruntur, & intra cancellos obſequii Divini, non timore, non ſpe, non præmio, ſed lege gratiæ, ſed charitatis conſvetudine, ſed in naturam verſo rectè & ſanctè vivendi agendiq; uſu cohibentur. Talibus ex vero licet dicere: Non habemus Regem, motivum humanum, aut minùs ad purum excoctum affectum; ſed habemus Cæſarem, Regum Regem, Dominantiumq; Dominum. Talibus licet dicere: Non habemus Regem, niſi Amorem, niſi charitatem, exuratur cælum, extinguatur infernus: nihil hæc ad nos. non habemus Regem niſi charitatem, niſi DEi Amorem, niſi Chriſti pro nobis paſſi amorem: ſit timori, ſit ſpei locus ſuus, ſed tamen nos non timore, non ſpe ſervimus.

6. Non habemus Regem. Vide quomodo degenerent in pejus Filii Iſraël. Olim pertæſi regiminis Divini dicebant Samueli: *Conſtitue nobis Regem.* Nunc dicunt rurſum. Non habemus Regem, niſi Cæſarem. Nolumus hunc regnare ſuper nos: Ergo vel nolentes fatentur impletas eſſe Prophetias, ablatum à ſe Regem & Regnum. Reſtat ut fateamini impletum eſſe, & dictum Domini noſtri ad vos. *Auferetur à vobis Regnum DEi, & dabitur genti facienti fructus ejus.* Ita Simoni Cyrenæo homini gentili, datum eſt. *Crucem Chriſti portare poſt* JESUM. de quo infra.

PARA-

Digitized by Google

PARAGRAPHUS CXXVII.

Matt: 27. 24. *JESUM damnaturus Pilatus manus lavat coram populo.*

PRÆDICTIO.

Ier: 2. 23. *Si laveris te nitro, & multiplicaveris tibi herbam borith maculata es in iniquitate tua coram Domino.*

Ibid: 2. 33. *Quid niteris bonam oſtendere viam tuam, dicens: Abſq; peccato ego ſum & innocens. ecce ego judicio contendam tecum, quia dixiſti: non peccavi.*

STROMATA.

1. VIdens Pilatus, quia multa conatus pro eliberando ſe ab iniquâ IESU condemnatione, ſed magis tumultus fieret, adhuc unum adhibuit medium, quo vel Iudæos à propoſito avocaret, vel ſaltem ſe invitum ad injuſtam ſententiam deſcendere teſtaretur: *acceptâ aqua lavit manus coram populo dicens,* & conteſtans ſe *innocentem à ſanguine juſti hujus.* Teſtimonium eſt hoc pro innocentiâ Chriſti in tali tempore, inq; his circumſtantiis, ab ipſo judice pro Tribunali ſedente, prolatum. Et ſatis eſſe poterat ad eum liberandum dimittendumq; & poterant Iudæi confuſis vultibus, dejectis capitibus, deſperatâ victoriâ, impoſito controverſiæ fine, Chriſto abſoluto & juſto pronuntiato, ire & abire à Tribunali, præſertim cùm præſes totam ſceleris, totam innocentis ſanguinis damnati invidiam, à ſe amoliretur, & in Iudæos devolveret: ſed enim conſummata malitia Iudæorum, id quòd extinguendo furori ſuo erat ab judice apparatum appoſitumq;, in acerbioris odii flammam commutavit: tantoq; exarſit malitioſa furioſitas vehementiùs, quantò reſtingui videbatur diligentiùs. Verùm hunc furorem inferiùs expendemus. Nunc juſtitiam Pilati cum injuſtitia adhuc colluctantem diſpiciamus. Eam enim luctam adhuc in corde Pilati duràſſe oſtendit, tum hæc lotio manuum, tum illa teſtificatio innocentiæ ſuæ à ſanguine Chriſti, tum rejectio totius culpæ in Iudæos per illa verba (*vos videritis*) tum deniq; iſta ſeria conteſtatio juſtitiæ Chriſti: ita ut manifeſtum ſit, nec, dum tunc planè deliberatum decretumq; fuiſſe Pilato damnare Chriſtum, ſed uſum hoc ablutionis ritu, tum cauſâ perſuadendi Iudæis mitius conſilium, tum conteſtandi, ſe invitum devolvi, vimq; inferri, & æquitati cauſæ, & conſcientiæ ſuæ, ab eis, tum demonſtrandi, ſummam injuriam Chriſto fieri, tum deniq; devolvendi crimen totum in Iudæos, à ſe autem illud amovendi. Nihil tamen & ritus iſte, & conteſtatio profuit Pilato, ad excuſandum ſe à peccato Chriſticidii. etſi enim hæc ejus reſiſtentia utcunq; bona fuit, ad extremum tamen mala exſtitit. quia conſtantiam non tenuit, quam tenere debuit. Poterat enim ſeverius aliquid effari & denuntiare tam plebi inſanè furenti, quàm Principibus Iudæorum, hujus totius tragediæ authoribus & incentoribus, quod nec difficile, nec inſolens fuit facere Romanis præſidibus: & ipſi etiàm Pilato. Poterat differre judicium & deliberare: neq; præcipitare ſententiam: dum ſcilicet liqueret cauſa ampliùs: vel potiùs dum conquieſceret, aut etiam conſeneſceret elangveſceretq; furor populi. Poterat & ipſe ut hactenus ex parte fecerat ſuam in tutelam Chriſtum recipere indemnemq; ſervare. Poterat etiam precibus uxoris hoc ſe tribuere interim affirmare. Poterat Chriſto à tot accuſatoribus obruto, ab omnibus autem patronis deſtituto, ipſe authoritate ſuâ defenſorem attribuere: ac per hoc ſpatium plurium etiam dierum cauſæ vitæq; Chriſti largiri. Poterat Cæſaris incuſſum ſibi metum à Iudæis in Iudæos ipſos retorquere, ac dicere; metuere ſe, ne quis vindex injuſtè occiſi damnatiq; Chriſti exiſtat, & ſuum nomen Cæſari deferat, evincatq; à ſe innoxium & utilem Reipublicæ hominem, inauditum, imò & juſtum cognitum, ac inventum, contra jura & leges, ob ſolos furentis plebis clamores, ſinè ulla forma judiciorum ſervata, damnatum ad infame ſupplicium eſſe. Poterat afferre ponereq; legem Tyberii Cæſaris tunc feliciter rerum potientis, jubentem etiam damnati rei necem decimum ad diem differri: quæ lex, ante hoc Chrſti judicium, duodecim annis perlata fuerat à Tiberio. Poterat deniq; poteſtatem illam quam ſe habere nuperrimè Chriſto ipſi objectabat ad dimittendum, ſicut & ad crucifigendum, in actum reducere, & Chriſtum pro po-

teſtate illâ, exigente innocentiâ Chriſti, nec non ſceleſtâ invidiâ populi. utrâq; Pilato notâ dimittere. Ergo nihil profuit Pilato manuum ablutio. *Iudex enim bonus & conſtans* (ait Auguſti- A
Serm: 118. de Temp. nus) *ne ſanguinem innocentis adduceret, nec invidiæ cedere debuit, nec timori.* Eam ob rem præclarè Sanctus Leo, *Non* (ait)
Serm: 8. de Paſs. *purgant contaminatum animum manus lotæ: nec in aſperſis aquâ digitis expiatur, quod ſimulante impiâ mente committitur. Exceſsit quidem culpam Pilati facinus Iudæorum: qui illum nomine Cæſaris territum, & invidioſis vocibus increpatum ad effectum ſui ſceleris impulerunt. Sed nec ipſe evaſit reatum, qui cõperatus ſeditioſis reliquit judicium proprium, & in crimen tranſivit alienum.* Fruſtra itaq; Pilate laviſti manus tuas, fruſtra te innocentem affirmas, quoniam juſte hujus, quem damnas ſanguis, maculat manus tui cordis: facitq; te noxium, imperata mors ejus, quem fateri juſtum.

2. *Lavat Pilatus manus.* Lavamus & B nos *quoties* operibus iniquis obtendimus ſpeciem excuſationis; *quoties* in alios culpam facti rejicimus, cujus ipſi conceſſione, aut diſſimulatione nutritores ſumus: *quoties* vitium verum fucato virtutis nomine coloramus: *quoties* ſpeciem quidem pietatis extrinſecus proponimus, virtutem autem penitus abnegamus; *quoties* vim conſcientiæ, detortâ veritate in pravum, facimus; aut laxitate periculoſi dogmatis eludimus: *quoties* authoritati vel potentium, vel multorum obniti formidantes, ſeu veritatẽ ſeu pietatem, ſeu juſtitiam æquitatemq; cauſæ quæſito qualicunq; colore deſerimus: vel opprimimus. Scriptum
Eccl: 7. 6. eſt autem *Noli quærere fieri judex, niſi va-* C *leas virtute irrumpere iniquitates.* Scriptum
Exod: 23. eſt etiam. *Non ſequaris turbam ad faciendum malum: nec in conſilio plurium acquieſcas, ut à vero devies.* Lavit manus Saul, quando Davidem extinguere manu hoſtium volens, periculoſo Philiſtæorum bello ſpecie dotis expoſuit. *Non ſit,* in-
1. Reg: 18. 17. quiens *manus mea ſuper David*: cadat ſcilicet manibus Philiſtiim: Lavit manus & ipſe David: quando Uriam ſpecie
2. Reg: 11. 8. honoris, ex caſtris advocatum, honoratumq; domum abire juſſit, cibumq; Regium ſequi poſt eum mandavit. Lavit manus Iudas Iſcarioth; quando ad IESUM, oſculaturus, oſculo tamen proditurus, acceſſit: lavit etiã tunc; quan-
Io: 12. 5. do pretioſum ungventum à Magdalenâ D ſuper caput Chriſti effuſum videns, pro unguenti perditione, & pro egenis ſcilicet zelavit: re autem verâ ſuæ furacitati illius unguenti pretium ſubtractum doluit. Lavit manus & illa; quæ à Sa- Prov: 30. 20. lomone deſcribitur poſt patratum ſcelus oſculari manum, & tergere os ſuum ac dicere; *Non ſum operata malum.* Omnis hypocrita, omnis impoſtor, omnis doloſus, omnis bilinguis, omnis duplici corde, omnis incedens fraudulenter, hic eſt qui manus quidem ſuas lavat, ſed Chriſtum damnat: id eſt, cor peccatis maculat, animam ſceleribus fordidat, extrinſecùs tamen ſe immunem à malo demonſtrat.

3. *Lavat manus Pilatus.* Etiam hic Patriarcham pſeudopoliticorum, vel uti ſeſe appellitare volunt, Staticæ Theologiæ, veriùs Atheologiæ & Idolomaniæ cultorum attendite. Lavat manus, bonus ſcilicet ſectæ hujus anteſignanus, innoxias populo oſtendit, puras à ſanguine juſti Chriſti pronuntiat, decretum tamen mortis in Chriſtum eundem profert, cumq; extremo ſupplicio afficit. Ohe Pilate, quâ quæſo id facis conſcientiâ, quâ juſtitiâ? Nempe videndum fuit providendumq; ne quid Reſpublica detrimenti caperet: nequid in Provinciâ turbarum detur: ne populo & principibus in re tantilla, qualis eſt vita homuncionis unius non ſatisfiat. *Pilatus ergo volens ſatisfacere populo: tradidit IE-* Marc: 15. 15.
SUM *voluntati eorum, ut crucifigeretur.* Ita IESUS victima Pſeudopolitiæ factus eſt: ita Poplicolatûs hoſtia cecidit: ita DEus ſtatûs, morte Chriſti DEI-Hominis placatus & ſaginatus eſt. O nunquam Pſeudopolitiam aliter impiã, quam, dũ in DEicidio & Religionis Divinæ cruore manus ſuas laverit, quod Pilatus fecit, hoc facit omnis Pſeudopoliticus: cujus eſt prima pietas, in DEum verum, eſſe audacter, ſed ablutis manibus, impium. Politia enim falſa non eſt, niſi quando DEum, & ejus cultum legemq;, ſtatui, & privato bono ſupponit. Privato inquam bono: nam quod bonum iſti publicum indigitant: mentiuntur. etenim boni publici prima præcipuaq; portio, eſt DEus, & cultus ejus. quid enim poteſt eſſe bonum, & maximè publicum, & publicè bonum, ſi ab eo excluditur DEus, qui eſt utiq; ſummum & omne bonum? Mẽtiuntur ergo iſti Statiſtæ, qui ſe bono publico per DEI contemptum conſulere affirmant. deponant fucum, aut interiora ſua ipſi, plena dolo, tantiſper excutiant; & videbunt, & fatebuntur privatum eſſe, propriumq; commodum, pro quo ſatagunt: illud verò re ipſâ & verâ publicum

Digitized by Google

rũ publicum eſſe bonum, quod tanquã malum, non tantùm avertunt, ſed etiam evertunt. Sicut in præſenti videmus factum: nam Chriſtum vivere, incolumemq; eſſe, bonum commune, commodumq; publicum fuit. Eum autem mori; tantùm ipſorum Phariſæorum invidiæ ſatiandæ, Pilati autem apud Iudæos, vel Cæſarem declinandæ, commodavit: quod non ignoravit Pilatus, qui ſciebat, quòd per invidiam tradidiſſent eum: qui videbat, quod Principes plebem concitarent, in Chriſtum ad necem poſtulandum: qui deteſtabatur nihil ſe invenire cauſæ ad mortem in eo: qui pronunciabat, etiam cùm damnabat, eundem juſtum: his tamen non obſtantibus, magìs timuit inſanientem irritare populum, quàm ſanguinem fundere innoxium. pluris fecit Cæſaris gratiam, quàm officii ſui juſtitiam, uno verbo; ut indulgeret privato, nocuit publico. Nam ſatisfecit furori privato, quod publicum malum eſt in Principe: nocuit publicè, & palàm Innocenti: quod defendere ac prohibere, publicum bonum eſt: & incumbit poteſtatem habenti. Ita ergo, ſi verum fateri velint, apud Statiſtas ſemper exulat publicum, ſemper Divinum bonum: privatum verò quantumlibet os recondat, quantumlibet manus lavet, occupat utriuſq; locum.

4. *Lavat manus Pilatus.* O ſi laviſſet ita, proût dicitur per Prophetam! *Isa: 1.16* *Lavamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum, quieſcite agere perversè: diſcite benè facere: quærite judicium, ſubvenite oppreſſo, judicate pupillo, defendite viduam.* Tunc feliciter manus laviſſes Pilate; ſi, quem innocentem videbas, & pronunciabas, non damnares: ſi à ſanguine hominis, quem toti populo juſtum denarrabas, & à quo te innocentem eſſe velle teſtari ſtudebas; tam pro poteſtatis officio, quàm pro uxoris tuæ teſtimonio, quàm conſcientiæ tuæ judicio, abſtineres.

5 *Lavat manus Pilatus.* Mira certè perverſitas humanæ mentis: JESUM publicè innocentem pronuntiabat, & ſimul tamen reum mortis, cruceq; dignum declarabat. Publicè innocentem inventum, publicè damnat ad Crucem: & lavat manus, & cruentat pectus: abluit aquâ digitos, maculat ſanguine conſcientiam: propinat populo innocentis vitam, quam eripit. O Pilate: non tu oſtenderes, ſed magis faceres, te innocentem: non rejiceres in populum, ſed arceres à populo ſanguinem juſti, dares eâdem operâ & innocenti vitam, & populo innocentiam: tibi verò, & in conſcientia integritatem, & in æquitate conſtantiam. Nunc autem factus es, & Dux ſceleris & ſervus: dum & populo præis ad facinus, & ejuſdem furenti ſævitiæ infandum pabulum adminiſtras.

6. *Lavit manus Pilatus.* Ritu id quidem veteri tam Romanorum, quàm & Hebræorum; erat Hebræis lata lex, ut ſi cadaver hominis occiſi fortè inventum eſſet, & de authore cædis non conſtaret, primores civitatis, in cujus vicinia cædes contigiſſet, vitulam mactarent: manuſq; ſuper eam aquâ lavantes dicerent *Manus noſtræ non effuderunt ſanguinem hunc, neq; oculi viderunt Propitius eſto populo Iſrael, quem redemiſti Domine.* Erat etiam mos Romanis *expiati in luſtrationibus* (verba ſunt Dioniſii Halic: lib: 3.) *quas involuntariæ cædi præſcripſerunt leges.* Cui etiam mori conſonat, alius priſcus judicum mos: quo reum ad necem damnaturi, ut ſe non voluntate, odiove ſuo, in hominem adductos; ſed ejus ipſius criminibus, boniq; publici ſervandi ſtudio, & vi legum adactos capitis in eum ſententiam ferre oſtenderent; manus ad ſolem ſublatas vertebant: ſicq; à ſanguine immunes ſole teſte probabant. Quæ mens etiam Pilati fuiſſe videtur; dum omnem populum teſtem habere voluit, quòd nolens & invitus morem populo gereret, dum Chriſtum damnaret.

Deut: 21. 1. *Deut 27.* *Diō: Halic:* *Clem: Rō: l. 2. Conſt: Apo::c.56.* *Baſi: Ep: 79 apud Mallonium de ſtigm: c. 10 fol: 169.*

7. *Lavit Pilatus manus, antequam Chriſtum damnaret.* Ita vel ad conſceleratam Filii DEi cædem illotis manibus accedendum non fuit. Attendite quæſo Sacerdotes Chriſti: vos qui corpus Dominicum & myſticum tractatis, & verum in ſacrificio incruento mactatis, nec non in Sacramento tam vobis quàm populis ad ſumendũ porrigitis: Proh quàm lotis, quàm mundis, quàm puris manibus ad id muneris opus habetis! Ecce Chriſtus, ne damnari quidem à judice non lotas manus habente ſuſtinuit: quomodo à vobis, impuritate carnis, juxtà & mentis ſordentibus, in tremendis ſacroſanctiſq; altaribus ac myſteriis immolari, manducari, & tractari ſuſtinebit? O quo non auro puriorem linguam, quo non cryſtallo nitidiorem mentem, quâ non nive mundiorem manum, quâ non gemmâ pretioſiorem animam eſſe oportet, ad illa, Cherubinis, Seraphiniſq; tremenda & in-

Naziāz. in Apologetico.

acceſſa miniſteria ſimul ac myſteria acceſſuram? Nazianzenus, quemlibet ad Diviniſſima hæc Sacrificia Sacramentaq; acceſſurum, eâ vult totius hominis puritate Sanctimoniâq; nitere, ut ejus oculus, ità res omnes aſſueverit intueri, ut inde animus ad earum creatoris laudem & admirationem traducatur: Aures Divinis ſolùm præceptis ac monitis pateant: Os, labia, lingua eo modo ſint compoſita, ut è cœlis duntaxat Spiritum ſalutarem ac vitalem hauriant; occluſa quoq; ac decenter aperta ſoli præfixo ſibi muneri deſerviant: Lingua verò, quasi plectrum Spiritus Sancti, concentum harmoniamq; ad unius DEi gloriam efficiat: Pedes more cervorum comparati firmentur in petrâ; neq; aliud iter nôrint, nisi gratum DEo, & ipſius conſentaneum voluntati. Omnia demum corporis membra, facta ſint membra juſtitiæ, & quasi exutâ mortalitate abſorbeantur à vita. Damaſcenus verò, talem eſſe vult omnem tam Sacrificii quàm Sacramenti altaris participem, & maximè miniſtrum *Ardenti cupiditate ad eum adeamus, manibuſq; in Crucis formam compoſitis, crucifixi Corpus ſuſcipiamus, atq; & oculis, & labiis, & frontibus compoſitis Divini carbonis participes efficiamur: ut ignis deſiderii in nobis inſiti, aſſumptâ eâ, quæ ex carbone oritur inflammatione, peccata noſtra exurat, ac pectora noſtra colluſtret: demuſq; operam, ut per Divini ignis participationem inardeſcamus, Diiq; efficiamur.* Et Damaſcenus quidem ſic: brevius autem, ſed pariter ignitè ac Divinè monet Bonaventura dicens. *Cùm fuerit totus alteratus & Divinus effectus, ità ut nihil videat nisi DEum, tunc accedat.* Ergo vel à Pilato diſcamus, abluciſſimis manibus, hoc eſt puriſſimis mentibus, ad IESUM Criſtum immolandum, æternoq; Patri, pro mundi neceſſitatibus, gratiſſimam hoſtiam offerendum, accedere. Pilatus illotis manibus decretum mortis in Chriſtum proferre noluit: nos impuriſſimis manibus juxta, mentibuſq;, in tantâ licet fidei luce, eundem Chriſtum DEi Filium, Patri ſuper altare immolamus. Et quid querar, leviora quidem, magna tamen emortuæ, & cadaver redolentis noſtræ fidei argumenta: quòd nobis quidem niteant Palatia, ſordeant autem altaria: quòd menſæ noſtræ argento graventur, & primo natent vino, Templi autem calices centenario ſordeſcant pulvere: & vinum illud, quod conficiendo ſanguini Chriſti apparatur, vix ad fœces vini accedat: certè ejuſmodi, quod erudita noſtra gula, à menſis longiſſimè ſubmoveat. Sed hæc quia deflere magis, quam emendare licet, miſſa faciamus.

Damaſc: 4. fidei c. 14.

8. *Lavit manus Pilatus*. Id quidem exiſtimo ſanctiùs & ſinceriùs in Spiritu factum, ab Æterno Chriſti IESU Patre: qui Chriſtum Unigenitum conſubſtantialemq; ſibi Filium, non ad furentis invidiâq; inſanientis populi Iudaici clamores: ſed ad totius humani generis, in extrema, omniaq; malorum genera irremediabiliter prolapſi miſerabiles vociferationes; tanquam magnus medicus, magnum nactus infirmum, magnum quoq; appoſiturus medicamentū: lotis manibus ſuis, in aquâ miſerationes ſimul ac juſtitiæ, *propter nimiam charitatem ſuam, quâ dilexit nos, tradidit in mortem*, pro peccatis totius mundi. Et innocens quidem eſt revera, Pater ille miſericordiarum, à ſanguine Iuſti hujus Filii ſui: verùmtamen ô mortales, vos videritis: ut ſanguis ejus, ſit ſuper vos, & ſuper filios veſtros, ad redemptionem & ſalutem: non autem ad damnationem & mortem: alioqui *terra Sodomorum in die judicii remiſſius erit, quàm vobis.*

ad Eph: 5. v. 2. — Matt: 11. 24.

9. *Chriſtus iturus ad mortem lavit pedes diſcipulorum*, Pilatus condemnaturus Chriſtum, lavit manus ſuas coram populo. Multùm intereſt inter hypocriſim & virtutem. Viliores, humiliores, ſordidiores ſunt pedes alieni, quàm manus propriæ: illos ergo abluere difficiliùs, laborioſiùs, abjectiùs, ſolidiorisq; virtutis eſt, & omnis ſolida virtus, internâq; operatio laborem comitem habet, ſimul & conſtantiam, & veritatem; at verò ſimulare ſpeciem virtutis, & eam ad tempus propter oculos alienos aſſumere, ſicut nullius laboris, ita & nullius valoris eſt.

10. *Lavit manus Pilatus*. O communem virtutum & conſiliorum bonorum mollitiem, teporem, ac timiditatem! Quando maximè impii fervent & furunt contra cauſam Chriſti, & virtutis, & æquitatis, tunc juſtiores languent, metuunt, cunctantur, pro Chriſto, & virtute, & æquitate. Pro eo, quòd ſe murum opponere debebant pro domo DEi, quòd debebant irrumpere in iniquitatem: illi mollia tractant, illi manus lavant, illi condeſcendendum malis temporibus fabulantur. O verè mala ſunt iſta tempora: quando iniquitati licet etiam furere: virtuti autem, & cauſæ meliori, non eſt animus, ut audeat, non dico fremere, ſed

Eccl: 13. 5. — Eccl: 7. 6.

re, ſed vel mutire. Verè mala tẽpora, in quibus mala cauſa triumphat, & malitia vincit ſapientiam, & in domo virtutis, ac æquitatis ſtabulatur nequitia cum iniquitate, & in Regno Catholico paucorum A prævalet hæreſis, nobis interim manus lavantibus: & nec unum pedem in reſiſtendo obfirmantibus. Virtus, ſi virtus eſt, mala tempora ea non cenſet, in quibus maſculi robuſtiq; ſui pectoris indolem exercere poteſt. Exſpectet nequitia pro ſe meliora tempora: zelus DEi, & amor juſtitiæ, defendat ſua jura, utaturq́; ſuis temporibus. Impugnatio cauſæ bonæ, optimum eſt tempus defenſandæ cauſæ bonæ. Nam quando tandem tempus erit propugnandæ virtutis, ſi non eſt tempus oppugnandæ illius? Cùm non oppugnatur virtus, non indiget etiam propugnatione. Tunc & lavare & recondere licet manus. At dum hoſtis oppugnat æquitatem, juſtitiam, innocentiam, virtutem, Religionem, non eſt virtutis, & juſtitiæ, & Religionis proditor is, qui mala cauſat tempora, qui cauſam æquitatis deſerit, B qui lentas, timidas, proditoriaſq; manus, putidis excuſationum aquis abluit?

11. Solemnè eſt impiis, ut peccata commiſſuri, ea parva judicent, & facili negotio, leviſſimoq; piaculo, abolenda, adeo ut vix labore manuum aquâ lavandarum opus fore credant; artificio diaboli idipſum agente; ut peccata admittenda minora ſemper, quàm ſunt, eſſe perſuadeat. Sed ô infelix ſtultitia, judicem attende DEum, qui æternas præparavit flammas, ulciſcendis ſceleribus. Quantum peccatum ſuum primi Parentes C credidêre, cùm de ligno vetito guſtare deliberabant? & tamen nullis ſatìs vel hactenus diluviis ablui poteſt.

12. Potentum hujus ſæculi proprium eſt: ut iniquitates ſuas, tanti vix faciant, quanti maculas fortuitas manuum ſuarum, quæ aquis ad abluendum vix opus habeant: at ô miſeri nunquam audiſtis, quia *Potentes potenter tormenta patientur.* (Sap. 6. 7.) & meritò potenter patientur, quia cùm ſint tam potentes ad peccandum, ut vix ullum peccatum reputent ſibi difficile & grave, juſtè etiam pœnas ſcelerum nullas reputare debent ſibi graves.

PARAGRAPHVS CXXVIII.

Matt. 27. 24.

JESV ſanguinem accipiunt Iudæi ſuper ſe & ſuper poſteros ſuos.

PRÆDICTIO.

Captabunt in animam juſti & ſanguinem innocentem condemnabunt. Pſalm. 93.

STROMATA.

1. Quia hoc unicum deſiderari videbatur ad decretũ contra Chriſtum obtinendum à Pilato, ut crimen ſuppliciumq́; mortis ejus, damnationiſq; injuſtæ in Pilato non reſideret, ſed in populum mortis ejus ſitientem, redundaret: acceptat amentiſſimus furore populus optionẽ conditionemq́, iſtam: & reſpondens univerſus populus dixit Pilato. *Sanguis ejus ſuper nos & ſuper filios noſtros.* Siquidem hoc unum moratur damnationem inviſi capitis, ut cædes ejus penes nos ſit: acceptamus conditionem: atq; ut tam culpa, quàm pœna ſanguinis, IESU à te ô præſes condemnandi, penes nos, peneſq; noſtros poſteros omnes reſideat, nobiſq; per omnes ætates ſecuturas luenda incumbat, volumus. Hac infelici voce, hac plus quàm diabolica rabie, miſerabiles Iudæi, hoc tandem aqud DEum effecerunt, ut ſecundùm Danielis prædictionem (Dan. 9. v. 27.) adveniret eis ex tunc, inchoata & necdum finita, ſed neq; ad mundi finem finienda conſummatio, perſeveretq; in finem *ſtatuta deſolatio*: cujus perſeverantiæ ampliùs quàm mille ſexcentos annos numeramus: quibus infelix iſta progenies, ſine Regno, ſine Rege, ſine templo, ſine ſacrificiis, ſine Sacerdotio, ſine urbe, ſine Regione, ſine ſedibus, ſine Republicâ propriâ, ſuper univerſam terram, profuga, & vaga, habens in ſe ſignum Caim, odium ſcilicet & contemptum nationum omnium, infra conditionem ſervilem dejectior, omnibus non tantùm principibus, ſed penè dixerim hominibus ſeruit: perſeverante in eâ, & perſequente illos ubiq; ſanguine Domini noſtri IESU Chriſti. Quæ ſola unaq; plus quàm evidentiſsima ratio convincere illam ſufficeret, atq; ad deponendam aliquandò D tandem obſtinatam perfidiam, & ad Chriſti Domini, tanquam veri & in lege Patribus ejus ipſiq; promiſſi Meſſiæ fidem adducere.

Digitized by Google

ventus à facie terræ. Lapis lydius explorator eſt Crux Chriſti: virtutem veram à fucatâ internoſcit. Induerat David aliquando Saulis arma: ſed cùm pertentaret, invenit ſe non poſſe ſic incedere, multoq; minùs contra Goliam ad pugnam prodire: ergo ad baculum, & fundam, & lapillos ſuos reverſus, triumphavit ex hoſte: ita propriis veſtibus indutus vicit: qui alienis armatus nè incedere quidem potuit. Ad crucem ergo, qui amplectendam & ferendam venit, virtutibus propriis, & intus, & in animo ſuo fundatis egregiè indutus ſit: tunicâ quidem inconſutili charitatis, ſciſſuram nullam cum DEo, nullam cum proximo habentis. deinde aliâ tunicâ jam diviſionem quadripartitam patiente, hoc eſt virtutum quatuor cardinalium ornatum in ſe complectente.

PARAGRAPHVS CXXXI.

JESV ad Crucem damnati & ducendi mortis ſententia publicatur.

STROMATA

1. DAmnato tandem, per Præſidis Pilati ſententiam, Chriſto: cùm ſe præ gaudio Iudæi, ac præſertim primores non caperent: moras nullas nectentes, ne fortè aut pœnitudo Pilatum ſubiret, aut quid interceſſionis pro Chriſto interveniret; aut Chriſtus aliquâ arte ſeſe ſupplicio imminenti eximeret, aut certè ante crucis mortem, præ debilitate fractarum, exhauſtarumq; virium, exſpiraret, dum feſtinant, & ad feſtinandum milites perurgent, dum veſtitur veſtimentis ſuis Dominus, dum Crux aptatur, afferturq;, dum foràs ex prætorio producitur vinctus, dum cætera apparantur neceſſaria crucifixioni, dum comitatus & præſidium cogitur, quod uſq; ſupplicii locum deducat reum, affectoq; ſecuritatis causâ aſſiſtat: hæc inquam dum properãtur agunturq;, interea ſententia mortis prout à Pilato concepta fuerat, per plura fortè celebriora urbis loca & fora, ſed inprimis ante prætorium, præſente & audiente Chriſto, adſtante confertiſſimâ multitudine, adgaudentibus furori ſuo primoribus Principibusq; Iudæorum, non abſq; maximâ Domini innocentiſſimi infamiâ, injuriâ, contumeliâ, confuſione: altâ præconis voce pronuntiata, & omnium auribus notitiæq; infuſa eſt. Dubium nullum eſt fuiſſe hanc rem Domino ſicut probroſiſſimam, ita & doloroſiſſimam, longè certè magìs quàm cùm nuper, ex eminentiore loco iiſdem Iudæis, flagellatus, & ſpinis coronatus, atq; variè illuſus à Pilato fuerat præſentatus, & illâ voce: *Ecce Homo*, declaratus. (Ioan: 19. 4.) Tunc enim adhuc Chriſtus damnatus non fuerat, tunc adhuc Pilatum faventem cauſæ ſuæ habebat; tunc adhuc Iudæi de cauſæ eventu metuebant: tunc adhuc Pilatus pro Chriſto liberando, proq; populo ad miſerationem flectendo, pro innocentiâ Chriſti demõſtrandâ, deniq; pro evincendo, quòd jam ſatis pœnarum luiſſet, ſi quas meruiſſet, laborabat. Erat proinde aliquantula in ſpeciem ſaltem, Chriſto, & ejus amicis, ac notis conſolatio & ſpes reſidua: at nunc ita in ſpectaculum datus, ita jam damnatus, jam denuntiatus, jam manibus carnificum traditus, jam ſuum ipſe ſupplicium tenens manibus, aut geſtans humeris, jam ad omnium notitiam tanquam reus, & convictus ſcelerũ, delatus, cùm omnium ob oculos ſtaret, cùm omnium oculis, digitis, vocibus, conviciis, exprobrationibus plurimorum configeretur, confunderetur, lancinareturq;, cùm deniq; omnis ſpes abeſſet, omniaq; deſperata eſſent: quantus neceſſario generoſiſſimam illam Domini noſtri indolem dolor & pudor occupabat! quanta confuſio faciem illam admirabiliter amabilem ſimulq; ſummè miſerabilem operiebat! hoc equidem in hominis nullius, præterquam in Chriſti ſolius cor animumq; arbitror aſcendere poſſe. Formulas porro decreti illius iniquiſſimi à variis varias afferri invenio: quarum complures, cùm Daniel Mallonius repræſentet, eas ab eodem depromptas lectori propono: eo maximè conſilio ut pateat, quid Dominus noſter IESUS pro nobis injuriarum probrorumq; ſufferre dignatus ſit. Omnibus autem decreti formulis, à Mallonio relatis propono quoad recenſendi ordinem formulam, quæ maximè Hieremiæ Drexelio probatur, & eſt hujuſmodi. (Drexelio Chr: mor: c. 5. §. 1.)

1. IESUM Naſſaræum Regem Iudæorum crucifigi jubeo (Cur hanc formam potiſſimùm ille probet, dat rationem)

onem) Nam titulus crucis præferri ſolitus, cùm rei ducerentur, è ſententiâ damnationis deſcribebatur. atqui iſta, & ille, hic exactè conveniunt) Iam ſententiæ quas Mallonius recenſet ſunt hæ.

Daniel: Mall: ad c. 10. Paleoti de ſyndone.

2. Gens tua comprobavit te Regem: propterea præcipio te primùm flagellari, ſecundùm principum ſtatuta: deinde in Cruce levari.

3. IESUM Nazarænum, qui contra decretum Imperatoris, Filium DEI & Regem ſe nominavit Iudæorum, juſſimus extra civitatem duci & cruci affigi.

4. IESUM ſeducentem populum, blaſphemantem DEum, dicentem ſe Chriſtum Regem Iudæorum, eſſe cruci affigendum condemno & adjudico.

5. IESUM Nazarænum ſubverſorem gentis, contemptorem Cæſaris, & falſum Meſſiam, (ut Majorum ſuæ gentis teſtimonio probatum eſt,) ducite ad cõmunis ſupplicii locum, & cum ludibrio Regiæ Majeſtatis in medio duorum latronum cruci affigite; I, lictor, expedi cruces.

6. IESU Nazaræne gens tua te accuſavit, quod volueris ſuper uſurpare Regnum Iudæorum in injuriam Imperatoris Romani: propter quod præcipio te flagellari primùm, ſecundùm principum noſtrorum ſtatuta, deinde in cruce levari, & ibi mori.

7. IESU Chriſte, gens tua & pontifices tui tradiderunt te mihi, dicentes quòd volueris uſurpare Regnum Iudæorum, cùm non habeant Regem niſì Cæſarem. Et quia contra decretum Imperatorum Romanorum egiſti; ideò judico te ad ſubeundam mortem in patibulo crucis hodie in monte Calvariæ: ſimiliter adjudico morti tecum duos latrones Diſmam & Giſmam. Diſmam ad dexteram, Giſmam ad ſiniſtram, te autem in medio.

8. Nos Pontius Pilatus Sacri Romani Imperii Præſes, adjudicamus Chriſtum reum mortis, eò quòd voluerit Regnum Iudæorum uſurpare, ut multipliciter comprobatum eſt, teſtimonio Pontificum majorum civitatis Hieruſalem. Et quia contra decretum Principum feciſti, volens te facere Regem, propterea judico te & ſentio, primo elevari in Cruce, extra civitatem Hieruſalem, in loco qui dicitur Golgotha, id eſt, Calvariæ, donec completè moriaris. per quàm mortem Reſpublica Iudæorum ſalva fiet. Similiter tecum pariter, duos latrones crucifigi conjunctos in ſceleribus ſuis, qui ſunt Diſmas & Giſmas à dextris & à ſiniſtris, tu verò tanquàm Rex in medio ipſorum in cruce reſidens. Lata eſt ſententia in Hieroſolymis in loco, qui dicitur Lithoſtrotos A Paraſceve Paſchæ horâ quaſi ſextâ.

9. IESUM Nazarænum abjudico vitæ, adjudico morti. Has formulas recenſet Mallonius, de quibus quid ſentiat apud eum videri poteſt. Ego meum hic judicium non interpono. Affero unam aliam formulam præterea, quam, ex neſcio quo Sempronio recenſet Bar nabas Kæaneus.

Barnabas Kaa'n:in Heliotropio c. 59. n. 5.

10. Nos Pilatus, & DEorum immortalium voluntate: & Romanorum Principum ac Senatus authoritate Præſes Iudæorum Provinciæ conſtituti, cupientes provinciam fidei noſtræ creditam malis vocare hominibus: quemadmodum & gravis Præſidis intereſt, omni vi, omniq; induſtriâ Romano imperio propagando, & paci perpetuæ ſer- B vandæ conſulere geſtimus. Verùm quia in præſentiarum IESUM Nazarænum hominem ſeditioſum atq; ſeductorem populi invenimus, qui uſq adeò in ſuâ temeritate confiſus eſt, ut non ſit veritus contra fas legesq; imperiales, Regnum ſibi aſciſcere Iudæorum; eundem tanquam hominem factioſum, & bonorum vitæ ac pacis moribus inſidiantem, ultimis ſuppliciis deputamus: ne vel ipſe audeat tale aliquid poſthac & cæteri ſint ad invadenda imperia tardiores. Sed quia turpiſſimè degentes turpiſſimo ſunt afficiendi ſupplicio, nefarium hunc hominem, quaſi latronum, & factioſorum Principem crucis patibulo addicimus. C Romanorum verò atq; Divi Cæſaris Imperium precamur; maneat ſemper & DEorum immortalium pietate & bonorum Principum æquitate ſervatum.

11. Concludit deinde Barnabas devotiſſimè ut ſolet hunc in modum. O ſententia poſt hominum memoriam impia, impudens, rigida? O inſenſate Iudex quis perſtrinxit tibi oculos, ut à verâ juſtitiæ regula ad iniquitatem flecteres? bene aliquando cucurriſti, ſed ambitio mentis oculos occæcavit, ut Chriſti innocentiæ, quam toties ante deprædicaſti, obliviſcaris. Quid feciſti dulciſſime JESU ut ſic judicareris? quid commiſiſti innocens Agne DEi, ut tam viliter tractareris? quod ſcelus tu- D um? quæ noxa tua? quæ cauſa mortis? quæ occaſio damnationis? ego ſum tuî cauſâ doloris, tuæ culpa occiſionis, ego tuæ paſſionis livor, tui cruciatûs labor,

tuæ vitæ

tuæ vitæ meritum, tuæ vindictæ flagitiúm, hanc mea ſcelera merentur ſententiam, in te innocentiſſime DEi Fili ab iniquo judice fulminatam Hæc. ille.

PARAGRAPHVS CXXXII.

Ioan:19.17. *JESVS bajulat ſibi Crucem.*

FIGVRÆ.

Gen: 28. 1. & 32. 10. *Iacob Patriarcha in baculo tranſivit Iordanem juſſu Parentum ſponſam quæſiturus.*

Gen: 22. 6. *Isàác immolandus portat ligna ſacrificii ſuper ſe in montem.*

1. Reg: 17. 40. *David in ſundà & baculo paſtorali & quinq; lapidibus vadit contra Golïam.*

B

Exod: 4. 2. *Moyſes virgam manu tenens deſcendit in Ægyptum, educit populum, mare dividit, Ægyptios obruit.*

Iudic:9.48. *Abimelech expugnaturus Sichimitas arrepto arboris ramo, ait ad milites: Quod me videt is facere, facite.*

PROPHETIÆ.

Pſal: 95. 10 *Dominus regnavit à ligno*

Iſaiæ 9. 6. *Factus eſt Principatus ejus ſuper humerum ejus.*

Item c. 22. 22. *Dabo clavem David ſuper humerum ejus, ipſe claudet, & nemo aperiet.*

Item 53. 6. *Poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrûm.*

STROMATA

C

1. COmparatis omnibus quæ erant ſupplicio neceſſaria, compoſito utcunq; per centuriones agmine, paratis tribus vinctis ſupplicio afficiendis; quorum Princeps JESUS noſter, concurrente maximâ undiq; multitudine. Movet ſe tandem loco lugubris ac planè funebris pompa. Omnium oculos advertit in ſe IESUS bajulans ſibi crucem: verè ait Auguſtinus. Grande ſpectaculum, ſed ſi ſpectet impietas grande ludibrium: ſi pietas grande myſterium. Si ſpectet impietas grande ignominiæ documentum, ſi pietas, grande fidei monimentum. Si ſpectet impietas, ridet Regem pro virgâ Regni, lignum ſui portare ſupplicii. Si pietas, videt Regem bajulantem lignum, ad ſemetipſum figendum, quòd fixurus etiam erat in frontibus Regum, In eo ſpernendus oculis impiorum, in quo erant gloriatura corda Sanctorum, ſecundùm illud. Mihi autem abſit gloriari, niſi in Cruce Domini noſtri IESU Chriſti. Quibus ex Auguſtini verbis condiſcimus, tum quibus oculis Iudaica impietas ſpectaverit; tum quibus Chriſtiana devotio ſpectare debeat Chriſtum bajulantem ſibi Crucem.

Auguſt: in Ioan: Tract:117.

D

Gal: 6. 14.

A

2. Non erat quidem novum ut crucifigendi portarent crucem ſuam ſivè furcam. (nam crux, furca, patibulum, infame vel infelix lignum, arbor infelix idem ſonant) ob quam rem etiam furciferi appellabantur. Hoc tamen non fecit, quò minùs ea crucis bajulatio eſſet Domino valde probroſa, adinventaq; ad exaggerationem malorum, quin & dolorum ejus; ut hoc etiam cognomen convitiis contumeliiſq; Chriſti non deeſſet, quo furcifer eo patibularius diceretur, ac eſſet. Ea erat Chriſti Domini tunc temporis debilitas, ex tot ſuperioribus moleſtiis contracta, ea virium exhauſtio, eæ vulnerationes membrorum, contuſioneſq; ut meritò hoſtes ejus potuerint debuerintq; eum à bajulatione crucis (quod & poſtea fecerunt, metu, ne ante tempus deficeret) liberare: verùm hoc eis tum crudelitas ipſorum non permiſit, tum Iudæorum inſolentia imperavit: tum etiam ardentiſſima nec unquam expleta Chriſti ad patiendum amplius ampliuſq; pro nobis fames côëgit, tum deniq; mandavit ſpecialis Chriſti erga Crucem amor, quem deinceps omnes veri imitatores ſui ex cruce ſuâ ſugerent atq; haurirent: quo & ipſi totis medullis cordium in amorem crucis ſemper inſatiabiliterq; ferrentur: qualis fuit Petrus, Andreas, Paulus, omneſq; Apoſtoli ac omnes omnino Martyres & electi DEi, quorum fuit, eſt, erit ſemper ambitioſiſſimus amor ergà crucem Chriſti, adeò, ut iſta ſint omnino inſeparabilia, eſſe de numero piorum, de numero imitatorum Chriſti, & eſſe de numero amatorum crucis, nec ſit verè ac plenè Chriſtianus qui non ſit crucis amator, geſtator, guſtator, ſtudioſus, ac famelicus.

3. *Bajulat Crucem JESUS.* Nunc verè dicetur ad omnes quotquot præordinati ſunt ad vitam. Qui vult venire poſt me abneget ſemetipſum & tollat crucem ſuam quotidie, & ſequatur me, hoc clamat Chriſtus, & verbo, ſed longè magis facto, & in ſemetipſo oſtendit, quid ſit illud, quod exigit ab omnibus ſuis. Lucæ 9. 23.

Abneget ſemetipſum. Verè enim Chriſtus, ut in totâ Paſſione, ita & in hac crucis bajulatione abnegavit totum ſe ipſum. Quidquid enim nunc apparet in ſpecie Chriſti: horum nihil eſt Chriſtus, & quidquid verè eſt Chriſtus, horum nihil nunc apparet in tali ſpecie Chriſti. Erat Chriſtus DEus, & apparet inimicus & blaſphemus in DEum, erat Homo. & non eſt ei ſpecies neq; decor. Erat innocens & apparet reus, convictus, damnatus. erat ſapiens & apparet ſtultus. erat omnipotens & apparet infirmus, captivus, vinctus. erat amabilis & amor ipſe, & apparet omnium odium, & peripſema. erat liberrimus & offerebatur, quia ipſe volebat, & apparet coâctus, convictus, meritus, damnatus ad crucem eſſe, eamq; portare. erat totus gloria, totus dignitas, totus honor, totus majeſtas, & apparebat vir dolorum
Pſ: 21. 7. ſciens infirmitatem, vermis & non homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis. Hoc eſt ô Chriſtiani, hoc eſt ô imitatores amatoreſq; IESU Chriſti: hoc inquam eſt abnegare ſemet ipſum, & tollere crucem ſuam. Hæc enim eſt: & in hoc uno poſita eſt crux ſua, quæ præcipitur portanda poſt Dominum: hac ratione abnegare ſemet ipſum, ut quis aliud ſit per omnia, & aliud videatur, prædiceturq; per ora omnium, & per fora omnia.

4. *Bajulat Crucem JESUS.* Ergo jam vexilla Regis prodeunt, fulget crucis myſterium: quid agant Chriſti milites aliud, niſi ut convolent ad vexillum, coëant ad Imperatorem, reſpondeant vocati ad arma, ad prœlia, ad congreſſus cum hoſte. Crux eſt in manibus IESU, nemo illam formidet, quod in eâ ſeverum fuit, à Chriſto exhauſtum eſt, & in crucis inimicos totum effuſum vel converſum, quod autem remanſit in cruce totum eſt dulcedo, totum honor, totum utilitas, totum robur, totum pietas, totum ſalus, totum vita, totum beatitudo. Crux enim ſicut in Iudæorum erat mente crudelis (ait S. Leo Serm: 11. de Paſſi:) ita eſt in crucifixi virtute mirabilis. Antequam tetigit hoc lignum JESUS, Crux, fuit crux, mors, probrum, ſtultitia, maledictum, ſed ab hac ollâ mortem expulit Eliſæus noſter, farinulâ ſuâ, dulcoravit crucem contactu corporis ſui, bajulatione ſuâ. Eam ob rem commodè dicit Evang: Ioan: bajulâſſe crucem ſibi. Nam nobis non crucem bajulavit, ſed ſalutem. Bonus Dominus, ita partitus eſt: ut crucem, dolorem, ignominiam, bajularet ſibi, ſalutem, pretium, gloriam, redemptionem nobis.

5. *Bajulat crucem JESUS.* Quouſq; ergo vos molles & delicati concupiſcetis, & portabitis mollitiem veſtrã & delicias. Hoc agere non eſt Chriſtianum eſſe, ſed Antichriſtianum, hoc agere eſt Chriſto contradicere, eſt Chriſto contrarium eſſe, eſt Chriſtum oppugnare. Dictum ab illo recolite. Qui non eſt mecum contra me eſt, qui non eſt mecum ad Crucem, contra me eſt, qui oppugnat crucem, odit crucem, fugit crucem, ſectatur mollitiem, amat delicias, ambit honores. Non habet Spiritum Chriſti, & ideò non eſt Chriſti, neq; ex ovibus Chriſti. Habet potiùs in ſe ſignum Antichriſti, quod eſt eſſe inimicum crucis Chriſti, quod qui faciunt, Philip: 3.
horum finis interitus, & gloria in confu- 19.
ſione ipſorum.

6. *Bajulat crucem JESUS.* Haud dubiè inclamans militibus ſui ſequacibus, illud quod Abimelech inclamavit ſuis, cum accepto arboris ramo præivit exer- Iudic: 9.
citui ſuo ad certamen, dicens: *quod me* 48.
videtis facere, citò facite. Et revera fami- Matt. 16.
liariſſima hæc fuit Chriſti adhortatio 24.
ad ſuos. *Tollat crucem ſuam. Qui non ba-* Lucæ 14.
julat crucem ſuam & non ſequitur me, non eſt 27.
me dignus. Tollite jugum meum ſuper vos. Matt: 11.
Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego 29.
feci, & vos ſimiliter faciatis. Ioan: 13.
15.

7. Noë Patriarcha comportat contemptibile lignum, ad ædificationem Arcæ, per quod ſalvæ fiant non tantùm Sap: 10.
paucæ animæ, ſed omnino mundus u- 4.
niverſus, porteturq; in hoc ſui diluvio, 1. Petr: 3.
ne exundantibus peccatorum aquis o- 20.
bruatur.

8. *Bajulat Crucem JESUS.* Vide ſis homo, ne fortè illam, ad te, nè apud te conſtituturus portet? Nihil te beatiùs, ſi ita fecerit? Sed non faciet niſi tu admiſeris, totoq; animi affectu eam exceperis collocaveriſq; in medio cordis tanquam *lignum vera vita in medio Paradyſi,* ex quo non tantùm in ſingulos menſes, Apoc: 2.
ſed etiam in ſingulas horas & momen- 7. & 22.
ta, imò quoties voles fructus vitales 2.
gratiæ & charitatis, virtutis & fervoris, profectûs, & perſeverantiæ decerpere poteris. E contra: ſi aut ille te cum hoc tam ſalutari onere præterierit, aut tu per ſtultitiam, mollitiemvè animi repuleris illud, multũ tibi ad maledictionẽ addi poterit. quoniam quiſquis expers crucis Chriſti eſt, quiſquis non habet Ezech: 9.
ſalutare ſignum Thau, hunc neceſſe eſt 4. & 6.
deleri de

Digitized by Google

deleri de libro vitæ, & deleri de populo DEi. Ergo ultro occurre Chriſto crucem portanti, ultro te offer ad eam recipiendam & in medio cordis collocandam. Vix quidquam obſequii gratius Chriſto poteſt in hac vita præſtari, quàm quòd cruce onuſtus recipiatur, & detur ei locus: ſicut nihil Chriſto tam ingratum, & ad bilem juſtam ciendam idoneum, quàm Chriſti crucem cum Chriſto reſpuere, atq; à ſe excludere. Excludit, qui murmurat, qui puſillanimis efficitur, in dolore, in humiliatione, in contemptu, in defectu, in adverſitate, in neceſſitate, in tentatione, in admonitione, in correptione. Qui in iſtis talibus benedicit & gratias agit, iſte Chriſtum cum cruce ſuſcepit, & ſuſceptum condignè tractavit: optimam partem elegit & obtinuit, quæ non auferetur ab eo, in hac vita. Vix enim fieri poteſt ut quis excidat à Chriſti gratiâ, cui crux Chriſti eſt benedictionis materia. *Lucæ 10. 42.*

9. *Bajulat Crucem JESUS.* Non quam ipſe meruerat, nullam enim meruit. Etenim *peccatum non fecit,* & nemo poteſt illum *arguere de peccato proprio,* ſed quàm nos nobis ſtruximus & fiximus & cujus omnes furciferi futuri eramus: quam Pater cœleſtis noſtri miſertus impoſuit, & ferendam dedit unigenito ſuo, ponens in eo iniquitates omnium noſtrûm, & propter noſtra ſcelera percutiens, & in infirmitate noſtra conterens eum. O quantis crucibus abundâſſet mundus, niſi hanc ferendo ſuam, aut potiùs noſtram pleraſq; extirpâſſet, omnes dulcorâſſet bajulatione ſuâ Chriſtus. *1. Petr. 2. 22.* *Joan. 8. 46.*

10. Ante quinq; dies Hieroſolyma hæc eadem ramos olivarum cedendo de arboribus Chriſto ſternebat in via: hodie horridam crucis trabem manibus & humeris Chriſti imponit: iſta ſcilicet eſt humanorum favorum, conſtantia, hæc fides animorum. O quæ diſparitas! trabis & rami, crucis & olivæ? tamnè citò ramus adolevit in trabem? tamnè inſperatâ metamorphoſi oliva tranſiit in crucem? ita, ita modicæ mundi vitæq; hujus conſolationes in enormes ſubito commutantur afflictiones, & pro guttâ olei ſubitò fons manat amaritudinis. Ac veluti brevis quædam maris malacia ærumnoſiſſimam tempeſtatem navigantibus portendit, ita exigua vitæ hujus conſolatio, non tantùm omen, ſed etiam ſemen eſt initiumq; ſubſecutarum maximarum calamitatum. Et quemadmodum in matutino accelerata ſerenitas imminentes præcedit & adducit imbres tempeſtateſq; ſic prodroma felicitas aliquanta: pediſſequam habet multiplicem, & prægnantem adverſitatem.

11. *Bajulat crucem JESUS.* Tanquam David gladium Goliæ à ſe occiſi, qui gladius cum abjectus & involutus jaceret, eum ille tunc indigus armorum accepit dicens. *Non eſt huic alter ſimilis: da mihi eam.* Quid eſt enim aliud crux, quàm Goliæ Philiſtæi, hoc eſt diaboli, & Iudaicæ invidiæ, nequitiæq; gladius, quo diabolus cum adminiſtris ſuis Iudæis omnem Chriſti gloriam, & honorem, & vitam exſcindere dum parabat: ſuo ipſe iſto gladio victus, expugnatus, confoſſuſq; eſt. Nec facilè inſtrumentum diaboli aliud ad ipſummet diabolum debellandum à Chriſto, quin & à Chriſtiano inveniri poterit commodius, quàm eſt crux. Opportunè ergo datur nunc Chriſto in manus crux, perinde ac ſi Goliath gladium ſuum in necem ſuam porrigeret. Quo enim inſtrumento maximè formidabilis fuit diabolus generi humano & DEi populo, hoc in manus Chriſti tradito, ipſe diabolus ita vincitur, terretur, fugaturq;, ut ab umbrâ, à ſigno, à nomine crucis phalanges dæmonum in tartara præcipites ruant. Tantum contulit cruci quòd in manibus fuerit Chriſti. Quocirca nemo ſervus Chriſti formidet, aut horreat crucem Chriſti. Imò verò arripiat eam, & tanquam gladio illâ ſuccingatur, & fiet diabolo terribilis. *1. Reg. 21. 9.*

12. *Bajulat crucem JESUS.* O exules Paradyſi, extorres cœli, peregrini à Patria procul, feſtinate redire, feſtinate ad portas æternales: jam enim clavis portarum cœleſtium eſt in manu Regis ac Domini, Patris atq; fratris, Imperatoris atq; Ductoris noſtri IESU Chriſti. Crux iſta quam bajulat clavis eſt cœli, quâ Chriſtus aperit oſtia univerſis intrare volentibus, & nemo claudit cui ille aperit. Ergo ad Patriam ad Patriam: quandoquidem clavis venit in noſtri Ducis manum & poteſtatem. Olim quod homines terrenis inhærerent bonis ac ſedibus: quod amarent longitudinem dierum, quod beatum dicerent populum cui ſunt boves & oves: & promptuaria eructantia, quod amara eſſet memoria mortis omni pacem habenti in ſubſtantiâ ſuâ: non hoc mirum fuit: clauſo enim cœlo, & aditu omni acceſſuq; impedito, quidni homines ædificarent, & nidificarent ſuper terram: at nunc quando clavis cœli venit in ma-

nit in manus Chriſti DEi noſtri: ut
quid terrena ſapitis & concupiſcitis ô
homines Chriſtiani? reſpicite & leva-
te capita veſtra, & aſſummite altiora de-
ſideria, quoniam appropinquavit Re-
gnum DEi & Redemptio noſtra, & jam
Apoc. 21. in proximo eſt, ut aperiantur omnes
25. portæ cœli, quæ deinceps neq; die neq;
nocte claudentur. Imò amplius aliquid
oſtendo: datâ clave in manus Chriſti,
data eſt ſimul omnibus nobis cum Chri-
ſto: dummodo non pigeat tollere in
manus hanc clavem crucis: & cum eâ
Act: 7. 55. ad portas uſq; ipſas accedere. *Non pi-
guit Stephanum* hanc crucis clavem ge-
ſtare: & vix intendit oculos in cœlum:
& ecce ſtatim vidit invenitq; cœlos aper-
tos ſibi: quos & ſtatim introivit: &
poſt ipſum ſequuntur ingrediunturq; o-
mnes animæ juſtæ, quibus crucem por-
Act: 5. 41. tare poſt IESUM grave non eſt. *qui-
bus lapides* torrentis dulces ſunt: *quibus*
gaudium eſt pro nomine JESU contumeli-
am pati. Pari ratione cum ex Saulo
perſecutore fieret Paulus prædicator:
ſtatim data eſt illi in manus hæc cla-
vis cœli nimirum crux Chriſti portan-
da: Etenim oſtenſum eſt illi jam tunc,
Act: 9. 16. *quanta oporteat eum pro nomine Chriſti
JESU pati*, & ita de omnibus o-
mnino Chriſti ſervis ſentiendum eſt,
quòd clavem cœli, id eſt, crucem Chri-
ſti in manibus habeant. *Etenim omnes*
2 Tim: 3. *qui piè vivere volunt in Chriſto JESU*
12. *perſecutionem patientur*: id eſt cla-
vem cœli in manibus & poteſtate ſuâ
habebunt.

13. *Bajulat crucem JESUS* Ergo nunc
Act: 1. 6. forſan oportunè quærerent diſcipuli ex
eo. *Domine ſi in tempore hoc reſtitu-
es Regnum Iſraël.* Revera enim hoc
eſt ſignum, imò hoc inſtrumentum, &
omnis apparatus reſtituendi Regni Di-
vini, per crucem enim reparati ſunt cæli
& ruinæ illius, reſtaurata & ædificata
Eccleſia univerſa, & redempti omnes
captivi, reducti omnes exules, ſanati o-
mnes infirmi, ſuſcitati omnes mortui,
Gen: 7. 1. debellati omnes inimici tam DEi, quàm
Act: 1. 6. noſtri. Ac quemadmodum per ligne-
am arcam in diebus Nóë reſtitutus eſt
inſtauratusq; mundus; ita in his diebus
per contemptibile crucis lignum à Chri-
ſto reſtituitur Regnum Iſraël DEum vi-
dentis & confitentis. Et poteſt etiam
hodie Chriſtus crucem bajulans dicere
Matt: 28 diſcipulis ſuis. *Data eſt mihi omnis pote-
18. ſtas in cælo & in terrâ*, quoniam crux hæc
nihil eſt aliud quàm Chriſti principatus,
nihil aliud, quàm poteſtas cœli & ter-
ræ.

14. *Bajulat JESUS crucem.* Perinde Gen: 22.
ut olim Iſáàc, lignorum, ſuper quæ im- 6.
molandus erat, portabat faſcem. Nec
A mirum jam tunc enim in Iſáàco conſe-
crabatur ſacris hoſtia myſteriis, & com-
mendabatur futura. Quæ pietatis ho- Ambroſ.
ſtia pii ante myſterii vectura eſt. Li-
gna Iſáàc ſibi vexit, Chriſtus ſibi patibu-
lum crucis portavit. Abraham comi-
tabatur filium, Pater Chriſtum: nec
Iſáàc ſolus, nec IESUS ſolus.

15. *Bajulat crucem JESUS.* Tanquam
Paſtor bonus paſtorale ſuum, pedum, ac
inſigne præfert, præiturus ovibus ſuis,
ad læta paſcua, ut ingrediantur & egre-
diantur oves, paſcuaq; inveniant, & vi-
tam non ſolùm habeant, ſed etiam a-
bundantiùs habeant. Ite jam, ite oves Ioã: 10 9.
ſuæ, ite poſt Paſtorem veſtrum, ite ſecu-
ræ: Bonus eſt Paſtor, armatus eſt: Ib: 10.
B bonus ad paſcendum, armatus ad de-
fendendum, bonus vobis, armatus con-
tra lupos pro vobis: ergo ſequimini
ducentem, ite poſt præeuntē quocunq;
jerit, malè enim eſſe non poteſt quò-
cunq; duxerit.

16. *Bajulat crucem JESUS.* Nimirum Aug: Tr.
ipſam crucem ſuam ſuo geſtans humero 117. in
commendabat, & lucernæ arſuræ, quæ Ioan.
ſub modio ponenda non erat, candela-
brum ferebat. Crux ergo candelabrū,
Lucerna Chriſtus ipſe, portat ergo lu-
cerna candelabrum ſuum uſq; dum ipſa Matt: 5.
paulò poſt appendatur ſuper ipſum: 15.
ut luceat omnibus tam qui in domo, Eph: 2. 17.
quàm qui extra domum ſunt, & his qui
longè, & his qui prope.

C 17. *Bajulat crucem JESUS.* Venit in
mentem mirari, at ſimul quærere; cur
Dominus nunc poſt antegreſſas priùs
tot tantaſq; calamitates & paſſiones
crucem bajulandam aſſumat, & non eam
ab initio ſtatim, dum robuſtior & inte-
gris viribus membriſq; eſſet, aſſumpſe-
rit. Hujus ordinis illa congruentia oc-
currit. Quod Dominus hac viâ volue-
rit ſeſe Paſſionibus iſtis præviis arma-
re roborareq; ſaginare atq; ſaturare: ut
eſſet par & ferendo oneri crucis, & eti-
am præponderando. Quia enim in cru-
ce ſciebat poſitas eſſe totius mundi ini-
quitates: iis autem immenſum & in-
comprehenſibile ſciebat pondus ineſſe:
propterea antequam vel tam ponderò-
ſam gravatamq; crucem ſuper humeros
D tolleret, vel cùm eadem ita onuſtâ in
contentionem de ponderis magnitudi-
ne veniret: placuit illi (ut dixi) pri- Iſa: 53. 5.
ùs opprobriis ſaturari, patientiâ ſagi-
nari, pœ-

Digitized by Google

nari, pœnis ſatiari, virum ac Regem dolorum fieri: ut ita his omnibus partim validior robuſtiorq́; partim onuſtior ponderoſiorq́; factus, par eſſet cruci tum portandæ, tum præponderandæ. Quantum pondus inſit non dico omnibus totius mundi peccatis, ſed vel unico actui peccati: ſatis hoc Dominus oſtendit in illâ deſcriptione caſus diaboli: videbam inquit *ſathanam tanquam* Luca 10. 18. *fulgur cadentem de cœlo*: quæ quæſo iſta vis impellens aut trahens deorſum, tam præcipiti & fulgureo impetu? utiq́; nulla vis fuit præter immane peccati pondus, quod Angelos de cœlo in infernum in puncto deſcendere delabi, decidere fecit. Quod etiam expreſſum voluit Apoſtolus cum dixit: *Rudentibus* 2. Petr. 2. 4. *inferni detractos eſſe dæmones in tartara.* Nec diſpar pondus in Adæ peccato, cui unico ſuſtinendo tota naturâ humana impar fuit: nec omnino ſola B humana, ſed omnis omnino viſibilis natura illi reſiſtere nequivit: ſed & ipſa caſu uno primi hominis eſt contrita, & perturbata. Si ergo duorum peccatorum tantum eſt pondus! quantum omnium peccatorum? quæ à tot hominibus patrata ſunt uſq; ad finem mundi ab initio? tanto ergo ponderi & ſupportando, & præponderando in redemptionis noſtræ valore, meritorumq́; ſuorum pretio Chriſtus Dominus par ut eſſet, tot illas paſſiones ante ſubiit, antequam cruci humeros ſubjecit.

18. *Bajulat crucem JESUS.* Brevi ab ipſa bajulandus: vult nimirum eam demereri ſibi: vult illi jam tunc rependere vicem, impertit illi ad ſe ſuſtinendum virtutem: C & emollit ejus rigorem, ut ſervis ejus non ſit intollerabilis, aliàs enim quis eam ferre potuiſſet, aut voluiſſet; niſi IESUS eam emolliviſſet?

PARAGRAPHVS CXXXIII.

JESVS bajulat crucem extra civitatem in Calvariæ montem.

FIGVRÆ.

Gen: 4. 8. *Dixitq́; Cain ad Abel fratrem ſuum. Egrediamur foras. Cumq́; eſſent in agro conſurrexit Cain adverſus fratrem ſuum Abel & interfecit eum.* D

Et alibi aliæ beſtiæ jubentur à Domino extra caſtra portari. Levit. 16. 27.

Samſon portas urbis hoſtium Philiſtinorum exportans uſq; in montis verticem ſuper humeros. Iudic. 16. 3.

PROPHETIÆ.

Sicut ovis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuum. Iſai 53. 7.

Et ego quaſi agnus manſuetus, qui portatur ad victimam: & non cognovi, quia cogitaverunt ſuper me conſilia dicentes: Mittamus lignum in panem ejus, & eradamus eum de terrâ viventium, & nomen ejus non memoretur amplius. Hierem. 11. 19.

STROMATA

1. NOn tantùm data eſt crux ſua Domino noſtro portanda: ſed etiam portavit eam de facto, ſi non uſq; ad ipſum crucifixionis locum in montem Calvariæ attamen aliquanto ſpatio extra urbem uſq;, donec vel imponeretur Simoni pro eo portanda, vel certè cum eo ſimul bajulanda, de quo inferiùs videndum. Extra civitatem porro voluit Dominus crucifigi, & cum ſuâ cruce progredi, non tantùm, quia cum maleficis tanquam maleficus in loco ſuppliciis maleficorum deſtinato occidendus de more eſſet, ſed etiam ut per hunc egreſſum ſuum ex civitate cum cruce foras in montem, demonſtraret fructum efficaciamq́; Paſſionis ſuæ, & trophæum victorioſæ crucis ſuæ, nequaquam intra ſepta & muros unius civitatis, neq; intra unius populi tantum anguſtias arctandum eſſe, verum in omnes omnino populos & nationes diffundendum propterea; omnibus gentibus acceſſum ad ſeſe aptandum & dandum fuiſſe: propter quod Iſaias hortabatur pridem Ieroſolymam, ut dilataret tentoria ſua ut longos faceret funiculos tabernaculorum ſuorum, ut ſcilicet non ſola putaret ſe habituram Chriſtum, ſed dandum eſſe omnibus gentibus ad Chriſtum per fidem accedentibus locum. Hoc quàm breviter tam eleganter expreſſit S. Leo Serm: 9. Paſſi: ut Crux Chriſti, non templi eſſet ara, ſed mundi.

2. Extra urbem etiam voluit Dominus crucem ſuam ferre, ut oſtenderet, imò re ipsâ faceret, propter ingratitudinem populi Iudaici transferre ſe, & efferre gloriam crucis ſuæ foras, & quæſiturum imitatores, amatores, adoratores, baju-

Digitized by Google

res, bajulatores crucis ſuæ foris. Unde etiam (ut ſupra tetigi, & infra adhuc repetam) poſt egreſſum Domini, extra portam urbis cum cruce ſtatim Cyrenæum Symonem, qui fuit ex gentilibus admiſit ad conſortium bajulandæ poſt ſe crucis ſuæ. Impletumq; eſt jam tunc
Matt: 21. 43. illud Dominicum dictum ad Iudæos. *Ideo auferetur à vobis Regnum DEi, & dabitur genti facienti fructus ejus.*

3. *Cum cruce in montem evadit Chriſtus.* Tum, ut oſtenderet ſe non tantùm non erubeſcere, aut non abominari crucem ſuam, ſed etiam cum illa ſe ſpectandum dare velle omnibus omnium hominum oculis: tum etiam ut doceret quod conſortium crucis ſuæ habere volentibus, ſimul etiam ad montem excelſæ generoſæq; perfectionis in omni virtute connitendum eſſe. vix enim poſſunt abſq; ſe conſiſtere hæc duo, crux abſq; perfectionis monte, & mons perfectionis abſq; cruce, ſeu crucis bajulatione, imò verò, & crux eſt bajulanda, & mons aſcenſu ſuperandus, & tum demum crux etiam inſcendenda, eiq; immoriendum.

4. Audiamus Paulum de hoc egreſſu Chriſti extra civitatem cum cruce diſputantem, & obſervantem in hunc modum. Quorum enim animalium infertur ſanguis pro peccato in ſancta per pontificem, horum corpora cremantur extra caſtra. Propter quod & IESUS ut ſanctificaret per ſuum ſanguinem populum, extra portam paſſus eſt. Exeamus igitur ad eum extra caſtra, improperium ejus portantes. Non enim habemus hic manentem civitatem, ſed futuram inquirimus. Hæc Paulus.

5. Vltimum hoc eſt iter Domini IESU quod peragit tam in Paſſione ſuâ, quàm in vita hac mortali. Licet verò advertere Dominum noſtrum in ſuâ Paſſione ſeptem itinera feciſſe, quæ prædicta videntur in Iob: cap. 5. 19. In ſex tribulationibus liberabit te: & in ſeptimâ non tanget te malum. Sex viæ Domino noſtro fuêre tribulationum & dolorum plenæ videlicet. 1. Ab horto ad Annam 2. Ab hoc ad Caipham. 3. A Caipha ad Pilatum. 4. A Pilato ad Herodem. 5. Ab Herode rurſus ad Pilatum. 6. A Pilato demum ad Calvariæ montem cum cruce. Remanet 7. Iter quod Dominus ſecundùm animam peregit deſcendens ad inferos, in quo itinere nullum malum tetigit Dominum: deſcendit enim tanquam Rex & Dominus & victor cum poteſtate, non captivandus, ſed captivos liberaturus, & tyrannicas tenebrarum poteſtates captivaturus. Poſſunt etiam iſtæ ſex priores viæ Chriſti reſpondere ſex diebus operum divinorum, in conditione mundi, ad quod ſervit illud quod in ſcriptura opera DEi ad extra vocentur viæ. ut Proverb: 8. 22. *Dominus* Proverb: 8. 22.
poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequam quidquam faceret. Septima autem via Chriſti poteſt reſpondere diei ſeptimæ, in quâ reſtaurato mundo conſummatoq; opere requievit. Aliter cōputando recenſentur viæ Domini noſtri in Paſſione omnino ſeptem omnes doloroſæ & acerbæ. 1. A cœnaculo ad orationis locum: in quâ viâ faſſus eſt Dominus dolorem ſuum illis verbis.
Triſtis eſt anima mea uſq; ad mortem: Marc: 14. 34.
conſtabatq; hæc via paſſibus 1500. 2. Via: ab orationis loco ſeu oliveti monte ad Annam quando captus Dominus Matt: 26. 38.
ductus eſt totidem aliis fere paſſibus. 1500. 3. Via: ab Anna ad Caipham fuit & habuit paſſus 330. 4. Via: à Caipha ad prætorium ſeu domum Pilati, quæ continebat paſſus 1000. 5. Via: à Pilato ad Herodem habens 350. paſſus. 6. Via: ab Herode ad Pilatum totidem paſſuum 350. 7. Via: à Pilato ad Calvarium montem quæ numerat paſſus 1321. Omnes viæ recenſitæ conſtant paſſibus 6351. ubiq; ſatis ad moleſtiam Domini noſtri, ineditâ, *vigiliâ, ſudore ſanguineo, triſtitiâ*, oratione, vinculis, verberibus, flagellationibus, ſpineâ coronâ, calumniis, contumeliis, clamoribus, ludibriis, innumeriſq; aliis moleſtiis afflictiſſimi, augendam.

6. *Incedit Chriſtus cum cruce verſus Calvariam.* Tota Chriſti Domini Paſſio proceſſionibus (de quibus proximè) interpolatur: hæc præſens omnium eſt longiſſima, tam tempore, quàm ſpatio; omnium eſt graviſſima & moleſtiſſima, tum ob debilitationem Chriſti jam plenam, tum ob grandé crucis pondus, tum ob vulnera corporis, quæ cruce non tantùm premebantur, ſed etiam dilatabantur; tum ob circumſtantias multiplices aggravantes, aſperæ & in altum ſurgentis viæ, clamantium inconditiſſimè omnis generis hominum, opprobrantium, inſultantium, exultantium, inquirentium, narrantium, propellentium, trahentium, percutientium, quorundam etiam complorantium ac miſerantium, latronum duorum comitantium, carnificum ſeu militum aliorumq; hoſtium crudeliter ac durè tractantium, ſordidè ac ſpurcè cognominantium, quæ omnes

quæ omnes aliæq; ſimiles circumſtantiæ, ſinè dubio innocentiſſimo, ſanctiſſimo, ſapientiſſimo, ac digniſſimo Domino in immenſum moleſtiorem hanc præſentem proceſſionem reddebant. Iſaac
Gen: 22. 6. quidem adoleſcens octodecim circiter annorum, ibat faſce lignorum onuſtus, immolandus ſuper eum, ſed neq; ille id futurum interea ſciebat, & Patrem comitem cum igne & gladio habebat, & ſervos domeſticos aſellumq; in ſolatium levamenq; ſocios habuit: nulli clamores, nulla vulnera, nulla probra, nullæ injuriæ, dolores, carnifices nulli: pacaté omnia peragebantur. Mater Sara omnium inſcia ſecuré domi manebat: at in Chriſti proceſſione omnia oppoſita, ut conſideranti patet, adeò ut hoc etiam oppoſitum ſit: quod ibi ſolus Abraham iverit, dolore, immolandi filii unici, animosè licet, attamen ſaucius: hic verò ſolus Pater Æternus unigenitum ſuum IESUM comitetur, nihil omnino mœrens, nihilq; durum ſentiens; imò vero de gloriâ ſuâ, de triumpho filii, de redemptione humani generis, de peccati deletione, de mortis & Dæmonis victoriâ, tam lætus, quàm certus.

Zacharia 3. 3. 7. Advertere præterea licet in hac proceſſione procedentem Sacerdotem magnum IESUM: veſtibus ſordidis indutum, ritu ſupplicantis, & ſimul ſacrificaturi. Crucem bajulantem fune de collo tanquam ſtolâ pendente, aliis etiam vinculis manipulum repræſentantibus. Crux altare futura eſt, hoſtia, caro, & ſanguis ipſius cruenté mactanda.

8. Etiam in hoc Chriſti cum cruce verſus Calvariam proceſſu videtur mihi repræſentari aſſultus quidam militaris ac bellicus, quo Chriſtus Dominus ſimul Dux, ſimulq; miles cruce tanquam omni armorum, tormentorumq;, & ſignorum bellicorum genere armatus, diabolum, mortem, peccatum, in monte Calvario, tanquam in caſtris vel in fortalitio conſiſtentes repugnareq;, imò & oppugnare, per extrema tormenta, per clavos, per linguas, per inſultantia ora Iudæorum, militum, latronum, paratos aggreditur, & per ſcalas crucis in munitiones evadit, trophæum crucis vexillumq;, ſuper inimicorum muros erectum ſtatuit: & fugientes hoſtes, ad uſq; mortem, ad ſepulturam, ad ipſum
Matt: 12. 29. deniq; infernum perſequitur, ſpoliat, diripitq; vaſa eorum & aufert.

9. *Incedit Chriſtus cum cruce Calvariam verſus.* Adeſte Chriſtiani, adeſte milites, ſocii, imitatores Chriſti. Chriſtus paſſus eſt. Chriſtus portavit crucem 1. Petri 12. 29.
pro nobis: vobis relinquens exemplū, ut ſequamini veſtigia ejus. Ad quid, dicet quiſpiam: hæc veſtigiorum conſecutio? ad quid exemplum relictum? an non ſuffecit ſatisfacere Chriſtum pro noſtris, nec pro noſtris tantùm, ſed etiam pro totius mundi peccatis? ſuffecit & amplè copioſéq; ſufficit: quia *Copioſa apud DEum redemptio*: ſed tamen Pſ: 129. 7.
& te ô Chriſtiane imitatorem ſuum fecit, tibiq; exemplum relinquens, te in ſequutionem veſtigiorum ſuorum ſuffecit. Audi Paulum de ſe profitentem, tibi autem præcipientem: adimpleo ea quæ deſunt Paſſionum Chriſti in cor- Ad Col: 1. 24.
pore meo. Quod deerat Paſſionum Chriſti, ut Paulus neceſſe haberet adimplere in corpore ſuo? hoc dèérat ut crucem quoq; ſuam animosè poſt Chriſtum ferret, hoc dèérat ut Chriſto configeretur cruci, hoc dèérat ut ſtigmata Domini JESU in corpore ſuo portaret Gal: 2. 19.
Hoc & tibi dèéſt Chriſtiane, tibi miles, Ad Gal: 6. 17.
tibi ſocie, tibi imitator Chriſti IESU. hoc ergo adimple. Vide Iobum hoc exactè præſtantem. Veſtigia ejus (in- Iob: 23. 11.
quit) ſecutus eſt pes meus, viam ejus cuſtodivi, & non declinavi ex eâ. Quãdo id præſtitiſti ô Sanctiſſime, quando per veſtigia Chriſti DEi Redemptoris tui inceſſiſti. In omni quidem vitâ meâ, (ait idem,) non reprehendit me cor meum. O verè rem grandem præſtitit, Iob: 27. 6.
verè viam DEi cuſtodivit, & ex eâ non declinavit, ſed longé hoc præſtitit exactiùs, expreſſiùs, conformiùſq;, quando Chriſti patientis patiens ipſe exactè ſculpta imago fuit. Hoc nimirum eſt, hoc veſtigia ſequi Salvatoris, pedem ſuum ponere in veſtigio pedum ejus; ponat Chriſtus veſtigium pedis in pulvere: pone & tu Chriſtiane ibidem in pulvere pedem; *ponat Chriſtus os ſuum in pul-* Thren: 3. 29.
vere: pone & tu in pulvere os tuum: ponat Chriſtus in ſanguine pedem ſuum, pone & tu ibidem pedem tuum: ponat Chriſtus in Cruce pedem ſuum, pone & tu ibidem pedem tuum: ponat Chriſtus in ſpinis caput ſuum, pone & tu Chriſtiane ibidem caput tuum: ponat Chriſtus paratum ad flagella totum corpus ſuum, pone & tu ibidem corpus tuum. *Saturetur* Chriſtus opprobriis, de- Thren: 3. 30.
tur in eſcam ei fel, & in ſiti ſuâ potetur aceto: Saturare & tu Chriſtiané tali- Pſal: 68. 22.
bus deliciis: det Chriſtus *percutienti ſe maxillam*: præbe tu quoq; Chriſtianè Thren: 3.

Digitized by Google

tuam. Hoc ſcilicet monet faciendum Petrus Apoſtolus, hoc ſe factitaſſe teſte DEo gloriatur Iobus. Ita ſe adimpleſſe Paſſionem Chriſti in ſuo corpore oſtentat Paulus: Ac ideo fortaſſe Samuel Saulem de eo, quod remanſit tractavit: dicens ei. Ecce quod remanſit pone ante te. Remanſit enim quia non omnia noſtra Chriſtus explevit. Per crucem quidem ſuam omnes redemit, ſed remanſit, ut qui redimi & regnare cum eo nititur, crucifigatur. Hoc profectò reſiduum viderat, qui dicebat. Si compatimur & conregnabimus; quaſi dicat, quod explevit Chriſtus non valet niſi ei, qui id quod remanſit adimplet. Remanſit verò adimplendum non aliud: quàm quia hoc quod videmus à Chriſto propter nos ſeu factum ſeu toleratum, nobis quoq; incumbit propter ejus gloriam, propterq; noſtram ſalutem & faciendum & tolerandum. Ideo enim oblatam quidem gloriam culminis fugit (ait idem Gregorius) pœnam autem probroſæ mortis appetiit, ut membra ejus diſcerent favores mundi fugere, terrores minimè timere: pro veritate adverſa diligere: proſpera formidando declinare: quia & iſta per tumorem ſæpè coinquinant, & illa per dolorem purgant; in iſtis animus erigit, in illis autem etiam quando ſe erexerat, ſternit. Hoc igitur incumbit agere omnibus, qui Chriſtum cum cruce cernunt procedere.

1. Reg: 9. 24. *Greg: lib. 4. in 1. Reg: cap: 9 ad eadē verba.* *2. Tim: 2. 12.* *Gre: 1. 8. Paſt: cap: 3.*

10. *Incedit Chriſtus cum cruce versùs locum crucifixionis.* Hanc Domini viam qui exactius menſi ſunt hunc in modum unà cum his quæ in ea Domino evenerunt deſcribunt. Via crucis quâ Chriſtus in Tribunali, cruci adjudicatus, acerrimis ac cruentis greſſibus ad montem Calvariæ ivit. Incipiens enim à Palatio Pilati per viginti ſex greſſus, (qui faciunt ſexaginta pedes & quinq;) ad locum proceſſit, ubi crux ei impoſita eſt. Vnde totâ ſpectante urbe ſuper ſaucios humeros ſuam bajulans crucem, versùs caurum ſeu Corum, per octaginta greſſus, (hoc eſt 200. pedes) ad locum, ubi primò cum cruce cecidiſſe traditur, progreſſus eſt. Inde ſtatim per ſexaginta greſſus & tres pedes (id eſt 153. pedes) ad locum ubi Beata MARIA cum Ioanne, filio ſuo occurrit. Hinc autem per 71. greſſus & ſeſquipedem (ſive 179. pedes) ad quoddam trivium, ubi Simon Cyrenæus crucem poſt IESUM portare coâctus eſt. Iſthinc porro per 191. greſſus & ſemipedem (vel 478. pedes, ad locum ubi ipſi Veronica occurrit. Atq; illinc per 336. greſſus & duos pedes (aliàs 842. pedes) ad portam Iudiciariam, ubi rurſum cum A cruce lapſus eſt. Deinde verò, arduâ, ſaxoſâ ac paulatim aſcendente viâ, verſùs ſeptemtrionem proceſſit per 348. greſſus, & duos pedes (ſeu 872. pedes) ad bivium quoddam ubi mulieres plorantes allocutus eſt. Ac iſthinc continuo per 161. greſſus, & ſeſqui pedem (hoc eſt 404. pedes) ad radicem montis Calvariæ, ubi ultimò cecidit. Deinde ulterius per 18. greſſus, (aut 45. pedes) ad locum, ubi carnifices ipſi veſtes detraxerunt, ubi & vino myrrhato felle mixto potatus eſt. De hinc per 12. greſſus (aut triginta pedes) ad locum, ubi clavis cruci affixus eſt. Inde poſtremò per 14. greſſus (id eſt 35. pedes, ad locum ubi de cruce pendens in B foramine rupis Calvariæ fixus eſt. A Palatio itaq; Pilati uſq; ad locum ubi crux rupi infixa fuit ſunt greſſus 1321. ſive alia ſupputatione 3303. Hæc Adrichomius, ex cujus narratione illud colligitur, Chriſtum Dominum ſemel acceptam crucem nunquam dimiſiſſe uſq; ad locum detractarum veſtium, atq; amaræ potationis. Et quamvis Cyrenæus Simon poſt eum portâſſe dicatur, intelligendum hoc erit, quod Chriſtum bajulantem juverit; non autem, quod à bajulatione prorſus eliberaverit, quâ tamen de re inferiùs pluribus agetur.

Chriſtian: Adrichō: in deſcr: Hieruſal: num: 118.

C

PARAGRAPHVS CXXXIV.

JESV Crucem Simon Cyrenæus portat poſt eum. Matt: 27. 26. Luc. 23.26. Mar: 15.21.

STROMATA

1. LApſantem & deficientem evidenter cernentes Chriſtum, ſeu milites, ſeu Iudæi, ob nimiam debilitatem fatigationemq;, cenſuerunt in bajulatione crucis, ſatis (pro fracto præſertim homine) ponderoſæ, juvandum eſſe. Nolentes autem cuiquam comi- D tum moleſti eſſe, hoc partim onere, partim probro portati patibuli infamis, commodùm occurrit eis quidam villanus, ſeu de villâ veniens Simon Cyrenæus:

Digitized by Google

næus: hunc utpote non urbis incolam & civem angariaverunt ſeu coëgerunt ut tolleret crucem IESU, impoſueruntq; eam illi (ut Lucas ait) portare poſt ipſum. Hic dubitari & inquiri poteſt, qualis hæc fuerit bajulatio Crucis Chriſti à Simone poſt IESUM? triplex enim ſenſus eſſe poteſt. 1. Vel enim ſenſus eſt hic, ut primò quidem IESUS portaverit, tum poſt eum Simon, uterq; autem ſolus. 2. Vel ſenſus eſt hic ut partem crucis & quidem anteriorem portaret JESUS; alteram verò poſteriorem Simon poſt eum portaverit. 3. Vel ſenſus eſt, Chriſtū præiviſſe ſine cruce, Simone poſt eum eunte cum cruce. Ex verbis quidem Evangeliſtarum concludi quidquam certi non facilè poteſt. Cum verba ſingulorum hac de re ambiguitatem ſonent: tamen huc videntur inclinare potiùs, ut Simon plenè, eliberaverit Chriſtum à totius crucis bajulatione, non autem in parte tantùm adjuverit: Matthæus enim & Marcus dicunt angariaverunt Simonem, ut tolleret crucem ejus quod intelligendum videtur de totâ cruce, non de parte crucis: & quidem videtur hæc contigiſſe angariatio occaſione lapſus Chriſti ſub pondere crucis, cum quâ deinde ſurgere nequiverit Dominus, neq; eam ſublevare: ut proinde alius bajulus crucis fuerit quærendus. qui cum præteriens de villa ſe fortuitò obtuliſſet, eum milites detinuerunt, & ad crucem Chriſti adegerunt tollendam: & cùm, ne Simon quidem ſublevare de terrâ ſolus poſſet, ideo milites (ait Lucas) impoſuerunt illi crucem portare poſt IESUM. IESUS ergo liber à cruce tunc ibat, & Simoni præibat. Et quanquam hæc conjectura non convincat: ſumere tamen ex eo robur poteſt: quod tam milites, quàm Iudæi curaverint, ut Chriſtum vivum, & quidem quàm primùm mediâ jam die urgente crucifigerent: ad hoc autem utrumq; conſequendum, expediebat Chriſtum, manifeſtè debiliſſimum abſolutum tantiſper à cruce ferenda, ad accelerandos greſſus versùs ſupplicii locum urgere. Vnde hæc liberatio Chriſti à cruce, non eſt facta illi ex commiſeratione, aut benevolentiâ aliquâ, ſed potiùs ex redundantiâ odii hoſtilis; qui cavebant, ne Chriſtus, ſi ante crucifixionem moreretur; careret probro patibularii, & in cruce ſuſpenſi: careret etiam tormento enormiter crudeli, careret deniq; publicâ diffamatione apud omnes, quam maximè Iudæi Chriſto optabant, ut & præterita ejus gloria tota deleretur, & deinceps in ſummâ ignominia nomen ejus mortui ſepeliretur: nec ampliùs ſuper terram niſi fortè in odium & contemptum memoraretur. Hoc illorum ſtudium & intentum plùs quàm graphicè expreſſum eſt apud Salomonem & apud Hieremiam: apud priorem ſiquidem impii inter alia ſic conſpirant. *Morte turpiſſimà condemnemus eum.* ut nempe qui ejus nomen memoriâ recoluerit vel dedignetur, vel erubeſcat ejus mentionem facere, memoriamq; ſervare: apud poſteriorem autem ſimiliter diſponunt. *Mittamus lignum* (crucis) *in panem* (corporis) *ejus: & eradamus eum de terrà viventium: & nomen ejus non memoretur ampliùs.* Eradendi vox: ſatìs oſtendit quàm radicitùs deſideraverint hoſtes Chriſti, omne bonum nomen Chriſti abolere, ſiquidem illud ſtuduerunt & eradere & eradicare, & omni memoriæ ſubducere. Quia ergo hoc intendebant inimici Chriſti, ideo etiam metuebant, ne turpiſſimi eſſet expers ſupplicii: ideò ejus interea vitæ conſulebant; quia eum turpiſſimæ, & crudeliſſimæ morti deſtinando, reſervabant. Quare crudelis hæc fuit hoſtium Chriſti ſuper Chriſtum miſericordia. Cujus tamen occaſione Simon Cyrenæus ab initio licet invitus atq; ignavus pervenit ad Chriſti crucis conſortium, nec non ad conſortii effectum. Etenim hic Simon poſtmodum pervenit ad fidem Chriſti, & factus eſt ejus unà cum filiis hic à Marco honoris causâ nominatis Alexandro & Rufo ejuſdem prædicator.

2. Simonem hunc bajulum crucis Chriſti gentilem, aut ex gentibus fuiſſe paſſim credunt Patres, aliiq; Scriptores: & probant ex cognomine Cyrenæi, quod non ſatìs robuſtum argumentum videtur. Sic enim & Paulum Apoſtolum: qui ab ipſo Chriſto vocatur Tarſenſis, à Tarſo civitate gentilium, dicere poſſemus gentilem fuiſſe, cùm ipſe fateatur ſe genere hebræū, ſectâ Phariſæum &c. Sed niſi ego fallor meliùs probatur hoc genus Simonis ex eo, quia in tali occaſione & tempore ſolemnitatis Paſchalis nullus Iudæorum permiſiſſet ſe adduci: fuiſſentq; illi alii hac in re præſidio, ut infami miniſterio inquinaretur. Nam ſi domum præſidis intrare nefas ducebant, ut non contaminarentur propter manducandum Paſcha: multò magìs nefas duxiſſet quilibet eorum

Ccc 2

Marginalia: Matt. 27. 32. — Lucæ 21. 26. — Marci. 15. 21. — Sap: 2. 20. — Hier: 11. 19. — Act: 9. 11

bet eorum pollui bajulatione patibuli poſt hominem morte infami damnatum: igitur is qui angariatus eſt ad crucem tollendam debuit non eſſe Iudæus, proinde gentilis. Accedit ad idem cō firmandum hæc congruentia quam Patrum nemo prætereat: nimirum hac crucis à Chriſto in Simonem translatione ſignificatum fuiſſe fructum Paſſionis & mortis Chriſti, à Chriſto non in Iudæos, ſed in gentiles derivari debuiſſe: quod & re ipsâ factum eſt: cùm repellentibus verbum DEi doctrinamq; Chriſti
Act: 13. 48. Iudæis: *Converſi ſunt Apoſtoli ad prædicandum gentibus: auditoq; hoc gentes gaviſæ ſunt* ut Paulus loquitur. Hæc autem congruentia non adeò aptè caderet, ſi Simon iſte gentilis non fuiſſet. Ad quam congruentiam etiam hoc accommodari poteſt, quòd iſte Simon, tunc de villâ veniebat, & Chriſto ex urbe exeunti occurrebat: quo myſticé ſignatur gentiles nequaquam cives fuiſſe, & domeſticos DEi: ſed peregrinos & extraneos:
Oſea 1.9 & ut loquitur Oſeas: *Non populus, non plebs, facti tamen populus & plebs, miſericordiam conſecuti:* adeo ut Paulus dicat.
Eph.2.19 *Iam non eſtis hoſpites & advenæ, ſed domeſtici DEi, & qui fuiſtis aliquando longè, facti eſtis propè.*

3. *Portat Simon Crucem poſt JESUM.* Quia illam hac lege priùs portaverat IESUS, ut poſt eum portarent eam omnes quotquot gloriarentur fide, amore, confeſſione, imitatione, nomine IESU. Quia enim crux in ſuâ nativâ crudelitate accepta fuiſſet intolerabilis, ideo Dominus voluit eam priùs ipſe portare, & aliis ex gravi levem, & amarâ dulcem, ex probroſâ honorificam, ex timendâ amabilem reddere: ut ita fieret omnibus appetibilis, dulcis, glorioſa, levis.

4. *Portat Simon Crucem poſt JESUM.* Sciebat JESUS poſt neminem alium portari debuiſſe, aut potuiſſe crucem, niſi poſt ſe. Ideo ipſe & portavit prior, & præivit portanti poſt ſe: ut nemo ſubire recuſaret, quod Dominum ſuum ſui cauſâ ſubiiſſe conſpiceret.

5. *Portat Simon Crucem poſt JESUM.* Et quidem angariatus, & invitus; quia crucis Chriſti poſt Chriſtum bajulatio, tam eſt ſalutaris, tam neceſſaria, ut ad ejus bajulationem, vel ab aliis, vel à ſemetipſo quiſq; cogi meritò debeat. Non ſecus ut ad medicinam conſervandæ vitæ neceſſariam, infirmus vel à ſe ipſo, vel ab aliis etiam cogi ſolet. Nemo ergo miretur Simonem hunc portâſſe crucē, quia nondum ſciebat tunc ſalutarem ſibi illam bajulationem eſſe, poteratq; illi tunc dici à Chriſto, quod & Petro dictum fuerat in lotione pedum: *Quod ego facio tu neſcis modò, ſcies autem poſtea.* Ioan:13. 7.
A Vel illud ejuſdem ad eundem. *Quo ego vado non potes me ſequi modò, ſequeris autem* Ioan: 13. 36.
poſtea. Non cognoſcebat tunc Simon quid de ſe fiebat, cogniturus tamen poſtea, dolens tunc de ſui coäctione, gaviſurus tamen poſtea.

6. *Portat Simon Crucem poſt JESUM.* Portat Simon Crucem poſt IESUM. Simon obedientem ſonat. Chriſtus ex obedientia Patris geſtabat crucem, uti teſtatur Paulus; non decebat ergo ut eam altus quis poſt eum acciperet aut ferret præter obedientem, ut jam tunc daretur intelligi: Solam obedientiam facere idoneos ad crucem: & nullam eſſe Chriſti crucem, quam non imponit obedientia. Crux eſſe forſan poteſt,
B crux tamen Chriſti eſſe non poteſt, ſi illi obedientia adjuncta non eſt. Habet quælibet vitæ ratio, quælibet virtus & perfectio crucem ſuam: ſed crucem Chriſti nihil efficere poteſt, præter obedientiam. Neq; dicas quod etiam charitas crucem Chriſti facere & ferre poſſit. Nam dico quod ſinè obedientia non eſt charitas, & charitatem, facit charitatem, nihil aliud, niſi ſola obedientia. Sed neq; hoc culpemus in Simonis ſeu obedientiæ bajulatione, quòd angariari debuerit, ut crucem ferret: hoc eſt enim obedientiæ innatum, ut quidquid facit coäcta faciat. Si enim non cogitur facere, non poteſt dici obedire. Obedientia enim obligatio-
C nem reſpicit, ſi ergo obedit quis, obediendo obligationem ſolvit: at ſi obligatus fecit, ergo & coäctus peregit. Etiamſi ergo quis maximè libens, hilaris, promptus, exultans, amans, obediat; tamen ſemper angariatus obligatione obedit: & amare quidem ſuam obligationem atq; coäctionem obediens poteſt, ſiné obligatione tamen obediens eſſe non poteſt. Itaq; rectè Simon ad crucem angariatus eſſe dicitur: quia non abſq; obedientia ad crucem Chriſti perveniſſe oſtenditur.

7. *Portat Simon Crucem poſt JESUM.* Quia portat pro JESU. Hoc eſt enim verè crucem poſt JESUM portare, pro JESU illam bajulare: nam ſi quis non pro IESU crucem portat, poſt IE-
D SUM illam non portat. Ideo monet Petrus Apoſtolus: *Nemo veſtrûm patiatur ut fur, aut ut homicida, ſed ſi ut Chriſtianus, glorietur in iſto nomine.* Nam pro IESU 1. Petr:4. 15.

crucem

crucem ferre glorioſum eſt: aliter ferre, glorioſum eſſe non poteſt. Eam ob rem etiam in actis leguntur *Apoſtoli iviſſe*
Act: 5. 41. *gaudentes à conſpectu concilii, coram quo virgis fuerant omnes caſi, qui digni habiti ſunt* A *pro nomine JESU contumeliam pati*: quod eſt nihil aliud, quàm crucem poſt Chriſtum bajulando progredi. Hinc vulgò dicitur: quia cauſa facit Martyrem. Nam niſi martyrii cauſa Chriſtus, ſive juſtitia, ſive veritas, ſive virtus Chriſti ſit, martyrium eſſe nullatenus poſſit. Ita ergo crux portanda eſt, ut poſt IESUM portetur, ita verò poſt IESUM, ut pro IESU etiam toleretur.

8. *Portat Simon Crucem poſt JESUM.* Liberavit nimirum à crucis pondere & geſtatione IESUM. Non video nobiliorem modum crucem Chriſti, & pro Chriſto, & poſt IESUM portandi, quàm illum, quo ipſe IESUS abſolvitur à neceſſitate crucem portandi. Ipſe certè B Filius DEi in hoc ſuam charitatem ma-
Rom: 15. 3. ximè manifeſtavit erga Patrem: *quia fecit, ut improperia improperantium Patri, caderent ſuper ſe, & non Pater, ſed ea pro Pa-*
Ioan: 15. 13. *tre exciperet ipſe.* Præterea idem Dominus hanc eſſe ſupremam charitatem docuit: ſi quis morte ſuâ amicos liberaret à morte: atqui hoc facit, qui dum crucem in ſe ſuſcipit, IESUM ab ejus bajulatione abſolvit: etenim quantum in ſe eſt, à crucis morte & probro Chriſtum abſolvit, & injurias quæ in Chriſtum caſuræ erant, in ſe ipſo ſuſcipit. Quemadmodum enim ſi quis lethali jaculo amicum feriendum videns, ipſe ſe pro illo opponat, eiq́; ſe ſcutum faciat, ac vulnus pro eo excipiat: haud dubiè C ſummam & omnem in eum charitatem demonſtrat: ita ſi quis injurias quibus offendendus erat DEus, aut afficiendus Chriſtus, in ſe ipſum excipiat, neq́; ad DEum (quantum eſt in ipſo) pervenire ſinat, certè is ſummam in DEum charitatem demonſtrat, & crucem Chriſti pro Chriſto ſupportat.

9. *Portat Simon Crucem poſt JESUM.* Calicem crucis ſuæ Dominus Simoni propinavit: atq́; ut ex eo liberet conceſſit, in quo uno, omnibus nobis, ſe illum eundem propinare monſtravit, oſtenditq́; ſe non ſuâ cauſâ crucis calicem bibere, ſed ſe quidem præbibere, reliquis autem ſive ſanguine, ſive abſq́; ſanguine Martyribus, ad bibendum poſt
Matt: 20. 22. ſe offerre. Et olim quidem ex Zebedæi filiis quæſiverat Dominus, an poſſent calicem bibere, quem ille bibiturus eſſet: at verò hic jam non id exquirit, ſed ſtatim calicem crucis porrigit: quia nimirum ibi hujus calicis bibendi, ne ipſi quidem Chriſto tempus adhuc perfectè advenerat, hic autem jam ipſe plurimum de calice iſto ante exhauſerat.

10. *Portat Simon Crucem poſt JESUM.* Nimirum hæreditatem, ſanè quàm pretioſam? ex tunc & ſuo quidem, ſed magis Eccleſiæ de gentibus cogendæ nomine accipiebat: ſicut enim Parentes aut amici morituri hæreditates deſignare, aut etiam ex parte tradere ſolent filiis, ſponſis, amicis, ita Chriſtus Simoni ſeu potiùs in illo Eccleſiæ ſuæ hæreditario quodam jure crucem legavit.

11. *Portat Simon crucem poſt JESUM.* Adam inobediens meruerat crucem maledictionis, & re ipsâ acceperat unà cum filiis ſuis: ſed ea fuit tam intolerabilis, ut eam neq́; nos, neq́; Patres noſtri portare potuerimus; itaq́; in hac cruce non ſalutem inveniebamus, ſed mortē: tam temporalem, ad quam à quatuor noſtri corporis portitoribus contrariis ſcilicet elementis aſſiduò urgebamur, quàm ſpiritualem & æternam, ad quam irrefragabili cæcitate malitiâq́; tendebamus. Sed ſubiit Dominus IESUS crucem iſtam, & tetigit hoc lignum feretri noſtri: atq́; ex maledictâ cruce benedictam cùm feciſſet, tradidit eam portandam non jam inobedienti Adamo, ſed obedienti Simoni, cum eâq́; non vocem deceptæ mulieris, ſed veſtigia ſua ſalutaribus impreſſa progreſſibus ſequi, juſſit uſq́; ad montem.

12. *Portat Simon Crucem poſt JESUM.* An Simon iſte, aliquid cum villico illo Luca 16.
iniquitatis, qui apud Dominum de diſſipatis bonis ejus diffamatus fuerat, habet 1.
ſimilitudinis? nam & é villâ veniens deſcribitur, & partim non volebat præ rubore, partim non valebat præ languore Crucem Domini portare, adeò ut invitus angariatusq́; debuerit compelli, tanquam qui diceret: *Fodere non va-* Luca 16.
leo, mendicare erubeſco. Sed benigni- 3.
tas Domini occurrit utriq́; incommodo: nam & ſponte liberaliterq́; illi crucis ſuæ jam à ſe dotatæ pignus obtulit, & foſſionis laborem, eum in ſe ſuſcipiens, ſeq́; in manibus & pedibus & latere fodiendum præbens, ab illo amovit: theſauroſq́; crucis, aliàs abditos ac latentes, jam tamen ex Dominicâ bajulatione reſeratos & patentes, ei- D dem communicavit.

13. *Portat Simon Crucem poſt JESUM.* Egreſſus Simon de villâ, occurrit Chriſto crucem ferenti: & fit particeps illico crucis

Digitized by Google

lico crucis ejus: Nemo renuntians ſe-
culo, & de villâ exiens mundi, exiſti-
met ſe ubi Chriſto occurrerit, & Chri-
ſto adhæſerit, ad delicias & quietem
venire. Aperiat oculos, & videat qui A
iſte Chriſtus, cui occurrit? Cruce onu-
ſtus ad montem aſcendit, intelligat
quod ipſi ſtatim, ut Chriſto occurrerit
& appropinquaverit imponenda & ſu-
beunda eadem crux ſit. *Omnes enim*
2.Tim:3 *qui pié vivere volunt in Chriſto, perſe-*
12. *cutionem patientur.* *Omnes qui Chri-*
ſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt cum
vitiis & concupiſcentiis ejus. Omnis
vita Chriſtiani, ſi ſecundùm Evangelium
vivitur, Crux eſt. Itaq; quisquis de vil-
lâ digrederis, & Chriſto occurris, cru-
ci ejus apta humeros: & porta illam
poſt IESUM uſq; in montem, ut ibi
cum eo crucifigaris & dicere poſſis.
Gal:2.19 *Chriſto confixus ſum cruci.* *De cætero*
nemo mihi jam moleſtus ſit. *Ego enim* B
Gal:6.17. *ſtigmata Domini JESU in corpore meo*
porto. Nemo jam moleſtus eſſe debet:
imo audeo dicere, quod neq; poteſt, ei,
qui Crucem IESU ſubiit, qui crucem
portat poſt IESUM, qui Chriſto con-
fixus eſt cruci. Quis enim illi aut in
quo moleſtus ſit: qui in crucem evaſit:
& ſuper adverſa omnia crucis tenet
principatum, poſſidens in patientia ani-
mam ſuam, & de cruce nonniſi cum
Chriſto deponendus, cujus unius in cru-
ce Societas abundans & ſuperabundans
eſt conſolatio: quod ab experientiâ ſuâ
aſſeruit unus quiſpiam de talibus, qui
2.Cor:1. dixit, *Sicut abundant paſsiones Chriſti*
5. *in nobis: ita & per Chriſtum abundat*
conſolatio noſtra. Hoc utrumq; con- C
junctum in cruce Chriſti, qui non vident
errant. Nam qui in cruce tantùm paſſi-
ones intuentur, conſolationes autem &
unctiones latentes non experiuntur:
terrentur & deficiunt, & convertuntur
Pſal:77. retrorſum in arcum pravum: rurſus qui
57. in cruce tantùm conſolationes imagi-
nantur, paſſiones autem & amaritudi-
nes non exſpectant, nec ſuſtinent, & iſti
lactis tantùm ſunt participes, ſolidi cibi
Luc:8.13. expertes, *ad tempus conſolationis credunt,*
tempore autem tentationis recedunt, & are-
ſcunt, quia radicem patientiæ non ha-
bent. Vtrumq; ergo in Chriſti Cruce
Iacob:1. attendendum eſt: *ut patientia opus perfe-*
4. *ctum habeat.* Ita Cyrenæus Simon invi-
tus crucem Chriſti portandam ſubiit:
quia in cruce nondum affixus Chriſtus D
fuit: at verò affixo in cruce Chriſto,
& ipſe crucem Chriſti libenter ſubiit &
animoſè prædicavit, & conſtanter uſq;
ad mortem portavit.

14. *Portat Simon Crucem poſt JESUM & portat angariatus ſeu invitus.* Crucem Gregorius
IESU in angariâ portare, eſt afflictio- Mor: 18.
nem abſtinentiæ, pro aliâ, quàm neceſſe c. 26.
eſt, intentione tolerare. An non IESU
crucem portat in angariâ, qui quaſi ad
præceptum Domini carnem domat, ſed
tamen ſpiritualem Patriam non amat?
Vnde & Simon idem crucem portat, ſed
nequaquam moritur: quia omnis hy-
pocrita, corpus quidem per abſtinen-
tiam affligit, ſed tamen per amorem glo-
riæ mundo vivit. Quod Sanctus Do-
ctor de afflictione abſtinentiæ, & de
pravâ in eâ intentione attulit: hoc
idem de omnis à DEo immiſſæ vel per-
miſſæ afflictionis impatienti toleratione
aſſeri poteſt: quisquis enim impatien-
ter afflictionem tolerat, angariatus cru-
cem Domini portat. Quisquis autem
cum humilitate flagella ſuſcipit, is fru-
ctum per patientiam Domino reddit,
& poſt flagella ad requiem ſublimiter
venit. Sic enim uva calcibus tunditur, Greg: hō:
& in vini ſaporem liquatur; ſic oliva 15. in E-
contuſionibus expreſſa amurcam ſuam vang.
deſerit, & in olei liquorem pingueſcit;
ſic per trituram areæ, à paleis grana ſe-
parantur, & ad horreum purgata perve-
niunt. Quisquis ergo appetit plenè vi-
tia vincere, ſtudeat humiliter purgatio-
nis ſuæ flagella tolerare, ut tanto poſt
ad judicem mundior veniat, quantò
nunc ejus rubiginem ignis tribulationis
purgat.

15. *Portat Simon Crucem poſt JESUM, & portat angariatus, ſeu coactus.* Quando
IESUS per plana & mollia incedit;
quando venit & vocat in hortum ſu-
um, quando introducit in cellaria ſua,
tunc ſumus multi ô Domine IESU,
qui libenter ſequimur te quocunq; ie-
ris: ſed ſequimur, non quia novimus & Io: 6 26.
amamus te, ſed quia de panibus tuis
manducamus: at quando vadis & vo-
cas ad montem & meſſem Myrrhæ: at Can:4.6.
quando aſcendis montem Moria, ad
montem umbroſum, luctuoſum, Calva- Matt:26.
riam: tunc verò jam non tecum ambu- 56.
lamus, jam relicto te fugimus omnes, Mar: 14.
jam vix vel ipſe Simon angariari cogiq; 50.
poteſt ad tollendam crucem tuam, pla- 2 Cor:1.
nè ſocii menſæ, & conſolationis, ſed 7.
non perinde crucis & tribulationis. Be-
ati tamen ii Domine IESU qui per- Lucæ 22.
manent tecum in tentationibus tuis, 28.
quibus tam dulcis es ad crucem, quàm
ad menſam: quibus tantò es carior
quantò vilior; tantò celſior, quantò hu-
milior.

Digitized by Google

milior, tantò pulchrior, quantò turpior: Non eſt enim diſcretio horum apud te Domine, non eſt, ſed in omnibus his tu unus & æqualis es. Imò verò ſi dicere licet: pulchrior eſt triumphus charitatis tuæ de te in amaritudine, quàm in dulcedine; in contemptu quàm in gloriâ; in morte, quàm in vitâ; in cruce, quàm in cœlo.

PARAGRAPHVS CXXXV.

Lucæ 23.27. *JESVS plangitur à mulieribus quarum planctum informat.*

PROPHETIÆ.

Iſaiæ 2. 19. 21. *In die illa introibunt in ſpeluncas petrarum, & in voragines terræ à facie formidinis Domini, & à gloriâ Majeſtatis ejus.*

Oſeæ 10.8. *Et dicent montibus: operite nos, & collibus cadite ſuper nos.*

Deut: 28. *Obſideberis intra portas tuas & comedes fructum uteri tui, & carnes filiorum tuorum, quas dederit tibi Dominus DEus tuus, in anguſtiâ & vaſtitate, quâ opprimet te hoſtis tuus.*

STROMATA

1. IN illâ maximâ populi multitudine, quæ IESUM ad mortem præcedendo & ſtipando & ſequendo comitabatur ac deducebat, ſimulq; variis ſtudiis & affectibus circa Chriſtum fervebat, fuerê etiam aliqui, qui compaſſionis affectum, ſeu naturali commiſerationе, ſeu aliquam de IESU notitiam, auditu ſaltem habentes, ſuper eum demonſtrarent: in quo officio eminuerunt potiſſimùm pleræq; mulieres: non eæ tantùm quæ ex cognatis & notis erant, quæq; eum (ut infra dicitur à Ioanne & Lucâ) ſecutæ erant à Galilæâ, (Ioan: 19 25. Lucæ 23. 27.) ſed etiam aliæ, quas teneritudo ſua innata ad lachrymas ſuper miſerum & morte damnatum hominem non difficulter provocabat. Hæ non plorabant Dominum ex fide & charitate in ipſum, ſed tantùm naturalis affectionis impulſu; pleriſq; etiam perſuaſum fuit non immeritò hanc mortem miſero eveniſſe, neq; ſine cauſa Principes tot in ejus necem conſenſiſſe, eumq; Barabbæ poſtpoſuiſſe, atq; eum eo nunc ad ſupplicium ex illo exigendum feſtinare. Quem ſenſum plangentium ſuper ſe Chriſtus Dominus haud probavit: & quanquam à ſeipſo removit planctum earum matronarum, non omnino tamen rejecit, A ſed quonam eſſet dirigendus, oſtendit.

2. Non eſt dubium ullum etiam inter Chriſtianos, quando Eccleſia recolit memoriam Paſſionis Dominicæ quãdo de eâ fiunt prædicationes in templo, eaq; audiuntur à populo, ſæpè à plurimis hominum defleri Dominicam Paſſionem, & compaſſionis motus excitari exerceriq; penè naturales: non quod non ut plurimum fundentur in notitiâ ex fide habita, attamen plurimum habent de naturali purè affectione: qualibus Paſſionis Chriſti recogitatoribus & defletoribus valde benè poſſet adhiberi hæc ipſa Domini noſtri præſens directio. Nolite flere ſuper Chriſtum (naturali compaſſione moti) ſed ſuper B vos ipſos, ſuper animas, ſuper mores, veſtros flete, quoniam &c. Iſte enim eſſet verus ac legitimus, & maximè tum Chriſto gratus, tum ipſis flentibus ſalutaris fletus: quem ſequeretur verus ac unicè deſideratus Chriſto Paſſionis ſuæ fructus, videlicet morum emendatio, & ſalus animarum: illo autem fletu & cõpaſſione naturali, vel penè naturali, nihil faciliùs areſcit, nihil remanet ſterilius; uti experientia quotidiana ſatis docet. Ex iſtis ergo Chriſti verbis ad haſce matronas lamentantes hoc diſcimus. Chriſto Domino non eſſe quidem ingratum planctum ſuper Paſſionem ſuam, ſed eum qui ad propriorum cujuſq; morum vitioſorum, animiq; C membrorum, nec non etiam publicarum corruptelarum & calamitatum deflectionem derivetur.

2. Dignum eſt conſideratione atq; etiam admiratione, quomodo Chriſto Domino ad tantùm ſermonis habendũ, otium ab inimicis & militibus, ductoribus ſuis, conceſſum fuerit. Mihi attendenti ad morem carnificum, ad furorem feſtinationemq; inimicorum Chriſti: otium iſtud non eſſe Domino conceſſum ſinè exercitio poteſtatis Dominicæ, quâ Dominus uſus, & omnem illam multitudinem ſecum ad locum ſupplicii procedentem ſtiterit in loco, & violentiam furoremq; inimicorum repreſſerit, temperâritq; tantiſper, dum ille totum ſuum ſermonem ad Matronas illas expe- D diret, prophetiamq; denuntiaret. Vix enim credibile eſt, hoſtes Chriſti naturaliter ita benignos in Chriſtum futuros fuiſſe, ut eum quâ ſubſiſtere, quâ ſe

Digitized by Google

ad lamentatrices convertere, quâ tantum ſermonis habere, pacificè, & abſq; impedimento, abſq; impulſionibus, abſq; obſtrepitionibus, permitterent. Ergo id miraculoſæ tribuendum eſt Chriſti poteſtati. Non ſecus ac in horto ante captivitatem factum fuerat, cùm Domi-
Ioan: 18. nus furentes lictores unicâ *Ego ſum* vo-
5. ce univerſos retrocedere, atq; cadere ſupinos coëgit: eodemq; tempore ſtatim, ne quiſquam ſuorum diſcipulorum comprehenderetur, pro poteſtate imperavit & effecit, & inſuper gravi oratione eorum in ſe fruſtraneos conatus, ſi poteſtate uti vellet, ipſis objecit, & ex-
Luce 22. preſſit: dicens; *Tanquam ad latronem e-*
52. *xiſtis &c. &c.* Pari enim hic ratione ac
Matt:26. poteſtate & ipſe ſubſiſtit, & alios quie-
55. tos tacitoſq; ſubſiſtere fecit: donec ef-
Mar: 14. ficaciſſimâ iſtâ peroratione atq; prædi-
48. ctione propheticâ, tam mulieres illas, quàm earum occaſione multitudinem circumſtantem totam admoneret, & erudiret.

4. Dignum & hoc conſideratione, in hac oratione & Prophetiâ ſuâ Dominum reſpexiſſe ad clades imminentes illi infelici genti & civitati, imminentes autem ob crudelem & iniquam necem ſuam, quam tunc patrabant filii Iſraël, & patrari ab gentibus ſatagebant ac faciebant: propter quod hanc ſuam
Oſee 10. necem Dominus in Oſea vocat duas ini-
10. quitates, quarum unam ipſi patrabant in odio Chriſti, & emptione ſanguinis, traditioneq; illius in manus gentium: alteram patrari à Pilato, & ejus miniſtris procurabant & accelerabant, in ejuſdem Chriſti iniquiſſimâ & indigniſſimâ crucifixione atq; morte. In quâ etiam non tantùm homicidii, ſed etiam Deicidii reos ſe faciebant: ut etiam ex hoc capite duæ ſint iniquitates eorum, propter quas deinceps à Romanis ſub Veſpeſiano & Tito, ita divinitus puniti ſunt: ut hoſtis ipſe agnoſceret fateretúrq; non ſuâ poteſtate, nec ſuorum militum feritate, ſed altiore quâdem divinâq; irâ tunc in Iudæos fuiſſe ſævitum: ut verè impletum ſit in Oſeâ dictum à Domino de hujus populi ſuppli-
Oſee 10. cio. *Iuxta deſiderium meum corripiam eos:*
10. *congregabuntur ſuper eos populi, cùm corripientur propter duas iniquitates ſuas.* Revera enim juxta deſiderium irati DEi puniti ſunt illâ calamitate excidii Hieroſolymitani ſub Tito facti, quando calamitas exceſſit furorem hoſtilem: & plùs ſævitum eſt in Iudæos, quàm vellet hoſtis ſævire. Cujus cladis Ioſephus ſcriptor Iudæus & ipſe, non tam hiſtoricum belli, quàm commentatorem hujus prædictionis Chriſti, (ſicut & prioris illius quando ſuper aſellum veniens
A Hieroſolymam Dominus, fecit) videtur agere in ſuis libris de bello Iudaico excidioq; Hieroſolymitano.

5. Quamvis certum ſit in hac oratione atq; prædictione reſpexiſſe Dominum IESUM ad cladem Hieroſolymæ à Romanis duce Tito inferendam: non eſt tamen etiam dubitandum in hoc ipſo ſermone Dominum reſpexiſſe ad calamitatem totius orbis in fine mundi ſuper omne humanum genus exſtituram. Cujus calamitatis Dominus in totâ Paſſione ſuâ videtur memor fuiſſe, & omni datâ occaſione eam inculcâſſe. Caiphæ Pontifici adjuranti, an ipſe eſſet Chriſtus Filius DEi vivi: poſtquam affirmatè reſpondiſſet, mox adjunxit de
B ſuo ad judicandum adventu. Idem ſequenti mane eidem Caiphæ, univerſoq; concilio in memoriam revocavit. Similiter hanc eandem judiciariam ſuam poteſtatem Pilato videtur indicâſſe Dominus, cum de regno ſuo eidem reſpondit, *Regnum meum non eſt de hoc mun-* *Io: 18.36.*
do &c. nunc autem regnum meum non eſt hinc: in quem etiam ſenſum trahi poſſent ſtatim ſubdita à Domino verba. *Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mun-* *Io: 18.37.*
dum ut teſtimonium perhibeam veritati. Chriſtus enim in judicio ſuo extremo maximum univerſaliſſimumq; teſtimonium perhibebit veritati univerſæ rationali creaturæ, Angelicæ & humanæ, electæ & reprobæ. Latet etiam judiciaria hæc
C Domini poteſtas atq; de peccatis arbitrium, in tertio illo authoritatis pleniſſimo reſponſo ad Pilatum poteſtatem ſuam jactantem à Chriſto datum. *Non habere poteſtatem adverſum me ullam, niſi* *Ioã: 19.*
tibi datum eſſet de ſuper: propterea, qui me *11.*
tradidit tibi, majus peccatum habet. Noviſſimè hoc etiam loco extremam mundi in judicio ſuo univerſali calamitatem depingit Dominus: eiq; nullas pares lacrymas eſſe docet: quoniam gravitate ſuâ vincent gravitatem horroremq; mortis: *eligentq; homines mortem quamcunq; Apoc: 9.6.*
violentiſsimam, ſed non invenient eam: deſi- *Apoc: 6.6.*
derabunt mori, & fugiet mors ab eis ut in Oſeé *10.*
Apocalypſi Ioannis dicitur; unde *8.*
quamvis ſupplicabunt montibus & col- *Iſa: 2.19.*
libus ut cadentes operiant eos à facie
D judicis & imminentis calamitatis, nequaquam tamen id beneficii obtinebunt. Nulla tamen eſt major calamitatum harum exaggeratio, quàm iſta Dominica,

quam in

Digitized by Google

quàm in poſtremis hujus ſermonis ſui
Luca 23. 31. verbis nervoſſimè illigavit dicens. Quia ſi viridi ligno hæc faciunt? in arido quid fiet? In quibus verbis Dominus ex duplici capite enormitatem tam ſuæ præſentis, quàm futuræ mundi calamitatis exaggerat. 1. Ex ſui cum mundo comparatione: quam ſub typo ligni virentis, fructuoſiq;, & ligni aridi, ſterilisq; facit. 2. Ex collatione malorum ligno viridi, & fructuoſo incumbentium, cum malis ligno arido ſuperventuris: quam collationem Dominus facit inde finitis vocibus. Si in viridi ligno hæc? in arido quid? quaſi dicat; ſi in innocente me, tantas clades aſpicitis, & defletis, certò certiùs ſcitote in univerſali judicio, longè, & longè majores his ſuper totum peccatorum populum futuras. Maximè quando iſtæ præſentes ligni virentis, hoc eſt meæ, nullatenus à me promeritæ clades, punientur omnes ad rigoroſam æqualitatem in omnibus lignis aridis, hoc eſt in omnibus peccatoribus, qui meæ Paſſionis authores fuerunt omnes, & qui fructum Paſſionis meæ in ſe evacuaverunt per nequitiam ſuam omnes. Quocirca nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos. Etſi enim hæc Paſſio mea fletu digniſſima ſit propter innocentiam meam, propterq; iniquitatem ſuam: nullâ tamen comparatione, majori fletu dignior eſt calamitas illa, quæ ſuperventura eſt,& vobis,& filiis veſtris, & urbi huic brevì, & orbi univerſo in fine ſæculi.

6. Chriſtus Dominus ſe ipſum viride lignum appellat, tanquam ſanum, vivens, virens, in radice, in caudice non violatum, ramis,& frondibus, foliis, floribus, fructibus abundans: quod non gratis locum occupet, in horto Patrisfamilias, ad cujus radicem ſecuris non ſit poſita; quòd ſit ad ignem minimè idoneum. Lignum viride Chriſtus: quia lignum vitæ in medio Paradyſi cœleſtis, habens folia ad ſanitatem gentium: in ſingulos menſes, hoc eſt ſemper, & aſſiduè fructus proferens, & quidem maturos. Lignum viride Chriſtus
Pſal: 1. 3. *ſecus decurſus aquarum plantatum, cujus folium non defluet, quod fructum dat in tempore ſuo: cujus omnia opera proſperabantur quæcunq; fecit,& facit.* Lignum viride Chriſtus, cujus radix Divinitas, truncus Humanitas, rami virtutes, folia verba, flores opera, fructus merita, viror plenitudo Spiritûs & gratiæ. Lignum viride Chriſtus, quod licet ſibi furentes Iudæi videbantur radicitùs evellere, & nomen etiam ejus de terrâ viventium eradere per Paſſionem, crucem & mortem probroſiſſimam, nihilominus revera Chriſtus erat lignum viride inimicis (Hier: 11. 19.) A ipſis conteſtantibus ejus viriditatem ſeu innocentiam & optimam famam. Ita enim teſtatus eſt Iudas traditor confitens peccâſſe ſe tradendo ſanguinem juſtum. (Matt: 27. 4.) Ita teſtatus eſt Herodes Chriſtum Pilato remittens,& morte minimè dignum aſſerens. (Luca 23. 11.) Ita teſtatus eſt Pilatus, omni quâ potuit ratione. (Matt: 27. 19.) Ita Uxor Pilati teſtata. Ita deinde latro in cruce. (Luca 23. 41.) Ita & univerſus orbis turbatus teſtatus eſt. Ita ipſi mortui teſtati, (Matt: 27. 52.) ita deniq; & illi, qui ab ejus mortui cruce revertebantur percutientes pectora ſua, & dicentes: Verè Filius DEi erat iſte. (Matt: 27. 54.) Super omnia verò ligni hujus virorem teſtata eſt Reſurrectio glorioſa ex mortuis: per quam Chriſtus repullulavit in meB liorem, quàm antè mortalitatis glorioſæ etiam quoàd corpus virorem: non ſecus ac lignum viride licet exciſum, tamen ex vivâ radice multiplicatis etiam fruticibus aſſolet reviviſcere & revireſcere. Fruſtra ergo impietas Iudaica laboravit, fruſtra calumnias & falſa teſtimonia corraſit, fruſtra furore inſaniit, fruſtra mortis turpiſſimæ conſilium ſuſcepit; non aruit iſtis omnibus Chriſtus, ſed viruit, ſed floruit, ſed fructificavit. dicente Prophetâ *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longævum.* (Iſaia 53. 10.) Tu verè o Iudæe, tu lignum aridum, tu lignum maledictum, tu maledictione Dominicâ emortuum, eradicatum, ſecuri & igni adjudicatum, appa-C ratumq;. Tu lignum aridum: carens fructu, caſſum foliis, fractum ramis, putidum & carioſum in caudice, venenatum in radice. Uva tua,uva fellis & botri amariſſimi. (Deut: 32. 32.) Tu lignum aridum: ignis æterni pabulum, cum ardoribus ſempiternis manſurum. Tu lignum aridum: non legem, non gratiam, non templum, non altare, non ſacerdotium, non Prophetias, non Regem, non Regionem, non libertatem, non honeſtatem, non amorem, non ſpem habens inter omnes nationes gentium. Tu lignum aridum maledictioni ſerviens uſq; in ſempiternum: quoniam arefacit te innocens ſanguis Chriſti, quem ſuper te, & ſuper filios tuos omnes in furoris tui malitiæq; conſummatione ſuſcepiſti. D Sed & tu quoque peccator quisquis es, aridum lignum es, ignis ſempiterni & iræ DEi pabulum es. (Matt: 3. 24.) audi Dominum ex malis ſuis mala tua tibi admetientem.

Si in viridi hæc faciunt: in arido quid fiet? Si ego DEi Filius tanta patior pro alienis, & pro tui ipſius culpis: tu pro tui ipſius ſceleribus tot, & tantis, quanta demum paſſurus es?

7. *Si in viridi ligno hæc faciunt.* Quos facientes Chriſtus hac voce reſpicit? 1. An imperſonaliter, & indefinitè hoc dicit faciunt, pro fiunt: quod etiam in noſtrate linguâ uſuvenit. 2. An reſpicit facientem Patrem æternum. 3. An Iudæos Paſſionis ſuæ authores. 4. An dæmones, quorum etiam hæc fuit hora, & poteſtas tenebrarum. 5. An milites Romanos. 6. An hæc ſimul omnia hac phraſi Chriſtus reſpicit, & attingit? Certè ad omnia hæc commodari vox
Iſaia 1.4. Domini poteſt. *Si in me Pater æternus aliena peccata ita caſtigat, in vobis filiis ſceleratis, ſeminis nequam quomodo eadem non atrocius caſtigabit?* Si Iudæi tantum in me in-
Io:14.30 nocentem furore ſuo ſæviunt: In Iudæos quantum ira furorq; DEi deſæviet? Si tantum abutuntur poteſtate ſuâ ad horam conceſsâ, diaboli in me affligendo, in quo non habent ſuum quidquam: quâ illam rabie exercebunt in filios perditionis, & in ſocios damnationis æternæ, in igne æterno, qui paratus diabolo
Matt:25.41. & Angelis ejus? Si tantum crudelitatis exercent Romani milites pauci à furore Iudaico ſtimulati in me: quantum iidem exercebunt olim (poſt 40. annos) in Iudæos, ſtimulati ab juſtiſſimâ DEi vindictâ. Si tantæ ſunt meæ pœnæ pro peccatis mundi, & cujuslibet peccatoris: quantæ demum erunt pœnæ illæ, quæ totius mundi peccatis & cujuslibet impii damnatiq; ſceleribus ab æternâ DEi juſtitiâ, irâq; infligentur? Hoc ſonat iſta Domini epiphonematica apoſiopeſis, exclamatoria reticentia. *Si in viridi ligno hæc faciunt? in arido quid fiet?* à quâ non abludit etiam illa Apo-
1.Petr:4.17. ſtolicâ. *Tempus eſt, ut incipiat judicium à Domo DEi. Si autem primum à nobis: quis finis eorum, qui non credunt DEI Evangelio? Etſi juſtus vix ſalvabitur? Impius: & peccator ubi parebunt?* Itaq; (commodè concludit ibidem) *& hi qui patiuntur ſecundùm voluntatem DEI, fideli creatori commendent animas ſuas, in benefactis.*

8. *Si in viridi.* Vſurpare poſſunt hanc Domini vocem pii ad impios, & impii ſuper ſemetipſos, quando vident.
Phil:2.12. *Electos DEi cum timore & tremore ſalutem ſuam operantes*, & tamen flagellum Domini non recedere ab eis: occinant ſibi hanc vocem. Si in iſto homine ſatis pio, & DEi ſervo viridiq; ligno hæc fiunt, in me arido, in me peccatore, quid juſta DEi irâ faciet? Si homines innocentes, DEiq; ſervi, Religioſi tam rigi-
A dam agunt vitam, & pœnitentiam: in me arido ligno quid fiet; niſi egero ſimilem: à me arido ligno qualis facienda eſt?

9. *Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* Non fuerit incommodus meditandi Paſſionem Dominicam modus hujuſmodi: Si ad quælibet ſelecta paſſionis puncta hæc conſideratio adhibeatur: *ſi hæc in viridi ligno faciunt in arido quid fiet?* Vide varios modos meditãdi Paſ. Chriſti.

10. Miretur quis: Cur Dominus qui paucos ante dies videns civitatem, & recogitans ejus mala ipſi imminentia, eademq; prædicens ſicut & nunc: tum fleverit: nunc verò non flet ipſe, ſed fleri jubeat ab aliis? An forte tunc fle- Lucæ 19.41.
B bat, quia ad civitatem ibat: nunc non flet, quia ab illâ exibat. An fortè tunc flebat, quia civitatem videbat: nunc non flet, quia illam non videt, ſed averſus eſt ab eâ non tantùm oculis corporis, ſed etiam miſerationis. An fortè tunc flebat, quia necdum completa erat malitia civitatis: nunc non flet, quia jam completa eſt iniquitas, nec jam remediabilibus Chriſti lacrymis eget, ſed propriis ſuorumq; filiorum & filiarum planctibus eſt deflenda? An fortè tunc flebat ſolis lacrymis oculorum, nunc autem flet membris omnibus lacrymiſq; ſanguineis? An fortè tunc flebat, quia circa ſuum triumphum honoremq; occupatam, ac propterea aliquomodo miſeratione dignam videbat: nunc non
C flet, quia triumphantem in ſceleratiſſimo ſcelere, hoc eſt, in ſuâ nece videt?

11. *Nolite flere ſuper me.* Quid eſt quod Dominus ſuper ſe ad mortem procedentem atq; patientem lachrymas fundi prohibeat, cùm tamen Propheta prædixerit mortem paſſionemq; ejus deflendam, *ſicut ſolet fleri, plorariq; in morte primogeniti?* Ipſum quoq; Dominum de Zach:12.10.
ſuâ Paſſione doluiſſe manifeſtum habemus ex verbis ejus, & geſtis in horto, Matt:26.16.
ubi cùm imaginatione animoq; percipere Paſſionem ſibi imminentem cæpiſſet, triſtatus eſt uſq; ad mortem: & Mar:14.34:
cæpit pavere, tædere, contriſtari & mœſtus eſſe, agonizare, deinde deprecari ca- Mar:14.33.
licem Paſſionis, ſanguinem toto corpo-
D re ſudare. lacrymas, gemitus, doloremq; abfuiſſe hic, neſcio, an quis cogitare poſſit? Præterea à Simeone prædictum, & re ipſâ completum eſt, gladio doloris

Digitized by Google

doloris utiq; pertranſeundam penetrandamq; fuiſſe Animam MARIÆ Virginis Matris Chriſti. Ad hæc Dominus ipſe ſacrificium Sacramentumq; Euchariſticum inſtituens: affirmavit ſe memoriale mortis Paſſioniſq; nec non cruentæ in cruce oblationis inſtituere: imperavitq; Apoſtolis, nec non eorum ſucceſſoribus, ut hoc ipſum facerent, offerrent, ſumerentq; in ſui, & mortis ſuæ commemorationem. Id quod etiam pleniſſimè demandat Apoſtolus dicens.
1.Cor:11. 26. *Quotieſcunq; enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.* Deniq; ipſe per Pro-
Thren: 1. 12. phetam partim invitat omnes, viam vitæ hujus tranſeuntes attendere, & videre ſi
Iſaiæ 37. 1. eſt dolor, ſicut dolor ſuus; partim indignatur, & dolet non eſſe, qui reſpiciat, qui conſideret, qui recogitet corde mortem ſuam, quiq; illum conſolaretur in doloribus ſuis. Quæ omnia nihil aliud ſonant quàm optabiles eſſe Chriſtò lacrymas planctuſq; ſuper ſuam amaram Paſſionem: Quomodo ergo nunc dicit, in ipſo æſtu Paſſionis ſuæ, nolite flere ſuper me. Aliquot ob cauſas dictum à Domino id arbitror. 1. eſt. quam ſupra etiam numero primò hic poſui, quia Chriſtum plorabant tanquam ex miſeriâ, neceſſitate, meritò, invitè patientem, quorum nihil in Chriſtum cadebat, ideoq; tanquam ex falsâ provenientem opinione causâq;, fletum averſatur: Chriſtus enim longè aliis nobilioribus cauſis patiebatur. 2. Eſt. quam ipſe Dominus innuit, cùm dixit; ſed ſuper vos, & ſuper filios veſtros flete: quià ſcilicet nolebat ſe defleri ob falſas cauſas ab his, qui haberent longè veriores juſtioreſq; flendi cauſas: innumera ſcilicet & immania mala, quæ ipſis ipſarumq; filiis, & poſteris imminebant: proinde lacrymas earum à ſe ad illas ipſas amolitur. 3. Quià flebant illæ ac tales perſonæ, quæ & quales minimè flere debebant, non flebant autem; imò flenda ridendo, & inſultando, exultādoq; patrabant hi, qui maximè flere tenebantur, non tantùmq; non ſentiebant damnum, & malum ſuum, ſed illud etiam patrabant, & patrare ſe inter lucra & felicitates, interq; res optimè geſtas reputabant: principes planè eorum, *qui*
Prov: 2. 14. *lætantur cùm malefecerint, & exultant in rebus peſsimis.* Quid enim pejus, quàm non agnoſcere, non recipere, rejicere, occidere, odiſseq; Chriſtum. 4. Quia Chriſtus volebat Paſſionem ſuam omnino puram eſſe, & ab omni creato extraneoq; ſolatio vacuam, ideò adventitiam hanc plorationem amovet à ſe. 5. Quià flebant tanquam pereuntem, & perditum; cùm tamen maximè tunc Chri-
A ſtus floreret, vigeret, vireretq;, maximè inquàm ſtrenuè certaret, phalangeſq: omnes tam Patri Æterno, quàm ſibi, quàm generi humano inimicas proſterneret, conculcaret, & triumphaturus de eis, montem conſcenderet: eaſq; in ipſo crucis, mortis, ſepulchri, & inferni nido, atq; Regno perſequens, ſcrutaretur, comprehenderet, & captivas conculcaret: adeo ut tempus illud ſtatusq; ille Chriſti, non tam planctus, & lacrymarum, quàm dies lætitiæ, & tempus exultationis cordis ejus fuerit. Quocircà juſtè, & rationabiliter Chriſtus fletum illum prohibebat. Ex alia tamen parte negandum minimè eſt, gratiſſimam eſſe rem Chriſto fletum ſuper Paſſione ſuâ,
B exigereq; illum propter graviſſimas & utiliſſimas cauſas Eſt enim dignum, & juſtum flere ſuper Chriſtum patientem. 1. Quia hoc eſt Chriſto compati, ſeu cum Chriſto pati: pati autem cum Chriſto ſummi eſt meriti, ſummæ dignitatis, ſummæ etiam felicitatis, adeo ut hæc ſit una, ſola, ſumma hujus vitæ beatitudò pati cum Chriſto, ſeu, quod idem eſt, pati pro Chriſto. 2 Quia flere Paſſionem Chriſti, vel propter Paſſionem Chriſti, eſt aliquomodo jam refundere fructum mercedemq; Paſſioni Chriſti, & patienti Chriſto. In amicitia ſiquidem, inter parentes, & filios, inter Dominos, & ſervos, tempore afflictionis eorum, nihil priùs, nihilq; juſtiùs exhi-
C betur, quàm compaſſio, comploratio, & fletus; maximè quando videt amicus amicum, filius Parentem, ſervus Dominum, ſuâ causâ afflictum, prout in præſenti accidit. 3. Dignum eſt flere patiente Chriſtò, quia Paſſionis Chriſti cauſa primaria nos ſumus. Nos inquã quia peccatis noſtris Paſſionem Chriſtò cauſavimus. Nos quia pœnas peccatis noſtris debitas in Chriſtum refudimus: Nos, quia nos Paſſione Chriſti ſanamur, lavamur, redimimur, ditamur, liberamur, vivificamur, glorificamur, ornamur. Nos, quia amore noſtri Chriſtus tanta patitur: Nos, quia, qui tanto ſumptu, tam pretioſo litro immaculati Agni Filii DEI quærimur, emimurq;, nos ſumus. Nos, quia cùm tam pretioſo,
D imò tam immenſo ſumptu, labore, doloreq; ſimus quæſiti, empti, obtenti, tamen ſumus extremè, & aſſiduè huic noſtro Redemptori, quæſitori, amatoriq;

ingrati, rebelles, refractarii, contemptores. Nos, quia, cùm ſimus tam copioſâ redemptione redempti, quæ mille millibus mundorum ſalvandis par, quin & major eſſet, tamen ſoli nos, & quidem non omnes nos, & inſuper pauciſſimi nos, efficaciter fructum Paſſionis tantæ conſequimur: innumeri autem alii noſtrâ malitiâ faciente non conſequimur, adeò ut ſi comparetur valoris immenſitas infinitudoq; in Chriſti Paſſione reſidens cum paucitate electorum: nulla ſit hujus cum illa proportio: perinde ac finiti ad infinitum nulla eſt comparatio. tam exiguum eſt operæ pretiū, tam immenſi pretii redemptionis à Chriſto pro nobis effuſi. Ah quibus lachrymis deflenda eſſet tanta ſterilitas, tam validæ immenſæq; Redemptionis: tanta hominum reproborum ingratitudo, tanta appretiatio tam paucorum electorum; ut illi ſoli, iiq; admodum pauci ſint efficax, & realis fructus Paſſionis Chriſti? O hic deducite oculi mei exitus aquarum veſtrarum, & deflete Paſſionem Chriſti, tam profuſam, tam pretioſam, tam reſtrictam! O Electi DEi, quam verè quàm ſingulariter, electi eſtis à DEo. quibus ſolis, quibus paucis, quibus ſingulis, hoc pretium totum impenditur, quod infinitis hominum mundis redimendis ſalvandisq; copioſè par eſſe cognoſcitur. O electi! quantùm eſtis obligati DEo, Electori, & Chriſto redemptori, quibus ſolis & ſingulis redimendis, & ſalvandis tantùm impenditur, quantùm omnibus hominibus, imò omnibus hominum mundis, ſufficiens redundansq; invenitur. 4. Adhuc dignum eſt flere Paſſionem Domini, & ſuper patientem Chriſtum, quia tantum DEi beneficium tantumq; bonum & donum (quantum eſt Chriſtus DEi Filius, verusq; DEus, quem Pater ex immenſo amore miſit in mundum, ut ſalvaretur mundus per ipſum) tam nihilominus eſt indignè, tam miſerè, tam crudeliter, tam efferatè tractatum, contemptumq; ut etiam Filius Unigenitus DEi, poſt omnes carnificinas, demum in crucis patibulo mactatus ſit, tantumq; donum & bonum omnino (quantum in malitia hominum fuit) deſtructum, & perditum, atq; ex odio & malitiâ de rerum naturâ ſublatum ſit. Et quam tandem cladem ſuam deflebit aliquando, non dico genus humanum, ſed tota quãta eſt univerſitas rerum Si hanc non deflebit? Quod ſcelus deflebunt mortales, ſi hoc non deflebunt? Vtiq; neq; cogitari, neq; fingi poteſt ullum damnum, ullumve peccatum, hoc uno DEicidio. 5. Præterea dignum eſt deflere Chriſti Paſſionem, quia hoc fletu nihil animæ deflenti ſalubrius: diſcit enim & rependit amorem amatori tanto: evocat & ſibi applicat efficaciter valorem, pretiumq; ſanguinis Chriſti, meritis ejus ſeſe exornat, & communit, confirmat ſe in amore, & æſtimatione, & uſu paſſionis Chriſti. emundat in ſe expiatq; peccata, delet vitia, plantat virtutes, & rigat, & ad perfectionem fructuoſitatemq; deducit. omnem diſcit juſtitiam, omnem exſoluit gratitudinem, inflammat charitatem, induit humilitatem, diſcit manſuetudinẽ, patientiam, & obedientiam, perſeverantiã. Exſtinguit cõcupiſcentiam, abolet purgatorii pœnam. In delicias & cellas vinarias admittitur ſponſi: *habitat in cavernis maceriæ, & ſecurè quieſcit in foraminibus petræ januas cæli poſſidet beatitudinis* arrham, & pignus habet. (Cant. 2. 14.) 6. Neq; tantùm hoc animæ ſoli ſalubre eſt flere Paſſionem Chriſti, ſed etiam per has lacrymas dives efficitur, adeò: ut etiam utilis efficiatur univerſo. Etenim anima, quæ, lacrymas in Paſſionem Chriſti fundit, terribilis, & inacceſſa eſt dæmonibus: eorumq; vim & rabiem, & fraudes tam á ſe. quàm ab aliis repellit, & longè facit. Non poſſunt enim dæmones ſubſiſtere ante faciem Animæ amore, & lachrymis ſuper IESUM patientem armatæ & pugnantis, perinde ùt ſunt à JESU patiente expugnati, & victi. Sicut è contra nulla Anima Paſſionis Chriſti immemor poteſt reſiſtere diabolo, ejuſq; artes ſuperare. Nulla poteſt concupiſcentiæ ſuæ frenum injicere, ardoresvè reſtinguere, nulla jugum dominantis ſenſualitatis excutere. caret enim armis iſtis, quibus ſolis diabolus expugnatus eſt, & expugnari poteſt. Ardorem purgatorii pœnarum reſtinguit; & animas patientes refrigerat, ſolatur, liberat, etenim non poteſt JESU paſſi benignitas animabus purgatorii clauſa eſſe, quam lacrymæ ſuper Paſſione ipſius fuſæ pulſant & emolliunt. Nam ſi ad fletum Magdalenæ ſuper Lazarum lachrymatus eſt IESUS, quomodo ad fletum animæ ſuper ſuam Paſſionem non fluat in miſerationem idem IESUS? Habet omnia bona DEi anima Paſſionem Chriſti deflens: nam cùm Paſſioni Chriſti pateant, & pareant apud DEum Patrem omnia. Animæ autem huic ipſa Paſſio pateat, quidni illi etiam ſimul omnia

bona DEi

bona DEi recluſa ſint? *Recreat* & inebriat lachrymis ſuis Angelos beatoſq; omnes anima Chriſtum paſſum deflens. Nam ſi lachrymæ pœnitentium, quantò magis lachrymæ IESUM paſſum amantium, vinum erunt Angelorum? Specialiter quoq; talis anima cor MARIÆ Virginis lætificat: quoniam gladium doloris, quo Virgo Sanctiſſima transfixa in Paſſione Filii fuerat, participat & portat. Chriſto porro quomodo non ſit talis anima ſolatio & voluptati, & gloriæ: quæ hoc ipſo, quòd Paſſionem ejus recolit & deflet, mercedem Paſſione à Chriſto quæſitam, ipſi Chriſto repræſentat? quid enim aliud quæſivit Chriſtus Paſſione ſuâ, quàm ut animæ ſanarentur, ſalvarentur, ditarentur, afficerentur, reficerentur, paſcerenturq; ejus paſſione. Deniq; totius Sanctiſſimæ Trinitatis gloriam magnificat & multiplicat, Anima Paſſioni Chriſti recolendæ amandæq; devota. Nam neq; ullum opus DEi ad extra celſius eſt perfectionibusq; ac theſauris Divinæ naturæ & plenitudinis repræſentandis accommodatius Paſſo Chriſto, & Paſſione Chriſti: & nullum pignus pretioſius gratiusq; offerri poteſt Sanctiſſimæ Trinitati ab Anima, quàm JESUS Paſſus: & nullus cultus, honorq; exhiberi poteſt Trinitati, quàm per oblationem patientis IESU, & nullo expiationis ſacrificio ira DEi placari efficaciùs infallibiliusq; poteſt, quàm repræſentatione Patientis IESU, & repræſentatione, expreſſione, ac ſenſu Paſſionis ejus: & nullâ ratione magnificentiores gratiæ reddi, agiq; poſſunt Sanctiſſimæ Trinitati, pro omnibus beneficiis ejus in creaturas, nominatimq; pro Paſſione Chriſti, & fructibus illius, quàm amoroſâ & ſuavi Paſſionis Chriſti recordatione, dilectione, deploratione, repræſentatione, oblatione. Iuſtum ergo ac dignum eſt, Paſſionem Dominicam deflere.

12. *Nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos, &*
Lucæ 23. *ſuper filios veſtros, quia ecce venient dies, in*
29. *quibus dicent: beatæ ſteriles.* Magnæ utilitatis eſt commonitio iſta Domini & medullitus omnibus ediſcenda, perpetuòq;
Eccle: 11. in corde & ore habenda. Monet Sa-
27. piens: *ut in die malorum homines ſint memores bonorum:* & contra. *in die bonorum memores ſint malorum:* Nihil enim eodem unoq; tenore currit in mundo in hac vita, ſed læta proſperaq; interpolantur amaris & triſtibus. Ergo quisquis ſe in
Lucæ 23. adverſis videt, occinat ſibi, quia *ecce ve-*
29. *nient dies:* ſoleturq; ſe, ſpe meliorum: quisquis contra in proſperis degit, modeſtiam ſibi indicens, dicat: quia ecce venient dies: de quibus dices non mihi placent. Ita Chriſtus ante Paſſionem
A ſuam dicebat. *Mundus gaudebit vos verò* *Io: 16. 20.*
contriſtabimini, ſed triſtitia veſtra convertetur in gaudium: & ſinè dubio mundi gaudium vertetur in triſtitiam. Triumphet ergo mundus ut volet in præſenti, ſed juſti occinant illi, quia ecce veni-
ent dies: *Inſultet & devoret impius meliorem ſe:* ſed audiat interim dici ſibi, quia *Habac: 1. 13.*
ecce venient dies: in quibus *impius divi-* *Iob. 20.*
tias, quas devoravit, evomet, & extrahet eas *15.*
DEus de viſceribus ejus. Neq; dormiens ſu- *Pſ. 48. 18.*
met omnia, imo nihil ſumet ex omnibus, neq; deſcendet cum eo gloria ejus. Obganniebant olim (ſicut & nunc) impii juſtis
exiſtimantes *vitam eorum eſſe inſaniam. &* *Sap: 5. 4.*
finem ſine honore. Sed ecce venerunt dies alii & *juſti computati ſunt inter filios DEi, & inter Sanctos ſors illorum poſita eſt.* Po-
B tiſſimum ergo in mente habendi ſunt æterni anni, & æterni ſeu extremi dies, quibus non ſuccedent alii dies, qui dies, ſi alicui fuerint perditionis & ultionis dies, nulla unquam mutatione ſuccedent illis miſerationis, & ſalvationis dies, ſed erunt & ſtabunt æternæ damnationis & mortis dies. quodſi cui, illi ultimi dies erunt ſalvationis & miſerationis dies, tunc verò illi erunt veri æterni immutabiles dies, quia erunt beatitudinis & Regni & vitæ & gloriæ æternæ dies. O IESU ſæpe, ſæpe, imò aſſiduè revoca menti meæ, menti hominum omnium iſtos æternos, iſtos incommutabiles dies, qui ubi venerint, illis nulli alii ſuccedent dies.

C 13. *Venient dies in quibus dicent beatæ ſteriles.* Quæ ſunt iſtæ ſteriles beatæ? Ad literam quidem Dominus intelligit hic eas, quæ à calamitate Hieroſolymitanâ per Titum & Romanos inferenda, vel non deprehendentur, vel ſi deprehendentur, ſteriles & ſinè liberis deprehendentur, non enim ad multiplicitatem calamitatis ſuæ videbunt filios ſuos cadere in gladio, nec filias duci ad captivitatem & ignominiam, nec devorabunt adigente fame coctos filios ſuos: Verè enim in tali paſſu beatiores ſunt ſteriles quàm fœcundæ, & lactantes, unde merito Dominus dicit, *beatæ ſteriles* &c. quia vult explicare tantam futuram illam cladem urbis & Iudæorum Domnium, ut beatiores cenſendi ſint ii qui nunquam nati ſint, neq; in hanc lucem editi, quàm aliquando in hanc vitam nati. hoc enim vult iſta loquendi

Digitized by Google

ratione indicare: quâ ſimul oſtendit ſatiùs eſſe pro illo tempore nec genuiſſe, nec natum fuiſſe, quàm in adeò luctuoſos dies vivendo perveniſſe. Nihilominus eadem Domini verba coincidunt A cùm illis aliis, quæ de extremis mundi diebus prædixit: væ prægnantibus & nutrientibus in illis diebus. Quæ ſunt iſtæ ſteriles beatæ & quæ prægnantes maledictæ? Non utiq; aliæ quàm illæ animæ, *quæ licet veniant ad partum, tamen*
Iſ: 37. 3. *non eſt in eis virtus pariendi*, quæ bonis voluntatibus, deſideriis, verbis, votis, propoſitis ſunt prægnantes, & dilationibus ſe ipſas, ac DEum lactantes, ſimul ac eludentes, parum aut nihil in effectum deducunt, effectum verò inchoatum, & quaſi lactantem ad maturitatem conſtantiâ proſecutionis non deducunt. Prægnantes ſunt, qui dicunt in corde & vitâ ſuâ quotidie, cras, cras. prægnan-
Num: 22. tes ſunt, qui optant *ut anima eorum mo-*
10. *riatur morte juſtorum*, ſed execrantur in-
Luc: 8. 13. terim opera, & vitam juſtorum. prægnantes ſunt, qui audiunt verbum DEi & excipiunt. Sed ad tempus credunt, tempore autem tentationis recedunt, & venit diabolus & aufert verbum de corde ipſorum. prægnantes ſunt qui domũ habent ornatam, mundatam, ſed vacantem, quam Spiritus nequam inhabitan-
Matt: 12. dam intrat *cum ſeptem aliis nequioribus ſe.*
44. Prægnantes ſunt hoc etiam tempore quam plurimi Chriſtiani, qui his diebus pœnitentiam ſcilicet faciunt, templa, orationes, jejunia, Sacramenta frequentant, ſed venientibus diebus Paſchalibus ab omnibus his reſilient, & veluti canes ad vomitum ſuum denuo revertentur. C Ejuſmodi prægnantes & lactantes una cum lactentibus ſuis Chriſtus in præſenti maledicit, væ prægnantibus, & lactantibus, & præ illis beatas magis aſſerit ſteriles & quæ non lactaverunt.

14. *Aliter quoq; beatæ ſteriles, væ autem prægnantibus dicitur.* de illis ſterilibus, qui peccatorum non rei neq; conſcii gravium: morti Chriſti cauſam non gravem
Hebr: 6. 6. dederunt: illis prægnantibus væ, qui ſcelera ſceribus cumulantes iterum & iterum, & ſæpius & millies Chriſtum crucifigunt, & oſtentui habent: ô ſic prægnantibus væ, ſic parturientibus væ, quemadmodum & illis, qui perditione ſuâ non contenti, aliis quoq; ad perditionem duces ſunt ſollicitando, voce, minis, præmio, ſpe, impunitate, laude, D ſuaſu, diſſimulatione, defenſione, exemplo, irriſione ad ſcelera provocando, ducendo, impellendo, alienoſq; nequitiæ partus patrocinio ſuo lactando & confirmando donec formetur diabolus in illis. Beatæ animæ ab hac fœcunditate ſteriles, & nullos cætus impiorum, nec ipſæ ſequentes, nec poſt ſe ducentes: tales manet nomen melius à filiis & fili-
abus apud DEum: tales manet fœcun- Iſ: 56. 5.
ditas virtutum & exemplorum Sancto Can: 1. 3.
rum: quorum odòre trahantur adole- Sap: 4. 1.
ſcentulæ animæ ad ſponſum Chriſtum, & occupant nomen caſtæ generationis in domo Domini DEi ſui.

15. *Tunc incipient dicere montibus: Cadite ſuper nos.* Teſtis luculentus Ioſephus Iudæos in bello ſuo, quo à Romanis cum urbe & templo exciſi ſunt profunda terrarum, cavernas montium ſpeluncasq; petrarum magno numero ſubiiſſe, rabiemq; Romanam effugere ſtuduiſſe: quod quid erat aliud, quàm dicere montibus, cadite ſuper nos, & collibus operite nos. Impleta ſunt ergo verba Chri- B ſti: & reddita eſt infelici populo iniquitas ſua: ut ex hoc diſcat omnis peccator, apud DEum nullum peccatum eſſe impunitum: ſed quantumlibet differatur pœna, ideo differri ſciatur, ut contempto ad pœnitendum dato tempore, gravior & irremiſſibilior pœna perferatur: ut item diſcant peccatores, illa vel maximè ſibi intollerabilia fore in ſupplicio, quæ quando perpetrabantur majori peccantibus viſa erant fuiſſe ſolatio.

16. *Montes cadite ſuper nos.* Quid eſt quod peccatores imminentibus ſcelerum ſuppliciis montes invocant? Nunquid montes impedire poſſunt acceſſum iræ DEi, ad peccatores? non equidem. Sed peccator montem in ſupplicio ſuo cadere ſuper ſe invocat, quia ſcelera perpetrando, peccataq; peccatis addendo, & ſe propriâ voluntate, proprio ſui amore contra DEum erigendo, quaſi montem quendam cumulabat. Montes ergo cadere deſiderat, quia ſe, deſperando de veniâ, obdurato corde amens in parata, & debita ſupplicia præcipitat. Montes cadere ſuper ſe peccator invocat: quia pœnas, peccatis ſuis, tanquam montes montibus incubantes, metu & furore inſaniens deſiderat. Montes cadere ſuper ſe peccator clamat, quia his ſe jam montibus bajulandis aſſuetum longo peccandi uſu non ignorat. Mons enim omne peccatum eſt, & mõtes omnia peccata ſunt: quos montes peccator non tantùm non gravatè, ſed
etiam libenter & jucundè portat. *Qui* Iob: 15.
enim bibit ſicut aquam iniquitatem: & læta- 16.
tur cum

tur cum maleficit: quid aliud, quàm ſub montibus inſipiens ludit. Sed & diabolus peccatoris cujusq; Dominus, quidam veluti mons eſt, quia peccatorem quem ſemel poſſedit æternum immotus tenet. Hos montes peccator toties invocat, quoties peccata perpetrando, ſeſe diabolo in ſervum & mancipium donat. At enim gygantes ſub montibus ludentes. Ecce venient dies, in quibus ſtillabit furor Domini ſuper vos: cujus ſtillas & guttas ferre, dum non poteritis: tunc montes peccatorum dæmonumq; cadere ſuper vos deſiderabitis: leviora enim vobis erunt omnia diabolica & gehennæ tormenta, quàm æterna Divini furoris ſtillicidia. Sed quis ex peccatoribus novit ô Domine poteſtatem iræ tuæ, & præ timore iram tuam dinumerare, ne dum ſupportare quis poterit?

Prov: 2. 14.

Vener: Beda lib. 3 in Mar: 11. montis nomine intelligi diabolum aſſerit.

Pſal: 89. 11.

17. *Montes cadite ſuper nos.* Quæ iſta pluvia tam immanis & portentoſa ex collibus & montibus conflata? aut quæ nubes tam gravidæ, ut montibus collibusq; integris pluant? Opera DEi ſi bene deſpicimus, tam magna omnia ſũt, ut omnia colles & montes dici poſſint: alia verò ſunt opera miſerationis, dilectionis, largitatis, pietatis, dulcedinis, ſalvationis, condonationis, & hæc opera, tanquam montes DEi, in indeficienti copiâ manant aſſiduè ſuper homines obruuntq; illos, & obſtringunt & concludunt, ut emergere extra illos, multò magìs ſupra illos non poſſint. Sed hos montes omnis peccator contemnit & deſpicit: neq; illos ſuper ſe per ſingula momenta decidentes agnoſcit aut æſtimat: ſed reputat data tanquam innata, & utitur divinis tanquam propriis; neq; cogitat de illis à ſe aliquando vel repetendis vel reddendis. *Propter quod irritavit impius DEum: dixit enim in corde ſuo non requiret*: ut ergo conſtet impio, quia impiè cogitat, dum DEum non requiſiturum putat: ideo DEus ſubtractis montibus prioribus, montibus miſerationem, & pietatem, & veniam ſtillantibus, inducit ſuper peccatorem montes requiſitionis & examinis, montes iræ & juſtitiæ, montes furoris & indignationis, montes ſupplicii & æternæ damnationis. Ab horum montium ſanè formidandorum pluviâ & tempeſtate, ut effugiant impii, priorum miſericordiæ montium imbrem expoſtulant & inclamant, *dicentes Montibus: Cadite ſuper nos, & collibus: Operite nos*: ſed fruſtra in horâ ultimâ impius deſiderat miſericordiam, qui in vita ſua nequitiis ſuis repellebat gratiam, & provocabat vindictam. Merito autem juſtitiæ patitur pluviam, qui ſibi per DEi longanimitatem theſaurìſabat iram.

Pſ: 9 33.

Luce 23 30.

Rom: 2.

A

18. *Nolite flere ſuper me.* Hic intueri licét pietatem cordis Domini noſtri IESU Chriſti, qui licèt eſſet in ſummis afflictionibus, ſua tamen mala defleri ab aliis non vult: ſciens alios & quidem ſuos adverſarios gravioribus urgeri malis periculiſq;; quos defleri mavult & jubet: proinde pias lacrymas à ſe, ad alios illos amovet. Ex quo diſcant juſti non ſua mala ſentire; ſed peccatorum & in peccatis volutantium hærentiumq; deflere, pioq; iis DEo reconciliandis provocantur & deducuntur. diſcant quoq; peccatores in quàm miſero periculoſoq; ſtatu verſentur, cùm Chriſtus ſuorum oblitus malorum, ſtatum eorum potiùs defleri velit quàm ſuum. diſcant deniq; iidem, quàm patens cor IESU ad veniam habeant, ſi pœnitere velint, cùm IESUS ſui oblitus eorum tantùm ſalutis curam & malorum deplorationem curet.

B

19. *Nolite flere ſuper me.* Si quiſpiam illo tempore quo hæc agebantur intuitus fuiſſet ex una parte Chriſtum vinctũ, captivum, ad Crucis mortem damnatum, pergentem cum latronibus, cinctum carnificibus & cuſtodiis; datum in gaudium inimicis, per omnia abjectum, miſerum, deſperatum; ex altera autem alios omnes ab ipſo diverſos homines: deq; eorum amborum ſtatu judicium ferre debuiſſet: haud dubiè res metiens humano oculo, alios quidem omnes felices & ſecuros, Chriſtum verò ipſum, omnino miſerrimum deploratiſſimumq; judicâſſet. Ecce tamen veritatem ipſam teſtem, judicem, aſſertricẽq; habemus oppoſiti ſtatûs, oppoſitæq; amborum fortunæ. Quem ait vos deflendum & calamitoſiſſimum putatis, nolite errare, nolite flere ſuper me. Vos ipſos deflete, vos & filios & cives, & populares veſtros deplorate: miſerior enim eſt illorum ſors quàm mea. meæ ſortis, quæ videtur miſera, gloria & felicitas eſt finis: veſtrum autem omnium gaudium convertetur in luctum, nunquam terminandum. Hinc oportet colligere quam ſint diſpares ſenſus Divini, & humani de rebus humanis & præſentibus: quæ nobis miſera, DEo proſpera, quæ nobis proſpera, DEo miſera videntur & cenſentur.

C

D

Digitized by Google

PARAGRAPHVS CXXXVI.

JESVM duo latrones comitantur ad locum mortis.

Luc: 22. *Et cum iniquis reputatus eſt.*

STROMATA

1. EXaggerandæ ignominiæ Chriſti causâ, placuit Iudæis adjungere Chriſto ſocios ſupplicii eosq; duos, inter quos medius Chriſtus crucifigeretur, ut hac ratione, & maleficus latro, & præterea latronibus nequior, vel eorum caput eſſe, ex eorum ſocietate exque loco, ac ſitu inter ipſos medio appareret.

2. Videtur etiam Pilatus ad hanc latronum cum Chriſto in pœnâ Crucis aſſociationem eò faciliùs conſenſiſſe, ut quoniã conſcius ſibi erat innoxiè Chriſtum à ſe damnatum ad Crucem, injuſtitiam ſuam hac notoriorum latronum, cum Chriſto crucifixione velaret aliquantum: ratus proclive fore plurimis, ut videntes Chriſtum cum latronibus crucifixum publicè notis, arbitrarentur etiam Chriſtum latrocinii convictum pariq; cum eis pœnâ affectum.

3. Frequenter ne dicam ſemper cum IESU ducuntur alii duo nequam: & quidem ſemper ad Crucem, eſto ad aliquid aliud duci Chriſtus videatur. Quidquid enim agunt homines quantumlibet pium, Sanctum, virtuti affine, ut plurimum tamen in eo quærunt ſe & ſua: ſuam ſcilicet propriam & voluptatem & voluntatem. quod quid eſt aliud, quàm cum IESU ducere duos alios nequam. Io: 12. 6. Quando Iudas indignabatur ob perditionem unguenti ſuper caput IESU à Magdalena effuſi: pro egenis zelare videbatur, & tamen ille tunc temporis fur erat & latro, nec de egenis pertinebat ad eum, ſed prætextu curæ pauperum, loculos implere quærebat, & furari cupiebat. Luc 18. 11. Quando Phariſæus aſcendebat ad templum ut oraret, gratias agebat DEo, & tamen dum hoc ſpecietenus agebat revera ſemetipſum laudabat, & publicanum aliosq; omnes damnabat, per quod etiam nihil aliud agebat, quàm duos nequam cum IESU ad Crucem ducebat.

4. In hoc proceſſu duorum nequam cum IESU videre eſt quatuor ordines crucem ferentium, ferebat IESUS ſi- A nè culpa, cum patientia & manſuetudine, ferebat unus nequam ſeu latro cum culpâ & impatientia, atq; ſinè ullo ſuo commodo apudq; DEum merito: ferebat alter nequam cum culpâ & cum patientiâ, & per hoc cum fructu ſuo: addamus quartum: ferebat Simon Cyrenæus ſinè culpâ & cum angariâ. Hi ſunt quatuor ordines hominum in hac vitâ, quæ ſinè tribulatione non eſt, & in quâ nemo ſinè cruce eſſe poteſt, fruſtraq; illam quis aut fugit, aut effugere ſe ſperat: ſicut umbram ſuam ita crucem ſuam nemo effugere prævalet: ſed nolens volens illam bajulare cogitur: ſed intereſt quomodo tribulatio ſupportetur. Non bene Simon, pejus latro B primus, meliùs latro ſecundus, optimè Chriſtus.

5. Quæri adhuc poteſt quid attinebat duos nequam addi ad Chriſtum, ut cum eo crucifigerentur: cur non donata his duobus vita ſicut & Barabbæ? cur non dilata mors illorum? Prophetans & conſulens Caiphas dixerat. *expedire ut* Ioan: 11 49. *unus homo moreretur pro populo & non tota gens periret*: quorſum ergo ducuntur alii duo nequam cum eo? Sunt qui ſentiunt Iudæis in more fuiſſe, ut in maximâ ſuâ feſtivitate inſignes maleficos, & publico bono noxios morte afficerent ad aliorum terrorem, qui ut ad plures facilè perveniret, eligebatur tempus maximi ad civitatem Sanctam concurſûs, C qui erat ſumma & præcipua celebritas. Quæ traditio ſententiaq; ſi vera eſt intelligimus Dominum IESUM admirabili conſilio ſuæ ſapientiæ elegiſſe morti ſuæ tempus tale, quo eſſet tum ignominioſſima, tum vulgatiſſima: quorum utrumq; Chriſtus voluit non minùs ad ſuam pœnam pœnarumq; ſitim explendam, quàm ad ſalutem redemptionemq; noſtram cumulandam, charitatem autem ſuam in nos liberaliùs conteſtandam.

6. *Ducuntur cum Chriſto duo nequam.* Semper enim Chriſtum duo nequam comitari ſolebant: recolatur vita Chriſti ab initio ad finem; ſemper inveniemus Chriſto alios aſſenſiſſe, alios con- D tradixiſſe. Cùm eſſet naſciturus excludebatur ab hominibus, recipiebatur à beſtiis: natus reclinatus eſt in præſepio, quia non erat ei locus in diverſorio. Adoratur à paſtoribus & Regibus, Luc: 2. 7. neglige-

Digitized by Google

Matt: 2. negligebatur & ad mortem quærebatur
Matt: 9. ab Herode & Principibus. Cùm dæmo-
33. nia ejiceret, & alias virtutes innume-
ibid: 34. ras faceret, alii mirabantur in omni-
bus, quæ glorioſé fiebant ab eo: alii ve- A
Marci 3. rò ajebant: in Principe dæmoniorum,
21. ejicere dæmonia & in furorem verſum
eſſe dicebant: alii aſſerebant, quia bo-
Ioan: 7. nus eſt, alii verò dicebant non, ſed ſe-
12. ducit turbas. Hunc in modum tota Chri-
ſti vita exiit: & in omni paſſu duos
nequam comites ſecum habuit: quorum
unus ſemper blaſphemavit, alter utcūq;
fide ſuâ Chriſtum recreavit.

7. *Ducuntur cum Chriſto duo nequam.* Cum
heri caperetur Chriſtus in horto, dixit
Matt: 26. ad turbam illam inimicam. *Tanquam ad*
55. *latronem exiſtis cum gladiis &c.* Forſitan
Mar: 14 hujus exprobrationis, & querimoniæ
48. memores Iudæi fecerunt addi hos duos
latrones: ut tantò magìs inſultarent
Chriſto, affligeretur autem Chriſtus. B
Aſſolent enim inimici hoc inimicis ſuis
inferre, quòd noverunt illis ægré eſſe.

8. Chriſtus peculiariter affectus &
aſſociatus, & utilis latronibus in ſuâ Paſ-
ſione. Nam Barabbam ſuo exitio ſal-
vavit ac veluti redemit: duos præterea
latrones ad ſuam ſocietatem admiſit.
Familiare hoc fuit IESU: ut eſſent
appropinquantes peccatores ad IE-
Lucæ 15. SUM, & manducarent cum illo, ut
1. tangerent eum, ut eos ille reciperet.
Non oportebat ergo, ut Chriſtus alium
morem mutaret, & peccatores repelle-
ret, hoc præſertim tempore, quo maxi-
mè pro ſalute peccatorum laboraret

9. Chriſtus ad mortem, & crucem da-
mnatus ac procedens, requirebat qui C
ſecum ſimul procederent: verùm cùm
ex diſcipulis compareret nemo, latro-
Lucæ: 14. nes ſibi adſcivit. Quid hoc quæſo ali-
23. ud, quàm illud Evangelicum prandium
omnia parata habens, præter ſolos in-
vitatos, qui nolebant venire. Dominus
autem juſſit exiri in vias & plateas, &
vias, & ſepes, & compellere intrare do-
mumq; ſuam implere vel ipſis latroni-
bus. Quidni jam publicani præcedant
in Regnum DEi, filios Regni, quando
& ipſi latrones præcedunt ad ſocieta-
tem Crucis cum Filio DEi.

10. Nuper ingrediente Ieroſolymam
JESU ex omnibus nemo propior fuit
Chriſto, quàm aſellus, quo portabatur:
modò in egreſſu ex Ieroſolyma nemo
propior Chriſto, quàm latrones, qui cum D
eo ducuntur. An Domine latrones &
Lucæ 10. jumenta ſalvabis? An Domine tu es
30. homo ille, qui *deſcendens ab Hieruſalem in*
Hiericho incidit in latrones, qui & deſpolia-
verunt eum, & plagis impoſitis abiérunt ſemi-
vivo relicto? An in Ieruſalem perveniri
non poteſt, niſi jumento illo, de quo ſcri-
ptum eſt. *Ut jumentum factus ſum a-*
pud te, ego ſemper tecum? de Ieruſa-
lem autem non poteſt exiri: niſi cum
latronum comitatu. & ad certæ perdi-
tionis conditionem.

PARAGRAPHUS CXXXVII.

JESUS ad locum mortis, montem ſcilicet Calvariæ pervenit.

In monte hoc Dominus videbit. Gen: 22.

STROMATA

1. MOns Moria (quæ vox amaritu- Cornel: à
dinem vel ſtultitiam ſonat) Lapide in
pluribus partibus ſeu collibus conſtabat. Gen: cap:
In hujus montis uno colle Sion nuncu- 22. ad
pato, fuit Arx Davidis: juxta quem in verſ: 2.
area Ornam Iebuſæi, à Davide primùm 2. Reg.
empta, & altari ſacrificiisq; ab eodem 24. à v.
inſignita, Salomon templum ædifica- 18. Seq:
vit. Alia pars, ſive alius collis ejuſdem
Moriæ montis, extra urbem Hieroſoly-
mam erat, qui Calvariæ ſeu Golgotha
dicebatur: in quo & olim Iſáäc ab A-
brahamo Patre deſignatione DEi o-
blatus fuerat, & modò Chriſtus offe-
rendus à ſe ipſo Patri æterno pro nobis
conſtitit, cum faſce lignorum, hoc eſt
cum Cruce. In hoc eodem colle credi-
tur Adam primus homo ſepultus, à cu-
jus capite ſeu Calvaria hic ſita, monti
ipſi, & loco, nomen Calvariæ inditum
eſſe putatur, quod à S. Hieronymo aſ-
ſertum, & ex Rabbinis certiſſimâ tra-
ditione cognitum, ſcripſit S. Auguſtinus
lib: 16. Civit: cap: 32. (Hieronymus
Presbyter ſcripſit ſe certiſſimè, à ſenio-
ribus Iudæorum cognoviſſe, quòd ibi
immolatus ſit Iſáäc, & Adam ſepultus,
& poſtea Chriſtus.) Quin etiam audent
Hebræi (penes quos ſit fides) loci hu-
jus celebritatem augere, aſſerendo in
eodem colle Calvario (ſeu monte Mo-
riâ) Abelem, Caimumq; ſacrificâſſe:
Noë quoq; poſt diluvium ſtructo altari
hoſtias obtuliſſe. Non etiam deſunt,

vide Cornel: l cit: & in Eph: 5. v. 14. n. 192. qui ſentiant, illo ipſo loco, in quo Crux Chriſti jam crucifixi conſtituta & defixa ſtabat, Adami calvariam defoſſam fuiſſe, Chriſtiq; ſanguinis defluentis rivulis rigatam, ipſum Adamum redemptum, imò & ad vitam reſuſcitatum. Disertè & piè hoc aſſerit Auguſtinus. Et *Aug: Ser: 71. Tēp.* verè fratres non incongruè creditur, quòd ibi ſit erectus medicus, ubi jacebat ægrotus. Et dignum erat, ut ubi occideret humana ſuperbia, ibi ſe inclinaret divina miſericordia, & ſanguis ille pretioſus etiam corporaliter pulverem antiqui peccatoris, dum dignatur ſtillando contingere, redemiſſe credatur. Hæc Sanctus. ubi licèt reſuſcitationis corporalis mentionem non faciat, conſequens tamen eſt eam factam. Cùm inter multa corpora Sanctorum, quæ dormierant, quæq; ſub mortem Chriſti reſuſcitata, & poſt ejus reſurrectionem de monumentis egreſſa refert Matthæus Evangeliſta, inter illa inquam corpora, Adami quoq; primi hominis reſuſcitationem factam, dubitari rationabiliter non poſſit. Et videtur hæc opinio non carere bona probabilitate: nam ſi fatentur paſſim omnes Chriſtum eo die, imò & horâ paſſum eſſe, quo Adam in Paradyſo peccaverat ſcilicet 25. Martii: quid obſtat fateri etiam eo loci mortuum Chriſtum, in quo Adam ſepultus erat? certè hoc perinde facilè fuit divinæ providentiæ, atq; illud ordinare: quemadmodum placuit etiam eidem Chriſtum in hoc ipſo monte immolari, in quo olim Iſaac fuit immolatus. Imò verò videtur congruentiùs fuiſſe Chriſtum ibi mori, ubi Adam erat ſepultus, quàm eo die concipi vel mori, quo idem Adam fuit creatus vel in peccatum lapſus. Hunc ergò in montem Moria, & in hanc ejus partem ſeu collem Calvariæ dictum, aſcendit JESUS mortem oppetiturus in cruce pro nobis.

2. Abraham, cùm in monte Moria, *Gen: 22. 13.* atq; adeò in hac ejus parte, quæ Calvariæ dicebatur filium Iſaac, quem immolare juſſus & paratus fuerat, ſalvum incolumemq; recepiſſet, pro eòq; arietem cornibus hærentem inter vepres opportunè à DEo proviſum in ſacrificium *Gen: 22. 14.* obtuliſſet. *Appellavit nomen loci illius, Dominus videt, unde uſq; hodie dicitur, in monte, Dominus videbit.* Impoſuit ſcilicet Abraham loco illi, in quo filium immolaturus erat, & ſalvum receperat, in monte Dominus videbit: quo minimè non tantùm, providentiam illam DEi, quâ holocauſtum ſibi in locum Iſaaci providerat deſignavit, ſed præterea reſpexit haud dubiè ad hanc præſentem (tunc autem futuram) Filii Dei immolationem in Cruce, in eodemq; loco. Itaq; voluit dicere Abraham. Vidit quidem DEus hic ſacrificium Filii mei Iſaac, quod ego facere paratus eram, ex ipſius voluntate: ſed veniet olim quoq; tempus, in quo DEus Unigenitum ſuum videbit revera immolatum & occiſum, pro quo non ſubſtituetur, neq; providebitur aries ullus, ſed ipſe in perſona propria ſpineto verticem habens horrentem, ſacrificabitur. Tunc in monte iſto Dominus videbit. Videbit gratius utiq; quàm hoc eſt meum ſacrificium. Videbit pleniorem, quàm aut meam, aut filii mei obedientiam: videbit etiam, & in ſemetipſo experietur affectum paternum, experimentoq; proprio cognoſcet, quid ſit filium propriū Unigenitum dilectum, in quo ſibi complacuit amittere, immolari, occidi. Videbit in monte Dominus non Iſaacum, ſed JESUM, non meum, ſed ſuum filium de cruce pendentem &c. Atq; hoc pronum fuiſſe cogitare Abrahamum in tempore illo deduci ſatis poteſt ex verbis Domini noſtri quibus aſſerit Abrahamum deſideràſſe *ſeu exultàſſe, ut videret diem Chriſti, vidiſſeq; & gāviſum fuiſſe.* *Io: 8.56.* quod omnium communi ſententia contigiſſe creditur hìc, in monte hoc, & in hac Iſaaci immolatione & arietis pro eo ſubſtitutione, in quo arcano prævidit Abraham Meſſiam Filium DEi non typicè ut Iſaacum, ſed realiter ſuper aram crucis immolandum, ſeu potiùs tanquam revera immolatum: propter quod non dubitavit dicere. In monte Dominus videbit ſeu Dominus videt. Montem ſcilicet & oblationem ſuper admirabilem ſuperq; miſerabilem Filii ſui Unigeniti. Videbit Dominus & ſpectaculum illud inauditum, de cœlis ſpectabit, & quamvis & omnis natura concutietur horrore ac tremore inſolito, quamvis ſol & luna conabuntur tenebris obſcurare hoc portentum adeò dirum, quamvis DEitatis viſcera commovebuntur, & tangentur dolore cordis intrinſecùs, tamen diſſimulare debebit Pater necem Unigeniti, & ſui quidem Unigeniti.

3. Admirari licèt ſimul & inquirere, quid attinebat ab omnibus Evangeliſtis expreſſum eſſe locum hunc Crucifixionis & mortis Chriſti: videtur enim tantâ omnium præſertim diligentiâ ſcriptorum opus non fuiſſe ad locum nominatum exprimendum. Et poſſet quidem

ex ſupra dictis ratio tam accuratæ explicationis non incongruè deſumi: præſertim ſi ea ex toto certa & firma eſſent: ſed cum ambiguitate non careant, quærenda videtur alia certior, & ad præſens inſtitutum magis apta ratio. Et videtur hæc eſſe. Conſtat uſu fere omnium gentium loca ſuppliciis reorum deſtinata eſſe communiter deteſtabilia; horrorem & nauſeam incutere, non tantùm vicinis & ſpectantibus, ſed etiam cogitantibus, declinari paſſim ab omnibus, atq; adeò etiam extra civitates & habitationes hominum deſignari: canibus & fœdis volucribus tantùm accedenda, putore & fœtore, tabo & ſanie, oſſibus craniiſq; morte affectorum nauſeam ciere, inſtrumentis excarnificatorum præſtantibus deteſtanda & infamia eſſe. Verbo dicam. Conſtat nulla loca eſſe hominibus vulgò magis exoſa infamia, deteſtanda, quàm iſta: ad quæ honeſtiorum nemo reſpicere, nedum accedere dignetur. Talis fuit locus Calvariæ: quo nullus penes Hieroſolymam magis eſſet fœdus & fœtidus, nullus magis infamis & execrandus, qui ab oſſibus & craniis morte affectorum maleficorum nomen invenerit, qui omnium ſceleſtorum calvariis hinc inde ſparſis albicaret, & deputatus debituſq; eſſet. Hunc in locum talem deputatus, deductus imò etiam eſt noſter IESUS, extremo cruciatu afficiendus. Hunc in locum deduci, extrema fuit, hunc quidem in modum ignominia ſimul & calamitas. Hunc in locum deduci IESUM Iudæi voluerunt in eoq; morte multari: ut hæc quoq; ignominiæ exaggeratio morti Chriſti odioq; illorũ non deeſſet. Hunc in locum deduci elegit voluitq; propter nos bonus IESUS, ut nihil non exhauriret amariſſimi calicis. Vt verè non tantùm cum duobus latronibus, qui cum eo ducti ſunt, & crucifixi, ſed omnino cum omnibus, & qui ante illum eò loci fuerant occiſi, & qui poſt illum ibidem erant afficiendi, iniquis, ſceleratis, damnatisq; deputaretur, omnibusq; coëquaretur. Hunc in locum deduci voluit, ut in omnium ſceleratorum (quales erant omnes Adæ Filii) morti deſignato loco moriens, à morte omnes redimeret. Hunc in locum deduci voluit, ut etiam in illo loco animas electorum tum ipſe inveniret, tum inveniri poſſe quæriq; debere aſſeclis ſuis monſtraret. Hunc in locum deduci voluit, ut in eo latronem bonum, primogenitum mortis ſuæ redemptioniſq; primitias decerperet, atq; de ſpinis uvas colligeret. Hunc in locum deduci voluit, ut in loco maledicto maximè, maximam illam totius terræ pro Adæ delicto inflictam maledictionem, factus ipſe in eo non tantùm maledictus, ſed etiam (ut ait Apoſtolus) *ipſum maledictum, aboleret, & benedictione commutaret.* Gal:3.13. Hunc in locum deduci voluit: quia alioqui fruſtra ferè alium locum quæſiviſſet mundiorem morti ſuæ: quoniam ubicunq; ſeſe convertiſſet, locum Calvariæ, locum inquam maleficorum, mortibus & cadaveribus plenum reperiſſet. quia ergo omnis illi in hoc mundo & ſolo locus immundus & infamis & calvarius fuit, & unus tamen aliquis ex omnibus, in quo mortem ſubiret eligendus fuit, hunc elegit: ut & illum, & omnem alium locum emundaret, ſalutiq; acquirendæ idoneum redderet. Deniq; hunc locum elegit ut etiam per loci infamiam indignitatemq; diabolo illuderet, & opus redemptionis adhuc celaret, & victoriam ipſi amariorem redderet, & qui Adamum primùm in loco omnium deliciosiſſimo vicerat per lignum, in loco omnium amariſſimo & probroſiſſimo ab Adami filio Adamq; novo vinceretur itidem per lignum.

PARAGRAPHVS CXXXVIII.

JESVS guſtat vinum myrrhatum cum felle miſtum. Matt: 27. 34. Marci 15. 23.

PROPHETIÆ.

Dederunt in eſcam meam fel: & in ſiti mea potaverunt me aceto. Pſa: 68.22.

Replevit me amaritudinibus, inebriavit me abſynthio. Thren: 3. 15.

Recordare paupertatis meæ, & tranſgreſſionis meæ, abſynthii & fellis. Thren: 3. 19.

De vinea Sodomorum, vinea eorum, & de ſuburbanis Gomorrhæ, uva eorum, uva fellis, & botrus amariſſimi. Fel draconum vinum eorum, venenum aſpidum inſanabile. Deut: 32. 32.

Ego plantavi te vineam electam: quomodo ergo converſa es mihi in pravum, vinea aliena. Hier: 2.21.

Ad te quoq; perveniet calix: inebriaberis atq; nudaberis. Thren: 4. 21.

Date ſiceram mœrentibus & vinum his, qui amaro ſunt animo. Prov: 31.6.

Digitized by Google

STROMATA.

1. POſtquam perventum eſſet in locum crucifixionis, depoſitis in terram crucibus, dum ſatellites inſtrumenta ſua expediunt, dum foſſas ſeu ſcrobes ſtatuendis crucibus effodiunt, miniſtratur interea tanquam de more, valde tamen contra morem, Chriſto Domino novercale poculum vini ſive (ut alia lectio habet) aceti, aut acidi & acerbi vini, myrrhâ inſuper & felle exaſperati, quod poculum Dominus IESUS, etſi haud dubiè ſitiens & aridus, præ tantâ tamq; variâ & diuturnâ defatigatione & debilitatione guſtavit quidem, ut tormento illi ſibi apparato & oblato locus eſſet: non tamen bibit ſeu accepit vel hauſit, ne confortationis ſolatium in pura ſua paſſione ex acerbo licèt cruciantéq; poculo ullum admitteret.

2. Fuiſſe autem morem etiam temporibus illis, ut iis qui morte afficiendi eſſent, antequam cruciatus extremos ſubirent, ſolatii confortationiſq; gratiâ, aliquis potus etiam nobilior, & roborando corpori animoq; aptior propinaretur, conſtat ſatis ex illo proverbio. Prov. 31. 6. *Date ſiceram mærentibus, & vinum his, qui amaro ſunt corde*: qui autem magis mærent amarove corde ſunt quàm ii, qui extrema ſunt jam jam ſubituri ſupplicia? Servatus eſt ergo hic etiam mos propinandi cum Chriſto Domino, ſed non mos ſiceram vinumq; offerendi, verùm longè deteriore conditione habitus eſt Dominus noſter. nam illi non in ſolatium, ſed in novum ſingulareq; tormentum felle myrrhâq; miſtum vinum acre acidumq; oblatum eſt.

3. Quis hic ſatis explicet inſatiabile odium Chriſti hoſtium in Chriſtum, qui ne in extremâ quidem calamitate, ne in extrema ſupplicii horâ potuerint à tormenti novi inuſitatiq; excogitatione & irrogatione ſibi temperare, qui ne in tali tamq; miſerabili, & miſerando articulo, oblatam Chriſti exquiſitè excruciandi, in faucibus & linguâ & palato, & gutture, & viſceribus, ad quas partes cruciandas aliter penetrare nequibant, occaſionem prætermittere voluerint? qui ne tantillum quidem humanitatis Chriſto afflictiſſimo exhibere ſuſtinuerint, ut commodiore aliquo fomento potuve refocillaretur, in ſitiq; recrearetur, & ad cruciatus novos mortemq; confortaretur.

4. Quis etiam ſatis explicet intimum dolorem cordis Chriſti, quem ſenſit ex tam implacabili inſatiabiliq; hoſtium ſuorum in ſe odio ac furore, qui ne in tantillâ quidem occaſione mitigatus fuerit: ſed potiùs, quantùm potuit per commoditatem illam exaggeratus: quãtum enim, aut quomodo ulteriùs exacerbare poterant fauces viſceraq; Chriſti, quàm per acetum myrrham & fel? quorum ſingula, cùm ſint per ſe guſtui ingratiſſima, quomodo tria omnia permiſta fuerunt ingrata? Et fuit quidem poculum hoc diabolicâ rabie adinventum, & inſtigatione propinatum, fuit inquam Chriſto Domino valde amarum, ſed ſinè dubio amarior fuit guſtus odii Iudaici, aliorumq; hoſtium ſuorum, qui illi magis in hoc poculo, quàm ipſum poculum fuit propinatus, quemq; Dominus non guſtavit tantùm, ut hunc potum, ſed prorſus totum ita exhauſit largiter & perlibenter, quàm propinatus fuit ab hoſtibus liberaliter & truculenter. Unde quando Dominus IESUS, per eos Davidis queritur, *quòd dederint illi hoſtes ſui in eſcam*, (ut Tertullianus legit) *in potum fel, inq; ſiti ſuâ potaverint illum aceto*: Non tam in illâ querimoniâ reſpicit ad fel, aut acetum, quod propinatum, quàm ad implacabilis odii acerbitatem, cruciandiq; cupiditatem, quo propinatum fuit. Pſ. 68. 22.

5. Quod autem Dominus in eſcam ſuam fel datum dicit: inde arbitror dicit: quia novercale illud poculum, adeò denſatum, & non dilutum fuit, ut non tantùm potui, ſed etiam eſui ſervire, potuerit: quomodo etiam vulgò denſiora poculenta ſcindi & comedi, non tantùm bibendo hauriri poſſe dicere ſolemus. Qui ſenſus non recedit ab Eutimii ſenſu dicentis: illi aceto ſeu vino acido, myrrhatoq; fragmenta fellis aridi injecta fuiſſe, & ſic Domino noſtro in cibum potumq; ſimul porrecta.

6. Quis etiam explicet heròicam illam Chriſti Domini & manſuetudinē & fortitudinem, quâ dirum illud poculum oblatum, & admiſit, & guſtavit, ad cruciatum intimarum ſuarum portium, quæ ſolæ adhuc abſq; cruciatu reſtabant. Certè Dominus non ex ignoratione quidem guſtavit, ab experimento verò rejecit illud poculum, ſed gnarus quantum eſſet in eo reconditum cruciatûs, guſtavit, quantùm cruciatui ſat erat, rejecit, quatenus confortationi aliquid inſervire poterat. Inde eluceſcit manſuetudo, eluceſcit patiendi cupiditas & conſtantia,

conſtantia, eluceſcit fortitudo heroica Domini noſtri.

7. *Guſtavit Dominus de illo amaro potu, ſed non bibit*: ut per hoc ſignificaret: valuiſſe quidem in ſe ſub Paſſionis tempus poteſtatem tenebrarum ſeu dæmoniorum, & Iudæorum, & gentilium, non tamen prævaluiſſe: item ſe quidem mortem & crucem & paſſionem guſtâſſe pro nobis, ſed non bibiſſe pro ſeipſo. Paſſio enim illius nobis tantum neceſſaria fuit & profuit, ipſi autem Chriſto nequaquam neceſſaria fuit. Item ſe quidem Paſſionem, ac mortem à Iudæis propinatam ſubiiſſe, at nequaquam ab eâ devictum inter mortuos vinculis ſempiternis detentum fuiſſe, verum reſurrectionis virtute amaritudinem felleam mortis guſtatam ſenſiſſe tantum, mox autem exſpuiſſe & exuiſſe, non verò eam ad viſcera admiſiſſe, quomodo quæ guſtamus tantùm, neq; glutimus, facilè rejicimus, quæ autem in viſcera glutiendo demittimus, non tamen facilè ab iis liberamur, imò iis alteramur & afficiamur. Ergo Dominus noſter fel mortis Iudaicæ guſtavit, non bibit: quia mortem quidem ſubiit, ſed in viſceribus mortem non recepit, imò illam, reſurgendo ad gloriam, æternaliter à ſe ejecit. Inde Apoſtolus ait Chriſtum quòd mortuus ſit, mortuum eſſe ſemel, quod autem vivit, vivit DEo: quaſi dicat Chriſtus mortem quidem ſubiit, ſed tantùm guſtavit: guſtatam tamen rejecit, & vivit reſuſcitatus Divina ſua virtute, jamq; ultra non moritur, mors illi ultra non dominabitur.

8. *Guſtavit Dominus de poculo, non bibit*: quia de Iudaicæ Synagogæq; ritibus & legibus tantùm guſtum, non verò uſum habuit, ſiquidem Synagoga abrogata & rejecta cum ſuo acerbo & labruſcarum vino Eccleſiæ vinum, jam inſtituerat & biberat.

9. *Guſtavit Dominus de felle, non bibit*: quia etſi immortalitate noſtra degens ſimilitudinem carnis peccati in ſe habuit, peccatum tamen ipſum nullatenus habuit.

10. *Guſtavit Dominus non bibit*: quia in ultima cæna ſua heri dixerat ſe *non bibiturum de hoc genimine* (Iudaicæ Synagogæ) *vitis amplius in hac vitâ, ſed bibiturum vinum novum, in Regno Patris, & ſuo*: in nova ſcilicet quà militante quà triumphante Eccleſiâ.

Matt. 26. 29.

11. *Guſtavit Dominus felle myrrhâq; miſtum vinum*: ut ejus guſtus acerbitatem primi peccati labem in paradyſo, per guſtatûs illicitam ſuavitatem admiſſam expiaret. Neq; illam primam ſolùm, ſed omnem omnino totius humanæ plebis, gulæ in ſeſe caſtigaret iniquitatem.

A

Vnde dignum eſt animadverſione: quod Adam ubi gulâ peccavit nudum ſe fecit veſtitu innocentiæ & gratiæ, & confugit ad folia ficûs, quibus tegeretur. Chriſtus contra guſtato fellis amore, veſtibus ſpoliatus eſt, & ad crucem affixus. Quid eſt quod peccatum gulæ ubi commiſit primus Adam, nudus fiat & veſtitum foliorum quærat? peccatum verò gulæ, ubi expiavit IESUS, veſtibus exuatur, nec veſtimenta requirat? quid eſt quod gula commiſſa perdit, gula punita reſtituit innocentiam? Sic, ſic revera, qui gulæ & ventri deſerviunt, beſtiis comparantur: qui autem gulæ dominantur, Angelos imitantur. ventris mancipia & gulæ filii, paupertatem non

B

ferunt, inimici crucis ſunt: at gulæ victores, & à ventris jugo liberati, paupertatem amicam, crucem habent ſociam: deniq; quos gula devincit, hos & inobedientia condemnat, at qui caſtigati ſunt gutturis & ventris, hos obedientia victores & ſolutos facit.

12. Oblatum eſt Chriſto morituro vinum myrrhatum felle miſtum, quod ille guſtavit, non bibit. Hoc eſt opus mundi præſentis, qui ſemper omnibus propinat vinum delectationis, myrrhâ ſollicitudinis, fel perditionis: primordia enim mundi hujus delectant, media cruciant, extrema necant. Sed Chriſtus atq; ejus exemplo omnis Chriſtianus, guſtat iſta, non bibit: quia utitur

C

hoc mundo tanquam non utatur, & vivit in ſeculo, ſed non vivit ſeculo, neq; tranſit cum ſeculo.

13. Oblatum Chriſtus vinum non accepit: quia ſitim ad mortem uſq; ſuam pati elegit. quia enim homines ſitim prohibiti pomi eſu extinguere volentes, eam uſq; ad mortem maximè irritaverunt: ideo Dominus IESUS ardentiſſimæ ſitis pœnam ſinè ullâ mitigatione, ad mortem uſq; ipſam perpeti volebat.

14. Semper Chriſtus Dominus in hac vita vino myrrhato cum felle miſto tractatus, cibatus, potatusq; eſt: quidquid enim illi contigit, adverſitate ſemper, tanquam myrrhâ & felle dilutum miſtumq; fuit. Ab ipſo natalis ejus exor-

D

dio, vitam ejus conſidera, omnia miſta felle myrrhâq; invenies: quod ergo etiam morituro tale poculum propinatum ſit, mirandum non eſt, quia extrema initiis

ma initiis, atq; mediis reſpondere debebant. Et ubi nos delicati Chriſtiani, ubi inquam ſumus, qui per totam vitam noſtram, vinum quidem proſperitatis bibere ſemper volumus, mixturam autem fellis, & myrrhæ ſaltem omnino reſpuimus. Atqui Dominus clamat unicuiq; noſtrum & verbo & facto, memor eſto abſinthii mei & fellis: & ne ſemper, ne ſolum vinum appete conſolationis, ſed etiam aliquando, ſi non hilariter & libenter ſaltem modeſtè & patienter degusta myrrham tribulationis. Certè ſi vitæ Chriſti exempla intueri vellemus ac imitari, nunquam aut vix unquam vinum proſperitatis, perpetuò autem myrrham & fel adverſitatis guſtare, comedere, bibere, eoq; vivere deberemus, ſed non agit nobiſcum tam robuſtè Chriſtus, quoniam ipſe cognovit figmentum noſtrum, miſcet & temperat vinum myrrhâ, myrrham vino; ut proſperis ſuſtentemur adverſis erudiamur. Nos tamen velut indociles pueri, malumus cum epulone epulari quotidie in hac vitâ ſplendidè, immemores quòd etiam cum eodem ſepeliendi ſimus in inferno, ubi guttam aquæ petamus ſemper impetremus nunquam, per omnem æternitatem. O quanto meliùs foret hic guſtare myrrhatum felleumq; vinum, ut deportemur ab Angelis in ſinum Abrahæ: hic recipere mala, ut in futuro recipiamus bona, hic cruciari ut in altero ſeculo conſolemur.

Luca 16. 19.

15. Vinum myrrhatum, felle miſtum oblatum ſibi ante mortem Dominus guſtavit non bibit. Hoc enim proprium eſt piorum DEi ſervorum, ut in morte vinum myrrhâ felleq; miſtum guſtent non bibant. Sicut hoc eſt impiorum proprium, ut vinum myrrhâ & felle plenum bibant, & non guſtent. Mirabilis ſanè res, & in quâ rari non illuduntur, rari non ſcandaliſantur: nihilominus inter veriſſimas eſt hæc quoq; veriſſima. Iuſti in hac vitâ reverâ plus de vino bibunt, quàm de myrrhâ & felle. Impiis tamen obſcuratum habentibus intellectum videntur nihil de vino guſtare, ſolo autem felle & myrrhâ vivere: at errare ſe in hoc ſenſu ipſimet impii teſtes ſunt, cum dicunt. *Nos autem æſtimabamus vitam illorum* (juſtorum) *inſaniam & finem illorum ſine honore: & ecce computati ſunt inter Filios DEI, & inter Sanctos ſors illorum eſt*: quaſi dicerent: putabamus & affirmabamus eos vino verò ſalubriq; carere, ſolo felle & myrrhâ vivere: & ecce illis redundaverunt torcularia optimè condito vino: *& à fructu frumenti & vini & olei ſui multiplicati ſunt.* Oppoſité verò per omnia ſe habet vita impiorum, ſibi & ſui ſimilibus vi-

Sap: 5. 4.

Pſal: 4. 8.

A dentur bibere vinum felicitatis, & carere prorſus myrrhâ & felle amaritudinis, cum tamen re ipsâ toti ſint in obligatione iniquitatis, & in felle amaritudinis demerſi & innutriti. Vvaq; eorum ſit, uva fellis, & bothri amariſſimi. Ejus rei nullus teſtis magìs idoneus quàm ipſi Impii, qui experimento tandem edocti, ſic fatentur. *Laſſati ſumus in via iniquitatis & ambulavimus vias difficiles. Erravimus à via veritatis, lumen intelligentiæ non illuxit nobis, & ſol juſtitiæ non eſt ortus nobis.* Ita ergo apud juſtos ſpecietenus eſt myrrha & fel, revera autem vinum; apud impios autem contra in ſpeciem vinum apparet, revera autem poculum eorum myrrhâ & felle plenum

Sap 5. 7.

B eſt. Neq; quiſpiam credat olim & valde pridem taliter ſeſe res habuiſſe, nunc autem non ſic. Ne inſaniamus quæſo, & nec DEo, nec nobis ipſis illudamus. Malum ſemper eſt malum, & diabolus ſemper ſui ſimilis. DEus quoq; reſtatur de ſe. *Ego DEus & non mutor.* At ſi de experientia modernorum quoq; agitur temporum: id, quiſquis oculos habet, & non planè motus mente eſt, manibus ipſis ſuis palpare poteſt, modò res prout ſunt diſpiciat, & diſcutiat. Quòd genus vitæ hodie tam felix reperias in mundo: in quo ſint omnia felle miſta, licèt appareant vina. Quis Principum magnorum ditiſsimorum potentiſſimorumq; non poteſt, imò non

Malach. 3. 6.

C cogitur dicere quotidie. *Dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti meâ potaverunt me aceto.* Ferunt Darium ab Alexandro victum, in fugâ ſitientem bibiſſe aquam luto & ſanguine miſtam, teſtatum verò hauſtâ illâ, ſe in totis regni felicitatisq; ſuæ annis ſuavius bibiſſe nunquam, quàm tunc: ergo iſte totis regni & bonæ fortunæ temporibus, vinum myrrhatum felleq; miſtum bibit &c. Sed hæc hactenus: & manum de tabulâ, in re præſertim, de qua plurimi ſapienter diſputant: vix autem ulli, quod diſputant re ipsâ præſtant.

Pſ: 68. 22.

16. Vinum myrrhâ felleq; miſtum morituro Chriſto propinant, quicunq; bona quælibet, quæ faciunt improbâ mentis intentione polluunt; quaſi enim D Chriſtum recreant, dum bona in ſpeciem faciunt: revera tamen Chriſtum & cruciant & necant: dum per ipſa bona ad offenſam Chriſti, & ad perniciem

ſuam

ſuam tendunt: Qui ſi revera Chriſtum recreare cuperent, utiq; pretioſum à vili ſepararent, & non tantum bona, ſed etiam bene facerent. Inde monetur quilibet bene operandi cupidus. Deut. 16. 20. *Iuſtè quod juſtum eſt perſequeris.* Et iterum. *Nonne ſi rectè offeras, non rectè autem dividas, peccáſti?* quasì enim vinum felle condivit, qui bonum rectè oblatum non rectè diviſit, vel juſtum quod fecit non juſtè peregit. Porro invenias alios, qui non vinum felle, ſed fel vino temperant: qui ſcilicet mala, quæ faciunt bonâ intentione, vel efficta, excuſatione palliant. Verè enim felli amaro & noxio vinum bonum affundunt, qui improbitatis operibus virtutis nomina tanquam veſtem imponunt. Ita primus homo felli transgreſſionis, vinum excuſationis addidit: ita Saul felli inobedientiæ vinum Religionis miſcuit: ita Pilatus felli injuſtæ in Chriſtum ſententiæ vinum teſtimonii dati ejuſdem innocentiæ infudit. Sed neq; ablutas Pilati manus Chriſtus cordis inſpector ſuſcepit, neq; Sauli inſipiens Religio profuit: neq; Adamum peſtilens excuſatio ſervavit. Odit DEus eum, cujus vinum miſtum eſt aquâ, quantò magis ſi felle? odit duabus viis incedentem, odit claudicantem in utrâq; partem.

17. Vinum felle conditum propinat, qui proximo ſuo bona & amica verba fraudulento corde inſuſurrat. Vinum myrrhâ conditum offert tam is, qui beneficium moroſo animo, in beneficiarium confert, quàm qui ſalubre conſilium bonoq; animo propoſitum perverſâ interpretatione, vel malignâ acceptione detorquet in pravum: quàm deniq; qui ſalubre monitum importunâ acerbitate, amarovè vocis ſono vel cordis affectu ſuggerit. Dilige, & dic quod vis. Nam alioqui, ſi quid etiam optimum lacerato animò dixeris, non erit hoc diligentis ſtudium, ſed convitiantis opprobrium, neq; exinde ſequetur ſanatio ægroti, ſed exaſperatio deſperati. Ita miſcuit Nathan felli aut myrrhæ admonitiones vinum temperantiſſimæ intimationis: prius enim Regem aptâ ſimilitudine circumveniens, eo deduxit, ut neſciens ſe ipſum damnaret, & poſtmodum objicienti Prophetæ peccatum in os, nullatenus indignari valeret.

18. Præterea fel vino condiunt, qui aliorum prava opera vino adulationis, palpationis, diſſimulationisq; nutriunt. Qui malum bonum, bonum malum dicunt: qui populum iniquorum beatum dicendo ſeducunt: qui non ſalubria, ſed placentia ſuis auditoribus ſubditisq; dicunt.

19. Etiam vinum felle miſtum faciA unt, qui beneficiis à DEo, vel ab aliis acceptis ingratitudinem & malefacta rependunt: juxta illud: *Retribuebant mihi mala pro bonis ſterilitatem animæ meæ.* E contra autem illi fel ac myrrham vino temperant: qui mala aliorum bonis compenſant, nec vincuntur à malo, ſed vincunt in bono malum: & ignitos carbones congerunt ſuper caput inimici & malefactoris ſui.

20. Vinum myrrhatum felle miſtum Chriſtus guſtavit non bibit. Propoſitum fuerat Chriſto, totum Paſſionis calicem propriis viribus, ſinè ullis extraneis admiſſis fomentis exhaurire: quod & præſtitit ita, ut in ipſo mortis articulo, cum jam jam ageret animam voce B magna clamans exſpiraverit: quod centurio præſens audiens miraculo Divino adſcripſit indeq; Divinum quid in Chriſto latuiſſe concluſit dicens. Verè Filius DEi erat iſte. Atqui hujus miraculi energia fuiſſet enervata: ſi conſtitiſſet Chriſtum bibiſſe largitius de vino myrrhato: attributus enim clamor ille morientis fuiſſet efficaciæ hauſti vini, aut etiam creditus fuiſſet Chriſtus ejuſdem poculi virtute motus mente alienatusq; de ſui poteſtate exiviſſe, in eâq; alienatione & locutus eſſe, & clamâſſe, & exclamâſſe, quorum nihil conveniens erat, Paſſioni & morti Chriſti, fideiq; noſtræ.

21. Guſtavit IESUS non bibit oblatum poculum. Guſtavit ut nemo ex C ejus aſſeclis illud reſpuat: non bibit, ut, quisq; de eo ſe quoq; participare debere intelligat. Nemo putet ad ſalutem ſatis eſſe Chriſti Paſſionem: ſciat etiam ſuam requiri cum Chriſto & pro Chriſto Paſſionem. Abundanter redemit te ô Chriſtiane Chriſtus, ſed tamen ut hæc abundans redemptio tibi proſit, tuus quoq; tibi paſſionis calix eſt pro Chriſto hauriendus: alioqui ſi non fueris particeps tribulationis, nequaquam eſſe poteris ſocius conſolationis. Prægustavit ergo Chriſtus de myrrhato & felleo calice: quia tibi propinavit reliquum hauriendum calicem. Nunquid delicatior tibi erit tua gula, quàm ſuum palatum Chriſtò? Quidquid agas, velis D nolis, bibendum eſt: ſi exemplo Chriſti lubens biberis, guſtabis, non potabis. Etenim fideles Chriſti ſi quid mortiferum biberint non eis nocebit: quod ſi retractante mente, rebelli ac refractariâ

Digitized by Google

voluntate ſumpſeris, eſto ſic vel guſtaveris tantùm, erit tamen tibi lethale poculum. Quid enim tam lethale, quàm non recipere diſciplinam DEi? fruſtra à DEo percuti, & zelum ejus pro ſe à ſe repellere? Quare quoniam nihil reſtat in hac vita, niſi ſemper aliquid pati debere & calicem paſſionis bibere: obviis eum manibus, faucibusq; hiantibus accipe, & etiam inclinans ex hoc in hoc
Pſ. 24. 9 bibe dicens & benedicens Domino. *Calix meus inebrians, quàm præclarus eſt:* Et.
Pſ: 22. 5. *Obmutui & ſilui à bonis quoniam tu feciſti.*
Pſ: 38. 3. Et adhuc. *Ita Pater ita: quoniam ſic placi-*
& 10. *tum eſt ante te, calicem quem dediſti mihi, bi-*
Matt: 11. *bam illum.* bibo illum, deſidero bibere
26. illum. ſic affici: hoc demùm eſt, eſſe Chriſti felle cibati, aceto potati convivam & ſocium: hoc demum eſt eſſe Chriſto ejuſq; crucis participatione dignum: hoc demũq; eſt habere gratiæ gloriæq; Chriſti infallibile pignus in manus depoſitum.

22. Vinum myrrhatum & felle morituro Chriſto propinatur, ſcilicet ita peccatores DEum in ſemetipſis crucifixuri vino terrenæ delectationis, ſed felle miſto perverſæ prævaricatricisq; voluntatis potant: ſed veniet tempus eorum quoq;: quo DEus propinabit iiſdẽ vinum juſtitiæ ſuæ, felle tamen damnationis reprobationisq; æternæ miſtum: *tunc ex eo poculum bibent omnes peccatores ter-*
Pſ: 10. 7. *ræ, tunc inclinabit ex hoc in hoc uſq; dum facem quoq; ipſam exinaniant: tunc ignis, grando, nix, glacies Spiritus procellarum erit*
Pſ: 16. 10. *pars calicis eorum.* Qualis ille calix eſt Domini dicentis. *Miſereamur impio &*
Ezech: 16. *non diſcet juſtitiam.* Et. *Quieſcet zelus me-*
42. *us à te jam ultra non iraſcar tibi.* O calix omni felle magìs felleus.

PARAGRAPHVS CXXXIX.

JESVS ad Crucem nudatur.

STROMATA

1. CHriſtus Dominus apparatis omnibus per ſatellites, quæ crucifixioni erant idonea interim ſpoliatus eſt veſtibus: omnibus quidem ut teſtatur Evangeliſta, qui diviſam inter milites unam veſtem aſſerit: tunicam verò ſorti permiſſam. Docet hoc præterea mos Romanorum in crucifixione ſervari ſolitus. Sed & cupiditas con-
A ſueta carnificum hoc exigebat: hi enim, quos morte afficiunt, horum veſtimenta rapiunt, & tanquam receptâ lege habere ſinuntur: unde & ob eam cauſam nu- Matt: 27.
per Chriſtum carnifices chlamyde exuerant, veſtimentisq; ſuis induerant. 31.
Neq; contra facit enormitas verecundiæ, quam Chriſtus ſubire debuit, ſi nudus crucifigeretur, nudusvé in alta trabe totus penderet. Quantas enim alias Chriſtus, & quoties hanc ipſam nuditatem ſubiêrat Dominus in Paſſione? deinde quibus tandem hoſtibus Chriſti hanc in eum vel modeſtiam, vel miſericordiam attribuemus? ut fuerint qui ejus verecundiæ proſpectum eſſe ſcilicet voluerint? Et Chriſto quidem ex hac
B nuditate, utpote plus quàm per omnia innocentiſſimo poterat non eſſe ulla paſſio, quia nec ulla fuerat peccati umbra: erat tamen Chriſto iſta denudatio, ſicut ſummé injurioſa, ita ſummè probroſa ac doloroſa. idq; propter ipſam inprimis innocentiam conſummatiſſimamq; & plus quàm virgineam, imò plus quàm Angelicam honeſtatem: quam feriri & hauriri tot oculis luce palàm quis non nefas & injurioſum duxerit dixeritve? Acceſſit ad honeſtiſſimam hanc Chriſti innocentiam, voluntas in eodem hanc ipſam nudationis aſſumens pœnam, in tot tantarumq; totius generis humani impudentiarum, quas ſeu lux, ſeu nox unquam viderit rigoroſam expiationem.
C Præterea acceſſit, quod in Chriſto etſi malignans cauſa verecundandi non fuit, fuit tamen ipſe flos innocentis verecundiæ, quem nudatione irritari ſummus & extremus dolor Chriſto fuit. Itaq; inter ſummè ſingulares Chriſti afflictiones, etiam hæc, ſicut & omnis alia præcedens, aut ſequens nuditas connumeranda eſt. Certè inter exaggeratos inſigniter cruciatus Martyrum poſt Chriſtum, nuditatem quoq; connumeratam legimus: quâ in re, ſi quando innocentiſſimis virginibus, neſcivit, vel non erubuit parcere Tyrannorum crudelitas, provide non tardavit DEi Sponſi Virginum admiranda Pietas. Nempe acerbiſſimus eſt verecundiæ cruciatus atq; ſenſus, & ibi maximus, ubi in-
D nocentiæ, honeſtatis, ingenuæq; rationis plurimum. Cujus ſignum eſt evidens, quod cætera animantia bruta hoc ſenſu careant, quodq; omnium prima la-

pſis homi-

pſis hominibus pœna inflicta eſſe apud

Gen: 3.7.

Moyſen legatur, enormis & intoleranda erubeſcendi neceſſitas. Ergo hæc graviſſima fuit Chriſto denudationis calamitas ac pœna. Et quidem non tantùm ex natura ſua, quòd hactenus dicere volui, verùm etiam ex diuturnitate têporis, quo ſic nudus manſit in oculis mundi, & hominum omnium præſentium Dominus noſter IESUS. Ita enim crucifixus, ita cum cruce elevatus, ita pependit, ita mortuus, ita & depoſitus de cruce eſt. De quo probro ſuo ſummè ſibi moleſto, graphicè queſtus eſt Dominus apud Prophetam. *Tota die verecundia mea contra me eſt: & confuſio faciei*

Pſ:43.16

cóoperuit me: & rurſum. *Operuit confuſio* (alias verecundia) *faciem meam.* Et ibidem ℣. 20.

Pſ:68.8

Tu ſcis improperium meum, & confuſionem meam, & reverentiam meam (aliàs verecundiam: deniq; ℣. 24. poſtulat;

Tertull: l. 4 de carne Chriſti cap: 5.

Obſcurentur oculi eorum ne videant &c. Maffæus in Hiſtoria Indica refert: Matronam quandam nobiliſſimam naufragio ad littus quoddam barbarum ejectam atq; ab incolis veſtimento omni ſpoliatam, arenæ ſeſe inſepeliviſſe, cum aliud pudori remedium in ſteriliſſimo ſolo deeſſet. Plurimi non abſurdè meditantur ſolem & lunam contraxiſſe radios ſuos, tenebriſq; mundũ involuiſſe Chriſto in cruce pendente: ob id maximè, ut Chriſti verecundiæ temperarent, nuditatemq; tenebris veſtirent - de quâ re ſuo loco. Quodſi tamen quiſpiam eam nuditatem, præſertim tam perpetuam in Chriſto ferre non poſſit: præterquã quod hic ſenſus immanitatem tormenti hujus intolerandam oſtendat, huic tamen illud, quod pœna in ſimili Tertullianus ingenioſo fidei Chriſtianæ acumine ſcripſit, reſpondeo. Quòdcunq; DEo indignum eſt, mihi expedit. Salvus ſum, ſi non confundar de Domino meo. Qui me (inquit) confuſus fuerit, confundar & ego eum. Alias non invenio materias confuſionis, quæ me per contẽptum ruboris probent bene impudentem, & feliciter ſtultum. Natus eſt DEi Filius. Non pudet, quia pudendum eſt. Et mortuus eſt DEi Filius? prorſus credibile, quia ineptum. Et ſepultus reſurrexit? Certum eſt, quia impoſſibile.

Hilar: 2. de Trinit:

Quodſi (verba ſunt Hilarii) quis hæc indigna recolet, tantò ſe majoris beneficii obnoxium confitebitur, quantò minùs iſta Divinæ convenerint Majeſtati.

Greg: homil: 6. in Evãg:

Tantò enim digniùs ab hominibus honorandus eſt DEus, quantò pro hominibus & indigna ſuſcepit. ait Gregor.

2. Non tantùm autem ex ipſius denudationis natura vel tempore magnitudo hujus in Chriſto pœnæ deſumitur: verùm etiã à corporis Chriſti, tum temporis conditione. A Erat enim corpus Chriſti Domini maximè verberibus vulneribusq; conciſum, ſaucium, & ſanguinolentum: veſtimenta ergo quibus indutus fuerat, eò tempore quo ad locum ſupplicii hujus cum cruce conſcendit, ſinè dubio plurimis locis carni ſauciæ intimiùs adhæſerant: quam ob rem abſq; dilaceratione carnis, abſq; innovatione vulnerum, abſq; immani dolore, abſq; ſanguinis profuſione avelli non poterant, pronum ergo eſt jam cogitare, quantus ille fuerit Domini cruciatus, quàm variè per corpus ſauciũ ſponſus, dum milites, haud ſanè delicati, & circumſpecti ſervitores, veſtes cum violentiâ, cum feſtinatione, cum barbarie, B ſinè ullo moderamine ac indulgentia detrahebant, & veſtem partim à carne, partim cum carne, revellebant. DEum bonum, hæc tantùm imaginari aut cogitare, aut ſcribere, ſenſus ipſe horreſcendo ſentit: qualis ergo acerbitas, & acrimonia doloris in ipſo Chriſto, in ipsa inquam ſummè oblæsa, ſummèq; ſimul tenera carne fuit.

3. Ad lignum ſcientiæ boni & mali primus homo innocentiam amiſit, & verecundationis miſeriam incurrit: ad lignum crucis ſecundus Homo innocentiam reſtituit, & per verecundationis pœnam, honeſtatem ſecuritatemq; hominibus adducit. Nudus Adam fugit à facie Domini; nudus JESUS reducit C Adamum ad gratiam DEi. Nuditas Adæ pellendi ex Paradyſo veſtitur. Nuditate Chriſti Adam expulſus reducitur, & cum Chriſto Paradyſum ingreditur. Gen:3.6.

4. *Nudatur Chriſtus ad Crucem.* Olim fuit nudatus etiam ad baptiſmum: pari honore dignatur IESUS & aquas Iordanis & lignum crucis. Nempe oſtendit omnem eum, qui Chriſto per fidem baptiſmumq; initiatur, veſtimenta priſtinæ ſuæ converſationis exuere atq; deponere debere, ut in baptiſmo Chriſtum, id eſt, gratiam Chriſti, quâ nuditas animæ peccato originali contracta veſtiatur, induat: unde Paulus. *Quotquot baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.* Et iterum. *Hæc quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed* D *ſanctificati eſtis.* Cæterum ſicut non eſt ſatìs baptiſmo ablui, verùm opus eſt inſuper crucem tollere, & poſt Chriſtum ambulare, ita etiam ad crucem nuditate Matt:3. Gal: 3. 27. 1.Corint: 6. 11.

Digitized by Google

Iosue 5.2. novâ opus eſt, veluti ſecundâ in Gal-
galis circumciſione: quod eſt abnegare
Luca 14. non tantùm ſua, ſed etiam inſuper & a-
26. nimam ſuam; deponere non tantùm
craſſiora, carnalia, mundana, nociva deſideria, & ſtudia: ſed inſuper etiam internas & occultiores imperfectiones, proprias voluntates, ſui ipſius quæſitiones, intimas ad ſe, ad ſua commoda, ad ſuam libertatem, ad ſuum honorem adhæſiones, vanitates, inconſtantias, tepiditates, puſillanimitates, irreſignationes, irreſolutiones, dilationes, aliaq; his ſimilia, intrinſeca & interna, animarum mentiumq; noſtrarum indumenta: cum quibus non cōmodè quis crucifigitur, ſed exui neceſſe eſt, imò exſpoliari, & radicitus purgari, ut in homine noſtro, nihil hominis, nihil noſtri remaneat, ſed totus tranſeat in Chriſtum eumq; cru-
Philip: 3. cifixum. Quotquot igitur perfecti ſu-
15. mus, hoc ſapiamus: adhuc enim perfe-
ctiorem viam nobis demōſtrat, non Pau-
1.Cor:12. lus ſed Chriſtus. *Æmulamini chariſmata*
31. *meliora.*

5. Crucifigendus Chriſtus nudatur, qui nuper bajulaturus eandem, induebatur; quid eſt quod bajulanda crux veſtitum admittit, bajulatura nudum exigit Chriſtum? Advertendum eſt, quod bajulanda crux gravat bajulantem, non gravatur ipſa, bajulatura autem, gravatur magis ipſa, non autem gravat: qui enim crucem portat huic crux pondus eſt, quem autem crux portat, hic pondus eſt cruci: per quod, duo quidam ſtatus perfectorum deſignari videntur. Quidam ſunt enim qui crucem tollunt, & portant non tantùm fortiter, ſed etiam pene libenter: eam tamen non aſcendunt ipſi, neq; affiguntur illi, neq; exaltantur in illa, verum eam quandoq; trahunt, quandoq; etiam aliis communicant, quandoq; vel ex toto aliis imponunt: quales ſunt, qui adverſa quæq; tam ab extrinſeco, quàm ab intrinſeco evenientia ſinè timore expectant, ſinè triſtitia excipiunt, ſinè murmure & im-
Rom:5.3. patientia ſuſtinent. *Non tamen gloriantur*
in tribulationibus, non ſibi in eis complacent.
Iaco: 1.2. *non omne gaudium exiſtimant, cum in varias*
tentationes, & tribulationes incidunt, non ſa-
2.Cor:7. *ginantur patientiâ, non replentur conſolatio-*
4. *ne, nec ſuperabundant gaudio in omni tribu-*
latione ſuâ. Quidam verò ſunt, qui crucem Chriſti ſic amplectuntur, ut eam aſcendant tanquam palmam & apprehendant fructus ejus: affigantur illi clavis perfectæ reſignationis, abrenunciationis, ſui ipſorum perditionis, comprehendunt cum omnibus ſanctis, quæ
ſit longitudo, latitudo, ſublimitas, &
profundum. *Sciunt etiam ſupereminentem* Eph:3.18.
ſcientiam charitatis Chriſti: eunt gaudentes,
A *ſi quando digni habentur pro nomine JESU* Act:5.41.
contumeliam pati, imo verò dignos ſe nō putant admitti ad participationem, multò minùs ad hæreditatem crucis; quibus cauſa & materia lætandi tribulatio eſt, cauſa diligendi proximum, ejus acerbitas, & hoſtilitas eſt, cauſa benefaciendi inimico, ejus ingratitudo eſt; quibus DEi in ipſos parcitas, eſt liberalitas, ſeveritas eſt ſuavitas, oblivio, eſt
cura: qui ſperant in DEo etiam cum il- Iob: 13.
los occidit, aut deſerit, aut rejicit. Iſti 15.
tales verè non crucem bajulant, ſed illos crux, verè affixi ſunt cruci, verè exaltati à terrâ ſuper omnia mutabilia in cruce; verè Chriſto confixi cruci. Priores veſtiti & non exſpoliati crucem B portant, cruceq; gravantur. Poſteriores autem nudi à cruce portantur, in eâq; etiam de ea triumphant, abſorptam habentes crucem in lætitia, confuſionem in gloria, mortem in victoria.

6. Crucifixuri Chriſtum veſtibus ſpoliant illi, qui proximum ſuum, quem invidiâ, rapinis, vi, cæde, manu, excruciate; boniſq; aut vitâ privare ſtatuunt, vel cupiunt, priùs honore, famâ, bonoq; nomine per detractionem apud alios privant. Hoc malum graſſatur ubiq;, ac plerumq; in aulis Principum illorum, quorum gratiâ, vel officio in alios officia, dignitates, obventiones, præfecturæ, beneficiaq; diſtribuuntur: apud horum namq; Principum aures, C quantis ſæpe ſæpius agitur dolis artibuſq;, ut hic vel ille, honore, munereve debito, promiſſo, condigno excidat: neq; ad eum oculus benignior, manusve liberalior Principis pertingat? Et quid hoc eſt aliud, quàm Chriſto crucifigendo veſtes prius optimi nominis detrahere? Et unde eſt quod nonnunquam (ac utinam dici non poſſit nunquam non) optimos & meritiſſimos quoſq; parata alioqui, imò promiſſa Principum liberalitas præterit? unde eſt quod utiliſſimi Reipublicæ, Principumq; obſequiis viri, in cruce ſpei, expectationum, promiſſionumq; pendent, & cruciantur, in ſecula euntibus ſeu votis, ſeu promiſſis? unde inquam hoc, D niſi quia his miſeris expectantibus veſtimenta detracta ſunt: ipſi autem bono nomine nudi, ad crucem, ut dixi dilatæ ſpei affixi, alios in fortuna ſua ſuperbientes, exultantes, quin & inſultantes vident.

Digitized by Google

Prov: 13. 12. tes vident. *Spes quæ differtur affligit animam.* Habent & hoc malum non infrequens tribunalia, apud quæ, dum potentior pauperem, impius juſtum, avarus raptor, vicinum imbellem devorare A nititur, & per injuſti juris patrocinia bonis optatis ſpoliare ſatagit: quantis (pro! fidem) tunc pauper innocens; conſilii, viriumq; inops ille non obruitur contumeliis calumniisq;, quæ veſtimenta non illi detrahuntur, quæ probra generis, natalium, famæ, fortunæ, morum, non eruuntur, non effinguntur? quibus ſumptibus per dilationes, per juris beneficia, per patronorum conſilia, non gravantur, non emunguntur? quoties lupus ille plenis buccis, ſanguinariis dentibus quiritatur ab agno ſibi ſtructas inſidias, factas injurias, vaſtata paſcua, catulos devoratos, infeſtatas ſylvas, itinera inſeſſa, & quid non? Atq; ita Naboth novellus, nec minus B antiquo illo innocens. Benedixiſſe DE-
3. Reg 21. toto. um & Regem decernitur quam ob rem educitur extra civitatem, & lapidibus obruitur. Malam ſcilicet cauſam habere pauper, forum & locum ſtandi non habere, malæ fidei poſſeſſorem videri, alieni fundi limites involare, nimis accidere latifundia ditioris vicini, injurioſè nobiliori ditioriq; obloqui, proinde cedere bonis debere, ad venditionem iniquam, ad novos ſtatuendos ſcopulos, ſeu terminos cogendus eſſe decernitur, & lapideis decretis, decretorumq;, ſi ſecus faxit, pœnis obruitur. Sic agere quæſo ecquid dicemus aliud, quàm Chriſtum cruci ſuffigendum priùs veſtimentis exuere? Regnat præterea hoc C genus mali inter cognatos & notos illarum perſonarum, quæ ſeſe DEo in Religioſis vitæ inſtitutis devovent. illæ enim haud dubiè ad crucem Chriſti perferendam pergunt, ſed non raró, vix ſatìs etiam veſtimentorum corpori ſervientium efferre, de ſeculo permittuntur. Ita inimici hominis domeſtici e-
Matt: 10. 36. jus. Ita inquam tales, dum quaſi unus & charus ſanguis diliguntur, interea
Mich: 7. 6. uſq; ad ipſum pene ſanguinem emunguntur.

7. Detrahitur veſtis Chriſto crucifigendo, non ſecus ac pellis olim detra-
Levit: 1. 6. hebatur animali ſacrificando. Cautum id lege Divina fuit: ut holocauſtum in ſuavem odorem Domino adolendum, detracta pelle, artubus in fruſta con- D ciſis ſtrue lignorum ante compoſita, ſubjecto igne in altari cremaretur. Hæc detrahendæ pellis figura, in præſenti veſtium detractione impleta eſt: hac namq; potiſſimum detractione veſtium ad carnem adhæreſcentium, omnino carnis & pellis detractio fieri debuit, maximè quòd (ut ſupra memini) haud circumſpectè & delicatè, ſed potiùs violentè, moroſè ac barbarè carnificum ritu, veſtibus Chriſtus exuebatur, aut veriùs carne quoq; & pelle unà cum veſtibus ſpoliabatur.

8. Revoco in memoriam quod & ſupra fol: par: 130. n. 1. in hac veſtium detractione coronam ſpineam Chriſto Domino propter tunicæ inconſutilis depoſitionem, ex capite deponi debuiſſe, eaq; veſte depoſita, coronam rurſus capiti impoſitam eſſe: aut ſi hoc cuipiam minùs credibile videatur, huic inveniendus erit modus inconſutilis tunicæ deponendæ, ſalvâ coronâ in capite. Atq; etiam ipſi crudelitati hoſtium & carnificum commodius expeditiusq; hoc viſum fuit, depoſitâ coronâ, veſtem detrahere, quàm manente coronâ in capite veſtem per caput ſpineto horridum, hinc inde facilè adhæreſcentem extrahere. Quidquid dicatur, utrumq; crudele eſt ipſi cogitationi, ne dicam ſenſui, & perpeſſioni: verùm tamen magis credo depoſitam coronam capiti Chriſti, maximè cùm indubitatum habeam Chriſtum ſpinis horrente capite de cruce pependiſſe: quod ut non dubitem evincit apud me, tum totius non tantùm antiquitatis, ſed etiam Chriſtianitatis authoritas; tum cauſa primaria, ob quam Chriſtus & poſtulatus à Iudæis, & addictus à Romanis fuit ſupplicio crucis. nempe Regni ſuper Iudæos affectatio: hac enim unica ratione, everſus eſt ab juſtitia & innocentia Chriſti tuenda & tenenda Pilatus: *Si hunc dimittis non es* Ioan: 19. 12.
amicus Cæſaris. Omnis enim qui ſe Regem facit contradicit Cæſari: quibus ſermonibus auditis Pilatus magìs timuit, pro Tribunali ſedit, Chriſtumq; affectati regni reum damnavit: quod & inſcriptione cruci appoſita clarè teſtatus eſt, cum ita præſcripſit. *JESUS Nazarenus Rex Iudæorum*: quod validius firmat Iudæorum, apud Pilatum inſtantia dicentium: *Noli ſcribere Rex Iudæorum; ſed quia* Ioan: 19. 21.
ipſe dixit Rex ſum Iudæorum: quæ omnia evincunt Chriſtum præcipuè ambitûs veluti reum, crucifixum eſſe: quocirca Romanis militibus, quorum manibus crucifigebatur Chriſtus, non minùs venit in mentem hanc Regni affectationem Chriſto exprobrare, & apud plebem vulgare impoſitione coronæ jam

in cruce pendenti, quàm venerat idem facere eidem nondum ad crucem damnato. Quæ omnia cùm ita certa ſint ut negari non facilè poſſint: relinquitur etiam, ut certiſſimum ſit Chriſtum ſpinis coronatum pependiſſe de cruce; conſequenter certum erit Chriſto coronam ſuam, ſive cum veſtibus detractam repoſitamq́;, ſive inter detrahendùm relictam fuiſſe: quorum utrumlibet majoris fuerit crudelitatis, enormioriſq́; cruciatus, judicet æquus & prudens rerum æſtimator.

9. Deponit Chriſtus veſtes Crucis mare ingreſſurus: ut promptiùs feliciùſq́; enatare & emergere, in profunda deſcendere, gemmas & corallia venari, & ſurſum regredi poſſit. Mare crucem eſſe nemo negabit, propter omnimodos cruciatus in uno crucis ſupplicio reperiri ſolitos, gemmas venatum eſſe Chriſtum, in ejus maris fundo, in mortis ſcilicet per crucem obitæ exitio. Noſtrûm nempe omnium animas omnes novimus Paſſione & morte quæſitas. Nudus ergo urinator & venator noſter miſit ſe in mare: contentus ſuo ſolo reticulato per vulnera corporis reti. Hac ille ſagena piſcatus eſt nos in fundo peccatorum, & damnationis & inferni demerſos. Vnde Propheta etiam gratulantis affectu cecinit. *Cadent in reticulo ejus peccatores.* (*Pſal: 140. 10.*) O felix rete! o fortunatos peccatores! qui in hoc rete incidunt & capiuntur, nec rete rumpunt, nec iterum peccando Chriſtum crucifigunt: ſed potiùs honorem & gratiam & amorem habent, immolantq́; ſagenæ ſuæ, quâ quæſiti, quâ capti, quâ extracti ſunt, ex tenebroſo perditionis æternæ fundo, in lucem gratiæ, & in uſum ornamenti divini inq́; theſauros depoſiti cœleſtis. Hic eſt homo negotiator prudens bonas margaritas ſollicitè quærens, inventâq́; unâ pretioſâ (ſed cujus ipſe pretii author, imò cujus ipſe pretium eſt) humani generis margaritâ, vendidit omnia ſua, imò perdidit & abjecit omnem ſubſtantiam domus ſuæ, quæſivitq́; eam & emit eam, (*Cant: 8. 7.*) fundens pro eâ totum ſanguinem, totamq́; vitam ſuam. O felix culpa quæ talem habere potuit redemptorem. O felix gemma, quæ talem reperit urinatorem. O felix piſcis, qui in talem incidit ſagenam. Immolatè peccatores, immolate huic ſagenæ veſtræ, quâ capti eſtis, quâ capi, ſi vultis, poteſtis. Immolate veſtrum amorem, veſtram obedientiam, veſtram gratitudinem, veſtram ſalutem, veſtram vitam. Ante Paſſionem Chriſti capti ſunt multiplices: ſed rumpebatur rete; & & elapſis eo gentibus omnibus, quæ nec ſcriptam, nec naturalem legem ſervare noverant: ſolus in eo Iudaicus ægrè quidem remanſit populus. Notus enim in Iudæa (& quidem ſolâ ferè) DEus; (*Pſ: 75. 2.*) at verò poſt Paſſiónem IESU, capti ſunt piſces & omnes magni: cumq́; tanti eſſent, non rumpebatur rete. (*Luca 5. 6.*) Captæ ſunt omnes gentes & comprehenſæ, & excluſâ nullâ à Chriſti crucifixi copioſa redemptione & gratia. Propter quód etiam Chriſtus extendit in cruce manus, ſicut extendit natans ad natandum: demerſos namq; intuens omnes homines in profundo iniquitatis, (*Iſaia 25. 11.*) & ſimul damnationis, depoſuit veſtimenta ſua, & miſit ſe in mare (ut dixi) Crucis, & Paſſionis, & mortis, & ſcrutatus eſt peccatores in fundo inferni, & profundo lacu, & manum porrexit demerſis, & extraxit eos. Quod quidem ille unus & ſolus tam præſtare potuit, quàm & præſtitit. Nam alioqui cui tantum robur fuit, aut eſſe potuit, ut univerſum humanum genus in abyſſis opertum depreſſumq́; & invenire, & extrahere in littus portumq́; ſalutis prævaleret? Chriſtus erat unus, Chriſtus ſolus, quem miſit Pater in terras, ut mundus ſalvaretur per ipſum quam ob rem cantate filii hominum Domino dicentes. *Quis ſimilis tui in fortibus Domine: quis ſimilis tui, magnificus & ſanctitate, terribilis atq; laudabilis, faciens mirabilia.* (*Exod: 15. 11.*) Extendiſti manum tuam utramq́; in cruce, dux fuiſti in miſericordia tua populo, quem redemiſti, & portaſti eum in fortitudine tua ad habitaculum ſanctum tuum.

10. Nudatur IESUS ante mortem: quia plenè pauper eſſe voluit in morte: jam enim uſq́; huc in hoc mundo non habuerat ubi caput reclinaret, ſola veſtimenta, ſola anima, ſolum corpus ſupererât. ergo veſtimenta jam nunc ponit, & aliis tollenda relinquit: animam brevi Patri traditurus, corpus quoq́; cum vitâ, & cum ſemetipſo perditurus: mortuus quippe & ſe, & omnia non habet; quia non eſt: illud quoq́; tantillum terræ, quod extremis veſtigiis premebat, mox affixus cruci dimittebat: atq́; ita totus Chriſtus in cruce moriens ad unguem pauper erat, cujus paupertatis initium à depoſitione veſtium jam ſumit. Deponit ergo veſtimenta IESUS, inclamans veluti opere ipſo & exemplo ſuo, tum omnibus ſectatoribus

ſuis, tum

Digitized by Google

ſuis, tum potiſſimum paupertatis ſuæ profeſſoribus, in hoc ſuum exemplum ut intuentes ſciant & ipſi, ad quos terminos paupertatis progredi debeant. Sanctus Franciſcus ille amore paupertatis A cultuq; præ omnibus Sanctis unus ditiſſimus, moriens hanc Chriſti extremam nuditatem imitari geſtiit, & in nudâ humo nudum ſe abjecit, cujus delicias in mendicitate eſſe ſummas bene gnarus quidam Præſidum moribundo præſens ſumpta veſtimenta ea Franciſco obtulit dicens. Hæc tibi tanquam pauperi commodo, & tu illa ſuſcipias obedientiæ ſanctæ mandato. Gaviſuſq; eſt pauperculus Franciſcus, quòd Dominæ ſuæ paupertati, uſq; in finem ſe vidit fidem tenuiſſe. Quâ etiam mortis ſuæ horâ, idem Sanctus nudus omnino, cùm hoſte communi, qui in illo decretorio tempore, non tantùm iraſci, ſed & oppugnare, quin & expugnare ſolet, decertans exclamabat: non ſolis ſuæ regulæ, ſed omnibus omnino paupertatis votivæ profeſſoribus. Ego quod meum eſt feci, quod veſtrum eſt Chriſtus edoceat. Edocet ſanè edocet, ſi quis modo aures audiendi habeat; edocet hoc nudiſſimo ſuo tam ad crucem, quàm in cruce, & morte, & ſepulturâ apparatu: edocet hoc libro nuditatis ſuæ in corpore ſuo deſcripto, atq; in pulpito crucis ad legendum omnibus nobis propoſito. Accedite Chriſtiani, accedite Evangelicæ & Chriſti paupertatis diſcipuli: legite hanc nuditatis ſcripturam, hanc paupertatis imaginem, hoc mendicitatis exemplar, legite imò aſſumite, & induite, & tenete, ut vos tam pauperes C nudosq; ab omni mundo re ipsâ & mors, & Chriſtus veniens inveniat, & ſponſos paupertatis fideles per omnia inventos, ejuſdem in gloria, ſolioq; pauperum ſuorum exultabundus collocet.

Vadding: tom. 1. An: 1226. n 34.

Vadding: Ibid.

11. Ex Sacris Evangeliis habemus, quater omninò Chriſtum veſtibus nudatum eſſe. 1. Ad flagellationem. 2. Ad purpuram. 3. Ad ſuas veſtes reſumendas, cùm jam bajulaturus eſſet crucem. 4. Deniq; ad crucifixionem. Quâ quadruplici denudatione veſtiumq; detractione deſignata eſſe videtur quadruplex Chriſtianæ perfectionis paupertas ſeu mortificatio. Eſt enim paupertas, quæ nihil ſuum, proprium nihil habet. Eſt quæ nihil ſuperfluum. Eſt quæ ex neceſſariis minimum. Eſt quæ in his D omnibus ab alieno nutu propter votum dependet: Similiter eſt mortificatio doloris, quâ ſenſus corporalis affligitur. Eſt mortificatio honoris, quâ quis eligit abjectus eſſe in domo DEi. Eſt mortificatio laboris, quâ excluſo otio quovis, ſemper DEi, vel proximi causâ utiliter laboretur. Eſt mortificatio hominis interioris, quâ & paſſiones, & judicium, & libertas, & amor proprius, & omne ſuum, ſeu creatum eſſe abnegatur, inq; oblivione ſepelitur: ſolum autem velle, placere, eſſe Divinum quæritur, acquiritur, tenetur.

12. Nudatur JESUS ad crucem, & crucem induit cruceq; veſtitur, aut certè ipſe crucem ſe ipſo veſtit: ita ut illi crux illeq; cruci veſtis ſit. Verè ita procedit via Chriſti omniſq; Chriſtiani: ut quandiu non perfectè denudatur à creaturis, & à creatis affectionibus: tamdiu non ſit induere Chriſti crucem (activè paſſivè) idoneus, porrò quando quis ſe ipſum ſemetipſo planè B nudavit, ſpoliavit, abjecit, perdiditq; tum ſtatim capax eſt, imò tunc ſtatim occurrit illi Crux nudorum perfectio, crux armatura Chriſtianorum, crux ſcutum perpetuum. Diſertum Domini noſtri edictum eſt dicentis. *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me*: quid eſt enim abnegare ſe, niſi exuere & nudare ſemetipſum ſemetipſo. quid tollere crucem ſuam, niſi ſequi & imitari Chriſtum nudum, contemptum, ſtultum, Paſſum? Sequi enim Chriſtum talem, hæc eſt crux noſtra.

Chryſ. ho: de Cruce

Ephrem: Serm: de Pœnit.

Luca 9. 23.

13. Nudatur IESUS ad crucem & mortem. Nunquid etiam ſuper Chriſtum cecidit lex illa. *Nihil intulimus in hunc mundum* haud dubium quod nec auferre quid poſſumus. valeat hoc in omnibus aliis, at de Chriſto non debet: etenim Chriſtus non nihil, ſed omnia potiùs intulit in hunc mundum: Audi Ioannis teſtimonium. *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil*, quomodo ergo nihil intulit Chriſtus in mundum, qui & omnia quæ ſunt in mundo, & ipſum quoq; fecit mundum? quodſi tantum intulit: quare egreſſurus de mundo nihil permittitur efferre de mundo? Nemo cogitet Chriſtum nihil potuiſſe efferre ex mundo: potuit efferre omnia, qui intulerat, imò qui portabat verbo virtutis ſuæ omnia: ſed nihil efferre voluit, etiamſi potuit: ut homo, qui nihil poteſt efferre, etiam nihil velit efferre: ſed faciat ex neceſſitate virtutem, & impotentiæ adjungat etiam voluntatem. vel dicamus: non decuiſſe, ut Chriſtus aliquid efferret de mundo?

1.Timot: 6. 7.

Io: 1. 3.

Hebr: 1. 3.

Digitized by Google

mundo: ne videretur eguiſſe mundo: & quæſiviſſe aliquid mundi in mundo:
Ioan: 18. 36. qui dixerat *Regnum ſuum non eſſe de hoc mundo:* quiq; tam eſt dives ſinè mundo, quàm cum toto mundo: & cui mundus confiteri cogitur cum Rege quodam
Pſ: 15. 2. mundi. *DEUS meus es tu, quoniam bonorum*
Pſ: 38. 6. *meorum non eges.* & iterum. *Subſtantia mea tanquam nihilum ante te.* Igitur nihil Chriſtus de hoc mundo extulit: quia hic mundus coram Chriſto nihil fuit.

Ioan: 13. 1. 4. 5. 14. JESUS in cænaculo *cum dilexiſſet ſuos, in finem.* æſtuans amore poſuit veſtimenta ſua, & miſsâ aquâ in pelvim, lavit pedes diſcipulorum. Idem nunc in monte Calvario eâdem charitate ardens veſtes ponit, quaſi æſtum ferre non ſuſtinens, corpus ſuum ponit in crucem, ablutùrus mundum in ſalutem.

PARAGRAPHVS CXL.

Matt: 27. 38.
Luc: 23. 33.
Io: 19. 18.
Mar: 15. 8.

JESVS Cruci affigitur.

PROPHETIA.

Malachi 3. 8. *Si affiget homo DEUM, quia vos configitis me.*

STROMATA

1. DUm miniſtri parabant omnia crucifixioni neceſſaria, parabat etiam ſeſe eodem tempore IESUS ad crucifixionem, ſeu ſtans, ſeu genu flexus. Patriq; æterno ſuam ſui ipſius jam inſtantem oblationem repræſentans recommendans & offerens, non ſecus ac olim, in inſtanti conceptionis ſuæ in utero, & aliàs in vita ſua ſæpiſſimè, quinimo aſſiduè, ac potiſſimùm currente jam Paſſione, ſeſe obtulerat & offerrebat ad omnem Patris Æterni voluntatem. Feciſſe autem id Chriſtum Dominum tantò certius eſſe debet, quanto hæc hora fuit Chriſto jam jam propior, & quaſi in oculis & manibus. Hora ſcilicet crucifixionis, hora à tot ſæculis deſignata, tot prophetiis prænunciata, tot figuris præmonſtrata, tot votis deſiderata. Hora totius mundi reſtauratione, totius humani generis ſalvatione, cumq; DEo reconciliatione totius Regni diabolici (nempe peccati) deletione & everſione, totius Divinæ charitatis, ſapientiæ, miſerationis, juſtitiæq; demonſtratione: totius exinanitionis, humiliationis, obedientiæq; Chriſti conſummatione, totius diabolicæ poteſtatis & rabiéi illu-
A ſione, totius calicis Paſſionis ad fundum uſq; exhauſtione, totius ſcripturæ expletione nobilitanda. Hanc horam cernens Chriſtus, quomodo non tunc totis cordis ſuis viribus ſeſe effudit coram Patre Æterno, in omne ipſius beneplacitum deponendo ſe tum corporali ſuper crucem tamdiu deſideratam, tanquam per omnia ſalutarem, à ſui corporis attactu efficiendam; tum ſpirituali ſuper DEi voluntatem depoſitione. O ſi poſſemus ad interiora illa IESU Chriſti, & ad intima cordis ejus ſtudia operaq; penetrare? o ſi poſſemus æſtus illos Theandricæ Chriſti animæ concipere & perſentire? o ſi poſſemus in hac generoſiſſimi cordis ſui IESUM Chri-
B ſtū reſolutione & reſignatione imitari! o ſi poſſemus condignas IESU Chriſto gratiarum actiones pro hac ejus in noſtram ſalutem propenſione profundere! Hactenus enim Dominus noſter per immenſum Paſſionis & dolorum mare in navicula humanitatis ſuæ, tanquam decumanis fluctibus objectus, acerbiſſimas & luctuoſas tempeſtates & procellas expertus eſt: at modò dum crucifigendus cruci incumbit, dum manus pedeſq; extendit ad clavos, dum affigitur & extenditur & admenſuratur cruci, quaſì jam extremo vortice fluctuq; Paſſionis ſorbetur, naufragiumq; ſubit, & venit in altitudinem maris, tempeſtaſq; demergit eum. Pro! quanta tem-
C peſtas maris, crux Chriſti, & crucifixio ejus. Linguæ omnium deficiunt creaturarum, ſoli & lunæ lux ſua defecit. Cadavera mortuorum, & ipſa à ſeculis emortua, ipſaq; ſaxa & rupes ſentire potuerunt, eloqui non potuerunt, fœditatem tempeſtatis hujus, atq; naufragii, quod Deus-Homo ſubit in doloribus crucis. At de his doloribus inferiùs plura, nunc crucifixionem ipſam expendimus, locum, modum, cauſam &c.

2. Locus crucifixionis Chriſti ab aliis aſſignatur terra, ita ut cruce humi jacente, cruci Chriſtus incubuerit tanquam hoſtia altari lignorum ſtrui ſuperimpoſita, & ita crucifixus, deindè cum cruce in ſublime elevatus, conſtitutuſq; in fovea ad id parata: & hic vi-
D detur facilior expeditiorq; crucifixionis locus moduſq; plurimus: quem & ordinariè pictores imaginibus repræſentant. Ab aliis tamen aſſignatur & probatur locus

batur locus

batur locus crucifixionis in ſublimi & procul terrâ, ita ut crux primo ſtabilita fuerit in ſuo ſitu, erecta, firmataq́; , tum per tabulatum ad id factum Chriſtus ad eam uſq́; aſcenderit in altum ; ſicq́; illi affixus ſit. Hunc morem, locum, modumq́; crucifixionis aſſerunt fuiſſe antiquitus uſitatum, tanquam magis opportunum confuſioni maleficorum, & terrori ſpectantium ; ita crucifixi, nudi penitus pendere ſoliti, hunc ſitum crucifixionis, credunt prædictum, expreſſumq́; illis verbis Canticorum. *Aſcendam in palmam, & apprehendam fructus ejus.* (Cant: 7. 8.) Vox enim aſcendendi non videtur ſervire crucifixioni ſuper terram. perfectiùs ergo, & magis propriè aſcenſum Chriſti ad crucem prædicit : hac ergò ratione videtur Chriſtus crucifixus pleriſq́; : Ego quidem priorem expeditum magìs arbitrarer, quod tabulatis non egeat neq́; ſcalis : ex alterâ tamen parte poſterior hoc habuit commodi crucifixoribus, quod facilius crucem ſolam, quàm cum affixo homine attollere, & non minus commodè crucifigere poſſent. Excogitarent aliqui medium quiddam : cenſent enim Chriſtum ſecundùm manus affixum cruci ; in terrâ cruce jacente : ſecundùm pedes verò jam erectâ & ſtatutâ in alto cruce : quare oportebat, in hac ratione crucifigendi adſtringere corpus cruci : ne inter elevandum, huc, illuc, deflueret : ſed ut verùm fatear non video, qui aſſentiar huic adinventioni. Ad locum etiam crucifixionis pertinet : quòd aliquibus viſum eſt, Chriſtum in meditullio eſſe crucifixum : propterea quia ſcriptum eſt : *Operàtus eſt ſalutem in medio terræ.* Sed hac de re viderint Geographi : ita tamen ſenſit Cyrillus Catech: 13. Hilar: Can: 33. in Matt:

3. Ad modum pertinent hæc etiam, quæ modo de loco dixi : pertinet & nuditas de quâ ſuperiùs egi, pertinet & hoc, quòd pluribus clavis, quàm tribus videatur facta Chriſti crucifixio : ut præter manus, etiam pedes ſeparatis clavis confixi ſint, non autem pede pedi impoſito, & clavo uno, licèt hoc pictoribus ſcriptoribusq́; forſitan cujuſdam elegantiæ gratiâ uſitatius ſit hoc tempore. At verè difficilè poterant uno clavo pedes ſibi impoſiti ſolidè affigi, ut tutò corpus totum, uni clavo incumbere poſſet. Meliùs ergo & ad uſum infelicis miniſterii ſeu ſupplicii commodiùs fuit duobus clavis pedes affigere, ſubjecto etiam ligno brevi ſuppedaneo: ſic enim provideri faciliùs poterat, ne manus totius reliqui corporis pondere dilacerarentur, quod alioqui pronum factu videtur, ſi pedes ſuppedaneo ligno

A caruiſſent : labantibus enim pedibus & genibus, totum corpus ex manibus pendere debuiſſet, ſicq́; manus lacerationi obnoxiæ fuiſſent. Ad modum crucifixionis & illud ſpectat quod aliqui meditantur. 1. Conſultò hebetiores, clavos factos fuiſſe crucifixioni Chriſti adhibitos, majoris tormenti cauſâ, quo factum ſit ut ſummâ violentiâ validiſq́; ictibus malleorum debuerint foramina fieri in partibus, quæ affigebantur, adeoq́; etiam ipſi nervi, & carnis partes cum obtuſis illis clavis, vi intracti & impacti in lignum ſint. quod imaginari & cogitare horror eſt : nec niſi à crudelitate barbarieq́; miniſtrorum iis quidem non uſitata tunc, fidem habet.

B Quemadmodum & illud. 2. quod Sanctus Bonaventura cogitat : pedes ſcilicet Chriſti Domini antequam clavis configerentur, priùs ſude ferreâ fuiſſe perforatos, ac tum demum clavis adfixos, quæ res ipsâ crudelitate magìs videtur crudelis. 3. Meditantur in cruce illa, facta fuiſſe priùs foramina, & quidem non ſatis ad menſuram membrorum, ſtaturæq́; Chriſti : igitur affixâ manu unâ, cum ſecunda non pertingeret, ad paratum foramen, vi & funibus attracta ſit uſq́; dum eo pertingeret : idemq́; neceſſariò pedibus affigendis eveniſſe, proinde etiam eoſdem violenter attractos eſſe vel ad foramina, vel ad lignum ſuppedaneum : quâ ſtante

C meditatione, neceſſe eſt, ut corpus Chriſti miſerabiliter fuerit in omnibus ſuis membris ac præſertim in nervis, juncturiſq́; manuum & pedum, ſuper omnia verò in compage pectoris diſtractum & diſtentum, planè inſtar chordarum apud cytharam. Quæ meditatio confirmationem quòad hanc diſtractionem membrorum habet ex illis verbis Pſalmi, ſeu potiùs Chriſti in Pſalmo. *Foderunt manus meas & pedes meos, dinumeraverunt* (Pſal: 21. 18.) (hoc eſt ita diſtraxerunt ac ſi numerare vellent, atq́; ut dinumerari poſſent) *omnia oſſa mea.* Ad quod faciunt tum revelationes, tum opiniones aſſerentes maximum præ omnibus doloribus Chriſti Domini fuiſſe dolorem in pectore, cum eſſet in Cruce : quod tam

D pronum eſt credere, quàm & affirmare, imò & probare : quia experimento conſtat iis, qui expanſis manibus erant aliquandiu : ii enim dolore pectoris, quem

Digitized by Google

cauſat extenſio brachiorum recto ſuo pondere, coguntur ceſſare ne vim faciant, & noxam inferant pectori. Facit huc etiam illud: quod ſive meditemur Criſtum Dominum, ita fuiſſe accuratè diſtentum in Cruce, ut corporis reliqui pondere non poſſent brachia defluere in pedes, neq; genua curvare; ſed cogeretur Chriſtus trabi illi planè per modũ affixi aſſeris incumbere: pronum eſt cogitare quanta vis pectori ex tali ſitu fieri debuerit: quantúſq; dolor in ea potiſſimùm parte: ſiquidem ex ea tanquam ex centro membrorum omnium convulſio diſtractioq; fiebat: ut evidens eſſe videtur: ſi verò meditemur Chriſtum laxiùs quantùm ad manus affixum fuiſſe, ita ut brachia defluere potuerint, neque tunc in pectore ipſius ſummus dolor ſummaq; coſtarum & compagum diſtentio divulſioq; non fuit. 4. Meditantur aliqui quod quando Chriſtus Dominus jam cruci in terra jacenti affixus, cum eadem ſurſum elevabatur, poſt aliquantam à terrâ ſublevationem, incuriâ, an conſultò, prolabi in terram permiſſus ſit: quod ſi fuit, fuit certè cum immani corporis Chriſti tam aliàs miſerè tractati, concuſſione partiumq; diſmembratione, conſequenter cum enormi & incogitabili dolore. 5. Meditantur etiam hoc aliqui Crucifixum Dominum cum cruce in altum elevatum, in ſcrobem, imò pedi crucis ſtatuendo paratam, demiſſum cum præcipiti deſcenſu, quod etiam ſinè maxima totius corporis Chriſti concuſſione, convulſioneq; fieri non potuit, neceſſarioq; ex Chriſti vulneribus tunc & violenter & plurimum ſanguinis effluxit. 6. Meditantur quoque aliqui Chriſtum non per partes ſeparatim affixum, ſed ſimul manus ambas, pedesq; ambos affixos eſſe, id quod quatuor milites crucifixores probare videntur, quos tot fuiſſe partitio veſtis Chriſti probat. Alii tamen contra cenſent, priùs dextram manum, tum ſiniſtram affixam, poſtremò pedes affixos eſſe. 7. Meditantur etiam aliqui Chriſtum priùs finibus cruci adſtrictum fuiſſe, tum clavis affixum: eo quod id moris ſervatum fuerit cum his, qui cruci figebantur. Ad tempus crucifixionis quod attinet. 1. Ætatis ſuæ annum Chriſtus tunc complebat trigeſimum quartum, ſi computetur à die conceptionis ejus non à natali. 2. Die 25. Martii: quo die & ipſe conceptus de Spiritu ſancto ante annos triginta quatuor, & olim Adam conditus lapſuſq; in culpam fuerit. 3. Horâ fere ſextâ ſeu meridianâ currente, unde quod Marcus ait affixum Chriſtum horâ tertiâ. Ioannes verò horâ quasì ſextâ, de eodem ambo tempore loquuntur, ſed prior habet rationem elapſi temporis: quod erat horæ tertiæ, poſterior labentis, quod erat horæ ſextæ, & hoc indicant ambo, quia unus abſolutè loquitur, poſt tertiam horam crucifixum; alter vero quasì horâ ſextâ hoc eſt labente horâ ſextâ affixum eſſe. Eſt autem Theophilacti in Matthæum obſervatio. Sextâ die homo conditus eſt, qui & ſextâ horâ de ligno comedit. Quâ igitur horâ Dominus hominem condidit, eâdem & lapſum curavit. Sexto die, & ſextâ horâ cruci affixus eſt.

4. Cauſæ Crucifixionis Chriſti ex variis capitibus deſumi poſſunt. 1. Ex parte inimicorum ſcilicet Iudæorum & Romanorum. 2. Ex parte Dei atq; ipſius Chriſti, quo referri poſſunt omnes rationes congruentiæq; figurarum, & prophetiarum: morales quoq; cauſæ: quoniam hæ ex voluntate DEi evenerunt, & ad voluntatem DEi diriguntur. Quod attinet ad inimicos Chriſti. Iudæi quidem pro ſuo implacabili in Chriſtum odio: quæſiverunt illum de medio tollere morte crudeliſſimâ & infamiſſimâ, quâ & crudelitas ſatiaret eorum odium, & turpitudo obrueret, exoſumq; & contẽptiſſimum redderet Chriſtum. Declaratum hoc habemus, non tam propheticè, quàm hiſtoricé in Sapientiâ, & Hieremiâ. Ac apud Sapientiam quidem inter multa loquuntur ipſi Iudæi. *Morte* Sap:4.20.
turpiſſimà condemnemus eum. qui apud Hieremiam explicantes ajunt. *Mittamus li-* Hier:11.19.
gnum in panem ejus, & eradamus eum de terrà viventium, & nomen ejus non memoretur amplius nimirum ut eſt apud alium Prophetam. *Maledictus, qui pendet in ligno.* Deut.21.23.
Pari ratione apud Romanos Crux erat ſervorum & abjectiſſimorum pœna, cui ingenuus addici poterat nemo, nisì priùs exutus ingenuitate: quâ & afficiebãt affectati regni reos, quo nomine Pilatus Chriſtum morti, & cruci addixit. Iam ex parte Dei: præcipua cauſa hujus crucifixionis eſt voluntas & placitum ipſius: ipſius porrò placiti cauſa nulla eſt aſſignabilis præter ipſummet placitum: quod eſt ſilentium aliarum cauſarum & quæſitorum etiam: reſpondet enim illud ſibi uſitatum. An non licet mihi quod volo facere: an oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum? Aſſignari tamen poſſunt & ſolent convenientiæ plures ejus Divini placiti; quale illud cani

ſolitum

ſolitum in Eccleſiâ ad DEum. Qui ſalutem humani generis in ligno crucis conſtituiſti, ut unde mors oriebatur, inde vita reſurgeret, & qui in ligno vincebat, in ligno quoq; vinceretur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. & iterum. De Parentis Protoplaſti fraude factor condolens: quando pomi noxialis morſu, in mortem corruit: Ipſe lignum tūc notavit, damna ligni ut ſolveret. Hoc opus noſtræ ſalutis ordo depopoſcerat, multiformis proditoris ars ut artem falleret, & medelam ferret, unde hoſtis unde læſerat. Quo etiam videtur reſpicere ſponſus *Cant: 8.* alloquens Sponſam. *Sub arbore malo ſuſcitavi te, ibi corrupta eſt mater tua, ibi violata eſt genitrix tua.* Atq; hæc eſt prima, præcipuaque voluntatis Divinæ de crucifigendo Chriſto, ipſiusq; crucifixionis congruentia, ad quam omnes aliæ reducuntur quaſcunq; in figuris vel Prophetiis ſcripturarum, & in Patribus eſt reperire.

Gen: 2. 17. Inprimis lignum illud ipſum ſcientiæ boni & mali, cujus eſum prohibuerat DEus, ubi & ſerpens & mulier mendacium invidiamq; DEo impegerant, ubi vir voci uxoris magis obedivit, quàm Divinæ, ubi infeliciſſimè affectata eſt Divinitas, & ſcientia boni ac mali, ubi amiſſa fuit innocentia: convenienter per lignū crucis eſt reſtauratum, vel certè convenienter eſt illi hoc oppoſitum repoſitumque. Eſt enim hoc lignum crucis, etiam lignum ſcientiæ boni mali, quia in eo pependit Chriſtus ſciens eligere bonum, & reprobare malum, & nos qui in Chriſtum credimus, ex eo diſcimus quid ſit bonum, quid malum. Ejus eſum non tantùm non prohibet ſed imperat DEus, ita ut qui non comederit ex ejus ligni fructu, morte moriatur: In hoc ligno ipſa Dei veritas pendet, & mendacium excluſum eſt: hoc in ligno Chriſtus ne perderet obedientiam, perdidit vitam potiùs: hoc in ligno pro pomo mortifero, pomum ſalutiferum repoſitum, & affixum eſt, ab hoc ligno feliciſſimè ſecuriſſimèq; participatio Divinitatis acquiritur & hauritur. In hoc ligno innocentia reparatur, veritas impletur, juſtitia contentatur, pax conciliatur, miſericordia oſtenditur, honor læſus DEo reſtituitur, victor hominis & homicida diabolus vincitur, & chyrographum mortis affigitur, deleturq;, maledictio aboletur, Cherub cum flammeo gladio ſubmovetur, Paradyſus aperitur, & latro inde expulſus in illum introducitur. Deinde lignum vitæ: de quo ſi ediſſent Parentes noſtri vixiſſent in æternum, quid ſignabat aliud, niſi lignum crucis ipſam vitam in ſe affixam habens, de quâ qui guſtat in æternum vivit, & folia ejus in ſanitatem ſunt gentium. Ad hæc, Arca lignea, quam contemptibile lignum vocat Sapiens, crucis lignum ſignificabat vile quidem, contemptibile, maledictū etiam: in quo tamen verus Noé, non paucas, id eſt octo; ſed omnes omnino animas à diluvio peccati, æternæq; damnationis ſalvavit. *Gen: 6. 14.* Hoc ſignificabat & ille ramus olivæ virentis, quem columba attulit ad Noé veſpertino tempore, ceſsâſſe aquas diluvii ſuper terram ſignificans. Innocentiſſima enim humanitas Chriſti, crucis ſuæ paciferum veluti olivæ ramum Patri æterno ad veſperam mundi vel diei obtulit, copioſam redemptionem mundi peractam, & iræ diluvium ceſsâſſe nuncians. Hoc ſignificabat virga Moſaica, tot mirabilium patratrix operum in Ægypto, & in deſerto, quâ per rubrum mare educti Iſraëlitæ, demerſi cum ſuo Pharaone Ægypti: per lignum enim crucis, perq; mare ſanguinis Chriſti homines quidem ſalvati, peccata verò, & infernus & mors, & dæmones, victi, abſorptiq;. *Exod. 7. 10.* Hoc ſignificabat & baculus ille Patriarchæ Iacob de quo ipſe dicebat in baculo iſto tranſivi Iordanem iſtum, & nunc in duabus turmis revertor. *Gen: 32. 10.* Chriſtus enim tanquam Iacob Sponſam ſibi Eccleſiam & animam quæſiturus per Iordanē Paſſionis in baculo crucis tranſivit, & à morte per reſurrectionem rediens in duabus turmis Patrum ex limbo & purgatorio eductorum, nec non Angelorum Sanctorum reverſus eſt in cœlum. Hoc ſignificabat Moſaicum illud lignum à DEo illi oſtenſum, & quantumlibet amarum eſſet ipſum (ut notavit Rabbanus, Hugo) tamen in aquas amaras miſſum, quo illæ dulces factæ ſunt & potabiles populo. *Exod: 15. 25.* Aquæ multæ populi multi (totum ſcilicet humanum genus) amariſſimæ fuêre, neq; guſtui Divino potabiles, ſed omnes in mare mortuum inferni influebant, donec lignum crucis, humanam naturam Chriſti portans, reliquam quoq; maſſam generis humani in dulcedinem verteret. Hoc ſignificabant ſuperliminaria, & poſtes forium inuncti ſanguine agni in Ægypto, propter quem ſalvatus eſt Iſraël omnis, interfectis interea primogenitis Ægyptiorum ubiq;, quæ inunctio clarè formam crucis repræſentat: imò ſunt qui credant verè litteras T. ſanguine illo formatas

[Ibid: V. 23.] fuiſſe in poſtibus &c. à quo ſigno non ſinebatur (ita loquitur ſcriptura) percuſſor ingredi domos Iſràëlis, ſed tranſcendebat ſeu præteribat oſtium ſigna- [Exodi 17. 11.] tum. Hoc ſignificabat virga illa qua Moyſes, contra Amalec Ioſue pugnante, unà cum manibus in altum elevabat, ſignumq; crucis efformabat, quam elevationem continuante Moyſe, vincebat Iſràël & Ioſue, remittente verò vincebatur. Elevatis certè Chriſtus noſter in Cruce manibus vicit hoſtes noſtros. [Num: 21. 8.] Hoc ſignificabat (& quidem ipſo Chriſto interprete) ſerpens æneus à Moyſe in deſerto ſuper lignum exaltatus, quem, à ſerpentibus ignitis percuſſi reſpicie- [Ioan: 3. 14.] bant, & vivebant. Nos certè à ſerpente in Paradyſo percuſſi moriebamur: ſed aſpectu ſerpentis ænei, hoc eſt Chriſti in Cruce ſuſpenſi pro nobis, agnitione, fide, amore, vivimus, & ſalvamur, qui quidem ſerpens noſter figuram ſerpentis habet, ſed venenum ejus non habet, [Num: 20. 11] morſu non nocet, aſpectu ſanat. Hoc quoq; ſignificabat virga illa petram percutiens, & aquas de ea largiſſimas eliciens, quæ deinde proſequebatur populũ DEi, quoquo pergeret dicente Paulo: *conſequente eos Petra* & explicata mox, *Petra autem erat Chriſtus* Crucifixus enim in ligno Chriſtus aquas ſalutis largiſſimas dedit, quæ etiam hucuſq; manant in a- [Num: 25. 4.] blutionem peccatorum. Hoc quoq; ſignificabat illud mandatum Domini, quo peccante populo juſſit Moyſi hunc in modum. *Tolle cunctos Principes populi, & ſuſpende eos contra ſolem in patibulis, ut avertatur furor meus ab Iſràël.* Iratus enim Deus ſceleribus totius generis humani, Regem Regum, Principemq; generis noſtri JESUM, propter ſcelus populi ſui percuſſit, ſuſpendi eum faciens in patibulo, ut averteretur furor ſuus ab ge- [Levit: 14. 6.] nere noſtro. Hoc quoq; ſignificabat lignum cedrinum cum cocco & hyſſopo intinctis in ſanguine animalis immolati, quo aſpergebatur leproſus purificandus à ſuo morbo: Lignum enim cedri crucem ſignabat Chriſti, hyſſopus cedro alligata, Chriſtum cruci affixum, coccus clavos ſanguinolentos, vel certè charitatem Chriſti, quâ arctius, quàm clavis cruci ſuæ alligatus erat. Sanguis animalis immolati, ſanguis ipſius Chriſti eſt, qui emundat omnes à leprâ peccati. Ad quam figuram haud dubiè reſpiciebat, magis autem ad rem ipſam figuratam attendens David orabat DEum. [Pſal: 50.] *Aſperges me hyſopo & mundabor, lavabis me & ſuper nivem dealbabor.* Hoc quoq; ſignificabat Iſâàc in monte ſuper ligna poſitus immolandus, nec non aries in rubo hærere cornibus inventus, proq; Iſâàco immolatus in iiſdem illis lignis. [Gen: 22. 9.] Immolatus enim eſt Chriſtus ſuper crucis ligna: & quamvis DEus eſſet in Chriſto reconcilians mundum, quamvis perſona verè Filii Dei ſuper crucem eſſet poſita, non eſt tamen Divinitas paſſa, aut immolata, ſed aries humanæ naturæ in Chriſto: hærens in peccatorum noſtrorum ſpinis, & re ipsâ ſpineam coronam in capite geſtans. Hoc quoq; ſignifi- [Exodi 12. 3. 8.] cabat Agnus Paſchalis veru transfixus atq; in formam crucis teſte Sancto Juſtino Martyre in dialogo cum Tryphone, diſtentus, aſſatus, comeſtus, à Iudæis. In Crucis enim veru Innocentiſſimus Agnus Paſchali tempore extentus, & charitatis ſuæ igne dolorumq; fervore aſſatus, deinde à rabie Iudaicâ voratus eſt. Hoc quoq; ſignificabat Arcus ille in nu- [Gen: 9. 13. 16.] bibus à Deo poſitus in ſignum placationis ſuæ, & quod diluvio non eſſet deinceps terra punienda. Expanſa enim brachia Chriſti in Cruce, arcus ſunt: ad quorum intuitum placatur Deus Pater, & iræ ſuæ catarractas à diluvio cohibet, ne exundet in juſtam punitionem mortalium. Hoc quoq; ſignificabat [4. Reg: 6. 6.] illud ligneum manubrium, quod Eliſæus Propheta mittens in aquas enatare fecit ferrum de profundo, in quo demerſum perierat. Ligno enim crucis im- [Exodi 15. 5. 10.] merſo in aqua Humanitatis IESU Chriſti, extracti ſunt de profundo peccati & inferni omnes homines, in quod deſcenderant quaſi lapis: & ſubmerſi erant quasi plumbum in aquis vehementibus. Hoc quoq; ſignificabant duo il- [3. Reg: 17. 12.] la ligna quæ vidua Sareptana colligebat in uſum domus ſuæ: cui benè precatus eſt Elias, & ſuſtentata eſt in fame. Duobus enim lignis ex quibus confecta eſt Crux Salvatori, collectis, Eccleſia vivit, & in fame ſuſtentatur. Hoc quoq; ſi- [4. Reg: 4. 29. 34.] gnificabat baculus ille Eliſæi miſſus ad mortuum ſuſcitandum per Gieſi puerũ, qui tamen puero mortuo impoſitus non profuit mortuo, donec ipſe Eliſæus veniret ſeq; mortuo admenſus eſſet. Crux enim nihil proficibat ad ſalutem humani generis, quamdiu JESUS mortuis admenſus & adnumeratus non eſt. Mortuo autem JESU revixit tam puer quàm ipſe JESUS. Hoc quoq; ſignificabat [Ezech: 9. 4.] ſignum illud Electorum & à morte ſervandorum, quod vidit Ezechiel inſcriptum in frontibus: quo ſigno, qui carebant interfecti ſunt: figura porro ſigni

fuit litte-

Digitized by Google

fuit littera T. quæ olim fuit in uſu apud Iudæos, & poſtea retenta fuit apud Samaritanos, eſtq́; hodie in uſu etiam cum denominatione ipſâ apud Græcos, quod ſignum figura ſua Crucem, uſu autem effectum Crucis, qui eſt ſalus, manifeſtè deſignabat. quod etiam ideo vocat Ioannes Evangeliſta ſignum DEi vivi, ſcilicet JESU Chriſti: qui fuit, ut ipſe ait, mortuus, & eſt vivus, alludens indubitatè ad ſignum Ezechielis ſupra dictum. Apoc:7.3. Hoc quoq́; ſignificabant illa cornua in manibus DEi, quæ vidit Abacuc, & in quibus abſconditam eſſe fortitudinem ejus aſſeruit. Abacuc 3. 4. Cornua enim iſta ſunt clavi in manibus Chriſti cruci affixi, in quibus clavis abſcondita fuit fortitudo, & omnipotentia Salvatoris, ſub infirmitate, dolore, ignominia, morte debellans omnem adverſariam poteſtatem, prout ibidem Abacuc Propheta diſertè deſcribit. Erat autem abſcondita fortitudo tum dæmonibus, qui, ſi cognoviſſent nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent. ut aſſerit Apoſtolus, cum hominibus quorum aliquibus, puta Iudæis, crucifixus Chriſtus fuit ſcandalum, aliquibus autem, nempe gentibus, ſtultitia, propter quod & Dominus olim oraverat, Patri agens gratias, quod abſcondiſſet hæc à Sapientibus, & prudentibus, revelâſſet autem parvulis electis: quibus Chriſtus eſt virtus DEi, & Sapientia. Num:17. 8. Hoc quoq́; ſignificabat virga Aaronis flores fructuſq́; etiam maturos proferens: & Aaroni Sacerdotium adſtruens: ſolius enim Chriſti virga Crucis non ſolùm germinavit, ſed etiam floruit, florem de radice Ieſſe exortum portans, Nazaræнumq́; JESUM (qui floridum ſonat) affixum gerens, imò etiam inſuper fructum edidit, fructum inquam ſalutis, & redemptionis omnium populorum, in Chriſtum credentium, ac potiſſimùm electorum: quorum quilibet eſt amygdalinæ nucis inſtar (tales autem fructus, ſeu nuces, virga Aaronis protulit) Superiore quidem cortice amara propter mortificationes, & paſſiones tam Chriſti, quàm ſuas: deinde quantùm ad teſtam eſt fortis & conſtans in patiendo & & perſeverando, tandem quoad nucleum glorificationis eſt dulcis & paſcens, atq́; nutriens. 2 Reg: 18. 9. Hoc etiam ſignificabat arbor illa ſeu quercus denſa ex quâ Abſalon Parricida pependit. De Cruce enim, in quâ inſtigatione ſuâ maligna, per Iudæorum malitiam Chriſtum innocentem ſuſpendi voluit, ipſe capillo nequiſſimorum conſiliorum ſuorum captus & illaqueatus eſt, & ludibrium cœlis, terris, inferiſq́; ipſis eſt factus. Hoc ſignificabat lignum illud apud Hieremiam de quo inimici Chriſti dicebant. Hier: 11. 19. *Mittamus lignum in panem ejus.* Crux enim (ait Gregorius) ligno ſignatur, quia lignum in panem mittere, eſt configendo Dominico corpori crucis ſtipitem adhibere. 2. Mor: c. 12 & l. 12. c. 3. Notandum autem hoc lignum de quo loquuntur inimici Chriſti fuiſſe ex venenatis & amaris lignis, unde pro ligno Chaldæus vertit venenum mortiferum: ſicut pro verbo Mittamus, hebraica vox propriè ſonat Corrumpamus: quo ſignificatur infenſiſſimum odium Iudæorum in Chriſtum, qui morte crucis ſtuduerunt Chriſtum, & quoad corpus, & quoad vitam, & quoad famam, & quoad doctrinam, reddere omnibus probroſum, odioſum, deteſtandum, amarum, venenatum: cùm tamen Deo malitiam eorum per ſapientiam vincente totus Chriſtus factus ſit credentibus dulciſſimus, amabiliſſimus, honoratiſſimus, etiam cum ſua cruce, ita ut dici poſſit, à Chriſto ad Iudæos, quod ab Ioſepho ad fratres: *Vos cogitâſtis de me malum, DEus autem vertit illud in bonum* & (ſicut etiam ſupra notavi) Moyſes amaro ligno, amaras aquas in dulces commutavit. 2. Reg: 25, 8. Hoc ſignificabat ille ſedens in cathedra Sapientiſſimus; Ipſe eſt tenerrimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecit impetu uno. Quis enim eſt iſte Sapientiſſimus, nisi JESUS ipſa ſapientia, habens omnes theſauros ſapientiæ & ſcientiæ DEi reconditos? quæ ejus in cathedra ſeſſio nisi ad crucem affixio? quis iſte ligni vermiculus tenerrimus? nisi filius Virginis, qui de ſe loquitur. *Ego autem vermis & non homo?* Pſ: 21.7. vermis in ligno crucis reptans *cujus viæ humiles & ſilentioſæ exſtiterunt, quoniam ſicut ovis ad occiſionem ductus eſt, & velut agnus coram tondente ſe obmutuit, non habens in ore ſuo redargutiones.* Caſs: in Pſ: 21. Iſaiæ 53. 7. Pſ: 37. 15. Suo ſilentio in paſſione plùs erudiens, quàm omnis clamor ſapientiæ mundi vel carnis, omneq́; genus peccatorum occidens, & in ſe ipſo mortificans uno paſſionis impetu: vivificans verò omnium animas à verme infernali oblæſas: quomodo vermis ille ſeu ſerpens Moſaicus in alta cathedra expoſitus ſalutem dabat aſpicientibus in ſe (prout ſupra notavi) cujus vermis prudentiam ipſe Chriſtus nobis tenendam commendat. Num: 21. 8. Hoc ſignificabat ſcala Iacob, cui DEus innixus ad verticem apparebat, & ſummum ejus cœlos tangebat. Gen: 28. 12. Angeliq́; per eam deſcendentes & aſcenden-

 tes.

Digitized by Google

tes. Crux enim vera ſcala eſt, cui Chriſtus verus DEus & innixus & affixus cœlos non ſolùm tangens, ſed etiam aperiens per modum clavis Davidicæ, per eam Angeli cum ſatisfactione abundanti aſcendebant de terrâ ad Patrem æternum, deſcendebant quoq; per eandem de cœlo cum pace & reconciliatione & gratiâ ad homines à DEo. Vel etiam per eam deſcendit in ruinam dejectus ingratus Iſraël: aſcendit autem amator gentium populus. Vel etiam per eam deſcendit diabolus de cœlo lapſus, aſcendit autem homo, in locum ruinæ diabolicæ electus erectuſq;, vel etiam per eam deſcendût peccatores ad pœnitentiam, aſcendunt juſtificati, & gratia dotati ad gloriam. Vel etiam per eam aſcendunt Paſtores Eccleſiæ ad DEum pro populo ſupplicantes ſacrificanteſq;, deſcendunt vero ad homines, Chriſtum, & doctrinam, & merita ejus gratiamq; prædicantes & diſpenſantes, juxta illud Pauli: ſive mente excedimus Deo, ſive ſobrii ſumus vobis: &. Deſiderium habens diſſolvi & eſſe cum Chriſto, remanere autem in carne propter vos neceſſarium. Vel etiam aſcendebant Angeli, Chriſtum infra ſe minoratum in carne habentes: deſcendebant verò iidem eundem in Divinitate ſupra ſe venerantes, ad quod videtur reſpexiſſe Dominus ipſe loquens Nathanaeli & aliis diſcipulis: *Amen amen dico vobis, amodo videbitis cœlum apertum, & Angelos DEi aſcendentes & deſcendentes ſupra Filium hominis.* Qui ipſe Filius hominis per ſcalam ſuæ crucis, & deſcendit quidem exinaniendo ſemetipſum per formam ſervi, uſq; ad mortem crucis, & ad inferiores partes terræ, non tantùm ſepulchri, ſed etiam inferni: & aſcendit ſuper omnes cœlos, ſuperq; omnem poteſtatem ac virtutem, ut in nomine ejus omne genu flectatur cœleſtium, terreſtrium, & infernorum. Hoc quoq; ſignificabat ille Arcus Davidicus, quem ipſe ſtatim explicat, cùm nominat dicens: *Poſuiſti ut arcum æreum brachia mea,* quibus verbis eleganter Dominus JESUS per os Prophetæ ſuam crucifixionem depingit. Arcus enim tamdiu eſt res inutilis ad pugnam, quamdiu crucis non induit figuram, impone arcui ſagittam, crucem formâſti, tende brachiis arcum, crucem formâſti: tolle hoc utrumq;, ſcilicet ſagittam & brachium tendens arcus inutilis, adde hoc utrumq; arcu, nihil ad bellum & pugnam expeditiùs, utiliùs, validiùs: de quo etiam in Iob ſignificatum legimus. Fugiet

Phil: 1. 23. — *Ioan: 1. 51.* — *Pſal: 17. 35.*

(inquit) arma ferrea & irruet in arcum æreum, quod contigiſſe tam diabolo, quàm ejus miniſtro Iudæo, Pilatoq; videmus. Nam dum diabolus fortis armatus congreſſus eſſet cum Chriſto ejuſq; vitam, doctrinam, mores, miracula, tanquam arma ferrea formidans effugere vellet, ideoq; Iudæos ad necem Chriſti exſtimularet, irruit in arcum æreum, impegit ſcilicet & alliſus eſt ad Chriſtum Crucifixum. Pari modo & Iudæus dum contrariam operibus ſuis malis vitam & doctrinam Chriſti ferre non poteſt, eaq; tanquam ferrea arma occidendo Chriſtum effugere nititur, in arcum æreum crucifixi ejuſdem Chriſti irruit, & victus corruit. Sed & Pilatus dum timet illam Iudæorum minitantium vocem, ſi hunc dimittis non es amicus Cæſaris, irruit in arcum ferreum, quando cruci addixit Chriſtum. Nec abſimiliter etiam hodie omnis impius fugit arma ferrea, partim laborem pœnitentiæ, partim rigorem virtutis, & Chriſtianæ obſervationis, partim gladium Divinæ in hac vitâ ultionis, per continuitatem terrenæ præſentiſq; proſperitatis: ſed irruit in arcum æreum æternæ, & tam intolerabilis, quàm inevitabilis damnationis. Chriſtus ergo crucifixus eſt arcus æreus extenſus ſimul & ſagittâ inſtructus: ſagitta ſalutis contra Damaſcum, quâ cruciantur electi per vulnus dilectionis in ſalutem & ſauciantur reprobi per vulnus ultionis in perditionem. Cujus ſchema videre eſt in utroq; latrone cum Chriſto crucifixo, in Synagogæ & Eccleſiæ filiis, in Iudâ, & Petro, in diabolo & homine. Ad quod propoſitum facit illud Habacuc Prophetæ: ſuſcitans ſuſcitabis arcum tuum ſive in cruce panſis in modum arcûs brachiis pendendo, ſic poſt mortem ad vitam glorioſè reſurgendo, in luce ſagittarum tuarum ibunt juſti quidem in vitam æternam, impii autem in combuſtionem æternam. In hoc Arcu Iacob Patriarcha nempe Æternus Pater, quæſitam, & partam de manu Amorrhæi extra fratres ſuos filios Iſraël, partem Gentium ad fidem Chriſti admiſſarum dedit filio ſuo Ioſeph, filio accreſcenti, videlicet Chriſto: cui & dicebat in Pſalmo *Poſtula à me* (panſis in cruce brachiis) *& dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ*: quos etiam IESUS in cruce pendens apprehendit & poſſedit. Factuſq; eſt tunc filius accreſcens Ioſeph: filius accreſcens &c. cornua Rhinocerotis, cornua illius, in ipſis

Habac: 3. 9. 11. — *Pſ: 2. 8.* — *Gen: 49. 22.*

ventilavit.

Digitized by Google

ventilavit gentes uſq; ad terminos ter-
Deut: 33. ræ. Hoc etiam ſignificabat veſtis po-
17. deris, ſeu talaris ſummi Sacerdotis quâ
Exodi 28. indutus intrabat in ſancta Sanctorum,
4. & ſa- in qua erat deſcriptus univerſus orbis,
pietia 18. habebatq; circa limbum tintinabula au-
14. rea interpolata malis punicis. Hæc ve-
Exodi 28. ſtis eſt Humanitas Chriſti quâ Divini-
33. tas veſtita, vel crux ejuſdem, quâ Huma-
nitas ejuſdem quaſi veſtita fuit: hac u-
traq; veſte indutus IESUS Pontifex
Hebr: 9. ſummus, introivit ſemel in ſancta, deq;
11. &c. ſe ipſo ſacrificium obtulit, & æternam
redemptionem invenit, ſeu peregit: ta-
laris fuit, quia uſq; ad mortem in ea per-
ſeveravit: deſcriptus in ea orbis terra-
rum fuit, quia totius humani generis
peccata in Chriſto paſſo crucifixoq; po-
ſita & punita ſunt: totiuſq; mundi Sal-
vator, & veluti ſalutis bajulus fuit, indu-
tuſq; ſalute, ſicut veſtimento aut pallio
circumdedit omnes alioqui perituros:
tintinabula veſtis hujus, ſunt vulnera
corporis totius, aliæq; pœnæ: quarum
vox meliùs clamans in cœlum quàm A-
belis, pervenit uſq; ad aures æterni Pa-
tris: diſtincta verò malis punicis: quia
punicea ardētiſſimâq; charitate indutus,
omnia paſſus eſt Dominus JESUS. Hæc
quoq; veſtis arcta fuit adeò, ut eâ indu-
tus Sacerdos rugam non haberet: quia
crux Chriſti ſua pœnalitate arcta valde
Eph: 5. & afflictiva fuit, exhibuitq; Chriſto Ec-
27. cleſiam non habentem rugam neq; ma-
Pſal: 21. culam; ut loquitur Paulus, & corpus
18. Chriſti in eadem cruce ita extenſum fu-
it, ut dinumerari omnia oſſa ejus poſ-
ſent, pròut ipſe in Pſalmo teſtatur. Hoc
Iſaiæ 22. ſignificavit paxillus fixus in loco fideli:
23. ſuper quem ſuſpendant omnem gloriam
domûs Patris ſui: & erit in ſolium glo-
riæ domui Patris ejus. Quis enim pa-
xillus iſte fixus in fideli loco, niſi crux
cum ipſo Chriſto, fixa in monte Calva-
rio, qui erat locus fidelis, probans lucu-
lenter fidem obedientiamq;, & olim
Abrahæ quando filium, & modo Chriſti
cùm ſeipſum immolaret. In quo paxil-
lo ſuſpenſa, ſive occultata, aut ſi mavis
manifeſtata, aut etiam depoſita fuit o-
mnis gloria Chriſti, ejuſq; æterni Patris.
Quomodo enim non fuit abſconſa tunc,
Matt: 27 quando hoſtes inſultantes dicebant. *Con-*
43. *fidit in Deo liberet eum nunc ſi vult:* Et ite-
Matt: 27. rum. *Chriſtus Rex Iſraël deſcendat nunc de*
42. *cruce & credimus ei?* Quomodo non fuit
manifeſtata, quando concuſſa universa
mundi machina clamans exſpiravit, cum
Lucæ 23. tanto omnium ſtupore, ut reverteren-
48. tur percutientes pectora ſua, & dicentes,

Verè Filius DEi erat iſte? Hic Paxillus *Matt: 27.*
crucis, fuit ſolium gloriæ Chriſti: in quo *54.*
cœli, terræ, & inferni viderunt gloriam
ejus, gloriam quaſi Unigeniti à Patre,
A plenum gratiæ & veritatis: neq; ſolùm
viderunt, ſed etiam videbunt adhuc,
quando implebitur Chriſti prædictio il-
la: *Amodo videbitis filium hominis venientem* *Matt: 26.*
in nubibus cœli, cum virtute & majeſtate, quan- *64.*
do parebit ſignum filii hominis in cœlo &c.
Hoc ſignificabat etiam illud ferculum *Cant: 3.*
Salomonis, quod ille fecit ſibi de lignis *9. 10.*
Libani, columnasq; ejus fecit argente-
as, reclinatorium aureum, aſcenſum pur-
pureum, media charitate conſtravit, pro-
pter filias Hieruſalem. Quid enim crux
niſi ferculum, niſi lectica, niſi lectulus,
niſi thalamus pacifici noſtri IESU
Chriſti: ex lignis fabrefactus: cujus
columnæ argenteæ, crura ſeu pedes &
brachia crucifixi: reclinatorium capi-
B tis aureum; aſcenſus purpureus ſangui-
nolentus in pedum manumq; confixio-
ne: Medium charitate mediante, impe-
rante, & impellente, cordis ſcilicet &
lateris vulnere conſtravit inibiq; rece-
ptaculum filiabus Hieruſalem, dilectis &
diligentibus animabus commonſtravit.
O verè ferculum quod & ferebat ipſe,
& ferebatur viciſſim ab ipſo verus Salo-
mon: inimicitiarum ſyngraphas & chy-
rographa reſcindens, cruciq; affigens;
Pacis autem æternæ fœdera conſcri-
bens: & morte ſua conteſtans atq; con-
ſignans: verè de lignis factum quia etſi
Salomon ille ſuo tempore & auro & ar-
genteo detraxit pondus in Regno ſuo
præ copia, ut eſſet verè vilius lapidibus
C ipſis: tamen ex lignis fieri illud volu-
it, ut eſſet expreſſior figura ligni ſeu
ferculi lectuliq; crucis Chriſti: qui cùm
poſſet omni alia ratione venuſtiori ſal-
vum facere genus humanum, maluit ta-
men per contemptibile lignum, & per
crucis opprobrium immenſam charita-
tem ſuam mundo manifeſtare, & in li-
gneo iſto crucis ferculo tanquam in con-
ſpectum univerſitatis dare. Hæ o-
mnes, & plurimæ aliæ quæ adhuc recen-
ſeri poſſent, quibus tota ferè veteris
legis ſcriptura conſtat, figuræ, vehemen-
ter probant cauſam ſeu congruentiam,
ob quam & DEo placuit, & Chriſtus par-
tim elegit, partim debuit in crucis li-
gno affigi, pendere, & mori: quod ipſe
Chriſtus non ſemel ſatìs explicatè teſta-
D tus eſt, tam de omni quàm nominatim
crucis paſſione, quòd eam ſubire volue-
rit ut implerentur ſcripturæ, utq; omnia
quæ de ipſo erant ſcripta in lege finem

Mmm haberent;

haberent: quâ etiam in re novi teſtamenti ſcriptores peculiarem curam poſuerunt, ut eorum quæ Chriſto in paſſione evenerant rationem cauſamq; ex hoc aſſignarent, quia nimirum ita de Chriſto ſcriptum prædictumq; fuerat. Porrò propter hanc ſcripturarū figurarum, prophetiarumq; implendarum crucifixione Chriſti, congruentiam, aſſignantur etiam aliæ à Sanctis Patribus ſcriptoribusq; ejuſdem conſilii Divini de morte Chriſti in cruce, convenientiæ, quibus ipſiuſmet crucifixionis delectæ ratio approbatur. Atq; ut haſce à S. Paulo recenſere ordiar. Prima eſt ab illo tradita.
1. Cor: 1. 21. *Nam quia in DEi ſapientià, non cognovit mundus per ſapientiam DEum: placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes.* Stultitiam autem hanc prædicationis ipſe ſuprà explicuerat dicens:
Ibid. ℣. 18. verbum crucis pereuntibus quidem ſtultitia eſt: iis autem qui ſalvi fiunt, id eſt nobis, DEi virtus eſt &c. Inducit ergo Paulus, DEum quidem ab initio quaſi voluiſſe mundum ad ſalutis adeptionem, nominiſq; ſui notitiam deducere per opera Majeſtatis, Sapientiæ, Providentiæ, Omnipotentiæ, in creaturarum conditione, diſpoſitione, elegantia conſervatione, gubernatione, utilitate eluceſcentis: ſed cum videret homines, neglecto Creatore, creaturis inhærere immerſos; neq; ex his ad illum aſcendere, ſed potiùs adglutinato in terra ventre, nihil præter terrena & terram ſapere: veluti experimento ſumpto mali ſucceſſus prioris conſilii, ſtatuiſſe per ſtultitiam prædicationis, ſeu per verbū, myſteriumq, crucis, tum per infirmitatem, & ignobilitatem, per dolorum inſuper paſſionem, & mortem ſalvos facere credentes: Neq; ſucceſſu poſteriùs
Ibid ℣. 25. conſilium carere aſſerit Paulus quin imò & ſucceſſum, & cauſam ſucceſſus explicans addit: *quia quod ſtultum eſt DEi, ſapientius eſt hominibus, & quod infirmum eſt, DEi fortius eſt hominibus.* Vnde etiam opportuniſſimam ſubnectit adhortationem ad fideles Chriſti omnes, monens eos, ut intelligant indolem vocationis ſuæ ad fidem Chriſti, nôverintq; & omnino re ipſâ practicè hoc intelligant, intelligendoq; exequantur ad quod Chriſto nomē
Ibid: ℣. 26. dederunt. *Videte enim* (inquit) *vocationem veſtram fratres, quia non multi ſapientes ſecundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles, ſed quæ ſtulta ſunt mundi elegit DEus, ut confundat Sapientes, & infirma mundi elegit DEus, ut confundat fortia, & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit DEus, & ea quæ non ſunt, ut ea quæ ſunt, deſtrueret, ut non glorietur omnis caro in conſpectu ejus* proin ſe fratres ſtultitiam, impotentiam, ignobilitatem nolite erubeſcere, quia hæc eſt quam elegit in vobis, & in quam vocavit vos DEus ad Chriſtum. Ex ipſo autem, ſive ideo enim, vos eſtis in Chriſto IESU, qui factus eſt nobis ſapientia à DEo, & juſtitia, & ſanctificatio, & redemptio: ut quemadmodum ſcriptum eſt. Qui gloriatur, in Domino glorietur. Hæc eſt ergo ſumma diſputationis Pauli. *Placuit DEo per ſtultitiam prædicationis ſalvare credentes,* hæc ſtultitia eſt Chriſtus crucifixus, ſive credere in Chriſtum crucifixum: Crucifixus eſt ergo Chriſtus, ut vobis fides in eum proficeret ad ſalutem, ſanctificationem, juſtitiam, redemptionem: quare in quantum deſideratis hæc obtinere, in tantum etiam Chriſtum crucifixum, & ejus ſtultitiam, infirmitatem, ignobilitatem, dolorem nolite erubeſcere, ſed tunc potiùs confiteri tanquam ſummam & veram ſapientiam ſatagite. Ita Paulus, eadem opera demonſtravit, & cauſam myſteriumq; crucifixionis Chriſti, & fructum ejuſdem in nos redundantem, & noſtram in Chriſtum crucifixum obligationem. 1. Cor. 1. 21.
Altera eſt congruentia ab eodem Paulo tradita, ſi tamen altera, & non potiùs plurimæ ſimul, iiſdem licet verbis ab ipſo traditæ. Etenim cum dixiſſet: ſibi, licet Sanctorum omnium minimo, datam eſſe gratiam ad evangeliſandum Eph: 3. 8.
gentibus inveſtigabiles, ſeu incomprehenſibiles, inſcrutabileſq; divitias Chriſti: poſt multa, has ipſas divitias explanans, vocat eas latitudinem, longitudinem, ſublimitatem, & profundum: & inſuper ſupereminentem ſcientiæ charitatem Chriſti: qua explicatione divitiarum Chriſti ſumptâ ex quadruplici dimenſione abſtractâ, reſpexit manifeſtè ad crucis non tantùm formam, quàm dimenſiones iſtæ continent, ſed etiam ad ipſam crucis mortem quam Chriſtus ex ſupereminenti charitate ſubiit: ita ut dubitari vix poſſit Paulum in illis verbis ſuis ad crucem Chriſti reſpexiſſe. Quid verò ſibi hac tali explicatione crucis voluerit, etſi longum eſt ediſſerere, & à præſenti ſcriptionis modo alienum, tamen certum eſt eum hoc veluti capaciſſimo compendio, omnem plenitudinem inſcrutabilium Chriſti divitiarum voluiſſe explicare & commendare. Quāquam oportet ut dictum corrigam, & dicam, non tam à Paulo hiſce dimenſionibus crucis myſterium declarari, quàm ab

Digitized by Google

quàm ab ipſo Chriſto in crucis ſuæ myſterio divitiarum ſuarum omnimodam immenſitatem, imperſcrutabilitatemq; primùm incluſam, deinde nobis fidelibus, ac redemptis ſuis manifeſtatā, atq; A etiam propinatam eſſe: idq; ut à nobis dignè percipiatur, & copioſiſſimè obtineatur à Paulo ſummopere deſiderari. Quamobrem hæc eſt congruentia affixionis & mortis Chriſti in cruce, ut in cruce concluderetur à Chriſto, manifeſtaretur autem nobis, ac deniq; caperetur à nobis, omnis opulentia, & plenitudo, & ſupereminentia Chriſti. Quâ verò ratione crux capere complectiq; potuerit tantam immenſitatem divitiarum Chriſti, tum etiam quænam tandem ſint hæc immenſa bona Chriſti, in cruce depoſita à Chriſto, etſi non minùs longum quàm operoſum eſſet hæc explanare pro dignitate, tamen breviſſimè pro ratione ſtyli præſentis innuere non erit abſq; operæ pretio. Et quidem quod ad capacitatem complexumq; crucis attinet, ſuppoſito eo, quòd & ex fidei noſtræ, & Pauli Apoſtoli aſſerto habemus in Chriſto omnes theſauros ſapientiæ & ſcientiæ DEi reconditos eſſe, in eodemq; omnem plenitudinem Divinitatis corporaliter inhabitare, eò ipſo, quòd crux Chriſtum capere amplectiq; potuit, conſequenter etiam omnes quamlibet imperſcrutabiles divitias Chriſti comprehendere potuit: ubi enim continens capitur, etiam contentum ejus capi poſſe neceſſe eſt. Maximè cùm Chriſtus non tam ipſe cruci commenſuratus, eique conformatus fuerit, quàm potiùs ipſa crux Chriſto, adeoq; priùs & principaliùs Chriſtus ipſe crux fuerit, quàm illa C crux, cui affixus fuit. Quod adeò verum eſt, ut etiam materialiter hæc ſpectando, revera ad hominem crux, non verò ad crucem homo conformetur. Prototypa ſiquidem Crux eſt Homo, cujus ad inſtar formatur crux ex materia, adeoq; non homo cruci, ſed crux homini coaptatur. Homo enim eſt crux nata & à natura formata, materialis autem, arte, & ad normam hominis facta: ut proinde mirum eſſe non debeat hominem v. g. Chriſtum cruci admenſurari ab eaq; capi potuiſſe, quandoquidem ipſa crux ad menſuram formamq; hominis, puta Chriſti, fieri debuit. Quod ſi eſt verum in materiali comparatione Chriſti & crucis, verius eſt longè in im- D materiali horum collatione, nempe in cruce immateriali, & Chriſto in tota ſua latitudine conſiderato. Ad cujuſmodi crucem immaterialem Paulus, quia ſingulariter reſpexit, ideo abſtractam ab omni ſubiecto, & ſubſtrato, crucem in Chriſto oſtendit, in eâq; omnes divitias ejus tum concluſit, tum concluſas dixit, vel certè eam crucem nihil eſſe aliud quàm ipſum Chriſtum aſſeruit: ita, ut Chriſtum comprehendere, ſit longitudinem, latitudinem, ſublimitatem, profundumq; comprehendere: & vice verſâ hæc complecti, ſit Chriſtum quodammodo capere & complecti: Etenim cùm in Chriſto habitet omnis plenitudo Divinitatis corporaliter: plenitudo autem Divinitatis ſit longitudo, latitudo, ſublimitas profundumq; abſque ullo ſui termino: conſequens eſt etiam hæc omnia in Chriſto habitare corporaliter, hypoſtaticè, ſubſtantialiter, omnimodè, atq; ita Chriſtum capere, eſt hæc comprehendere; & viciſſim, hæc capere, eſt B Chriſtum comprehendere: & cùm hæc omnia crux quædam ſint, cruciformemq; dimenſionem habeant, conſequens eſt congruentiſſimè Chriſtum crucis tormentum elegiſſe, cruciformemq; figuram, & ſitum, ut illa omnia tanquam in ſuo ſchemate atq; typo mirabiliter demonſtraret, & propriiſſimè collocaret. Hoc utcunq; declarato, reſtat ut etiam ſuccinctè declaremus quænam ſint hæ inſcrutabiles cruciformiterq; dimenſæ (etſi abſq; menſura & termino ullo) Chriſti divitiæ. Ergo ſi in Chriſto ſpectamus Divinitatem. Hæc in Chriſto crucifixo, atq; adeò in ejus cruce, eluxit perquam luculenter. Etſi enim DEus ſimpliciſſima res, & omnis diſtinctionis compoſitioniſq; in ſuis perfectionibus abſolutis expers eſt, neq; in illo ſit aliquid altum, aliquid verò profundum, aliquid longum, aliquid latum; ſed omnia unum, & immenſa (imo immenſitas) omnia, tamen ad modulum noſtræ intellectionis, creatæq; quantitatis varias dimenſiones, licet etiam in immenſitate ipsâ DEi dimenſiones perfectionum variarum imaginari & cogitare, ſicq; cogitatas in crucifixo Chriſto declarare & comprehendere quas quidem verbis melliflui Doctoris libet hic exponere: tum quia id præclarè præſtitit quod volumus, tum quia inſuper ejuſdem dimenſæ immenſitatis Divinæ comprehendēdæ modum aliquem deſignat, quòd cum Paulo Apoſtolo deſideramus. Itaq; Bernardus ſic habet. Divina eſſentia res una cùm ſit, eſt tamen longitudo propter æternitatem, latitudo propter charitatem, ſublimitas propter majeſtatem, profun-

Bernard l. 5. de conſid: C. penult: & ultimo. Sed in compendiū redactis apud Corn: à lapide in Epiſt: ad Ep.

profunditas propter ſapientiam. Hæc quadriga DEi: comprehendimus hanc duobus brachiis, timoris & amoris; Timor ſublimi, & profundo, amor longo, latoq́; reſpondet. vel quatuor virtuti- A bus. Longitudinem enim tenemus & comprehendimus perſeverantiâ, latitudinem charitate, Majeſtatem veneratione, & adoratione, ſapientiam & abyſſum judiciorum timore, & humilitate. His etiam quatuor ſpecies contemplationis reſpondent, dum longitudinem comprehendit meditatio promiſſorum, latitudinem recordatio beneficiorum, ſublimitatem contemplatio Majeſtatis, profundum inſpectio judiciorum. Hæc Bernardus: etſi abbreviatis verbis. Porrò quomodo eluxerint in Chriſto crucifixo iſta omnia: ſcilicet Charitas, Majeſtas, Sapientia, Æternitas, & conſequenter Divinitas: nihil opus eſt longâ explicatione: elucet enim charitas in B opere, ſeu operis cauſa. Majeſtas in miraculis. Sapientia in conſilio Æternitas in merito, ſive in effectu, ſive etiam in ipſâmet morte, quâ abſorpta eſt omnis mors, & introducta eſt æternitas, non tantùm in Chriſtum ipſum, ſed etiam in omnes redemptos per Chriſtum. Elucet præterea ſumma Deitatis charitas, per odium hoſtium in Chriſtum. Summa Deitatis Majeſtas, in contemptu ab hoſtibus Chriſti. Summa Deitatis Sapientia, in ſtultitiâ & reprobatione ab hominibus Chriſti. Summa deniq́; Deitatis Æternitas, in evacuatione, & exinanitione omnium conatuum, poteſtatum, ſtudiorum hoſtium Chriſti ſuprà Chriſtum; perſeverante in his omnibus C uſq́; in finem Chriſto, & exaltato poſt hæc omnia ſuper omnes Chriſto. Et quis ſatis unquam comprehendet intellectu pariter & affectu, has à Deo inſcrutabiles divitias Divinitatis Chriſti? Adhuc verò in Chriſto Crucifixo tam mirabiliter, quàm ineffabiliter, ſuper omnia verò dulciter, eluceſcit Divinæ juſtitiæ longitudo, miſericordiæ latitudo, dignitatis ſublimitas, veritatis profundum. ubi enim hæc ita ſcrutari, imò (dicam) ubi hæc ita tenere, palpareq́; poſſumus, quomodo in crucifixo Chriſto? Adhuc in Chriſto crucifixo, non minùs luculenter, quàm ſalubriter, eluceſcit Divinæ, latitudo quidem charitatis, longitudo verò longanimitatis & præſtolabilitatis, D altitudo electionis ad gloriam, profundum reprobationis ad pœnam. Adhuc elucet in Chriſto crucifixo Divinæ longitudo potentiæ in ſummâ infirmitate. Latitudo libertatis in ſummâ ſubjectione. Altitudo dulcedinis in ſummo dolore. profundum juſtitiæ, in ſummâ iniquitate. Ita Divinitas eluceſcit in A crucis Chriſti quadrifaria dimenſione, *cujus comprehenſionem fidelibus omnibus*, ſummè quidem optat Paulus, cæterum uſq́; adeo magni & rari admodum operis eſt, res hæc, ut ipſemet Dominus JESUS beatum aſſeruit eum, qui ſaltem non ſcandalizaretur in ſe, ſuâq́; exinanitione, & Petrum in ejus notitiâ caligantem, Sathanam, ſcandalumq́, ſuum vocare non dubitaverit. Quod ſi fortè miratur quiſpiam haſce Divinitatis Chriſti eminentias perfectionesq́; in crucifixo Chriſto, ſeu in cruce ipſius: faciat illi fidem id; quod utiq́; mirabiliùs eſt, quòd DEus communicaverit ſuas perfectiones, excellentiasq́; cruci ſuæ, ſibi alioquì valde proprias, atq́; debitas, cruci au- B tem ſecundùm ſenſum noſtrâtem minimè competentes. Exemplo ſint dictæ quatuor dimenſiones, ſeu potiùs divinæ per eas ſignatæ perfectiones. Eſt in Deo Æternitatis longitudo: hanc habet Crux Chriſti, cùm virtus ejus evacuari & deficere non poſſit per omnes ſecuturas æternitates. Eſt in DEo Omnipotentiæ latitudo: hanc habet Crux Chriſti, quia per illam, hoc eſt per illius infirmitatem, atq́; etiam mortem debellati ſunt, & debellantur uſq́; huc, & debellabuntur uſq́; in finem, omnes inimici DEI: cui ſicut nulli poſſunt eſſe inimici, niſi ſint ſimul etiam inimici crucis Chriſti: ita etiam nulli conteruntur à DEo niſi, per virtutem ejuſdem cru- C cis: adeoq́; ſicut inimicorum DEi, ita & inimicorum crucis Chriſti, finis eſt interitus, & gloria in confeſſione ipſorum. Eſt in DEo ſublimitas dignitatis atq́; Majeſtatis ſuper omnia adorandæ: habet hanc etiam crux Chriſti: & ideo ab omnibus, & ubiq́; eſt in veneratione, & adoratione. Signumq́; eſt Filii DEi, & fons benedictionum atq́; honorum omnium, & ornamentum dignitatum. Cujus rei in ipſo Chriſto præcipuum eſt documentum, atteſtatur ſiquidem Paulus diſertiſſimè. Chriſtum propter mortem crucis, exaltatum eſſe a DEo, datumq́; illi nomen ſuper omne nomen, honoremq́; ſuper omnem honorem, adeò ut in nomine JESU omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum, D quod eſt dicere datum eſſe Chriſto crucifixo nomen dignitatis immenſæ & infinitæ, tam in latum, quàm in longum, quàm in altum, quàm deniq́, in profundum?

Digitized by Google

dum: quoniam hæc quadruplex immẽſa dimenſitas continetur, exprimiturq́; illâ omnis genu cœleſtis, terreſtris, inferi flexione: ita ut idem omnino ſit genu flexio illa trina, cum hac quadrifariâ immenſitate. Deniq́; eſt in DEo profundum ſapientiæ abyſſalis & inſcrutabilis: hanc etiam habet crux Domini: quia revera nuſquam DEus profundiùs abdidit, ſepelivitq́; conſilia ſapientiæ ſuæ, quàm quando illa in crucis probro, cruciatu, & morte recondidit, ſubq́; velamine crucifixæ carnis, omnem mundi ſalutem, omnemq́; ſuam & ſapientiam, & juſtitiam, & miſericordiam, & potentiam, & bonitatem, & æquitatem, & charitatem, & longanimitatem, & Majeſtatem, & gloriam, & deniq́; cum perſona eſſentiam, abſcondendo manifeſtavit, manifeſtandoq́, abſcondit. At hactenus de Divinitatis Chriſti latitudine, longitudine, ſublimitate, profundoq́; elucefcente in ſuâ cruce dictum ſit ſatis: progrediendumq́; ad Humanitatis tum infirmitatem, tum perfectionem, ejuſdem pariter in cruce eluceſcentem, & à nobis juxta Pauli votum comprehendendam. Eſt igitur ſublimitas Humanitatis ejus ad Divinitatem aſſociatio & aſſumptio. Profundum, ejuſdem Divinitatis, per eam ut loquitur Paulus exinanitio, ſerviliſq́; forma. Longitudo, ejuſdem extenſio ad omnes ſeculorum ætates, præteritas, præſentes, futuras. Latitudo ejuſdem eſt complexio omnium mediorum ſalvandis, inſtruendis, beatificandiſq́; hominibus, & exaltando DEo oportunorum & ſuperabundantium. Rurſus dignitas Chriſti in perſonâ altitudo eſt, ſapientia in doctrinâ profunditas, ſanctitas in vita, longitudo, beneficentia in omnes, latitudo. Rurſus abſconſio & oſtenſio Majeſtatis in contemptu: ſapientiæ in ſtultitiâ, potentiæ in infirmitate, dolore, morte, innocentiæ in calumniis, eſt ineffabilis, & inſcrutabilis altitudo, profunditas, latitudo, & longitudo, tam in omnibus ſimul, quàm in ſingulis ſeorſim. Rurſus innocentia inculpata, & vel hoſtibus teſtata odio obſtinato, manſuetudo invicta crudelitate inſatiabili, veritas manifeſta voluntariæ cæcitati. Salus æterna impœnitentiæ finali oppoſita, ſunt pariter aliud nihil, quàm altitudo, latitudo, profundum, & longitudo. Rurſus ſummus dolor, ſumma paupertas, ſummus contemptus, ſumma ingratitudo. Itemq́; ſumma charitas, ſumma humilitas, ſumma patientia, ſumma perſeverentia. Itemq́; reconciliatio Patris, ſalvatio hominis, victoria diaboli. & mortis, abolitioq́; peccati, ſunt longitudo, latitudo, ſublimitas, profundum crucifixi.

A Rurſus paſſio Chriſti crucifixi, profundum fuit, quoàd intenſionem dolorum, contemptuumq́;. Longitudo quoàd tempus non tantùm octodecim horarum, quæ ab JESU capto, ad uſq́; mortem excurrerunt. Sed omnium vitæ annorum, quibus (ipſomet teſte) calicem paſſionis, & crucis bibit. Latitudo fuit quoàd multiplicitatem tam membrorum, patientiarum, & bonorũ, in quibus paſſus, quàm pœnarum quas paſſus, quàm deniq́; cauſarum, & inſtrumentorum, à quibus paſſus. Sublimitas fuit, tum quoàd altiſſimum finem in quẽ paſſus, tum quoàd perfectiſſimam cognitionem omnium circumſtantiarum ad paſſionem ſuam quoquo modo concurrentium.

B v. g. DEi offenſi, rigoroſam ſatisfactionem ad menſuram quâ dignitatis ſuæ, quâ vilitatis humanæ, quâ indignitatis gravitatiſq́; culpæ, qua æquitatis pœnæ culpis debitæ exigentis; inimicorum ſuorum improbiſſimorum ſtudiorum, & ad cruciandum ſe inſatiabilium conatuum, perſonæ quoq́; ſuæ divino humanæ, uſquequaq́; omni honore dignæ, nihilominus omni honore exutæ, & ſummè per omnia contemptæ, & afflictæ: efficacitatis deniq́; tantorum ſumptuum ſuorum ad tam paucos electos derivandæ, in tam multis reprobis fruſtrandæ. Hæc enim omnia, tam ſublimiter Chriſtus penetrabat, quàm ſapientiæ illius increatæ, atq́; creatæ ſubtilis, & perſpicax oculus fuit. & rurſus,

C tantùm ſenſibiliter, & acutè horum omnium ſenſu particulatim, conjunctimq́; per omnia vitæ momenta cruciabatur, quantum hæc omnia perſpicaciſſimo notitiæ oculo aſſiduè intuebatur. Hæc igitur omnia (quamvis minimè recenſita ſint omnia) concluſa ſunt à Chriſto crucifixo, in ſuâ cruce quorum deponendorũ inibi cauſa, Chriſtus ſuſtinuit crucem, & quorum comprehenſionem nobis expoſtulat Paulus in Chriſti cruce. Atq́; hæc eſt ſecunda congruentia à Chriſto ſuſceptæ mortis in Cruce, à quâ antequam omninò recedam, concludere illam volo verbis B. Anſelmi ſatis ad rem facientibus, modumq́; inſignem comprehendendarum divitiarum Chriſti depo-

D ſitarum in ſua cruce docentibus, ſic igitur ille. *Crux eſt cruciatus cordis, quòd DEo non melius ſerviamus. Debemus ergo habere cruciatum, quòd non tantùm humiliamur o*

Vide Bern: Ser: 1. in Paſch: de quatuor virtutibus quas Chriſtus in cruce exercuit, cruciſq́ cornua exornabit.

Anſel: lib. de menſura crucis circa fin.

Domine quantùm debemus: & hoc eſt profundum crucis, quod non tantùm laudamus, & amamus te, quantum bonitas tua exigit; & hoc eſt ſublimitas, quòd non ſumus tàm fideles, ut alios ad tuam laudem trahamus, & hoc eſt la- A *titudo, quod non ſemper continuamus laudem tuam, & hoc eſt longitudo.* His expeditis ad alias congruentias, ob quas convenienter elegit Chriſtus in cruce pati, & mori potiùs quàm alio genere mortis, veniendum eſt. Tertia itaq; congruentia eſt quam ipſe Chriſtus aſſignat, ut

Ioan: 12 nimirum *exaltatus à terrâ, omnia trahat ad*

32. *ſeipſum*. ubi ipſo Ioanne interprete, Chriſtus ſignificabat quâ morte eſſet moriturus, morte nimirum crucis, quia enim nullum aliud mortis genus facilè eſt aſſignare, quod huic omnium rerum ad ſe tractioni commodè ita ſerviat, ut affixio & elevatio in cruce, idcirco poſito quòd Chriſtus omnia per mortem ad ſeſe trahere volebat, conveniens erat, ut genus, B & inſtrumentum tractioni commodum ſuſciperet: ergo benè infertur congruentia crucifixionis Chriſti, ut ſcilicet exaltatus in cruce traheret omnia ad ſe, omnia inquam hominum corda, avellam à terrenis, eruam à peccatis, eripiam de poteſtate diaboli, & utriuſq; mortis, abducam autem poſt me, ad ſequendum me ad tollendam crucem meam, & aſcendendum ad me, ut ex filiis iræ, ac mortis, ſint filii gratiæ, ac vitæ; ex ſervis diaboli, ſint amici, fratres, cohæredes mei, filii autem DEI; ex pabulo inferni, fiant hæredes cœli. Quod quàm abundè præſtitum ſit à Chriſto, devotiſſimè, elegantiſſimèq; ſuo more S. Leo

S Leo Serm: 8. Paſſ. declarat in hunc modum. O admirabilis potentia crucis! ô ineffabilis gloria C paſſionis! in quâ, & tribunal Domini, & judicium mundi, & poteſtas eſt crucifixi. Traxiſti enim Domine ad te omnia, & cùm expandiſſes totâ die manus tuas ad populum non credentem, & contradicentem tibi, confitendæ majeſtatis tuæ ſenſum totus mundus accepit. Traxiſti Domine omnia ad te, cùm in execrationem Iudaici ſceleris, unam protulerunt omnia elementa ſententiam, cùm obſcuratis luminaribus cœli, & converſo in noctem die, terra quoq; motibus quateretur inſolitis, univerſaq; creatura impiorum uſui ſe negaret. Traxiſti Domine omnia ad te, quoniam ſciſſo templi velo, Sancta Sanctorum, ab indignis pontificibus receſſerunt, ut figu- D ra in veritatem, prophetia in manifeſtationem, lex in evangelium verteretur. Traxiſti Domine omnia ad te, ut quòd in uno Iudææ templo obumbratis ſignificationibus tegebatur, pleno, apertoq; Sacramento, univerſarum ubiq; nationum devotio celebraret. Nunc & enim & ordo clarior levitarum, & dignitas amplior ſeniorum, & ſacratior eſt unctio Sacerdotum: quia crux tua, omnium fons benedictionum, omnium eſt cauſa gratiarum, per quam credentibus datur virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, vita de morte. Nunc etiam carnalium ſacrificiorum varietate ceſſante, omnes differentias hoſtiarum, una corporis, & ſanguinis tui implet oblatio: quoniam tu es verus Agnus DEI, qui tollis peccata mundi, & in te univerſa perficis myſteria, ut ſicut unum eſt, pro omni victimâ ſacrificium; ita unum de omni gente ſit regnum. Hæc S. Leo. Quæ etiam preſſius perſtrinxit Divus Ambroſius dicens, propterea Chriſtum crucifixum eſſe, ut non ſibi ſoli, ſed omnibus vinceret. Manus extendiſſe in cruce, quò omnia ad ſe traheret, ut nodo mortis exuta, jugo fidei ſuſpenſa cœleſtibus, ea, quæ prius erant terrena, ſociaret. Quarta congruentia huic vicina, Chriſtum ideò crucifixum eſſe ut medius inter cœlum, ac terram, tanquam mediator, omnes inimicitias univerſi aboleret, maceriaſq; & parietes dividentes diſſolveret, diſſolvit ergo inimicitias inter Deum, & homines, item inter Angelos, & homines, inter Iudæos, & gentiles, inter Synagogam, & Eccleſiam, inter naturam, & gratiam, inter cœlum, & terram, inter ſenſum, & ſpiritum, quod totum à Chriſto profectum copioſè deſcribit Apoſtolus. *Ipſe enim eſt* (de Chriſto loquitur) *Pax noſtra, qui fecit utraq;* Eph: 2.

unum, & medium parietem maceriæ diſſolvens, 14.

inimicitias in carne ſuâ, legem mandatorum decretis evacuans, ut duos condat in ſemetipſo, in unum novum hominem, faciens pacem: & reconciliet ambos in uno corpore DEo per crucē, interficiens inimicitias in ſemetipſo. Extorquens præterea inimico noſtro chyrographum mortis, quod erat contrarium nobis, & affigens illud cruci ſuæ. Propter quod ipſe Chriſtus vocat ſe, & vocat eum ſcriptura, atq; Apoſtoli. Lapidem unum, angularem, nectentem in uno ſeſe duos parietes ex diverſo in unū tamen coëuntes, fideles ex Iſraël, & fideles ex gentibus. Quinta congruentia crucifixionis Chriſti, eſt abolitio maledictionis in homines latæ, ac effuſæ propter peccata, quæ abolitio ut congruè fieret, oportebat Chriſtum ſuſcipere maledictionem, imò (ut loquitur Apoſtolus)

lus) *fieri pro nobis maledictum* : hoc autem congruè fieri poterat ſolùm per crucis mortem, quia hæc mors execrabilis, ac maledicta erat, in toto mundo, & apud omnes nationes, & crucifixi pariter cenſebantur deteſtabiles, & maledicti : quod etiam teſtatur Moyſes, cùm dicit : *Maledictus omnis qui pendet in ligno*, & inimici Chriſti ita apud ſe ſtatuerunt dicẽtes, morte turpiſſimâ, execrandâ maledictâ, condemnemus eum. Et iterum mittamus ajunt lignum (crucem haud dubiè, ſed deteſtationis gratiâ non nominant) *in panem ejus, & eradamus eum de terrà viventium, & nomen ejus non memoretur amplius.* quod eſt dicere faciamus eum maledictum perdendo genere mortis maledicto. Idq; ipſum atteſtatur diſertè Apoſtolus dicens. *Chriſtus redemit nos de maledicto legis, factus pro nobis maledictum, quia ſcriptum eſt, maledictus omnis qui pendet in ligno.* Hanc congruentiam firmat hoc, quod Chriſtus voluerit fieri etiam peccatum pro nobis ; conſequens ergo erat, ut vellet fieri maledictum : quod erat pœna peccati, quam oportebat à nobis unà cum peccato auferri, & in juſtitiam DEi commutari, quod etiam ab Apoſtolo teſtatum habemus dicente. *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur juſtitia DEi in ipſo.* Totam hanc congruentiam graphicè deſcripſit Divus Athanaſius hoc modo. Nam ſi ideo venerat (Chriſtus) ut noſtra piacula, execrationesq; portaret, quomodo aliâ ratione, execratio, & piaculum fuiſſet, niſi execrabilem mortem in ſe recepiſſet? Eſt autem hoc ipſum crux quemadmodum ſcriptum eſt, execrabilis quicunq; in ligno pendet. Sexta congruentia crucifixionis Chriſti eſt, ut hac ratione comprehenderet, vel certè ſe comprehendendum daret in totam univerſitatem mundi. Totus enim mundus iſte cruce quadam conſtat, ſcilicet Oriente, Occidente, ſeptentrione, meridie : ex quibus omnibus concurſuros ad DEi Regnum, ſcilicet, ad ſeſe homines, ipſe Dominus olim erat vaticinatus dicens. *Multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Iſaàc, & Iacob, in Regno Cælorum.* Chriſtus ergo omnes verſùs extenditur atq; etiam elevatus figitur, ut & in omnes partes ſeſe extendat, & undiq; ad eum concurſus fiat : ſicq; & ille in omnibus & omnia in ipſo ſint, & complexus ille omnia ſe ipſo, in ſinu complexuq; ſuæ DEitatis, charitatisq; recondat. In quem ſenſum ingenioſè Gregorius Nazianſenus cecinit.

Deut: 21. 23. — *Gal: 3. 13.* — *2. Cor: 5. 21.* — *Atha: lib de Incar-nat: verbi.*

Quin etiam expandens ſacrati corporis artus,
In fines orbis: mortale ex finibus orbis
Collegit genus: atq; hominẽ contraxit in unũ,
Et medius, magna, poſuit DEitatis, in ulnis.

Septima congruentia crucifixionis Chriſti eſt : ut cathedram haberet accommodatam ad docendum, tempore Paſſionis ſuæ, ad docendum inquam, non jam loquendo, aut agendo, quòd ſatìs in vitâ egerat, ſed patiendo, & moriendo, cujuſmodi doctrinæ rationi tum tempus erat. Erat autem crux huic docendi rationi valde appoſita, ut proinde dicat Auguſtinus. *Lignum illud in quo fuerãt membra fixa, patientis, fuiſſe etiam cathedram docentis.* Qui idem Sanctus Doctor explicat doctrinæ hujus ſummam quam prædicavit Dominus in cruce : eamq; accommodat formæ crucis dicens hoc modo. Non fruſtra tale genus mortis (Chriſtus Dominus) elegit : ut latitudinis, longitudinis, altitudinis, & profunditatis : de quibus Apoſtolus loquitur, magiſter eſſet. Nam latitudo quæ eſt in eo ligno quod tranſuerſum deſuper figitur, hoc ad bona opera pertinet, quia ibi extenduntur manus. Longitudo in eo quod ab ipſo ligno uſq; ad terram conſpicuum eſt : ibi enim quodammodo ſtatur, id eſt perſiſtitur & perſeveratur : quod longanimitati tribuitur. Altitudo eſt in eâ ligni parte, quæ ab illa quæ tranſverſum figitur ſurſum verſus relinquitur, hoc eſt caput Crucifixi, quia benè ſperantium ſuperna exſpectatio eſt. Iam verò illud, quod ex ligno fixum occultatur, unde totum illud exurgit, profunditatem ſignificat gratuitæ gratiæ. Igitur quatuor doctrinas Doctor crucifixus de cathedrâ crucis docet. 1. Benè operari paſſis & dilatatis manibus. 2. Perſeverare in bene agẽdo atq; malà patiendo. 3. Tantummodo de cœlo auxilium & præmiũ ſperare, ac exſpectare. 4. Omnia ex integro, fideliterq; gratiæ DEi adſcribere, propriis autem viribus, meritiſq; nihil attribuere. in quibus quatuor tota ſpiritualis noſtræ vitæ Chriſtianæq; Philoſophiæ diſciplina, & œconomia cõſiſtit.

Aug: Tr: 119 in Ioan. — *Augu: lib. de Gra: Vet: & nobi teſt: aliàs epiſto 120. c. 26. tõ: 2. Apud D. Th. 3. P. q. 46. ar. 4. c.*

Octava congruentia eſt crucifixionis Chriſti ut hoc genere mortis, & paſſionis ſanctificaret, mundaret, & ab àëreis poteſtatibus expurgaret, perviumq; ac ſecurum ad cœlum faceret àërem. Sanctificaverat jam terram & aquam, ſudore & baptiſmo : oportebat ergo, & ſupernum elementum àëris ſanctificari, &

Digitized by Google

ſic omnia impleri à Chriſto: vagos autem illos nuquam Spiritûs depelli, & in poteſtate nocendi arctari. unde Chryſoſtomus. *In excelſo ligno, & non ſub tecto paſſus eſt Dominus, ut etiam ipſius aëris natura mundetur.* Et Athanaſius (libro citato) *Dominus venit ut diabolum præcipitaret, aëremq; purificaret, & viam ad cœlum nobis inveniret.*

Chryſoſt: hom: de Cruce & latrone tō. 3. apud D. Th.

Nona congruentia Chriſti crucifixionis eſt, quia cùm hoc mortis genus turpiſſimum eſſet, adeoq; fuerit ipſâ deteſtabiliùs morte, multiq; illud horrerent, qui alioqui mortem non horruiſſent, propterea Dominus docere ſuos fideles volens, nec mortem, nec mortis genus quodlibet eſſe pro juſtitiâ timendum? non tantùm mortem, ſed etiam crucis mortem ſubiit. Ex quo etiam poſtea ſecuta eſt illa in ſanctis martyribus fortitudo, quod nullum genus mortis, nullum genus tormentorum, & probrorum pertimuerint: ſed impletum eſt in eis, & ab eis re ipsâ monitum Apoſtolicum. *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus*: quamvis non ſolius paſſionis, ſed omnis quoq; virtutis exemplum nobis reliquit, ut in omni virtute ſequamur ejus veſtigia. In obedientia nimirum, in humilitate, in patientiâ, manſuetudine, fortitudine, juſtitiâ, perſeverantiâ, charitate: quarum omnium tam illuſtria habemus in Chriſto crucifixo exempla, quàm ſunt nobis quotquot Chriſti diſcipulatu gloriamur, & quotquot ſalutem conſequi deſideramus, neceſſariò imitanda.

1. Petri 2. 21.

Decima congruentia crucifixionis Chriſti eſt, quia Chriſtus ſæpè omnibus ſectatoribus ſuis, atq; auditoribus inculcare ſolitus erat, ut tollentes crucem ſuam ipſum ſequerentur: conveniens fuit ut ille quoq; crucem ſubiret, atq; velut Dux & anteſignanus, omnibus ferendæ, amandæq; crucis præiret: alioqui ſi modò, licet Chriſtum, & cruce onuſtum, & in cruce affixum morientem intueamur, tam pauci tamen, & tam ignaviter crucem noſtram poſt ipſum portantes progredimur, quomodo non tardâſſemus crucem ſubire ac pati, ſi hoc tanto ipſius Chriſti exemplo fuiſſemus deſtituti? Undecima congruentia crucifixionis Chriſti eſt, quia Chriſtus Redemptor noſter futurus per mortem, volebat tale mortis genus inſtrumentumq; eligere ac perferre quo nos ſemper partim pro memoria, partim pro reverentia, partim pro gratitudine, partim pro munimine, partim pro ſolatio, partim pro exemplo, partim pro ornamento noſtro, in omni occaſione uti poſſemus, ad quod neceſſe etiam erat illud nos ſemper in promptu, & veluti ad manus, nec non in corde, foris & intus habere. Non poterat enim nobis non eſſe ſalutare, & ad omnia enumerata utile, id, quod Dominus ad ſalutem noſtram dignatus fuiſſet adhibere. Porrò nullum tale genus, inſtrumentumve mortis eſſe potuit, quod ſubiret Dominus, præter crucem: quæ non ſolùm nobis eſt im promptu ſemper, ſed etiam & componit nos ipſos, & omni momento eam, tum intus in corde recogitare, tum foris in corpore formare, aſſiduoq; illam circumferre poſſumus. Quam in ſententiam Auguſtinus locutus eſt. *Noluit Dominus lapidari, aut etiam gladio percuti, quia videlicet nos ſemper nobiſcum lapides aut ferrum ferre non poſſumus, quibus defendamur? Elegit verò crucem, quæ levi motu manus exprimitur, quâ & contrà inimici verſutias munimur.* Duodecima congruentia crucifixionis Chriſti eſt, quia quãdoquidem Chriſtus debebat cum effuſione ſanguinis: & tamen cum integritate corporis, & abſq; membrorum, aut refectione, aut contractione mori: *hoc enim figura & prophetiæ requirebant de illius morte præmiſſæ: convenientiſſimum fuit genus mortis in cruce, per quod omnibus prædictis ſatisfactum eſt.* Nam & per ſanguinem ſuum introivit in ſancta tanquam ſummus Pontifex, & os non eſt cõminutum ex eo: & reſurrectioni futuræ integritas corporis commodior extitit. &c.

Aug: Serm. 29. de diverſis in Append.

Ioan: in Conc: 6. 143.

Decima tertia congruentia crucifixionis Chriſti eſt: quia hoc genus mortis ſicut erat naturâ ſimul & opinione hominum ſummæ acerbitatis & dedecoris: ita etiam ſummè erat conveniens ad ingerendum hominibus multiplicem ac ſaluberrimam cognitionem ſimul ac affectionem. Ex tali enim morte pro nobis jubente Patre à Filio ſusceptâ cognoſcimus. 1. Nimiam charitatem DEi Patris ac Filii in nos. 2, Redundantiam miſericordiæ DEi ſuper miſeriâ noſtrâ. 3. Enormitatem malitiæ in peccatis noſtris contentæ. 4. Magnitudinem injuriæ quæ Deo per peccatum fit. 5. Magnitudinem odii Divini, quod eſt in ejus corde totius bonitatis oceano, contra peccatum. 6. Severitatem rigidiſſimâ juſtitiæ Divinæ in exigendâ peccati pœna, ex filio DEi. 7. Infirmitatis & infelicitatis noſtræ inſanabilitatem per omnes creatas vires, dignitates, impenſasq;. 8. Immenſitatem beneficii à DEo & Chriſto in nos præter omne meritum no-

Digitized by Google

ritum noſtrum collati in redemptione, & tali quidem redemptione. 9. Obligationem noſtram ad amandum DEum & Chriſtum, ad fugiendum puniendũq; peccatum, ad æſtimandam tum animam propriam, tum ejus quærendam ſalutẽ, tum gratiam atq; amicitiam Divinam, tanto pretio nobis per Chriſtum comparatam: quomodo enim quis dubitet ſummopere ſe obligari ad conſervãdum ſe immunem à peccato, ad tuendam in ſe gratiam, ad quærendam ſibi ſalutem, & gloriam, & vitam æternam, ad amandum DEum, ſi novit ſe pretioſo ſanguine Chriſti redemptum, ablutum, ſanctificatum, dotatum. 10. Facultatem ad confidendum, confugiendumq; ſemper ad miſericordiam Dei, copioſamq; imò inexhauſtam redemptionem Chriſti, etiam poſt plurima, maximàq; & ſæpè ſæpius repetita peccata. Si enim totius mundi peccata ſuperat redemptio noſtra: quantò magis unius hominis malitiam & ſcelera? 11. Obligationem ad impendendum ſe DEo, & propter Deum proximo, etiam uſq; ad mortem, quantumlibet amaram, & probroſam; quandoquidem Dominus noſter, impendit ſe ſe nobis, ad ſuam cum tantâ ſuâ exinanitione: quanta eſt in ſcandalo & probro crucis. Decima quarta congruentia crucifixionis Chriſti eſt: quia in cruce omnia pœnarum genera, & omnium membrorum pœnæ concurrunt. Erat ergo conveniens hãc mortem à Chriſto ſuſcipi, ut ſic in unâ morte omnes, in unâ pœna omnes, in omnibus quoq; membris, qui pro totius mundi peccatis tam diverſimodè per omnes partes ab hominibus patrari ſolitis omnium membrorum pœnas ſuſtineret, Itaq; quod ab Anſelmo dictum eſt. *Tam peſsimam mortem à Salvatore electam, ut omnem mortem occideret.* hoc etiam ad præſens propoſitum dilatari poteſt, ideò crucis pœnam à Domino ſuſceptam, ut ut in eâ omnem aliam ſubiret, ſuperaret, aboleret. Quomodo autem in cruce contineantur omnia pœnarum genera declarat Cornelius à Lapide hoc modo. *Crux, manus, pedeſq; ſecat ut gladius, corpus diſtendit ut eqvuleus, lacerat ut ungula, laniat ut beſtia, urit, cruciatq; ut focus, adeoq; lento quaſi igne hominem aſſat, & necat.* De omnium membrorum doloribus in cruce contentis conſideranti patet facilè, quod vel maximè verum fuit in crucifixo Chriſto, qui totus ſaucius ad crucem affixus eſt, & caput ſpinis confixum gerens, ne hoc quidem tormento ſuo à cruce caruit, quod alioqui utcunq; immune eſſe potuit. In his verò omnibus cruce contentis pœnis, omnium exaſperatio eſt incogitabilis, ex immobilitate ſitus, & ex continuato in majus ſemper dolorum per omnia membra incremento: ita ut crux nihil ſit aliud quàm mors vita, crucifixuſq; homo nil aliud quàm vivens mortuus. Unde Auguſtinus Tr: 36. in Ioan: ait. *Crucifixi productà morte necabantur, nec in hoc longior illis vita indulgebatur, ſed mors acerbior protendebatur, ne citius dolor finiretur.* Decima quinta congruentia crucifixionis Chriſti eſt: quia cùm Chriſtus pœnas Adæ peccato debitas luere venerit, volueritq; Pœna autem Adamo debita, pœna fuerit latronis & homicidæ, & fugitivi ſervi, rebelliſq; ſubditi: nempe pœna crucis: eam ob rem oportebat Chriſtum hãc talem pœnam ſubire: & pro Adami rapinis, quas tùm nòn rapuerat exolvere. Fuiſſe verò Adamum latronem, furem, fugitivum, rebellemq; ſervum, palàm eſt: rapinam enim arbitratus eſt ſcientiam DEi habere, & ſicut Deus eſſe: non obedivit etiam voci Domini, ſed magis uxoris & diaboli, & videns furem currebat, hoc eſt, furabatur cum eo, & ſecum omnem ſuam poteſtatem tum DEo ſubduxit, tũ morti temporali, æternæq; ſubiecit, diabolumq; pro DEo in Dominum ſibi elegit, propter quæ omnia patibulum crucis merebatur: & ideo Chriſtus hoc genus pœnæ ſubiit, proq; Adamo exolvit: & omnes quos Adam diabolo ſubdiderat, reſtituit Deo, quoſq; ille occiderat, vivificavit in ſeipſo. Decima ſexta congruentia delectæ mortis crucis eſt: Quia cùm Chriſtus debuerit per mortem ſuam vel in ſua morte potius judicis officium, & in futurum mereri & in præſenti etiam exequi, opportuniſſimè illi ad id munus, atq; opus, ſublime tribunal crucis ſerviebat. Diſertè Dominus affirmaverat, de tempore paſſionis ſuæ potiſſimùm loquens: Nunc judicium eſt mundi: nunc princeps hujus mundi ejicietur foràs: hujus judicii tempus fuit Paſſio locus, mons Calvariæ, tribunal crux: ſedit judicium, ſive judex ad judicandum, quando Chriſtus crucem aſcendit. Ex hoc tribunali judicavit inter duos latrones, quorum medius pependit unum ſalvans, alium reprobans. Ex hoc tribunali dæmones in damnatione reliquit, homines à damnatione redemit. Ex hoc tribunali, judicis ſui in ſe iniquitatem, & Iudæorum crudelitatem damnavit: damnationiſq; ſenten-

Anſel: in Epiſt. ad Phil: c. 2.

Cornel: à Lap: in 27. Matt: ℣. 35.

tiam toto cœlo, terrâ, mari, templo, petris, monumentis, ſole, lunâ, agnoſcentibus, approbantibus, publicantibus tulit. De crucis tribunali quoq; damnata eſt diaboli tyrannis, & injuſta poſſeſſio humani generis: indictaq; eſt illi neceſſitas reſtitutionis. De crucis item tribunali mors eſt judicata, & poteſtas illi erepta, utq; deinceps non mors, ſed tantùm ſomnus, & requies electorum eſſet decreto adacta. de tribunali quoq; crucis contra mundum lata eſt ſententia, ſive contrà amatores mundi: ut nimirum non eſſet illis pars in Regno Chriſti, & DEi, ſed pars illorum eſſet in omni ſupplicio diaboli. Decima ſeptima congruentia eſt crucifixionis, ut in cruce in Regem inauguraretur, & in cruce collocaretur tanquam in ſolio Regiæ dignitatis, ac poteſtatis. Scriptum quippe eſt. Regnavit à ligno DEus. Et ſane, ſi à ligno arreptâ occaſione tyrannidẽ auſus eſt exercere diabolus: quidni legitimæ ſuæ Regiæ poteſtatis exordium ſumeret, ſpecimenq́, daret à ſolio crucis Chriſtus? Sentiebat hoc, imò, & ex tituli epigraphe ſupra caput pendentis legebat verſipellis inimicus: & ideo malitiam fraudis ſuæ Iudæorum linguis affundens, ſtanti in ſolio ſuo Regi Chriſto, ſucclamabat dicens. Si Rex Iſraël eſt, deſcendat de cruce, & credimus. Verùm qui ſapienter ſolium conſcenderat, ſapientius in eo manebat, & totam diabolicæ damnationis adverſitatẽ conterens, & de elatione ſuperbiæ victrice humilitate triumphans & Regni ſolium tenens, & ad diabolum injuſta tyrannide depellens. Ergo in cruce reſcidit perditionis chyrographa, in cruce diſtribuit Regna, in cruce paſſis brachiis protegit ſubditos, inclinato capite oſculatur accedentes, de cruce damnat infideles de cruce calcat rebelles. Decima octava congruentia crucifixionis Chriſti. Quia cùm eſſet princeps paſtorum, & Paſtor bonus, oportebat eum paſtorale pedum ſumere, hocq́; inſigne paſtoralis officii hoc defenſorium ovium, hoc oſtium ovilis, crucem ſcilicet, poſſidere. Alioqui neq; lupum rapacem, neq́; mercenarium infidelem, neq; furem mactatorem, potuiſſet à grege ſuo depellere, niſi inſigne crucis ſecum deferret. Aſcendit crucem, paſtorale pedum ſumpſit, ante oves præceſſit, ovile aperuit, paſcua expoſuit, utq; vitam abundantiùs habeant, & alienum non ſequantur, ligno paſtoralis ſuæ curæ proprio monſtravit. Non eſt huic Paſtori dicere *ô Paſtor! ô idolum!* ſed potius ô Paſtor, non idolum! O Paſtor bone! ô Princeps Paſtorum! Agnoſcant, oves Paſtoris inſigne, fugiant lupi, fures, & A mercenarii Paſtoris hoſtile. Crux oves munit, mercenarios autem, & fures, & lupos, punit, & pungit. Decima nona congruentia crucifixionis eſt. Offerre debuit Chriſtus ſacrificium veſpertinum: in quo quidem ipſe Sacerdos, & ipſe etiam futurus hoſtia: ſed altare, ſed ligna, crux debuit miniſtrare: eapropter ipſe bajulavit crucem ſuam: ſicut quondam Iſaac portavit in illum ipſum locum, ac montem, immolationi ſui deſervitura: ſuper hoc altare, & ſuper hæc compoſita ad ſacrificium exurendum ligna, ſe ipſum hoſtiam ſuperimpoſuit, quando cruci affigendum ſeſe applicuit: in eoq; altari ſeſe hoſtiam Patri æterno acceptabilem, mundo uni- B verſo ſalutarem obtulit. Vigeſima congruentia crucifixionis fuit, ut virga crucis, tanquam alter imò major veriorque Moyſes; Pharaonem, Ægyptioſq́; deleret, Magorum ſerpentes abſumeret, mare divideret, populum ſuum incolumem de mari rubro educeret. Melius ad hæc omnia Chriſti opera crux ſua ipſi deſervivit, quàm ſua virga Moyſi obſequata fuit, per crucem victus eſt diabolus. Obruti in mari rubro omnes peccatorum Ægypti, genus humanum excuſſit jugum diabolicæ ſervitutis. Idololatriam omnem tanquam Magorũ ſerpentes ex mundo proſcripſit, viam ad terram promiſſionis, prædux ipſe, oſtendit. Vigeſima prima congruen- C tia crucifixionis hæc ſit. Quod cum Dominus noſter, (ut ipſe teſtis eſt) lux mundi fuerit: non accendunt autem lucernam ut ſub modio ponant, ſed ſuper candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo ſunt: & lumen videntes, in lumine ambulent: eapropter oportebat lucernam hanc in alto crucis candelabro poni, & inde totam Eccleſiæ domũ, omnem in hunc mundum venientem hominem: omnem animam amantem pro ejus capacitatis, ſeu gratiæ, meritorũq; diverſitate, colluſtrare luce exemplorum, luce doctrinæ, luce meritorum, luce vulnerum ſuorum. Ne quis autem putet non ad mentem Domini vocatum illum eſſe à me lucernam, qui ſe vocaverit lucem ipſam: recolat ille mecum, D quod Ioannes in civitate DEi, teſtetur à ſe non viſam lucernam, addens Lucerna enim ejus eſt agnus. Eſt igitur Dominus IESUS, & lux, & lucerna, non

Zach: 11. 17.

ſolùm

ſolùm militantis, verùm & triumphantis Eccleſiæ, ad quod profuerit advertere Chriſtum ſecundùm Divinitatem ſuam eſſe lucem ſolis, ſeu illuminare nos inſtar ſolis: ſecundùm humanitatem A verò illuminare nos inſtar lucernæ. Sol lucet ſine ſui diminutione, ac damno; lucerna autem, aliis lucendo, & inſerviendo, ipſa conſumitur. Sic Dominus JESUS illuminans & benefaciens nobis tanquam DEus, de plenitudine ſuâ nobis largitur, nihil perdens, nihil diminuens: at lucens nobis tanquã homo, exinanivit ſemetipſum, formam ſervi, formam pauperis, formam ſtulti, formã contempti, formam infirmi & impotentis, formam Paſſi, & dolentis, formam crucifixi, & morientis accipiens. Addam vigeſimam ſecundam congruentiam, & in eâ finem faciam, decebat Chriſtum in cruce mori: ut nobis in ſuâ crucifixione corporali, noſtræ ſpiritualis B crucis, crucifixionis normam, & ideam proponeret. Quia enim aſſiduè nos hortabatur ad hoc, ut tollamus crucem quotidie poſt ipſum: oportebat ut ſe nobis oſtenderet crucifixum, in quem intuentes, ſpiritu transformaremur in ipſum. hoc ego ſicut ex Caſſiano accipio in præſenti, ita meliùs quàm ejuſdem verbis explanare me poſſe diffido, ejus igitur verba pono, quibus ille Pynuſium Abbatem, ad recenter religione donatum quondam uſum tradit. *Caſsiā: l. 4. Inſtit: c. 34. 35.* Noveris hodierna die te huic mundo, & actibus & deſideriis eſſe defunctum, teq; ſecundùm Apoſtolum huic mundo eſſe crucifixum, tibiq; hunc mundum. Conſidera ergò conditiones crucis, ſub cujus te deinceps C Sacramento oportet hac in luce verſari: quia jam tu non vivis, ſed ille vivit in te, qui crucifixus eſt pro te. Eo ergo habitu ac figurâ, quâ pro nobis in patibulo fuit ille ſuſpenſus, nos quoq; neceſſe eſt in hac vitâ degere. Sic enim præceptũ Domini implebimus dicentis, qui non accipit crucem ſuam & ſequitur me, non eſt me dignus. Sed fortè dices? quomodo poteſt homo crucem ſuam jugiter portare, vel quemadmodum vivens quis poſſit eſſe crucifixus? Audi rationem breviter. Crux noſtra timor Domini eſt. Sicut ergo crucifixus quis, jam non pro animi ſui motu, membra ſua quoquam movendi, vel convertendi habet poteſtatem; ita & nos voluntates noſtras ac deſideria, non ſecundùm id quod D nobis ſuave eſt, ac delectat ad præſens, ſed ſecundùm legem DEi, quo nos illa conſtrinxit applicare debemus. Et ſicut is qui patibulo crucis affligitur, non jam præſentia contemplatur, nec de ſuis affectionibus cogitat, non pro die craſtino ſollicitudine curâq; diſtenditur, nullâ poſſidendi concupiſcentiâ permovetur, nullâ ſuperbiâ, nullâ contentione, nullâ æmulatione ſuccenditur: non de præſentibus dolet injuriis, non præteritarum jam recordatur, ſeq; cùm adhuc ſpirat in corpore, cunctis elementis credit eſſe defunctum, illuc præmittens ſui cordis intuitum, quo ſe non dubitat illicò tranſiturum: ita nos quoq; timore Domini crucifixos eſſe oportet his omnibus: id eſt non ſolùm carnalibus vitiis, verùm etiam ipſis elementis mortuos eſſe: illuc habentes oculos animæ noſtræ defixos, quo nos ſperamus momentis ſingulis migraturos. Hoc enim modo mortificatas poterimus univerſas concupiſcentias noſtras, & affectus habere carnales. Hactenus Caſſianus.

PARAGRAPHVS CXLI.

JESVS cruci affixus pendet.

STROMATA

1. DE Crucifixo hactenus actum Domino: ejuſq; facti locum, modum, tempus, cauſas indagavimus, nunc jam in ſublimi pendentem conſiderare eſt animus. Argumentum tale, quod Paulus longitudinem, latitudinem, ſublimitatem, profundumq; appellare maluit, quia aliud par nomen non invenit. Cujus argumenti comprehenſio hic quidem optanda, & ex parte curanda eſt, ſed tota hîc exhauriri nequit, alteri vitæ, utpote æternæ, & in luce DEi reſervanda, imò reſervata eſt. Liber eſt Chriſtus foris & intus ſcriptus, quod foris eſt, hîc utcunq; aſpicimus: quòd intus, quis aſſequatur? quis inquam intrinſecâ JESU ſcrutari præſumat, vel prævaleat? Aqua eſt, quam ad talos quidem ſubingredi licet, nec non ad genua: *Ezech. 47. b.* ſed ultrà tentare temerarium eſt, quia tranſuadiri non poteſt. Intueamur tamen, & quantum libet ſub variis coloribus, ac ſpeciebus aſpiciamus in autorem fidei & conſummatorem iſtum

JESUM, qui propoſito ſibi gaudio, ſuſtinuit crucem, confuſione contemptâ, quiq; cùm in formâ DEi eſſet, non eſt rapinam arbitratus eſſe ſe æqualem DEo, ſed exinanivit ſemetipſum, formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ùt homo, factus obediens uſq; ad mortem, mortem autem crucis.

2. Igitur JESUS pendens in cruce hoc primum & maximum tormentum ſubiit, quod nudus omnino, in conſpectu tantæ multitudinis, in altum elatus eſſet; omniumq; oculis configeretur, cum ſummo ſuo pudore, ineffabiliq; vultûs ſacroſanctiſſimi ſimulq; innocentiſſimi erubeſcentiâ. Quis enim dubitet hoc Chriſto fuiſſe ſummo pudori ruboriq;, videri ita contumeliis omnibus onuſtû, & ad omnes præterea contumelias inverecundiſſimè denudatum, propoſitum, defixumq;. Verè tunc confuſio faciem Chriſti operuit, longè major quàm quando ad flagella, vel ad purpuram, ipſamve crucem ſpoliatus veſtibus apparuit: nam in his occaſionibus facilè fieri potuit, ut à multorum oculis, non videretur: ſed in alta crucis trabe pendens, totius mundi oculis expoſitus hæſit, ſine ullo remedio, ſine remedii ſpe: niſi ab ipſis noctis tenebris, cùm fortè adveniſſent.

3. Præter hanc erubeſcentiæ confuſionisq; pœnam, increverunt aliæ longè quàm unquam majores: tum demum enim crucis ſupplicii truculentia apparuit: nam univerſus undiq; dolor, ſenſus omnes parteſq; invadens, aſſiduo incremento augeſcens, in momenta ſingula, ſe ipſo major, crudeliorq; evaſit. Si pedibus ſacris levamen quæreret, manibus, & reliquis membris augebat: ſi manibus indulgeret, pedes gravabantur, & vulnera omnia dilatabantur: capiti autem de alto pendenti, in brachiorum aliquo, vel pectore quieſcendum erat, non abſq; nervorum, cervicisq; dolore: ſi rectum vel in crucem inclinatè tenendum erat, ſpinis horridus vertex altiùs aculeos in caput admittebat. Ita totus JESUS in tali ſtatu poſitus, verè fuit locus, & domus, & regnum tormentorum, veré fuit vir dolorum, & ſciens infirmitatem, verè non erat dolor ſicut dolor ejus.

4. Quid dicam de doloribus ante crucifixionem licet inflictis, ſed tamen denuo in cruce renovatis & auctis, per novam extenſionem, diſtractionemq; partium tam extimarum, quàm intimarum: per quam neceſſe fuit omnia flagellorum vulnera innovari, & incrudeſcere.

5. Jam quatuor vulnera manuum pedumq;, quantæ ſedes, quanta ſeges fuère dolorum? partes enim illæ cùm abundent oſſiculis, nervis, venis colligatis complicatiſq; inter ſe, clavos in eis defigi, & hærere, eaſq; in clavis hærentes pondere totius corporis trahendo dilatari, diſcerpiq;, quis cogitatione aſſequetur immanitatem acutiſſimi, inſolentiſſimiq; doloris, uno eodemq; tempore, cum aſſiduo incremento, ſimul & ſemel, tenerrimam, ſenſibuſq; excellenter vigentem naturam excarnificántis?

6. Oculorum dolores & cruciatus, aurium quoq, ex hoſtium inſultationibus, ſarcaſmis, ſugillationibus, blaſphemiis, lœdoriis, capitum agitationibus, amaris interrogationibus, cachinis, ſannis, infinitiſq; aliis injuriis, quis ſatis cogitabit? dolores item ex aſpectu ſuorum, partim de longè, partim de propè aſtantium, lugentium, mærentium, dolentium, timentium, erubeſcentiumq; ſuâ causâ.

7. Quid effluxio ſanguinis pretioſi per quatuor ampliſſimos meatus manuû & pedum terram largo imbre rigans, mundumq; redimens, quem tamen, licet mundi pretium, cæca barbarorum craſſities temerè pedibus calcabat. Pró dolor? ſanguis, quem Angeli reverenter colligentes Æterno Patri præſentabant, quem Filius pro orbis pretio adnumerabat, hunc carnifex, & hoſtis crudelis, ingratuſq; effundens, etiam conculcabat. O ſanguis quo mundus ablutus eſt, quàm ſæpe etiam hodie conculcaris, etiam inter ingratos Chriſtianos? O ſanguis, Mundi Salvator, quàm multi tamen te ſibi faciunt in cumulum damnationis, & in tartareorum ignium æternum nutrimentum. Et nos credimus Chriſto, in cruce pendenti, ſanguinis ſui conculcationem, ab impiis, dolori fuiſſe: eidem autem in cœlis reſidenti eundem à nobis aſſiduò ſanguinem pollutum, vacuum, deſpretum fieri, perq; omnia ſcelera commaculari, conculcariq; dolori eſſe dubitabimus? O quantam ſibi theſauriſant iram DEi, in die iræ, omnes quicunq; iterum Filium DEi crucifigunt in ſemetipſis, ſanguinemq; illius pollutum ducunt, & cum pretio ſui tam inæſtimabili, in poteſtatem diaboli, inq; barathrum inferni, cæcâ, propriâq; ſuâ voluptate & volũtate præcipites deſcendunt.

8. Job totus ad egeſtatem, orbitatẽ, *Iob 2.13.* calamitatem, morboſitatemq; redactus, in ſterquilinio ſedens, ſaniemq; teſtâ radens, ab

dens, ab amicis viſitatus, conſpectus, vix agnitus, non eſt voce amicâ eorum ſalutatus, per ſeptem dies atq; noctes: ſed ſciſſione veſtium, lugubri, conclamatione, pulveris ſuper capita ſparſione, in terra cum eo & juxta eum ſeſſione, triſti amaroq; ſilentio, internum animi ſui ſenſum teſtati ſunt: videntes dolorem ipſius eſſe vehementem: JESU in cruce pendente, & in gurgite malorum omnium natante, ac demerſo, non eſt amicus qui comploret, qui libero ſilentio dolorem teſtetur, adeſt autem immanium turba hoſtium, in doloribus ejus exultantium, ridentium, inſultantiumq;; adeſt turba convitiantium, irritantium, & in omnibus malis ejus bacchantium. Ah quàm diſpar fortuna Iobi & JESU in ſterquilinio ſedentis & in cruce pendentis? inter amicos poſiti, & carnificibus expoſiti, inter dolores, vitam tamen ſervantis, & præ anguſtiarum dolorumq; ſummâ vehementiâ vitam amittentis? Iob ſaniem ſuam teſtâ radebat, innocentiam ſuam propugnabat; at IESUS neq; manum ad teſtam, neq; teſtam ad manum liberam habebat, nec pro ſuâ innocentiâ, vel ipſe pugnabat, vel aliquem pugnantem habebat.

9. Reſpha Mater filiorum crucifixo-
2. Reg: 21. 10. rum, tollens cilicium, ſubſtravit ſibi ſupra petram, *& non dimiſit aves lacerare eos per diem, neq; beſtias per noctem*: Hoc obſequium præſtari Chriſto crucifixo, neq; à Matre, neq; ab amicis licuit: ſed aves beſtiæq; rapaciſſimæ laniârunt eum toto tempore, quo vivus pependit in cruce: donec natura rerum tota contremiſceret, & harpiias illas venenatoſq; ſerpentes tantiſper arceret, coerceretq; à furore ſerpentium, atq; trahentium linguis maledicis innocentiſſimum Agnum, DEi Filium: quem etiã Pater Æternus ipſe ſervavit, *nec dedit ſanctum ſuum videre corruptionem.*

10. JESUS cruci affixus pendet etiam hodie apud innumeros Chriſtianos fideles: proinde ùt pendebat apud Iudæos, tunc adhuc ad Eccleſiam DEi pertinentes. Antiquus eſt iſte, & ferè cognatus Chriſto in cruce ſitus: nec eo deſtituetur uſq; ad finem mundi: quamdiu enim peccabunt homines, tamdiu in cruce pendebit JESUS. Et homines quidem JESUM de cruce pendentem deflent ac lugent, ſed tamen non deponunt: vellent deponere de ligno ferreis clavis pendentem: nolunt deponere in propriis ſuis cordibus, clavis propriæ voluntatis ac malitiæ affixum. Scelus Iudæorum in Chriſtum deteſtantur omnes: ſcelus ſuum proprium in eundẽ, ſatis deteſtatur nemo. Sicut autem olim, pro eorum etiam ipſo illo pendebat
A in Cruce JESUS ſcelere, quorum pendebat ſcelere: ita & modo pendet in cruce JESUS, in medelam his ipſis peccatis à quibus pendet. Etenim acceſſum habent ad veniam, ſi agant pœnitentiam: ſed tamen veniet aliquando tandem tempus, quando de cruce depoſito Chriſto non erit locus tam pœnitentiæ, quàm veniæ. *Tunc videbunt, in* Ioã: 19. 37.
quem pupugerunt: ſed nequaquam ſibi in ſalutem punctum videbunt. Nunc ergo Zach: 12. 10.
pendet JESUS tam pro peccatoribus, quàm à peccatoribus: quoniam ſemper expoſitus, & paratus eſt ad dandam veniam pœnitentibus. Ideoq; ſicut *ab o-* Apoc: 13. 8.
rigine mundi occiſus eſt Agnus, ita ad finem quoq; mundi crucifixus erit Chriſtus.
B Sed tandem mortuus Agnus, conſpicitur leo vivus: rugietq; leo, & nemo erit qui non pavebit. Claudenturq; vulnera ſalutis, & apparebunt, aperienturq; vulnera perditionis, & quomodo nunc nemo ex peccatoribus eſt qui miſericordiam conſequi, & iram effugere non poſſit: ita tunc nemo erit, qui iram effugere, ac miſericordiam conſequi poſſit. Sic ergo homines JESUM in cruce pendentem aſpiciant; ut eum de cruce quidem peccatorum pœnitendo deponant: in cruce autem miſerationis & condonationis ſemper fixum teneant. Nunquam quidem repetant culpam, ſed tamen etiamſi peccaverint, non deſperent veniam. *Quoniam etſi quis peccaverit, advo-* 1. Ioan: 2. 1.
C *catum habemus apud Patrem JESUM Chriſtum juſtum: ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi* ac proinde uſq; ad finem mundi.

11. JESUS Cruci affixus pendet. Aug: lib. de Virg.
Veni homo & inſpice vulnera pendentis, ſanguinem morientis, pretium redimentis, cicatrices reſurgentis, caput habet inclinatum ad oſculandum, cor apertum ad diligendum, brachia extenſa ad amplexandum, totum corpus expoſitum ad redimendum. Hæc quanta ſint cogitate (Homines) hæc in ſtaterâ cordis veſtri appendite, ut totus vobis figatur in corde, qui totus pro nobis fuit fixus in cruce.

12. JESUS Cruci affixus pendet.
D Crux nimirum ſtatera erat, in quâ appenſa humani generis peccata, crucem æternam merebantur: nec juſtitiæ momenta aliter decernebant: acceſſit miſericordiâ

ſericordia Patris carne noſtrâ onuſta, & partem unam bilancis occupans, prægravavit omnia mundi peccata, omnemq; iram juſtitiæ: & ſic miſericordiis Domini vivimus. Et hoc eſt illud votum Beati Iob in perſonâ mundi optantis.

Iob: 6. 2. *Vtinam appendantur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas quam patior in ſtaterâ: quaſi arena maris hæc gravior appareret.* Factum eſt, appenſa ſunt mundi peccata, appenſa eſt & calamitas Chriſti in cruce: & inventa eſt gravior, pretioſior, in valore æſtimationeq; potior, una gutta calamitatis, quàm omnis iniquitas humani generis. Et ſic eluſa eſt ſpes inimici, ceſſavit exactor, & cruento draconi præda, quam ſpe, ſimulq; re devoraverat, ex faucibus erepta eſt: ideoq; hoc tempore canit Eccleſia. Crux.

Beata cujus brachiis, ſecli pependit pretium.
Statera facta corporis, Prædamq; tulit tartari.

Aug: Ser: in Paras. Accinit & Auguſtinus. Crux nobis totius cauſa beatitudinis eſt. hæc nos à cæcitate liberavit erroris: hæc à tenebris reddidit luci: hæc debellatos reddidit quieti: hæc alienos DEo conjunxit: hæc peregrinantes cives oſtendit. Hæc diſcordiæ amputatio eſt, hæc pacis firmamentum, hæc donorum omnium abunda largitio. Hodie crux fixa eſt, & ſæculum ſanctificatum eſt: hodie crux fixa eſt, & dœmones diſperſi ſunt. Hodie crux fixa eſt, & mors ſubverſa eſt. hodie crux vicit, & mors victa eſt: hodie diabolus vinctus eſt, homo ſolutus eſt, & DEus glorificatus eſt.

13. JESUS Crucifixus pendet. Diabolo in hamum. Draco iſte quem formavit DEus ad illudendum ei diabolus eſt: huic Divinitatis ſuæ hamum, carnis mortalis, & humanitatis infirmæ, deq; Adamo ſpeciem peccati (ſed ſine peccato) habentis intectum, atq; tanquam vermiculo veſtitum DEus, in mari hujus vitæ, paſſionis, crucisq;, ac mortis objecit, & ille avariſſimè, rapuit, utq; per exquiſitos dolores Chriſtus occideretur, elaboravit: factum eſt, devoravit diabolus vermiculum carnis, ſed ſimul cum eo glutiit hamum Divinitatis Chriſti: & captus eſt in malitiâ ſuâ, vincente ſapientiâ DEi per infirmitatem, malitiam ejus violentam. Illuditur ergo, & illuſus eſt Draco: & omnis tyrannis ejus enervata eſt: quia dum nihil ſibi debentis expetivit vitam, procuravitq; mortem, omnium, quos utcunq; poteſtati ſuæ obnoxios, nam læſæ Majeſtatis in DEum reos, ac proinde juſtè morti addictos, eripi ſuâ de poteſtate meruit captivitatem.

A Illuditur etiam ſemper Draconi huic in Sanctâ Eccleſiâ Chriſti, toties, quoties à fidelibus calcantur tentamenta omnia diaboli, per obſervantiam mandatorum DEi, & per gratiam meritumq; Paſſionis Chriſti. Implevitq; Dominus noſter illud, quod DEus requirebat aliquando à Iob. *An extrahere poteris Leviathan hamo:* Iob: 40. 20. Extraxit nâq; Dominus JESUS Leviathan, ſeu diabolum, hamo ſuæ Divinitatis, & ligavit fune linguam ejus, quando laqueo ſe ſuſpendit Iudas adminiſter ejus. Poſuit circulum in naribus ejus, quia modum ſtatuit ſuperbiæ ipſius, calcans humilitate ſuâ factum ejus. Perforavit armillâ maxillam ejus: ut jam neminem mordere, imò neminem tentare poſſit niſi cum frenante circulo, armillâq; Divinæ diſpenſationis, & permiſſionis. Locutus eſt mollia, & multiplicavit preces

B Chriſto, & quando ejectus ab hominibus dicebat. *Quid tibi, & nobis, JESU Nazarene: ſcio quod ſis Chriſtus DEi.* Lucæ 4. 34. & in porcos ſinè ejus imperio ingredi non præſumpſit. & mollia ſinè dubio dixit, quando in deſcenſu ejus triumphali ad inferos, poteſtati ejus, ſuperbum caput tremens, ac ejulans, ſubmiſit: feriit pactum & dedit ſe in ſervum ſempiternum quia amplius nihil habet, quàm ut Divinæ Chriſti juſtitiæ ſeſe gerat carnificem, & miniſtrum. Deniq; illuſit ei Dominus noſter tanquam aviculæ pennis ſpoliatæ: quia fortior armatus vaſa omnia, in quibus confidebat, velut avicula in alis, abſtulit. Ancillis quoq; ſuis eum ligavit, & ludicrum fecit, quia per infirmiſſimas quasq; animas fidelium ſuorũ,

C technas & furias ejus eluſit, & quotidie eludit. Concidunt eum amici Chriſti: quia illum ex poſſeſſionibus tot gentium, tot animarum expulerunt, & expellunt Apoſtoli, atque prædicatores Chriſti. Dividunt illum etiã negotiatores: quia illum Eccleſiæ Sanctæ Filii, in omni ætate, & ſtatu cœleſtem negotiationem exercentes, unusquisq; juxtà vocationis ſuæ menſuram, piè, ſobriè, & juſtè vivendo, per gratiam Chriſti vincunt, & varietate vincendi veluti inter ſe conciſum, partitiq; ad victoriam dividunt.

14. JESUS in cruce pendet: Iudæis in ſcandalum, ut loquitur Apoſtolus: nam quibus datus potiſſimùm fuit ad ſalutem: ii ſuadente invidiâ elegerunt, eum potiùs habere in ſcandalum: Impletum eſt ergo Iudæis quod ſuus illis Moyſes prædixerat. *Et erit vita tua quaſi pendens ante te. Timebis nocte & die: & non* Deut: 28. 66.

credes vitæ

Digitized by Google

credes vitæ tuæ. Vita Iudæorum Chriſtus fuit, & à Paſtoribus eorum tanquam vita propria, & vera deſideratus fuit. In-
Gen: 49. de illæ eorum voces. *Exſpectabo ſalutare*
18. *tuum Domine. &. oſtende nobis faciem tuam,*
& ſalutare tuum da nobis. Sed Iudæi con-
Pſ: 84. 8. verſi ſunt in pravum: & pro Chriſto ſalutari ſuo, elegerunt apud Pilatum Barabbam homicidam: elegerunt (inquã) mortem: Et licèt quaſi conſulentes di-
Ioan: 11. cebant: *Quid faciamus? quia hic homo*
47. *multa ſigna facit, venient Romani, & tollent gentem noſtram, & locum*: licet etiam huic ſuæ miſeriæ vitæ timuerunt, tamen veram vitam, perſequi, ſibiq; ipſis, per ſcelus, & invidiam auferre maluerunt. Suſpenderunt in cruce: & fecerunt vitam ſuam ante ſe pendere: ſed tamen noluerunt iſti ipſi vitæ credere. Nox & dies, cœlum & terra, templum & vela, petræ & monumenta, prædicârunt illis Chriſtum eſſe DEum, & vitam: ſed illi tamen timere quidem potuerunt, ſed
Ezech: 18 credere, & errorem, peccatumq; agno-
24. ſcere noluerunt: ideoq; *in peccato ſuo pe-*
Ioã: 8 24. *rierunt.*

15. JESUS in Cruce pendet. Patri Æterno tanquam ſacrificium expiationis. propitiationis, pro peccato, gratiarum actionis, impetrationis, holocauſti; pendet Patri Æterno, tanquam pretium redemptionis, tanquam ſervus ſubiectionis, tanquam miniſter meditationis, tanquam mediator pacis, ſignum fœderis, memoriale miſericordiæ, placatio juſtitiæ, argumentum charitatis.

16. JESUS in Cruce pendet. Generi humano ſalus, redemptio, pretium, Sacerdos, altare, ſacrificium, templum, vita, protectio, medicina, antidotum, deniq; omne bonum, & ipſe DEus.

17. JESUS in Cruce pendet peccatoribus: ut agnoſcant quid fecerint, quidve faciant, ut agnoſcant quid facere, quid metuere debeant, ut agnoſcant quid fecerit pro illis, quid factus ſit, quid facere debuerit, quid facturus ſit illis DEus? ut agnoſcant malitiam peccati atq; gravitatem, ut agnoſcant ſatisfactionis & redemptionis pretium? ut agnoſcant ingratitudinis probrum, ut agnoſcant diaboli tyrannidem, juſtitiæ Divinæ rigorem, charitatis magnitudinem. ut agnoſcant patere locum veniæ, adhuc præſtare nundinas miſericordiæ, adhuc eſſe tempus pœnitentiæ. ut agnoſcant pœnitendum eſſe illis pro peccatis propriis, quandoquidem pœnitendum fuit, & taliter quidem, Chriſto pro peccatis alienis. ut agnoſcant quid futurum ſit in arido ligno, ſi hæc fiunt in viridi, florenti & fructifero? ut agnoſcant, certoq; certiùs ſciant venturum tempus
A aliquando peccatis ſuis, & acceſſurum illis pediſequam pœnam. Si enim punita ſunt in Chriſto, etiam antequam fierent: quomodo non punientur poſtquam fient? Si punita ſunt futura, punientur multò magìs facta. Si punita ſunt in ſponſore, punientur multò magìs in auctore.

18. JESUS in Cruce pendet diſcipulo incipienti. ut diſcat pœnitentiam agere: paſſiones frangere, pravas conſuetudines melioribus tollere, carnem affligere, voluptatem odiſſe, gulam frenare, ſe ſubdere, crucem ferre, crucem pati, in cruce perſeverare, ſe perdere, ſibi perire, omnem pœnitentiæ laborem, ac rigorem JESU de cruce pendentis amaritudine condire, onus, jugumq; Do-
B mini ſibi leve, & ſuave facere. Cruce Domini incipiens tentationes frangat, dœmones terreat, carnem configat, ſenſûs frenet. A crucifixo Domino odium peccati diſcat, odium ſui, pretium animæ, neceſſitatem gratiæ, amorem DEi, & proximi. A crucifixo Domino diſcat aliis ſubdi, omnibus humiliari, ab omnibus omnia pati, nulli reſiſtere, nihil appetere, nihil pro ſuâ voluntate facere, in omnibus ab alieno nutu pendere, in ſuis accuſationibus non ſe excuſare, injurias non reddere, dignum omni odio, pœnâ, contemptu, oblivione, neglectuq; omnium ſe agnoſcere & fateri. A crucifixo diſcat pro peccatis crebrò lugere, afflictiones & ſatisfactiones pec-
C catorum ſuorum amare, & quærere, & ferre: inferni pœnas timere, diaboli poteſtatem, mundi vanitatem, carnis voluptatem, propriam voluntatem, ſui amorem, odium DEi, ſuper omnia magisq;, ac magìs ſemper, horrere. Has prælectiones Chriſtus in cruce pendens diſcipulis incipientibus tradit.

19. JESUS in Cruce pendet diſcipulo proficienti: ut in eo diſcat, & ex eo ſumat exemplar vivendi, virtutes exercendi, deſideria, propenſionesq; frenandi, minimos defectus vitandi, & ſeverè puniendi, nihil humanis oculis, nihil linguis, nihil favoribus, nihil timoribus, nihil exemplis tepidorum concedendi. Diſcat à Chriſto crucifixo proficiens, inſatiabile proficiendi deſideri-
D um, ac ſitim. Inſatiabilem propter juſtitiam & virtutem, & conſcientiam, diſciplinamq;, patiendi famem. Diſcat quantum illi adhuc deſit ad adæquan-

dam Chriſti humilitatem, & ſui contemptum, atq; odium : ad patientiæ perfectionem, & crucis tolerantiam, tolerandæ famem. Diſcat à Chriſto in cruce pendente, ſtultitiam, imperfectiones, errores ſuos agnoſcere, fateri, non erubeſcere, ſed emendare. Diſcat à Chriſto in cruce bonus eſſe, malus videri, vilis reputari, non humilis prædicari, bona agere, mala pati. Diſcat à Chriſto in cruce obedientiam uſq; ad mortem crucis. Manſuetudinem uſq; ad orationem pro inimicis. Charitatem exhibere etiam ingratis. Amare odientes. Non vinci à malo, ſed vincere in bono malum. Conferat diſcipulus proficiens in Chriſto ſemetipſum aſſiduè cum crucifixo Chriſto, conferat, erubeſcat, exploret, exacuat charitatem ſuam in DEum, & proximum, cum charitate Chriſti. Suam humilitatem cordis cum humilitate Chriſti, ſuam innocentiam vitæ, & morum, & operum, & cordis, & oris, cum innocentiâ Chriſti. Suam patientiam, manſuetudinem, modeſtiam, placabilitatem, cum patientiâ, manſuetudine, modeſtiâ, placabilitate Chriſti. Suam promptitudinem ad benè agendum, fortitudinem ad difficilia audendum, ac ſuperandum. Conſtantiam, & perſeverantiam ad benè cæpta perficienda, cum promptitudine, fortitudine, conſtantiâ, perſeverantiâq; Chriſti. Conferat, erubeſcat, exploret, exacuat ſuam verecundiam, mortificationem, temperantiam, taciturnitatem, cum verecundiâ, mortificatione, temperantiâ, taciturnitate, ac ſilentio Chriſti. Conferat paupertatem, inopiam, dependentiam, neceſſariorumq; indigentiam, nuditatem, & omnium contemptum, cum paupertate, dependentiâ, indigentiâ, contemptuq; Chriſti. Conferat ſuam libertatem cum libertate, obedientiam cum obedientiâ: prudentiam cum prudentiâ Chriſti. Conferat reſignationem ſuam. Religionem, pietatem, devotionem, cum Chriſti. Conferat juſtitiam, fidelitatem, gratitudinem, gloriæ Divinæ ſtudium, ſollicitudinem de minimis, fiduciam ſuam, cum Chriſti. Conferat orationem, orationiſq; ſuæ modum, fervorem, habitum orantis, perſeverantiam in orando, aſſiduitatem, inſtantiam, ſubmiſſionem ſuam, cum Chriſti. Conferat cōtritionem minimarum imperfectionum odium & fugam perfectionum minimarum curam, timorem DEi, reverentiam ejuſdem, converſationem & præſentiam, cum DEo ſuam, & Chriſti. Conferat magnanimitatem, ſanctitatem, ſalutis curam, animæ æſtimationem, cordis puritatem, intentionis perfectionem, & ſimplicitatem, veritatis amorem, veA racitatem ſuam, cum Chriſti. Conferat ordinationem vitæ ſuæ cum ordinatione vitæ Chriſti. Caſtimoniam ſuam cum puritate Chriſti. Diffidentiam ſui cum diffidentiâ Chriſti. Liberalitatem ſuam cum liberalitate Chriſti, tractabilitatem affabilitatemq; ſuam cum Chriſti. Conferat diſcretionem, ſupportationem, diligentiam, vigilantiam ſuam cum Chriſti. Conferat pacem, pacatæq; mentis, ac pacificationis ſtudium ſuum cum Chriſti. Conferat ardorem & fervorem ſuum in bonis, ſtudium vitæ communis, ſitim, zelumq; animarum, ſumptum pro animabus. ſuum, & Chriſti. Conferat miſericordiam ſuper egenos, afflictos, peccantes, ignorantes, B perditos, vivos ac mortuos, ſuam, & Chriſti. Conferat pietatem, amoremq; ſuum, in Matrem Chriſti, cum pietate & amore Chriſti. Conferat efficaciam ſuam, in deſtinatis, cum efficacitate Chriſti. Conferat deniq; totam vitam ſuam, vivendiq; rationem communem, ac privatam quotidianam, nec non in omnibus gratitudinem ad DEum, ac perſeverantiæ ſtudium ſuum cum Chriſti. Hæc conferat cum Chriſto pendente in cruce; & quantùm adhuc ſibi ad prototypon iſtud deſit, diſcat, ſeſe humiliet, ad proficiendum animet, & auxilium gratiamq; ſupplex exoret, vulneribus & ſanguine meritiſq; Chriſti, ſe, ac ſua omnia emundet, ac exornet. Ad hoc eC nim JESUS in cruce pendet, & nudus quidem pendet, ut ab omnibus ad vivum cognitus, ad vivum etiam expingi, & effingi poſſit.

20. JESUS in Cruce pendet Diſcipulis perfectis: ut in eo diſcant, ſibi perire, & ad DEum pervenire; beatitudinem, divitias, honorem, vitam, in cruce ſolùm repoſitam habere. Pendet in cruce perfectis Chriſtus, ut in paſſionem ejus imò in paſſum, crucifixumq; tranſire poſſint, & diſcant, & ſoleant, ſeu cōſueſcant. Vt in vulneribus ejus vivere, nidificare, habitare, mori diſcant & conſueſcant. ut de uberibus vulnerum ejus ſugant charitatem, perfectionem, beatitudinem hujus vitæ, quæ eſt pati omnē mundum, pati ſemetipum, pati DEum: D omnia autem hæc inſtar Chriſti, & propter DEum. Pendet in cruce perfectis Chriſtus, ut ad eum totum mundum trahant, ejuſq; amorem hominibus commendent,

Digitized by Google

mendent, hominum amorem illi ſacrificent. Pendet in cruce perfectis Chriſtus: ut ex eo ſitire, eſurireq́; juſtitiam ſuam, animas proximorum, gloriam DEi conſueſcant, eâq́; Chriſtum crucifixum ſaginare contendant. Pendet in cruce perfectis Chriſtus, ut in eo liqueſcentes, ſibi pereant, in DEum transformentur. Pendet in cruce perfectis Chriſtus, ut per cavernas maceriæ, ad foramina petræ, ab humilitatis Chriſti cognitione & imitatione, ad Divinitatis contemplationem, ſimilitudinem, fruitionēq́; transvolent, & ex humilitate paſſionis Chriſti, ad Majeſtatem, & dignitatem abyſſalem Divinitatis tranſeuntes, ſimul etiam *de claritate in claritatem transfigurentur, tanquam à Domini Spiritu*: diſcant eſſe perfecti, *ſicut & Pater cæleſtis illorum*: ſicut & Chriſtus crucifixus; exemplar & Magiſter illorum, perfectus eſt.

2. Cor: 3. 18.
Matt: 5. 48.

21. CHRISTUS in Cruce pendet plané ut ajebat Chryſoſtomus *Marſupium Divinitatis*, pretio non tantùm plenum ſed etiam redundans, & refluens. Neq́; tantùm pretio ſed potius omni bono, ita ut poſſit vocari *theſaurus abſconditus* olim. jam autem effoſſus, & erutus, ſed à Synagoga neglectus. Alioqui eſt revera theſaurus in gazophilacio repoſitus ſimul & expoſitus omnibus, qui diteſcere volunt: ita ut ne DEus quidem in ſe ipſo ditior ſit, quoniam hic ſunt omnes theſauri non tantùm ſapientiæ & ſcientiæ DEi, nec tantùm Deitatis corporaliter cum omni ſuâ plenitudine habitantis, verùm inſuper, ſunt etiam theſauri Humanitatis Theandricæ, ejus ſcilicet meritorum, ac virtutum, & dolorum, quos non habet in ſe Divinitas nuda. ſed tantùm Incarnata & Theandrica.

Chryſoſt: in Pſ: 14.
Matt: 13. 44.

22. CHRISTUS in Cruce pendet, tanquam inſtructiſſima navis, qualem Ezechiel deſcripſit, onerata omni genere bonorum cœleſtium: in portu nunc conſiſtens, ut omnes quicunq́; conſcenderint, ſecundis velis & ventis ſecuriſſimè in Patriam cœleſtem, beatitudiniſq́; portum deferat. Melior quàm *Arca Noë*, quæ pauculas, nempe tantùm octo animas cæpit & ſervavit, in Armeniæ montibus eas depoſuit. Hæc enim noſtra navis uſq́; dum in cœlum nos devehat, nuſquam ſubſiſtere novit. Anchorâ non eget, ipſa enim ſibi anchora eſt. Malos ventos non timet, quia illi omnes venti ſerviunt, & quantò ſunt magis adverſi, tantò magis ſecundi, inq́; portum ſecundiſſimo juxtà & ſecuriſſimo curſu impellentes. Aſcendat ergo crucis navim, qui appetit curſum & portum felicem. Ideo tam multi naufragium patiuntur, quia vel crucem Chriſti non aſcendunt, vel poſtquam aſcenderint, deſerunt.

Gen: 8.

23. CHRISTUS in Cruce pendet, tanquam Æterni Patrisfamilias, cella penuaria, omni victualium genere refertiſſima: habens non computatum ſolùm, ſed etiam ſuperadmenſum, ſupereffluentemq́; victum uſq́; dum in portum æternitatis, uſq́; dum hæreditatem beatitudinis, uſq́; dum denarium diurnum, mercedemq́; magnam nimis referamus, & recipiamus. Etſi enim hac in vitâ, denarius noſter & merces noſtra magna nimis ſit idemq́; JESUS crucifixus, tamen hic non eſt ultimata iſta merces, ſed eſt tantùm merces quidem hujus præſentis, arra autem futuræ vitæ. Sicut enim Patresfamilias familiæ ſuæ operariiſq́; ſuis priùs victum præbent, mercedem autem pro fine laboris ſervant, licèt & ipſe victus portio ſit mercedis; ita etiam Æternus Paterfamilias, hic quidem nos paſcit vulneribus, meritis, ſanguine, corpore, doctrinâ, exemplis, virtutibus, gratiâ Chriſti; in futurum autem ſervat vitam æternam, ut mercedem, licèt ipſe Chriſtus ſit etiam mercedis portio. Unde ſi qui Chriſtū crucifixum hic nolunt eſſe ſibi neq́; victum, neq́; mercedis partem: ſignum eſt, quod nec futuræ beatitudinis ſperēt, habiturive ſint mercedem: imò ſignum eſt, eſſe illos extra Æterni Patrisfamilias domum, familiam, & vineam, & operarios.

24. CHRISTUS in Cruce pendet: tanquam propugnaculum fortiſſimum, inſtructiſſimum, ad defenſivum, quin etiam ad offenſivum bellum: armamentaria habens armorum apparatibus pleniſſima: quibus ſolis inſtructa Eccleſia per tot annos impugnationis contra omnem infernalium portarum impetum & incurſum conſiſtit immota & illæſa; quibus etiam inſtructa qualibet anima Chriſtiana ſecura eſt contra omnia inimici tentamenta: ita ut ridendo, & contemnendo omnes conatus tanquam irritos ſecura poſſit ſubſiſtere. Cuilibet enim, in hoc propugnaculum recepto, in eoq́; concluſo ac moranti, promiſſum eſt datum ab eo, qui quod promiſit, potens eſt & implere *Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* Fortior eſt ſiquidem unus Paſſionis Chriſti atomus,

Pſal: 90. 10.

quàm totus inimicorum (Diaboli ſcili-
cet, mundi, carnis, mortis, peccati, in-
ferni) apparatus. O quanta eſt ſecu-
ritas manentibus in Chriſto crucifixo!
& confixis cruci cum Chriſto! quidni
ſit ſecuritas, cùm talibus dicat Chriſtus,
1.Reg:22. *qui quæſierit animam tuam, quæret & ani-*
23. *mam meam?* quidni ſit ſecuritas, cùm ta-
les in corde conditos habeat Chriſtus
&c.

25. JESUS in Cruce pendet, tan-
quam terra & Regnum promiſſionis, la-
cte & melle manans: lacte pro parvu-
lis in Chriſto. Melle pro prudentibus
in Chriſto. Ejus redundantiæ argumē-
tum eſt Botrus de vecte crucis pendulus,
cujus maturitas tanta eſt, ut uvæ ſponte
ſuâ ſtillaverint ſuccum pretioſi delica-
tiq; vini in horto: & nunc torculari cru-
cis eædem preſſæ redundantiam *vini*
germinantis virgines, & corda lætificantis fun-
dant Sed Ægypto egredi opus eſt, *ollas*
carnis & ceparum. opera *luti & laterum* o-
bliviſci & deſerere neceſſe eſt, *fermen-*
tum vetus expurgandum, mare tranſeun-
dum, & deſerta ſuperanda, expugnan-
dæ *ſeptem gentes inimicæ* atq; omnino de-
lendæ ſunt. Ad quod tamen præſtan-
dum, vel maximè facit & juvat JESUS
in cruce tanquam *Moyſis virga*, tanquam
Manna cæleſte, tanquam *nubis columna in*
die, & ignis in nocte ducatum, armaturam,
ſecuritatem, victum præſtans. Hæc e-
nim omnia in JESU Chriſto crucifi-
xo abundantiſſimè ſunt imò hæc omnia
JESUS crucifixus eſt.

26. JESUS in Cruce pendet. Eſtq;
Gen:2 8. tanquam *Paradyſus conſitus & plantatus à*
DEo, ad voluptuoſam inhabitationem
hominum, ad operationem quoq; eorun-
dem: in hoc Paradyſo, qui eſt etiam nu-
diſſimus, non erubeſcit, quoniam Chri-
ſto veſtitur, neq; pellibus mortuis eget
indui: in hoc Paradyſo nullo non fru-
ctu arboris veſci licet, nullam non tan-
gere arborem. Etiam *lignum ſcientiæ bo-*
ni ac mali, etiam *arbor vitæ* prohibitione
carent, imò invitationem habent? ut
nimirum ex Chriſto crucifixo edamus
fructum ſcientiæ boni & mali: ex ligno
crucis ejus eodem modo carpamus fru-
ctus vitæ, quoniam ad hoc eos *in ſingulos*
menſes parturit, id eſt ſemper profert, ut
veſcantur eis omnes: & vivant. In hoc
quoq; Paradyſo fons eſt de terrâ aſcen-
dens, JESUS Chriſtus ſcilicet de Vir-
gine natus, vel certè cum ſuâ cruce in
terrâ ſtatutus & firmatus: ex quo forì-
te quatuor fluvii manant exeuntq; in o-
mnem terram alluentes & abluentes, &
fœcundantes, vireſcereq; ac florere faci-
entes eam, vulnera inquam JESU ſan-
guine in mundi redemptionem manan-
tia: è quorum uno *manat fluvius miſeri-* Vide Ber-
A *cordiæ, ad diluendas culpas, aquis remiſsionis:* nard: Ser.
ab altero manat fluvius ſapientiæ, ad potandum 1. de Na-
ſitim noſtram, aquis diſcretionis; è tertio *ma-* tivit: Do-
nat fluvius gratiæ, ad irrigandas omnium bo- mini.
norum operum plantas, aquis devotionis; è
quarto manat fluvius charitatis *ad deco-*
quendos animæ cibos, aquis fervoris & æmula-
tionis è quinto manat fluvius *ſeu fons*
potiùs vitæ, abſorbens omnem miſeriam noſtrã,
aquis beatitudinis: quem fluvium hic non
bibimus, niſi fortè interdum lambimus,
& ſorbillamus: reverà tamen cum Pro-
pheta dicimus. *Sitivit anima mea ad DE-* Pſal. 41
um fontem vivum: quem ſperamus poſt 3.
mortem plenis faucibus animæ bibere:
quem etiam fontem ideò forſitan non-
niſi Dominus poſt mortem ſuam, vulnus
B lateris aperiens, nobis non niſi poſt no-
ſtram mortem manaturum indicavit.

27. JESUS in Cruce pendet. tan- Apoc:3 5.
quam *liber vitæ & mortis* Vitæ nobis, mor-
tis ſibi. vitæ gratiæ, mortis peccati.
vitæ electis, mortis reprobis. vitæ amã-
tibus, mortis ingratis, & odientibus.
Pendet tanquam *liber ſcriptus intus & fo-* Apoc:5.1.
ris. Intus charitate, humilitate, obedi-
entiâ, miſericordiâ, juſtitiâ, pace, ſapi-
entiâ, bonitate, & omni virtute. Fo-
ris ſcriptus nuditate, contemptu, dolo-
re, ignominiâ, vulnere, livore, plagis.
Pendet tanquam *liber ſcriptus carmine, væ,* Ezech: 2.
& planctu. Carmine nobis, planctu ſibi, 9.
væ inimicis. Carmine cœlo, planctu ter-
ræ, væ inferno. Pœnitentibus planctu,
C amantibus & utentibus carmine, ingra-
tis & negligẽtibus væ. Electis carmine,
viventibus planctu, damnatis væ. Pen- Iſaia 8.
det *liber ſcriptus ſtylo hominũ, ſtylo flagello-* 1.
rum, ſpinarum, clavorum, crucis. Pen-
det liber amoris, liber doloris, liber ti-
moris, liber pudoris. Amoris: quia in
eò ſcriptum eſt *Sic DEus dilexit mundum,* Ioan: 3.
& Majorem charitatem habet nemo. Dolo- 16.
ris. quia ſcriptum in eo eſt: *vidimus eum* Ioan: 15.
virum dolorum. & attendite omnes & videte 13.
ſi eſt dolor ſicut dolor meus. Timoris. quia Iſ: 53.3.
ſcriptum habet. *Nolite flere ſuper me, ſed* Thren: 1.
ſuper vos ipſos flete. quia ſi in viridi ligno 12.
hæc faciunt, in arido quid fiet? Pudoris: Luc: 23.
quia ſcriptum habet. *Quid potui ultrà fa-* 28.
cere & non feci. &. Hæc feciſti mihi & ta- Ibid: V.
cui. &: Hæccine reddis popule ſtulte & inſi- 31.
D *piens Domino. nunquid non ipſe eſt Pater tuus,* Iſ: 5. 4.
qui per crucem genuit & poſſedit te: & fecit Pſ: 49. 21.
& creavit te. Aſpice lector & lege hanc Deut: 32.
ſcripturam diligenter, frequenter, utili- 6.
ter. fre-

ter. frequenter ut nunquam omittas, diligenter ut bene intelligas, utiliter ut intellecta facias. Pendet liber habens deſcriptum imò inſculptum, & impreſſum DEi amorem in hominem: odiūq; in peccatum. Hominis miſeriam in ſe ipſo & in peccato relicti, & ingratitudinem in Deum & Chriſtum. Chriſti obedientiam & humilitatem erga Patrē, miſericordiam & libertatem ſuper homines. Animæ pretium & neceſſitatem, æſtimationemq; gratiæ, magnitudinemq; æternæ gloriæ, & demum infelicitatem æternæ damnationis. Hæc ſi quis in libro JESU de cruce pendentis non diſcit ingratus eſt. qui non capit ſtupidus, qui non vult reprobus eſt.

28. JESUS de Cruce pendens eſt quædam Academia univerſitasq; ſcientiarum & ſtudiorum. Quid enim hic non Theologicum? DEus in ſe, DEus creatus, DEus finis & Beatitudo. DEus Homo & Redemptor, Sacramentorum fons. Peccatorum peſtis, fructus, natura, medela, interpretatio ſcripturarum, compoſitio controverſiarum. Hic Philoſophia ſublimior & Divinior, captivans omnem intellectum in obſequium fidei: magis docens credere non apparentibus, quàm aſſentiri demonſtratis. Hic verè ſupernaturale unum, verum, bonum. idq; ſummum ultimum, ac primum, quod & ubi, & quantum ſit demonſtratur. Hic Mathematicis longitudo ipſa, latitudo, ſublimitas ſeu profundum, dimetienda & comprehendenda proponitur. Iuris & juſtitiæ, ac æqui, prô! quanto hic rigore expenduntur & exiguntur. Medicinâ iſtâ nihil eſt certius, nihil efficacius, nihil compendioſius, amando peraguntur omnia: & omnia gratis dantur, à corde autem initium ſanationis ſumitur. Velle ſanari, ferè tota ſanitas eſt. Hic Rhetorica artem tacendi in calumniis, accuſationibus, injuriis, occiſionibus, ſilentio loqui, tacendo ſe tueri, docetur. Poëſis nihil unquam elegantius, quod imitetur inveniet; nihil ſalutarius imitabitur. Schola morum & amorum hic eſt, aut nullibi eſt. Deniq; hic primorum elementa ſermonum, quæ etiam lactentes balbutienteſq; diſcere ante omnia debent. Ama crucem, bajula crucem, cōſcende crucem, diſce crucem, æſtima, exalta crucem, fige te in cruce, honora crucem, intellige crucem, lauda crucem, metire crucem, ne neglige crucem, opta crucem, profitere crucem, quære crucē, regere cruce, ſapiat tibi crux, tene & tuere crucem, voluptas tua ſit crux, zela crucem, & in eâ pro te crucifixum.

29. JESUS in Cruce pendet velut Mater & nutrix, *plena uberibus*, plena omnia habens ubera. Quis Mater? Si non patiens pendenſq; in cruce JESUS? ille nos ibi verè parturit: verè luci non nocti, verè vitæ, non morti, verè beatitudini, non miſeriæ, verè cœlo non inferno, verè filios gratiæ, non filios iræ, verè filios dexteræ, non doloris, (etſi non ſinè dolore ſuo, attamen ſine noſtro) verè filios DEi non diaboli generat. Nunquid Mater oblivìſci poteſt infantem uteri ſui? oblivìſcatur illa ſi poteſt. JESUS Mater noſtra nullius noſtrûm oblivìſci poteſt: *deſcripſit nos in manibus*, involvit nos vulneribus, condidit in viſceribus ſuis. Nec tantùm Mater eſt perfectorum, eſt etiam imperfectorum, etiam infirmorum, etiam lactentium, etiam peccatorum. O filii quales quales eſtis, *attendite ad Matrem quæ genuit vos*; quæ vobis & juſtiùs, & efficaciùs, & ſonantiùs inclamat quod Machabea illa, *ſupra modum Mater mirabilis* uni ſuorum inclamavit aliquando. 2. Machab. 7. 28. Peto nate ut aſpicias ad cœlum & terram Divinitatis & humanitatis meæ, & in crucem meam: & ad omnia, quæ in eis ſunt; & intelligas, quià pro te ſuſtinuit iſta Homo DEUS, ita fiet, ut non timeas carnificem iſtum diabolum: ſed dignus ſanguine meo, fratribus tuis, filiis meis effectus particeps, ſuſcipe vitam, quam tibi dedi per meam mortē: tolle ſuper te, & porta poſt me meam crucem, ut in illa miſeratione, ad quam conſequendam te doloribus mortis genui, cum fratribus tuis te recipiam. O filii *ne degenerate à Matre*. Sed ſicut illa crucem amavit, amate, ſicut illa facta eſt obediens uſq; ad crucis mortem, ſic & vos iiſdem cogitationibus vos obarmate. Crucis ſenſus *hic parvulorum eſt*, Crucis amor cibus perfectorum eſt.

30. JESUS in Cruce pendens, eſt *aquila provocans ad volandum pullos ſuos, & ſuper eos volitans, expandit alas ſuas, & aſſumpſit eum atq; portavit in humeris ſuis.* Deut. 32. 11. *Grandis Aquila JESUS: magnarum alarum: abſtulit medullam Cedri*: Ezech. 17. 3. hoc eſt crucis ligni: provocat pullos ſuos, redemptos ſuos, fideles ſuos, ad volandum, nidūq; infirmitatis & torporis deſerendum, volitat ſuper eos, defendens eos, ab æſtu, defendens à lapſu, ab æſtu deſuper volitans, à lapſu, de ſubtùs ſe ſubmittens, atq; volatu fatigato ſubveniens, quietemq; in ſuis alis offerens. Aſſumpſit huma-

humanum genus non tantùm ad unionem perſonæ, ſed etiam ad redemptionem ab omni ſervitute peccati, diabolicâq; captivitate: portavit in humeris ſuis ad nidum crucis ſuæ, tanquam pullum; ad ovile ſuum, tanquam bonus Paſtor errantem & infirmam perditamq; ovem. Et quandiu hærebimus in nidulis noſtris, neq; in nidum aquilæ hujus involabimus? quandiu non pertentabimus plumas & alas ſpei & divini auxilii, æmulando chariſmata meliora, & conando ire poſt crucifixum JESUM, & crucifigi cum ipſo, & eſſe in cruce, imò volare cum cruce, poſt ipſum. *Ecce aquila provocat ad volandum: ecce ait. Confidite, quia vici mundum. Si mundus vos odit, ſcitote quia me priùs odio habuit.* (Ioan: 15. 18.) Aquila in arduis locat nidum ſuum, de longè proſpicit prædam, pulli ejus lambunt ſanguinem. Perfecta Chriſtus ſectatur: *non venit ſolvere legem, ſed adimplere.* (Matt: 5. 17.) *feſtina, prædare, accelera, ſpolia, detrahe nomen illi:* (Iſa. 8 3.) delectatur prædis filiorum ſuorum, quas de mundo, & carne, quas de ipſis ſeducunt; deniq; ſanguinem illis ſuum lambendum, corpus ſuum manducandum, aquam gratiæ & doctrinæ ſalutaris bibendam illis proponit. Ergo nemo degeneret ab aquilâ ſuâ, nemo ſolem connivente oculo intueatur: nemo non renovet ſicut aquila juventutem ſuam, nemo non ad medullam cedri aſpiret, nemo non per omnia perfectus, ſimiliſq; crucifixo JESU eſſe adlaboret.

31. JESUS in Cruce pendens, eſt *ſol illuminans*, & accendens univerſa, ima etiam viſcera terrarum pervadens: ita ut non ſit, qui ſe abſcondat à lumine, à calore ſuo. Ex illo radii prodeunt lucis, ex illo radii ignis emicant: radii lucis ad pellendas tenebras noctis ex animabus, radii ignis, ad inflammanda corda & pellendum frigus ex mentibus. Quis intueri poteſt hunc ſolem in iſto ſuo meridiano crucis conſiſtentem, quin illicò exeat de tenebris & cæcitate mentis: quin illicò fugiat ab eo frigus & tepor cordis? Quem intuetur ſol iſte, & non colluſtrat? & non inflammat? ubi videbo fœditatem peccati mei, gravitatem malitiæ meæ, periculum damnationis meæ, ſi non in luce hujus ſolis? ubi videbo, quantùm me dilexerit DEus, quantùm pro me pretium fuderit, quantùm illi debeam, quàm nihil illi retribuam, ſi non in luce hujus ſolis? ubi videbo rigorem juſtitiæ DEi, immenſitatem miſericordiæ, abyſſum ſapientiæ, exceſſum charitatis, miraculum omnipotentiæ, ſi non in luce hujus ſolis? ubi videbo verum meum Patrem, qui me in dolore genuit: verum meum amatorem, qui me non obiter dilexit, verum meum magiſtrum, qui ſe ipſum mihi etiam *librum ſcriptùm intus & foris dedit*: verum meum medicum, qui meos morbos ſibi accepit, & curationis moleſtias ipſe exhauſit, ſanitatem mihi contulit: verum paſtorem, qui me *errantem ovem quæſivit*, devoratam è lupi faucibus extraxit, ſeipſum lupis expoſuit animamq; ſuam pro oviculâ unâ poſuit, ubi hæc videbo, ſi non in luce ſolis hujus? poſſumne videre ſolem hunc & non ardere? poſſumne perſtringi radiis hujus ſolis, nec accendi? Totius mundi arſerunt pectora ab hujus ſolis radiis: meum non ardebit pectus? Poſſumne non amare ſic amantem? poſſumne non accendi à ſic urente? Si glacies aut nix ſim, ardere debeo. urit me Majeſtas, urit me charitas, urit me bonitas, urit me miſericordia, urit me humilitas, urit me nuditas, urit me patientia, urit me dolor, urit me ſanguis, urunt me vulnera, urunt me clavi, urunt me ſpinæ, urit me cauſa, urit me modus, urit me opus tantæ charitatis in perditum. Et nondum amabo? nondum accendar? nondum in carbonem & flammam ігneſcam corde, mente, animâ, corpore toto me? O *qui non amat Dominum JESUM* in cruce pendentem, *anathema anathema.* Dignus eſt dignus planè eſt morte Domine JESU, qui te non diligit: ſi tamen jam eſt mortuus.

32. JESUS in Cruce pendens: eſt *arbor magna procera uſq; ad cœlum, radices ejus, uſq; ad terræ profundum, rami ejus in univerſum orbem, ſub cujus ramis animalia habitant, in cujus frondibus volucres nidificant, de cujus fructibus omnia victitant.* Hæc arbor *ſecurim non metuit*, quia non meruit. Hæc arbor habet celſitudinem cedri, odorem cypariſſi, pinguedinem olivæ, dulcedinem ficûs, efficaciam vitis, immortalitatem terebinti. Hæc arbor habet fructus vitæ, & folia ad ſanitatem gentium. Quiſquis animal es adhuc, ſub ramos hujus arboris fuge, umbra ejus ſerpentes effugat, & omnia hîc miteſcunt ferociamq; ponunt. Si volucris jam es, in altum ſubvola, & in frondibus commorare; nidumq; ſecurè colloca. Arbor iſta: arbor decora eſt, ornata Regis purpurâ, electa digno ſtipite, Sacratiſſimæ DEi Humanitatis membra portare &c.

33. JESUS in Cruce pendens. eſt novus mun-

novus mundus, miraculoſus, immenſus, novus mundus, miraculoſus, immenſus, noſtro per omnia oppoſitus. In noſtro mundo Creator, Creator eſt, creatura creatura, mortales ſunt mortales, immortales, immortales. Judices reos judicant & plectunt, plectuntur & judicantur rei: vita eſt vita, mors eſt mors: hoc jam in mundo alia omnia. Creator eſt creatura, DEus Homo. vita moritur, immortalis mortalis, altitudo humiliata, majeſtas contempta, plenitudo exinanita. imperium obediens, judex à reis judicatus, damnatus, punitus. medicus ab ægris medicinâ potatus. Sol occidit in meridie, aſcendit ſuper occaſum. Morte mortui vivificantur, amantur inimici, excuſantur Deicidæ, Pater Filium per omnia innocentem, pro ſceleratorum mancipiorum flagitiis caſtigat & mactat, offenſus pro offenſoribus ipſi ſibi ad omnem juſtitiæ rigorem ac ſi omnino reus eſſet ſatisfacit, deniq; & hoc etiam quia beneficiarii ingrati ſunt, & mala pro bonis retribuunt. vulnera hic ſanant. Sanguis lavat & dealbat, infamia honorat, peccatum innocentiæ militat, per ſcelus abſolvuntur rei, abſolvitur homicida, damnatur judex, latroni Paradyſus donatur, & ut finiam tandem DEus pro hominibus ab hominibus moritur. Iſti tamen novo mundo omnes incolatum debent, omnes conformari tenentur, in leges mundi hujus & jura tranſeundum eſt omnibus, & legibus illius vivendum eſt, ſi in æternum vivendum eſt, aliàs in æternum pereundum erit.

34. JESUS in Cruce pendens eſt C veluti *Botrus* abſciſſus à ſuâ vita ſynagogâ: vel ab Æterno Patre (ut ipſe teſtatur) *derelictus* in Paſſione & cruce ſine ſolatio: quem in veſte crucis portant duo populi gentiles & Judæi: iſti Botrum ſemper portant in ſua lege, nunquam vident in fide, illi ſemper intuentur illum, quia ſemper credunt in illum: iſti averſantur & in cruce ſuſpendunt. iſti aſpiciunt & credentes venerantur. iſti tantùm pondere gravantur ſuæ legis: nec recreantur fructu ejus, per Chriſtum impletionis: illi præſenti munere redemptionis ſatiantur. iſti priores eunt, ſed recedunt ab eo quem ferunt. illi ſequuntur & charitate atq; imitatione aſſequuntur. iſti botrum crucis torculari imponunt & premunt: illi muſtum novum, in vires novos excipiunt & delectantur. Sed quod diſcrimen videmus inter Judæos & Gentiles: videant Chriſtiani ne hoc idem ſit inter fideles Chriſti bonos & malos: utriq; enim ſine dubio portant Chriſtum crucifixum in veſte fidei: ſed mali dum non amant in A quem credunt, quaſi portant ſed recedunt: boni verò dum amant quem credunt veluti portant & accedunt. Mali gravantur onere, non fruuntur gratiâ, boni in ipſo onere allevantur dilectione. Malos ſarcina Chriſti præmens inſequitur. bonos eadem præcedens conſolatur. Malis botrus iſte veluti minatur oppreſſionem: bonis contra veluti promittit ſuſtentationem. videant ergo Chriſtiani quomodo botrum portent, quomodo inquam in Chriſtum credant. videant & caveant ne in peccatorum foveam lapſi à botro ſuper incidente, tanquam à lapide conterantur; videant ne illum cui malè vivendo tergum vertunt non faciem, experiantur in judicio terB gum viciſſim vertentem, avertentem faciem. videant ne dum calcant botrum malè vivendo, pereant juſtiſſimi furoris & iræ, quod ipſi expreſſerunt, vinum, bibendo. Exprimant potiùs dulces uvas digitis ſanctæ operationis, & vinum gratiæ excipiant vaſculis cordis: amat enim botrus noſter charitatis violentiâ etiam premi, qui ab immundis & frigidis cordibus non dignatur vel tangi.

35. JESUS in Cruce pendens: eſt *lapis à DEo ſculptus* manibus & ſcalpris Judæorum: lapis angularis, lapis connectens utrumq; parietem Eccleſiæ, ex Judæis & ex Gentibus: lapis fundamentalis, lapis pretioſus, lapis habens *oculos ſeptem in ſe, habens & ſeptem ſuper ſe*: lapis cujus cælaturam ipſe Pater æternus ſeptenis oculis adhibitis ſculpendam ſibi ſumpſit. Lapis JESUS crucifixus: lapis *ad ædificium*, lapis ad ornatum, lapis ad pretium. *lapis ad pugnam, lapis ad ſacrificium*, lapis ad ſomnum, lapis ad contritionem, lapis ad unctionem, lapis ad clamorem. lapis ad incrementum. Lapis ad ædificium, *cui coædificamur in templū Domini.* lapis ad ornatum ſacerdotalem. lapis ad pretium *coronam de lapide pretioſo formans.* lapis ad pugnam Davidi contrà Goliam, lapis ad ſacrificium offerendum, & conſummandum Gedeoni. lapis ad ſomnum Jacobo peregrinanti. lapis ad contritionem tam & ſuper quem ceciderit, quàm ei qui ſuper eum ceciderit. lapis *ad unctionem*, quam fecit in D ſignum. lapis ad clamorem, ſi ſileant parvuli & turbæ laudem Domini. lapis ad incrementum qui abſciſſus de monte ſine manibus, crevit in montem magnū

Pſ:17.22.
Gen. 28 11.
Ibid: 18.

 & imple-

Digitized by Google

& implevit terram. Hæc omnia eſt JESUS in cruce pendens: qui etiam habet in ſe oculos ſeptem ſculptos. Oculum legislatoris & Magiſtri. 2. Oculum Salvatoris ac Medici. 3. Oculum Regis. 4. Oculum Paſtoris. 5. Oculum Sacerdotis. 6. Oculum Patris. 7. Oculum judicis. Manu Divinâ cælatus eſt: quia *pro nobis à Patre traditus*, imò *& percuſſus* ac humiliatus eſt. Sed ad hoc Pater ſeptenos adhibuit oculos: nempe. 1. Oculum veritatis. 2. Charitatis. 3. Sapientiæ. 4. Potentiæ. 5. Miſericordiæ. 6. Iuſtitiæ. 7. Longanimitatis. Sculptus eſt lapis iſte præterea à DEo in veteri teſtamento. 1. Promiſſis. 2. lege. 3. Figuris. 4. Sacrificiis. 5. Ritibus. 6. Prophetiis. 7. deniq; executione & impletione reali horum omnium. utamur iſto lapide in ædificationem, in ornatū, pretium, pugnam, quietem &c. & caveamus in eum offendere, vel ejus caſu obteri.

36. JESUS in Cruce pendens. Cœlum eſt: in quo *plenitudo Divinitatis inhabitat* corporaliter? in quo ſibi *Pater cæleſtis complacuit*, eſt à terrâ remotiſſimum hoc corpus cœleſte: à terrâ terrenæ corruptionis, & labis, à terrâ terrenæ affectionis & poſſeſſionis, à terrâ deniq; *elevatus in cruce trahens omnia ad ſeipſum.* Eſt rerum reliquarum caput & parens. quia enim *tradidit pro peccato animam ſuam, vivificat multos* id eſt omnes. Phil:2.9. *& quia exinanivit ſe, obediendo uſq; ad mortem crucis, exaltavit illum Pater, dans ei nomen ſuper omne nomen.* Eſt omnium operum DEI opus perfectiſſimum: quid enim perfectius JESU Paſſo vel Chriſtus ipſe, vel cœleſtis Pater fecit? Incipiendo ab Incarnatione uſq; ad mortem nihil perfectius: ſed & ipſa Paſſione ſumma totaq; perfectio. Redemptio majus eſt opus creatione: ſi ergo creationis opera omnia vidit & judicavit DEus valde bona. quantò magis redemptionis? Cœli quædam pars movetur ab Angelis, quædam immobilis eſt in JESU Paſſo Divinitas, & beatifica gloria animæ immota manſit ſemper: ſed infirmior carnis & ſenſus naturæq; portio, à Divinitate ipſa eſt gubernata. Cœlum eſt cauſa viventium: Et JESUS Paſſus omnes nos morte ſuâ vivere fecit. *Cœlum enarrat gloriam DEi in omnem terram*: & quis hoc præſtat, ſicut Paſſus JESUS? in quo omnes perfectectiones DEi elucent: in cujus Paſſione cæli & terræ immutatæ ſunt. De cœlo juſtitiam proſpicere ait David, & unde melius juſtitia DEi ſimul cum miſericordia, charitate, proſpicit, quàm ex JESU patiente & pendente in cruce. &c. Cœlum aliud eſt Empyreum igneum totum, aliud ſtellatum, firmamentum &c. quàm Empyreus eſt JESUS in cruce? firmamentum eſt univerſi, ſtellatus totus, tot micans ſtellis, quot vulneribus & plagis, vel ſanguinis guttis. In illo cœlo eſt beatitudo futuræ vitæ: in JESU crucifixo eſt tam alterius quàm hujus vitæ: ſed hujus per fruitionem præſentem, illius per meritum, in præſenti. O habitemus in hoc cœlo, & delectemur, & fruamur illo: neq; uſpiam unquam exeamus de ſub illo. Sicut enim nemo poteſt extra cœlum exire; ita oportet nos nunquam extra JESUM eſſe ac vivere. Namq; etiam uti cœlo collata terra punctum tantùm eſt: & nemo cœlum poſſidens terram appetiit; ita JESU Paſſo collata omnia nihil ſunt. eo in mari Paſſionis ejus peccata noſtra tanquam punctum periêre univerſa: & nemo guſtum Chriſti crucifixi adeptus terrena hæc curavit vel amavit. hoc Paulus pro ſe & pro omnibus ſanctis teſtatur: dicens. *Abſit mihi gloriari niſi in Cruce Domini noſtri JESU* Gal:14 *Chriſti. Nihil arbitratus ſum me ſcire inter* 1.Cor:2. *vos niſi JESUM & hunc crucifixum.* 2. *Ecquis nos ſeparabit à charitate Chriſti &c.* Rom:8. 35.

37. JESUS in Cruce pendens. Eſt centrum univerſi. univerſæ naturæ, univerſæ gratiæ, univerſæ gloriæ, univerſorum amorum ſeu cordium. Naturæ quidem, *quia ex ipſo & in ipſo, & per ipſum* omnia conſtant. Gratiæ: hanc enim omnē nobis meruit: & ipſe *eſt plenus gratiâ & veritate: de cujus plenitudine, accepimus omnes nos, gratiam ſanctificantis veſtem,* in Ioan:1. Sacramentis ejus & bonis operibus no- 16. ſtris factis in gratia & unione & charitate ejus, & gratiæ actualis motum omnem tam prævenientem, quàm coöperantem, quàm conſequentem: ſiquidem hic omnis motus à ſanguine & merito Chriſti manat. Gloriæ: quia Paſſus Chriſtus eſt, cauſâ, omnibus credentibus, vitæ æternæ: *ipſe animam ſuam poſuit pro ovibus*, & ipſe ideo *dat eis vitam æternam.* Cordium ſive amorum: quia ex illo omnes manant amores in nos, quibus amamur à DEo, ab ipſo Chriſto, ab Angelis, à ſanctis, ab ipſis nobis mutuò, & unuſquiſq; à ſe ipſo, quando ordinatè amat ſeipſum? Et rurſum in illum colliguntur & collineant omnes amores, & qui in cœlo, Patris Æterni, Angelorūq;: & qui in terrâ electorum & fidelium omnium. Sicut enim omnes qui nos (ut dixi)

dixi) amant propterea amant nos, quia pretium ſanguinis ejus ſumus: ita illum omnia amant, omnia debent: quia Redemptor noſter, quia ſcilicet in cruce Paſſus eſt pro nobis. Præterea in JESU crucifixo, tanquam in centro quieſcimus, quia ipſe eſt Pax noſtra, in eo ſi non ſumus, quietem habere non poſſumus, ſeu cum DEo, ſeu cum Angelis, ſeu cum proximis, ſeu deniq; cum ipſis nobis: in eo autem ſi ſumus immobiles ſumus ut ille dicebat. *Quis nos ſeparabit &c.* Ad hæc in Chriſto crucifixo tanquam in centro conſervantur omnia: ideo namq; ad centrum tendunt omnia, ut ibi conſerventur & immunia fiant à ſuis contrariis. Et ubi conſervari nos poſſumus, vel à noſtrâ fragilitate, vel à diaboli impugnatione, vel ab irâ Divinâ, vel ab humanis adverſitatibus, ſi non apud IESUM Crucifixum? ubi conſervari poſſunt bona noſtra, ſeu virtutes, ſeu opera, ſeu gratiæ, ſeu merita; ubi inquam tutius ſervari & perfici & augeri etiam poſſunt hæc nobis, quàm *recondita in hoc gazophilacio*, in hoc centro repoſita. Deniq; ad centrum cöeunt univerſa, & *unum ſunt omnia*, quæ extra centrum ſunt diviſa. Et in Paſſo IESU omnia uniuntur, *omnia unum ſunt*: ideo Paſſurus Dominus orabat Patrem pro ſuis, ut ſint inquit unum, ſicut *nos unum ſumus*, ibi efficimur unius Redemptionis unius Patris, unius Eccleſiæ Filii, in eo deniq; *Cor unum & Anima una credentes ſunt, deq; unà menſà*, de uno pane, de uno calice participant.

38. JESUS pendens in Cruce: Eſt veluti Cythara, & chordis extenſis inſtructa, & ſonans melodiam harmonicam. Crux quidem Cytharæ vicem, Chriſtus autem chordarum obtinet. Melodia illius, ſunt ſeptem verba illius in cruce ab ipſo prolata: in quorum ſingulis eſt canticum mirabile. Sed & quodlibet Chriſti membrum eſt chorda vel canticum, reſonans nobis noſtram iniquitatem, Chriſti charitatem, Patris juſtitiam &c. Ad uſum hujus cytharæ [Iſaia 23. 16.] hortatur Iſaias animam peccatricem, dicens. *Sume cytharam, circui civitatem meretrix, bene cane: frequenta canticum.* quaſi dicat: attende ad JESUM cytharæ inſtar cum ſuâ cruce. Inſpice hanc cytharam, audi pulſum & ſonum chordarum ejus, & attende quid tibi occinant? attende quid tu & quomodo reſpondeas? attende quanta ſit inter te & illam diſſonantia? attende ut jam aliquando illi conſones? bene cane, frequenta canticum Chriſti, quodcunq; ex verbis ejus ſeptem voles, ſeu omnia voles, ſeu imitari eum patientem voles, bene cane, frequenta canticum. Nihil ſalubrius ca- A nes: proinde nihil cane frequentiùs, quàm IESUM Crucifixum?

39. JESUS in Cruce pendens. eſt *illud mare circumdatum carcere* de quo Iob. *Nunquid mare ego ſum, quia circumdediſti me* [Iob.7:12.] *carcere?* IESUM eſſe mare ſatis novit qui DEum eſſe credit. Ille eſt enim, in quo plenitudo Divinitatis inhabitat corporaliter, ille eſt in quo *ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ DEi abſconditi*: ille eſt *plenus gratiæ* & veritatis, ille eſt *de cujus plenitudine accipimus omnes nos*: ille eſt *in quo omnia conſtant.* ille eſt *in quo vita erat, & eſt, & erit.* Hoc ergo mare circumdedit Pater carcere, primùm quidē carnis, deinde etiam crucis. Carnem Chriſti eſſe carcerē Divinitatis ſeu ma- B ris: patet ex illo, quia Dominus *verbum* [Rom: 9. 28.] *abbreviatum* quia fecit *verbum infinitum.* fecit *panem arctum & aquam brevem* [Iacobi 1. 21.] Patet etiam ex illo quod apud Hieremiam gloriabundus loquitur DEus de ſe. *Poſui arenam terminos maris.* [Iſaia 30. 20.] Quæ eſt enim arena iſta, niſi caro noſtra, mare Divinitatis coercens, atq; veluti incarcerans. [Ierem:5. 22.] quia *verbum Caro factum eſt, & habitavit in nobis*? [Ioan: 1 14.] Crucem porrò carcerem eſſe manifeſtum per ſe eſt. & oſtendit Apoſtolus, tum de Chriſto affirmans illum factum *obedientem uſq; ad mortem crucis.* tum de ſe ipſo, cum ſe, prædicationemq;, & [Galat:2 19.] gloriationem, & ſapientiam ſuam omnē aſſerit aliam non eſſe, niſi Crucem Chriſti, ſeu *Crucifixum Chriſtum*: [1.Cor.1 23.] at enim C *Chriſto confixus ſum Cruci.* Et. *Nos prædicamus* [Gal: 6 14.] *Chriſtum & hunc Crucifixum.* &. *Mihi abſit gloriari niſi in Cruce Domini noſtri JESU* [1.Cor:2 2.] *Chriſti.* & *Nihil arbitratus ſum me ſcire inter vos, niſi JESUM & hunc crucifixum.* Inſuper [Rom:10. 4.] *finis legis Chriſtus, & is quidem Crucifixus.* Deniq; conſummationem fecit [Ioan:19. 30.] Dominus in Cruce, in quâ & dixit moriens. *Conſummatum eſt.*

40. Poteſt & aliter JESUS Crucifixus atq; patiens mare dici carcere circumdatum: quia cum ejus Paſſionis, Crucis, mortiſq; virtus eſſet immenſæ & inexhauſtæ efficacitatis, potens abſorbere & obruere omnia etiam reproborum peccata efficaciter: ita ut nullus exſors eſſet fructus Paſſionis ipſius: circumdedit tamen æternus Pater huic ma- D ri carcerem arctum ſatis. reſtringens finalem efficacemq; fructuum ejus diffuſionem ad ſolos electos, quos paucos eſſe reſpectu reproborum, ex ipſius Domini verbis

Digitized by Google

ni verbis notum eſt. veluti ergo in carcere concluſum eſt mare, quando Paſſio Chriſti arctata eſt electorum paucitate. unde probabilis eſt piorum cognitio quam etiam revelatione Domini ipſius confirmatam tradunt, inter maximos Chriſti Domini cruciatus in Cruce, fuiſſe hunc unum, intueri tam exiguum, tantæ Paſſionis ſuæ efficacem fructum, utpote ad ſolos electos à Paternâ inſcrutabili voluntate reſtrictum.

41. JESUS in Cruce pendens. eſt ille cetus carcere quoq; concluſus quem Iob illo ipſo loco ſibi comparat dicens. *Nunquid cetus ego ſum quia circumdediſti me carcere?* Chriſtum *piſcem eſſe* vocariq; notum eſt, tum ex ſcripturis ſacris, tum ex Patribus Sanctis, tum ex ſibyllinis oraculis in quarum Acroſtichis Chriſtus *IXtis ſeu Piſcis* nuncupatur. Eſt enim Piſcis Chriſtus & Rex piſcium, omnium ſcilicet fidelium, *ex aqua & ex Spiritu Sancto renatorum*: unde & cetus ſeu Balena à Sancto Iob vocatur, ut ejus principatus ſuper omnes fideles in hoc Divinæ ſeu creationis ſeu diſpenſationis, gubernationiſq; Oceano demonſtraretur. Hic cetus (vel ut Moyſes *vocat cete grandia*) circumdatus eſt carcere videlicet cruce & paſſione & morte. Crux etenim atq; mors Chriſti eſt veluti *Sagena* veluti hamus ipſum cetum capiens, & detinens, atq; adeo etiam appendens. In hoc hamo *in hac Sagena ſe* Chriſtus poſitum videns, tanquam carcere circumdatum à Patre ſuo denuntiat. Nam niſi crucis hamo & Sagenâ comprehenſus fuiſſet Chriſtus, fruſtra fuiſſet omnis alius in eum conatus. unde neq; *Herodis* furores infanti nocuêre, neq; lapidandi conatus *Iudæis* proceſsêre: neq; de ſupercilio *montis* præcipitationes prævaluêre: quia nimium ceto huic, ſola Paſſionis Sagena, ſolus crucis hamus, velut carcer circumdari debuit, ſoluſq; ita ipſo volente & ordinante potuit.

Ioan:5.2. 42. JESUS in Cruce pendens. eſt *Natatoria ſeu Piſcina probatica: quinq; porticus habens, plenas languentibus nobis, & languoribus noſtris*: in eo eſt piſcina ſalutaris aquæ & ſanguinis: non egens neq; expectans moveri ab Angelo: ipſe quippe eſt miſericordiæ ſuæ motor: in ſe ipſo reperiens cauſas miſerendi nobis, in eo non unus ſed omnes infirmi; non unus morbus ſed omnes morbi *ad motum aquæ ſanantur.* Nam quis non ſanetur morbus in miſerationum non dico piſcinâ ſed mari & abyſſo, & Patre? Hæc piſcina eſt ovium piſcina, lavandis ſcilicet ovibus *in ſacrificium DEo* immolandis ſerviens: verè enim Chriſtus piſcina eſt ovium ſuarum; quas & paſcit & lavat, in ſanguine ſuo, non lavantur in eâ piſcina hædi, non lupi, non aſini, non alia immunda animalia, & à Sacrificio Domini excluſa, ſed oves lanigeræ, manſuetudinis Agni cœleſtibus æmulæ, Paſtoris amantes & ſequaces. Hæc quoq; Piſcina dicitur *Bethſaida*, quaſi *Domus piſcationis aut venationis piſcium.* Chriſtus enim eſt *Natatoria noſtra*, in quâ rationales piſces natamus, & capimur ad guſtum menſæq; DEi: rete & Sagena eſt Chriſtus ipſe; idem eſt hamus, ejuſdem crux eſt calamus, ipſe autem eſca condiens & occultans aſperitatem hami ſeu crucis paſſioniſq; ſuæ & nos ad amorem guſtumq; ejus pelliciens. Hæc eadem Piſcina dicitnr *Betheſda*, quaſi *Domus effuſionis.* Chriſtus enim eſt in quem Pater *effudit omnes aquas ſuas*: hoc eſt *cum plenitudine Divinitatis omnes ſapientiæ & ſcientiæ*, omnes bonitatis & charitatis, omnes juſtitiæ & ſanctitatis *theſauros.* In Chriſtum etiam effudit Pater omnes aquas vindicis juſtitiæ *iraq; ſuæ propter ſcelus Populi ſui percutiens eum.* unde Chriſtus dicebat per Pſalmiſtam. *Omnes fluctus tuos induxiſti* Pſ:87.8.
ſuper me. Chriſtus etiam eſt domus effuſionis, effundit, quippe omnes gratiarum, miſerationum, meritorum, doctrinam, beatitudinum aquas, in nos, unde dicitur de eo. *De plenitudine ejus accepimus omnes nos &c.* Adhuc eadem Natatoria dicitur *Betheſda* id eſt *Domus miſericordiæ*, quia ad natatoriam illam pauperibus & languentibus tum DEus per aquæ motum, tum pii opulentioreſq; homines miſericorditer ſubveniebant. Sed hoc Piſcinæ nomen Chriſtum elegantiſſimè depingit, qui factus eſt nobis miſericordia à Patre: & eſt *Pater miſericordiarum DEuſq; totius conſolationis; & copioſa redemptio*: per quem etiam habemus ſemper acceſſum ad Patrem & ad gratiam, & ad miſericordiam.

43. JESUS in Cruce pendens, eſt *granum ſynapis*: minimum olerum omnium: ſed virtute crucis maximum, efficaciſſimum, fructuoſiſſimum. Non eſt ei *ſpecies neq; decor, noviſſimus virorum, deſpectus. vermis & non homo, parvulus in gentibus & contemptibilis valde.* Sed interim *virtus de illo exit & ſanat omnes.* Granum hoc mortificatum in Paſſione, ſed exaltatum in Reſurrectione, imò & in ipsâ cruce, vel ipſomet teſte ac dicente. *Oportet exaltari filium hominis.* Granum hoc tritum & planè commolitum eſt in doloribus internis ex-

ternis externisq́; , ſed interim factum eſt omnium ciborum ſpiritualium per ſeſe naturæ ſenſuiq́; acerborum, admirabile condimentum: adeo ut omnia amara vertat in dulcia, omnia nauſeabilia vertat in deſiderabilia. Quid amarius abnegatione ſui, perditione & odio, non tantùm Patris, Matris, ſororum, fratrum, uxoris, filiorum ſed etiam animæ propriæ? quid amariùs perſecutionibus & tribulationibus, cruce & morte, probris & ignominiis, fame & ſiti, frigore & nuditate, periculis & inſidiis, ſtultitiâ & ſervitute, omnium odio & inimicitiis? quid amarius amore inimicorum & odientium & maleſacientium? quid amarius quàm mortificari totâ die, totâ vitâ, & æſtimari ſicut *ovem occiſionis*, velut *peripſema & maledictum?* Et tamen in his omnibus non tantùm ſuperant & durant omnes amici Chriſti, ſed etiam *gaudent & gloriantur* in iſtis tanquam, imò plus quàm in omnibus divitiis atq́; deliciis propter eum qui *ſic dilexit nos, ut animam ſuam poſuerit pro nobis*, factusq́; ſit *propter nos maledictum, & ſtultitia, & ſcandalum.* Ita JESUS Paſſus, inſtar *Sinapis grani*, omnium eſt condimentum, quæ horret natura, quæ fugit ſenſus, quæ *Sapientia hujus mundi irridet*: adeò ut quod Moyſes olim unus ante Chriſtum Paſſum, intuens nihilominùs in Chriſtum Paſſum, infiniti alii poſt Chriſtum Paſſum, abjecerint & conculcarint omnes divitias Ægyptiorum, *aſſumpſerint* autem *improperium* Chriſti, & gaudentes exultaverint, cùm *digni habiti fuiſſent contumeliam pati pro nomine JESU.* O verè granum ſynapi Dominus JESUS, cujus ſapore ita omnia amariſſima, contumeliæ ipſæ, mortes & carnificinæ ipſæ, dulces, atq́; planè ipſæ dulcedines effectæ ſunt.

44. JESUS in Cruce pendens eſt *Ruina, ſepultura & Mauſolæum peccati*, erectum veluti trophæum quoddam in ſignũ victoriæ, & quidem in ipſo prælii loco. Chriſtus enim in carne ſuâ tanquam in loco certaminis cum omnibus ſuis & noſtris hoſtibus, dæmone, carne, mundo, morte, peccato, inferno, ubi cruentiſſimum prælium iniiſſet atq́; peregiſſet, eandem ipſam ſuam Humanitatem, vulneribus, doloribus, injuriis, opprobriisq́; veſtitam in trophæum erexit, & mole illius omnes hoſtes noſtros, præſertim peccata omnium noſtrûm obruit atq́; ſepelivit. Non ſecùs ac Pharao cum ſuis curribus, equitibus, Ægyptiis à Moyſe in mari rubro obrutus & ſepultus eſt. ita ut unus ex eis non remanſerit, ſed *deſcenderint in profundum quaſi lapis.* Sicut ergo rubrum illud mare ſepulchrum Ægyptiorum factum eſt; ita JESUS Paſſus in Cruce pendens, atq́; ſanguinolentus, peccatorum factus eſt ſepulchrum, ſtatq́; in titulum & trophæum erectus. Et quidem oratione & reſignatione ſuâ peccata noſtra oppugnavit, agoniâ expugnavit, ſudore ſanguineo taquam diluvio obruit, ſeu tanquam balneo mundavit, vinculis ligavit, flagellatione caſtigavit, ſpinis humiliavit, clavis confixit, morte interfecit, ſepulturâ ſepelivit, deniq́; crucis trophæo erecto triumphavit. unicus ex omnibus hoſtis DEI, heu non ſatis victus, debellatus, ſepultusq́; remanſit: propria ſcilicet noſtra voluntas, amorq́; proprius: qui unus hoſtis ejus eſt niſi & ipſe ſub jugum mittatur, & cruce Chriſti conſtringatur, atq́; dejiciatur, ſatis virium habet, ut omnes alios quantumlibet victos, ſepultos, obrutosq́; à Chriſto crucifixo, reſuſcitet tamen, refodiat, & ad vitam vireſq́; priſtinas revocet O miſeros nos, ô malè per libertatem propriæ voluntatis invictos. Utinam etiam propria noſtra voluntas adnumeretur reliquis mortuis ſempiternis. utinam nos ipſi malam libertatem noſtram convertamus in bonam ſervitutem juſtitiæ. Maneant mi JESU, maneant obruti iſti ſepultiq́; Ægyptii unàq́; cum iis propria omnium noſtrûm voluntas: neq́; unquam reviviſcant in mortem ſecundam; nunquã recrudeſcant in tuam ſecundam Paſſionem atq́; crucifixionem. Quid enim facit aliud propria voluntas, toties quoties ſe ipſam facit, niſi per vulnera renovata IESU, peccata omnia à ſepulchrò revocat, & vitam morti peccati mortiq́; damnationis donat? Bene quidem dixit Bernardus: *tolle propriam voluntatem, & infernus non erit*: quid enim ardet in inferno, *niſi propria voluntas?* ſed nec minùs bene dicere poterat: Tolle propriam hominum voluntatem, & Chriſtus in Cruce non pendebit: quid enim Chriſtum cruci affigit, niſi propria voluntas. Audiant hoc ſervi propriæ voluntatis.

45. JESUS in Cruce pendens eſt idea & officina dignarum DEo reſolutionum, ſiquidem ſciens prudensq́; ſeſe tantis malorum illadibus objecit: *oblatus eſt enim quia ipſe voluit: & nemo auferebat animam ejus ab eo*: ſed quando volebat, ponebat, quando volebat iterum ſumebat illam. Expende ſi potes malorum omnium, quæ Chriſtus ſubiit gravitatem, longitudinem, multitudinem, & intelliges quàm

ges quàm reſoluti animi fuerit Dominus JESUS, quantæ in Patrem Æternum charitatis, venerationis, & ſubjectionis, quantæ adversùm nos viles, inutiles, inimicos, ingratos dilectionis tunc A fuerit, quando ſe his omnibus cladibus immerſit, quas omnes & ſingulas, ſecundùm omnem earum conditionem planiſſime intuebatur, nec deſtitit ab omnium iſtarum calamitatum perpeſſione quoadusq; ad ultimam guttam totum illud dolorum intentiſſimorum mare exhauriret: quo cùm necdum ſitim ſuam ſatis explêſſet: inſuper ſitio exclamavit: paratus nimirum atq; avidus vel eadem vel totidem mala iterum propter noſtram ſalutem, propter Æterni Patris gloriam ebibere. Hic enimverò licet unicuiq; ex ſemet ipſo quærere: ecquid ipſe animi unquam habuerit habeatve nunc etiam, in ſubeundis, propter Chriſtum, propterq; ſalutem ſuam. Nec non B propter honorem DEi, laboribus, doloribus, periculis, incommodis? Sanè nunquam nobis tanta malorum moles ſeſe objecit. nunquam *ad ſanguinem reſiſtendum fuit*, leviſſima voluptas deſerenda, momentaneum & leve tribulationis alicujus ſuſtinendum ſe dabat: & tamen ad tantillum illud calicis, imò guttæ ebibendum animus defuit, conſtantia defecit, reſolutio nos deſeruit. O pudor? ô probrum? & quamdiu tenellorum inſtar puerulorum Deo ſerviemus nos, qui DEum noſtri causâ tanta ſubiiſſe ſcilicet credimus, & fatemur, & grato animo recolimus? utiq; Chriſtus exemplum dedit nobis, ut quemadmodum fecit ſubiitve ille, & nos eadem faciamus patiamurq; Chriſto igitur in carne Paſſo, & C nos eâdem cogitatione obarmemur.

46. JESUS in Cruce pendens eſt Nubes rorida & origo fonsq; gratiarum. *In diebus Eliæ Prophetæ, cùm extrema ſiccitas*
3. Reg: 18. 44. *ſimulq; ſterilitas afflixiſſet terram: miſertus tandem DEus aſcendere fecit nubeculam parvam quaſi veſtigium hominis de mari, & facta eſt pluvia grandis, ſucceſſitq; fœcunditas agris, & meſſium, vindemiarũ feracitas.* Quid? DEum bonum? non aridum? non ſterile fuit in humano genere antequam Chriſtus in carne, antequam pendens appareret in cruce? *Non eſt qui faciat bonum non eſt uſq; ad unum, omnes declinaverunt, inutiles facti ſunt: facti ſumus ſicut Sodoma & Gomorra omnes nos: niſi Dominus Sabaoth reliquiſſet nobis ſemen benedictum*, niſi de miſericordiſſimæ miſerationis ſuæ mari aſcendiſſet nubecula parva, in Incarnatione, quaſi veſtigium, & Filius hominis, & in grandem copioſæ Redemptionis pluviam in paſſione atq; cruce reſoluta fuiſſet. Hæc eſt igitur rorida nubes, ipſa ſimul mare & fons aquarum, irrigans *univerſam faciem Paradyſi.* vide quomodo rorat in horto *ubi factus eſt ſudor ejus ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram?* vide quomodo pluit ad columnam conciſus flagellis? vide ut ſtillat inter ſpinas? vide quomodo fluit in cruce? quot vulnera tot fluvii: quot guttæ tot rores. Hanc nubem æternus ille agricola, DEus Pater, ſupra totius humani generis aream terramq; ſitientem ordinavit, ut daret ex eâ pluviam voluntariam, pluviam ſalutarem, pluviam gratiarum & miſerationis. Hanc nubem ab origine mundi circumfert, & ex eâ omnibus mundi ætatibus, imò omnibus hominibus, maximè tamen in lege gratiæ per Sacramenta vivificum ſalutis & gratiæ meritorumq; ejus rore dividit, pluens ſuper juſtos & injuſtos, *faciensq; ſolem ſuum iſtum oriri ſuper bonos & malos*: imò ſuper omnes malos, quia nullos invenit bonos. Sed nos ingrati reddimus usq; huc cœleſti agricolæ mala pro bonis: & quantumlibet tam pretioſo ſalvificoq; rore infuſi ſterilitatem tamen & maledictionem reponimus. O aliquando reſipiſcamus, aliquando irriguum tam inferius quàm ſuperius plenis mentibus cordibusq; excipientes: *faciamus fructus dignos pœnitentiæ:* non tantùm deflentes præterita, ſed etiam abſtinentes à futuris culpis, nec tantùm declinantes ab illicitis, ſed etiam per licitorum ſubſtractionem *nosmetipſos hoſtiam rationabilem DEo facientes*, copioſumq; fructum, bonorum operum afferentes *ſivè triceſimum*, pœnitendo, *ſive ſexageſimum* proficiendo, ſive *centeſimum* perfecta plenaq; coram DEo opera faciendo, & in patientia ad finem usq; perſeverando.

47. JESUS in cruce pendens eſt nubes florida, & origo fonsq; gratiarum. 3. Reg: 18. 44.
In diebus Eliæ Prophetæ &c. *Vide in præcedenti numero.*

48. JESUS in Cruce pendens *granum frumenti & panis vitæ.* Satis conſtat Mundum in ſumma egeſtate, & olim fuiſſe, & nunc etiam paſſim, immaniq; & penè caninâ fame laborare, fame autem, & rerum quidem temporalium, & hujus vitæ mundique bonorum, quod oſtendit evidenter ſatis immanis avaritiæ huma- D næ ſervitus, quâ perenniter laborat omne genus hominum, tum cognitione DEi rerumq; æternarum carentium, quâ fide Chriſtiana præditorum, deque de rebus fu-

rebus futuri ſæculi ac æternis bonis lumine fidei illuſtratorum, è quibus innumeros oculis videas, manibuſq; palpes inſaniſſima orexi atq; avaritia poſſideri. Potiſſimum tamen inter homines dominatur illud famis & egeſtatis genus, quod in penuria rerum cœleſtium, bonorumq; ſalutem æternam concernentium conſiſtit. Quarum rerum penuria oppoſito modo ſe habet in hominibus etiam Chriſtianis, ac ſcilicet æternitatem beatam ſcientibus, optantibus ſperantibus, oppoſito (inquam) modo ac penuria temporalium bonorum. Hæc enim miram & plane inſatiabilem cupiditatem expletionis ſui in hominibus parit, immenſiſque illos ærumnis involuit atq; conficit, ac eos uſq; ad inſanos labores adigit nec ſinit eos finem facere cupiendi. *Creſcit amor nummi, quantum ipſa pecunia creſcit, atq;, ut quibus intumuit ſuffuſa venter ab unda, quo plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ,* ſic iſtis omnia quæ coacervant, oleum ſunt, quo affuſo flamma cupiditatum excreſcit, itaq; iſti explendo famem non explent ſed irritant: & tam illis deeſt quod habent, quàm quod non habent. Contrario prorſus modo ſe habet atque gerit penuria rerum ſpiritualium bonorumq; æternorũ; quò major eſt illorum egeſtas, minor verò copia, hoc minor eſt eorum cupiditas fameſq; frigidior. Itaq; nullum eſt certius argumentum defectus ac penuriæ illorum grandiſſimæ, quàm parva aut nulla fames eorum, ut non immeritò dicantur *Beati, qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam*, quia tum pauci ſunt *eſurientes* ſitienteſq; illam, cæteramque æternorum copiam, quàm pauci ſunt beati, qui eſſe alii nequeunt, niſi fame ac ſiti ſaturitateq; juſtitiæ. utriuſq; famis ac penuriæ recenſitæ remedium atq; ſubſidium præſentiſſimum & indeficientiſſimum eſt Dominus noſter JESUS crucifixus, ad hunc præcipuè uſum de cruce pendens ut ſit omnibus *Frumentum Electorum ſive electum & vinum germinans virgines*, propter quod ſicut alias ante paſſionem ſuam ad ſe invitabat omnes dicens. *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos*; ita & in cruce pendens hoc ipſum inclamat tot linguis quot vulneribus, oſtendens & exhibens ſe eſſe panem verum atq; vivum de cœlo miſſum atque datum pro mundi vita ſive ut det mundo vitam. O Panis in mola Paſſionis tritus, molituſq; Panis igni charitatis *in clibano* crucis totus. Panis cor hominis confirmans. *Panis hordeaceus caſtra Madian ſubvertens, idemq; gladius Domini & Gedeonis.* Ipſe eſt granum frumenti electum quod cadens in terram per Paſſionem & mortem atq; ſepulturam attulit & affert ſemper fructum multum. Ipſe eſt *panis arctus ſive arctatus quidem*, verùm tamen millibus multis, imò infinitis ſaturandis ſufficiens. Ipſe eſt *aqua brevis quidem* de templo corporis per portum lateralis vulneris egrediens, attamen ita abundans ut demum tranſvadari non poſſit, ſemper manans ad ablutionem peccatorum, ad potationem juſtitiam ſitientium, ad irrigationem accreſcentium, ad omnem deniq; uſum noſtrum. *Ipſe eſt panis continens in ſe omnem ſuavitatem ſaporis*, ad quod quiſq; volet ſe convertens dignè manducanti continens in ſe omnem ſanitatem vulnerum, ulcerum, morborum ipſiuſq; mortis. continens in ſe omnem armaturam contra dæmonia meridiana, contra ſagittas volantes in tenebris, contra ignea tela inimici, contra fortem armatum in vaſis ſuis cõfidentem, contra leonem rugientem ad prædam paratum, *contra Leviathan* ſerpentem vectem. Continens in ſe omnes divitias veras plenas & æternas, omnis generis theſauros, aurum ignitum & obryzum multum nimis, argentum quoque infinitum, purgatum & probatum ſeptuplum: continens in ſe gloriam & honorem, magnificentiam & virtutem & ſanctimoniam, juſtitiam, miſerationem pacem, veritatem & omne bonum, denique omnem beatitudinem vitæ tam quæ nunc eſt quàm futuræ. Omnes ergo quicunq; divites eſſe cupitis JESUM in cruce pendentem, frumenti & omnis alimoniæ penu & omnium divitiarum reconditorium, deniq; omne omnis boni bonum, accedite, accipite, in fructus ſalutis convertite.

49. JESUS in Cruce pendens eſt *Botrus terræ promiſsionis allatus à Filiis Iſraël* ad conjectandum ex eo de ubertate terræ ſibi ſuiſq; Patribus promiſſæ, & ad exſtimulandum ipſos, ut alacriter fidenterq; ad eam feſtinarent: quæ res quia per malitiam ſpeculatorum nuntiorumque terræ illi detrahentium coram populo cecidit, populuſq; potius in Ægyptum redire, quàm ad terram adeò uberem feſtinare delegit, ideo & ſpeculatores improbi omnes (*Joſue & Caleb* exceptis, qui fideles inventi ſunt DEo ſuo) ſubitâ morte extincti ſunt, & murmurator ingratuſq; populus totus in deſerto illo diſperiit, neq; terram illam adiit ſed ſoli illi, qui in deſerto erant noti, Ægyptumq;

ptumquè non viderant, *terram promiſſionis ingreſsi ſunt, & ductore Ioſue, eam poſſederunt.* Attende Chriſtiane JESUM in cruce pendulum, vulneratum, ſanguinolentum, membris omnibus pretioſum ſanguinem ſuum guttatim ſtillantem, imò & rivis manantem, ſimulque à clavorum ad crucem fixura, veluti Botrum pretioſum delicatumque de vite pendentem, ſimulque in torculari crucis compreſſum & calcatum. Nonne tibi verè *Botrus* videtur, quot vulneribus, tot uvis, quot guttis, tot acinis turgeſcens? Nonne tibi videtur de *terra promiſsionis* uſque petitus, & apportatus in ſignum, in pignus in pretium in primitias fœcundiſſimæ ſaluberrimæque ſimul ubertatis propoſitus. O animæ dilectæ JESU & diligentes JESUM, *guſtate & videte, quàm ſuavis,* quàm ſaluber eſt *Botrus iſte*, qualem nullæ *Engaddi vineæ* ſimilem proferunt, nullæ protulerunt unquam. Cæterùm moneo te Anima, ut dum Botri hujus ſaporem appetis, dum guſtui & ſapori illius appropias, ſimul etiam de palato tuo tecum ſtatuas, & vide, quàm purgatum & paratum ad guſtationem iſtum adferas. Cave afferas *palatum filiorum Iſraël* ingratiſſimorum qui conſpecto ſeu guſtato Botro ſuo, terram promiſſam aſpernati, *redierunt corde in Ægyptum.* Cave afferas palatum Capharnaitarum, quibus de carne & ſanguine Chriſti in vitam æternam bibendo audientibus, durus *hic ſermo viſus eſt,* & propinatorem Dominum deſeruerunt. Cave ſimiliter advenias cum palato Iudæ proditoris *de pane comedas, & de calice bibas* Dominico, ita ut poſt buccellam & poſt calicem introeat in te Diabolus. Pretioſo & generoſo implẽdus es vino ô homo? at ſi aceto ſi abſynthio, ſi veneno vel ingratitudinis in Deum vel odii in proximum vel carnalis concupiſcentiæ, ſed ſuperbiæ vitæ, alicujusve alterius improbitatis amaritudine plenus es, ubi vinum ſalutis, ubi vinum vitæ æternæ? ubi vinum copioſæ Chriſti redemptionis pones? Effunde acetum, evome venenũ, expurga vetus fermentum, ut vino Botri, vino pretioſi, vino ſalutaris JESU impliearis.

50. JESUS in Cruce pendens eſt *Exemplum Omnipotentiæ DEI, abſolutique ac per omnia liberi ac independentis ſuper creaturas Dominii;* quale exemplum DEus in uno Chriſto ſuo, ita edidit extremè ſummum, & ſummè extremum, ut ſimile huic in nulla alia creatura, ſed neque in omnibus ſimul unquam ediderit, editumne ſit aut etiam edere poſſit. Hoc facilè agnoſcet fatebiturq́;, quisquis Chriſti Domini dignitatem excellentiamque talem ac tantam fuiſſe ac eſſe cognoverit, quanta in nulla creatura, neq́; in omnibus ſimul, fuerit, ſit, eſſe poſſit. Summa dignitas eſt in Angelis & præcipuè in Seraphinis, Sanctis, ea tamen dignitati Chriſti nequit omnino comparari. quod probat Apoſtolus ex eo, quia DEus nulli unquam dixit angelorum, quod Chriſto dixit, *Filius meus es tu.* Et cùm iterum introduceret Primogenitũ (nempe Chriſtum) in orbem terræ dixit: *Et adorent eum omnes Angeli* DEI. *In ſemore Chriſti* Ioannes ſcriptum vidit, *Rex Regum & Dominus dominantium,* per quod indicatum eſt, naturaliter Chriſto Domino competere ac deberi, omne imperium, omne regnum, omne dominium, omnem poteſtatem, & quidem æternam, illimitatam, cujus non ſit finis. Accedit, quod Chriſto & debebatur omnis ſanctitas, ſapientia, innocentia, auctoritas, immunitas, libertas hiſque ſimilia, veluti poteſtas ſummi Pontificis ac Sacerdotis, ſummi Legislatoris, ſummi Magiſtri & Doctoris & Paſtoris, ſupremi quoq́; judicis ac remuneratoris, denique ſummi Arbitri ſuper vitam, mortem, conſervationem annihilationemq́; omnis rei creatæ, ita ut ei nemo reſtiterit, nemo ejus conſiliarius fuerit, nemo quidquam ſine illo bonum fecerit, nemo aliquid non ejus, & non ab eo habuerit, poſſederitve. Neque verò ſolùm iſta debebantur illi, ſed verò etiam abſolutè & naturâ & plenè inerant, imò ipſe revera erat hæc omnia & fons & Oceanus horum omnium utpote perſonaliter DEus & ſubſtantivè DEus-Homo. Iam autem videat quisquis fidelis eſt, qualiter hunc DEum-Hominem, ſibiq́; in Deitate conſubſtantialem Pater æternus DEus, ita licet dignum, ſanctum Dominatorem ac Dominum, Regemque omnium, arbitrio poteſtatis ſuæ tractaverit? Ducat te ô Chriſtiane, fides ſuper omnia & ſingula vitæ Chriſti uſq́; ad mortem ſepulturamque illius myſteria. Ecquid in omnibus his reperies, præter immanem abſolutiſſimi Dominii Divini imaginem. Unde namq́; venit Filio DEi Hominem fieri, carnem induere, de paupercula Virgine, unius Fabri Sponſa concipi, non evitata etiam adulterini & illigitimi ortûs ſuſpicione? Quis eidem Filio DEi deſignavit ſtabulum ad naſcendum, pannos ad involvendum, præſepe ad reclinandum, ubera ad nutriendum, nocturnam fugam ad

ſugam ad evadendum exilium ad latendum? Quis fecit, ut is qui fecit mundum non reciperetur à mundo veniens in mundum? quis fecit ut omnium Dominus *non haberet locum ad reclinandum caput ſuum?* Quis eum circumcidi tanquam peccatorem, baptiſmo pœnitentiæ ablui tanquam pœnitentem, à Diabolo tentari, atq; etiam manibus circumferri ejuſdem tanquam familiarem atque ſubjectum: quis Illum inſanum, arreptitium, dæmoniacum, dæmonis ope laborantem, blaſphemum, ſeductorem, ſeditioſis & homicidis, & latronibus deteriorem, virgarum & flagrorum pabulū, ſpineum, arundineum, conſputatum Regem, mortis reum, crucis patibulo deſtinatum, affixum, interfectum eſſe voluit, juſſit, fecit? Minimum eſt in hoc toto, negotio quòd invidia quòd ſævities, quòd odium quòd doloſa improbitàs, aut rabies impiorum hoſtium valuit; ſed *qui poſuit in eo iniquitates omnium noſtrum* Pater atque Dominus, *qui propter ſcelus populi ſui percuſſit eum DEus, qui denique mandatum dedit ei Pater ſuus,* ut traderet in mortem dilectam animam ſuam, atq; ut *fieret obediens usq; ad mortem, mortem autem crucis.* Ille, ille eſt, qui fecit qui præcepit, qui requiſivit ab eo hæc omnia, dicente etiam ipſo: *Sicut mandatum dedit mihi Pater ſic facio*, hæc patior, ita exinanior, ſic ad extremum & in mortem & in ſepulchrum & ad inferna deſcendo. Hæc ergo hæc tanta, hæc omni indignitate indigniora, omni horrore magìs horrenda, omni amaritie magìs amara, omni ſævitie magis ſæva, in Unigenitum DEi in *Conſubſtantialem Patri Filium in DEum de DEo induxit* atque congregavit, unus Dominator atq; Dominus cui ſubeſt, cùm voluerit, omnia poſſe. O? quid erunt omnia humana, omnia creata, omnia ex nihilo condita, ſummo & abſoluto univerſorum poſſeſſori Autori Domino ſi coràm ipſo Filius ejus proprius eſt quaſi *vermis & non homo*, eſt abjectio mera, eſt, quaſi non eſſet, quaſi inane, quaſi nihilum. Quid tu ſuperbis homo? quid te extollis terra & cinis? quid inflaris bulla? Non agnoſcis te eſſe vermiculum reptantem pedi contrituro paratum? Non agnoſcis te flammulam tenuis igniculi leviſſimo flatu diſſipandam? Non agnoſcis te atomum, cujus nulla pars, nulla ſubſtantia, nulla exiſtentia? Non agnoſcis te plumam omni levitate leviorem. O folium *quod à vento rapitur!* ô gutta *roris antelucani!* ô fœnum quod hodie creſcit, & cras *in clibanum mittitur.* O *vapor ad modicum parens!* O *univerſa vanitas.* O *vanitas vanitatum*, ô *nihilum ex nihilo miſerabilius*, deteriuſque mēdacium atque malum. Tu ergo ô homo, A ô putredo, ô fames, non timebis DEum, non pavebis *à facie poteſtatis ejus*, non contremiſces à magnitudine Majeſtatis ejus? Diſce à Chriſto, diſce à Dominantium Domino, diſce ab Unigenito DEi & eodem vero, abſolutoque omnium hærede Rege ac DEo; (diſce inquam) *terra*, putredo, & *vermis* ſubdi poteſtati, ſubdi Domino, ſubdi ordinationi Divinæ. & intellige, quia DEo licitum eſt per omnia facere quodcunque vult, non ſolùm de te, ſed etiam de omnibus creaturis. Intellige, quòd durum tibi ſit nimis contrà ſtimulum calcitrare. Intellige, quòd ſicut impoſſibile tibi eſt in rerum natura eſſe, & tamen creaturam & ſervum mancipiumque creatòris non eſſe, ita im- B poſſibile eſt etiam voluntati & Dominio & Imperio ejuſdem non ſubdi, nec ad obſequendum ejus poteſtati atque ordinationi omnimodis obligari.

51. JESUS in Cruce pendens eſt *Amicus tam fidelis & verus*, quàm rarus & pretioſus. Homo natura cùm ſit animal ſociale, idem quoq; amico indiget, quem niſi habeat ſocialem vitam, vivere non poteſt. Quis enim aut velit aut poſſit ſociari ei, quem de inimico erga ſe animo vel certum vel ſaltem ſuſpectum habet; certè neque propinquis neque fratribus, neque ipſis parentibus ſe ſuaque quis committit, ſi minus ſibi probè addictos exiſtimat. per magni ergo vitæ humanæ intereſt, amicum habere. At- C qui ea fuit humana calamitas, & quidem ab ipſo generis ejus exordio, ut inimicis caruerit nunquam, amicis autem eſto habitis aliquando, tamen conſtanter eos neutiquam retinuit. vix creatus homo in magna erat felicitate & ecce mox inimicus ei factus diabolus, homicida, impoſtor & mendax fuit ab initio, invidiàque illius mors inducta eſt in propaginem humanam. Ejuſdem diaboli fraude miſer homo actus in culpam, atque legis Divinæ transgreſſionem, illicò inimicum ſentit DEum atque ultorem ſimulq; omnes prorſus creaturas, initio ab Angelis Sanctis ducto, aduſque minimam rem creatam. ſiquidem omnis creatura armata eſt contrà hominem prò DEo in vindictam, & univerſus orbis terrarum D pugnavit pro illo contra impium, transfugam & rebellem, Quid hic faceret miſer & miſerabilis, planeque perditus homo, tantis ubique, undique, & omni

Digitized by Google

tempore ſtipatus inimicis: & quidem ſine ſpe ſine modo ſine odii ac hoſtilitatis ſine infeſtis vindictæque cupidis. Vnus hoſtis ad amaram, periculoſam, gravem, exoſamq; vitam reddendam ſufficit: A qualis vita poterat eſſe homini innumeris omniſque generis perſecutoribus, quà jure, quà injuria ſævire avidis circumdato? Non erat in cœlo, non in terra non ſub terra unus, qui amicum, qui patronum, qui conciliatorem, qui ſequeſtrum, multò minùs ſatisfactorē pro homine ſe præſtant. Perdita ergo atque omnino deſperata etiam cauſa hominis fuit. *Ecce verò miſeros & miſerator Dominus*, ipſiusque miſericordiæ Filius DEus Homo Chriſtus JESUS profeſſus eſt toti cælo, toti terræ, toti univerſo amicum, patronum, reconciliatorem, pacis mediatorem, ipſamq; pacem & eſſe & fore ſe homini. Neque tantùm verbo profeſſus eſt, verùm etiam re ipſâ, pluſ- B quam reali ac efficaci, quod profeſſus eſt, præſtitit. O quâ id mente expendes, quâ librâ examinabis, quo judicio diſcernes, quo pretio æſtimabis, qua gratitudine rependes, qua prædicatione confiteberis, qua dilectione redamabis, hoc quod amicus iſte tuus (ô homo) pro te fecit, perfecitq;. Attolle oculos & JESUM in cruce pendentem vide, circumſpice, agnoſce, conſidera. Hic eſt verè liber non tantùm de amicitia ſed ipſâ amicitiâ exaratus, atque compoſitus. Recenſe merita & opera hujus amici: recenſe quoque merita & opera, quibus tibi hunc amicum paráſti. Nunquid vilitate viliorem, nunquid hoſtem, proditorem, transfugam, rebellem, inimicum, C & inimici amicum, ingratum, impium, inutilem, exoſum fuiſſe atque ſeſe feciſſe & pro tali ſemper geſſiſſe, nunquid (inquam) hoc fuit ad amorem, ad amicitiam, ad omnem benevolentiam provocâſſe Dominum JESUM? Et tamen cùm adhuc indigni, ſceleſti ingrati, nullius frugis aut uſûs aut meriti eſſemus, imo cùm per omnia odioſi & odientes, iram & vindictam ſceleribus provocantes, irriſores & irritatores, inſuper (quod in nobis erat) DEi perſecutores, proſcriptores ac verè DEicidæ eſſemus; ideoque naturâ Filii iræ & perditionis æternæ pabulum eſſemus, tunc reconciliati, tunc amici, tunc filii, tunc *heredes DEi facti ſumus*, & per Filium quidem DEi, Dominum ſcilicet IESUM facti: D facti per univerſam Incarnationis, exinanitionis, Paſſionis, dolorum, ærumnarū, abjectionum, vulnerum ſanguinis, effuſionum, crucis denique mortem. Quis audivit, quis ſpectavit, quis cogitavit, quis ſperavit, quis expertus eſt amicum ejuſcemodi? Unus talis fuit & eſt DEus-Homo JESUS & ſecundum ſimilem non habet. Verumtamen recogitate homines, quales vos eſtis amici hujus admirandi & nunquam exæquandi in amore amicitiaque amici? Et quid aliud amicus iſte vel deſiderat vel meretur vel exigit, vel exſpectat à vobis ô Homines, niſi ut ametur? Amicos ſuos eſſe vos vult, atq; tam portentoſè magnâ, mirâ, profuſâ, ſumptuoſâ, conſtanti & incompenſabili, & nimiâ amicitiâ in nos ſuâ vult. Et nunquid voti ſui tum juſti cōpos redditur ab omnibus, redditur à multis, redditur vel ab uno? Et quænam eſt enormis, quæ abſurda, quæ indigna, quæ monſtroſa, quæ mille infernis digna ingratitudo, ſi hæc noſtra (ô homines ſinguli & omnes) in talem amicum ipſâ ingratitudine magis ingrata digna non eſt ingratitudo?

§2. JESUS in Cruce pendens *Sponſus eſt.* & ſponſus quidem *ſanguinum.* factus ideò, ut acquireret ſibi Sponſam Eccleſiam, ac ſimul omnem noſtram Animam exhiberetque illam *non habentem rugam, neq; maculam*, aut aliquid hujuſmodi. Propter quod in omni deſponſationis ſuæ apparatu atque feſtivitate, nonniſi ſanguineus, nonniſi ſanguinibus ornatus comparuit, ut nonniſi in ſanguine & per ſanguinem & ſanguine ejus fieret deſponſatio. Vide illum conceptum ac natum, ecce *Verbum Caro factum eſt.* & ſanguinem induit, per eumque conſanguineus factus eſt. Nam quia pueri communicaverunt Carni & ſanguini, ideò & ipſe horum particeps factus iiſdem cōmunicavit. Quid verò ſibi vult ejus circumciſio, quid ſudor ſanguineus in agonia, quid enormis ad columnam flagellatio, quid purpureum veſtimentum, quid ſpineum in capite defixum diadema? quid clavi, manus pedeſq; perforantes, quid cruenta in cruce mors, quid denique etiam poſt mortem, de vulnerato corde ac latere ſanguinis profuſio? niſi Sponſum & quidem ſanguinum ſpōſum eſt in oculis amatæ ſponſæ exhibitio commendans, & commendatio exhibens? Itaque alii ſponſi amores ſuos ſponſabus ſuis aliis & aliis pignoribus, aliis aliiſve characteribus commendant. JESUS autem noſter ſanguineis veſtibus, ſanguineis muneribus, ſanguineis vulneribus, ſanguineis profluviis, ſanguineis dotibus, ſanguineis ſponſalitiis,

Digitized by Google

ſanguinea fide, ſanguineo & ſanguine firmato ſigillatoq; contractu ſuæ dilectæ ſe ſponſæ exhibet, offert, donat, maritat. Nullum omnino pignus ſponſæ tradit, niſi quod priùs vel ſanguineo pretio A vel ſanguineo merito vel ſanguineo ſapore condivit, ornavit, ditavit. Quid multa? permiſcuit etiam porrexitq; illi poculum ſanguinis, hoc eſt *calicem ſalutaris*, quo nimirum ad ſobriiſſimam ebrietatem ardentiſſimæ ſimul & conſtantiſſimæ dilectionis ſibi deſpondeatur, æternæque charitatis fide adglutinetur. Et quidni adglutinetur ſponſo tam ſibi ſimili, tam ſuâ causâ miſerabili, tam omni ex parte amanti & amabili. Nonne eſt tibi ô ſponſa ſimilis ſponſus tuus qui cùm videret te volutatam volutantemque in ſanguine audiretque te clamantem, *libera me de ſanguinibus*, factus eſt & ipſe ſanguineus, communicavitq; ſanguini tuo, nec aliud tibi abluendæ & B emundandæ, niſi proprii ſanguinis balneum apparavit. Nonne etiam tibi ô Sponſa mirabilis eſt ſponſus tuus, qui factus eſt tuâ causâ totus laniatus totus ſaucius, totus cruentus, totus miſer, totus miſerabilis, ita tamen ut non aliunde eſſet talis, niſi quod eſſet miſericors & miſerator & miſericordia. Et nonne etiam tibi ô Sponſa, amans & amabilis eſt ſponſus tuus, qui te non verbo tantùm aut lingua, ſed etiam opere & veritate, & vulnere & ſanguine & dolore & morte, denique nimiâ charitate amavit, & tam te ſibi, quàm ſeſe tibi amabilem reddidit. Atque utinam te ſui reddat amantem, perinde ac ſeſe tibi præſtitit Amatorem. Sed utinam tu, quæ C es quidem ſponſa debito ac obligatione, non potius ſis & inveniaris adultera ſcelere & ingratitudine. Eheu quantis divortiis repudiatur à ſponſis ſuis JESUS ſponſus noſter. Deſpondemur Chriſto dum baptizamur, dum in Sacramento pœnitentiæ reconciliamur, dum corpore & ſanguine illius paſcimur, dum gratiæ illius dote annuloque ſubarrhamur, dum filiorum adoptionem ſortimur: ſed enim libellum repudii toties totieſque eidem obtrudimus, quoties ad adulteria dæmonum convolamus. Quid facimus nos ſuperbi, nos raptores, nos impudici, nos ebrioſi, nos homicidæ nos mendaces, nos perjuri, nos blaſphemi, nos infideles, nos nullo non genere modoque D ſceleſti, quid inquam talia agentes aliud patramus, niſi adulteria adulteriis cumulamus & Sponſum Chriſtum adultero diabolo poſthabemus. At non ſic paſſus in cruce fixus JESUS, ſed poſt omnia adulteria ſponſæ ſuæ, inclamat nihilominus cuilibet earum. *Revertere aversatrix, & non avertam faciem meam à te* Hier: 3. 12.
quia Sanctus (Sponſus) *ego ſum & non iraſcar in perpetuum. Deleri* (in ſanguine meo) *ut nubem iniquitates tuas & quaſi nebulam peccata tua. revertere* (ergo) *ad me quoniam redemi te.* Vulgò dicitur. *Si dimiſerit vir uxorem ſuam, & recedens ab eo duxerit virum alterum, numquid revertetur ad eam ultra? &c.* Iſaia 44. 22. Ierem: 3. 1.
Tu autem fornicata es cum amatoribus multis, tamen revertere ad me & ego ſuſcipiam te. O JESU animæ meæ ſponſe, infunde cordi meo amorem tui fidelem, caſtum, fortem, etiā ſanguineū: ut amem te, ſequar te ſerviā tibi uſque ad defatigationem uſque ad defectionem, uſque ad ſanguinem, uſq; ad mortem. Delectet me Domine JESU dulcis ſponſæ ſanguis tuus, dulceſcat mihi dolor tuus, adſtringant me Tibi, crucique tuæ clavi tui. Eſto mihi & placeas mihi Sponſus ſanguinum, tribulationum, perſecutionum, injuriarum, infamiarum, maledictorum, irriſionum & omnium dignationum tuarum. Non te libentius amplectar & obtineam ſpōſam olim in veſte gloriæ tuæ, quàm modò in veſte paſſionis & crucis propter me tuæ & propter te meæ.

53. JESUS In Cruce pendens, *Panoplia ſive omnis armatura fortium eſt.* Manifeſtum eſt homine nihil eſſe inermius, eſto nihil ſit eodem ab adverſariis adverſitatibuſq; cinctius. Natura Mater viliſſimis quibuſque fœtibus ſuis facit magìs, providitq; de omnibus quàm Homini, quem ſolum projicere & abjicere videtur à partu neglectum quàm maximè: infinita non recenſeamus neceſſitatum hominis genera, ſola adverſa, ſola diſcrimina, ſola hoſtilia nihil omnino habent in homine, quo repellantur. Culex naſcitur & mox totus ſufficiens eſt ſibi, voce, aculeo, proboſcide, pedibus roſtratis proviſus & munitus eſt, homo ſolus ad nihil ſibi utilis, ad nihil validus, ad nihil tutus eſt. Ac ut iſta naturæ in homine egeſtas in ſilentio ſit, in bonis, in ſubſidiis, in munimentis armiſq; gratiæ, quid illo deſertiùs, egentiùs, nudiùs? cùm tamen nihil in eodem ſit in hoc genere ab omnibus adverſis, adverſariiſque, ab omnibus hoſtilitatibus impetitionibuſq;, ab omnibus periculis & extremam quamque perniciem ſecum trahentibus diſcriminibus cinctum, cumulatum, infeſtumque magìs. Militia, tētatio, colluctatio eſt vita hominis ſuper

terram, neque unquam vel ad momentum inducias facere licet. Eſt nobis colluctatio *adverſùs carnem & ſanguinem*, eſt nobis certamen adversùs mundum hunc & *ſecularia deſideria*, quæ militant adversùs animam, eſt nobis pugna adversùs principatus & poteſtates, adversùs mundi rectores, adversùs ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus, adversùs Angelum ſathanæ & reliquos Angelos ejus, qui habent iram magnam & implacabilem cōtra nos, qui ad ſubvertendos nos *transfigurant ſe in Angelos lucis*. Eſt nobis pugna adversùs circumſtans nos undique peccatum. Eſt nobis pugna adversùm ipſos nos, adversùs *facta & opera carnis*, adversùs deſideria nociva, adversùs ipſum amorem noſtrum proprium, adversùs *concupiſcentiam carnis, concupiſcentiam oculorum, & adverſùs ſuperbiam vitæ*. Denique quot creaturæ, tot hoſtes, quot momenta vitæ, tot pugnæ, quot commotiones tot diſcrimina, *foris pugnæ intus timores*, foris lapſus, intus cæcitates, foris infirmitas, intus peccata, ad extremum *æſtimati ſumus omnes velut oves occiſionis, velut grex ad victimam, velut filii mortis, velut ii quibus non eſt auxilium in ſemetipſis*. Quidquid pertinet ad imbecillitatem, totum ſumus, quidquid pertinet ad perniciem, in eo ſumus, quidquid pertinet ad inermem nuditatem & deſpoliationem, in hoc omni abſolutè & irremediabiliter ſumus, atque defixi hæremus. Quæ igitur erit nobis virtus, quæ ſpes, quis auxiliator, in quo faciamus virtutem, in quo frangamus virtutem inimicorum noſtrorum, dirumpamus vincula eorum, & projiciamus à noſtris jugum ipſorum. Attolle oculos animæ & eos in pendentem de cruce JESUM conjice ac defige. Ibi eſt, imò ipſe eſt *fortiſſimus armatorum*, ipſe eſt *fortiſſimus David*, tenerrimus ligni vermiculus, qui ſexcentos, imò qui univerſos hoſtes interfecit impetu uno. ipſe eſt fortiſsimus *Samſon*, qui in *Aſini mandibula millia Philiſtæorum delevit*, ipſe eſt cui nomen *vincens, accelera, ſpolia detrahe, feſtina, prædare*, Ipſe eſt *in cujus manibus cornua* in quibus *abſcondita eſt fortitudo ejus*, unde & ante faciem ejus victa & vincta ibit mors, Diabolus quoq; egredietur cōfuſus & abjectus ante pedes ejus. Ipſe eſt qui forti armato, & in pace omnia ſua poſſidenti fortior ſupervenit, & arma atque vaſa ejus in quibus confidebat, omnia abſtulit & diviſit, ipſum autem alligavit & ſuperbiam ejus humiliavit. Iam ergo deinceps ô Homo, ne timeas tibi vel à nuditate tua, vel ab infirmitatibus tuis, vel ab hoſtibus tuis, iſta enim omnia, ſi unicum JESUM crucifixum habeas, ſub pedibus tuis ſunt. Minetur tibi hoſtis nuditatem, ne timeas. JE-
A SUS enim ſpoliatus eſt, ut te induat veſtimentis ſuis, imò habet veſtes mutatorias, nam & albâ veſtitus, & purpurâ indutus eſt. Minetur hoſtis vincula, flagella, ſpinas, clavos, lanceas, gladios, fuſtes, cruces, ne metue, hebetata & mollita ſunt hæc omnia in corpore JESU paſſi, quem ſi indueris, non dolorem ſed decorem tibi conferent. Minetur aut infeſtet te avaritia & omnis peccati radix cupiditas, nudiſſima JESU paupertas, & omnium mundialium bonorum neglectus ditiſſimum te faciet. Invadat te bonorum ambitio, aut abjectionis apud homines timor ſeu dolor. JESUS in patibulo inter latrones pendens, ſaturatus opprobriis contumeliis repletus,
B convitiis calumniiſq; onuſtus, illuſionibus & lædoriis inſultationibusq; & omni demum injuriarum patientiâ ſaginatus, faciet te cælis, terris, inferis honoratiſſimum. Premat te fames, ſitis, morbus, ſterilitas, recurre ad JESUM, ipſe tibi eſt panis vitæ compactus in virginali utero, coctus igne doloroſæ charitatis in crucis clibano. & *calix ejus inebrians, quàm præclarus eſt!* Dicat tibi ſuperbia. ego regnabo: dicat luxuria, ego Rex ero, dicat iracundia, meum eſt regnum, dicat invidentia. ego dominabor, dicat acedia, meum eſt dominium, tu reſponde. Nolo iſtos dominari mihi ſed meus Dominus atque Rex eſt DEus meus & Dominus meus JESUS Chriſtus, cu-
C jus humilitate fungor, cujus puritate mūdor, cujus mititate manſueſco, cujus benignitate benignus ſum, cujus charitate ferveſco. Omnis furor hoſtilis, inſtar futilis glaciei frangetur, ubi fuerit ad crucifixi JESU arma deventum, ubi fuerit illuſus hiſce paſſi JESU munimentis. Neque verò tantum arma defenſiva ſunt in Chriſto paſſo; ſunt etiam offenſiva, & quidem arma potentia DEo. Impetrate iis quidlibet à DEo Patre, orationem Chriſti aſſume. Peccatorum veniam obtinere deſideras, ſatisfactiones & merita Chriſti exhibe. Senſus & caro rebellis damnanda eſt, flagella, ſpinas, clavos, crucem Domini exere & infige. Gaſtrimargiæ ingluvies infeſtat te, ſagina illam aceto, felle, myr-
D rha, ſiti, fame Chriſti. Quid multa? vis petras & rupes obduratorum in ſceleribus cordium emollire aut ſcindere? vis aperire ſepulchra, & mortuos poten-

teſque exinde vivos producere? vis irã DEI ſuper mundi peccata ſtillantem cohibere? JESUM paſſum in cruce Patri oſtenta, & vocem orantis pro crucifixoribus ingemina. Cœlos expurgabis, ſi cum bono latrone, memento, memento mei Domine inclamaveris. MARIAM ipſam in Matrem obtinebis, filiumq́; te illi reddes, ſi ab ore pendentis de cruce JESU, Ecce Mater tua, ecce Filius tuus: exceperis. Ita JESUS in cruce erit tibi, imò ſit tibi *Turris fortiſsima* cum propugnaculis, mille & mille clypei pendent ex ea, & non eſt in fortibus, quis ſimilis ſit illi. Davidem quidem arma Saulis indutum gravabant, & impediebant: at JESUS crucifixus omni competit ætati armandæ, neque ulla ætas gravatur illi annis.

54. JESUS in Cruce pendens eſt *Ars moriendi ſanctè &c.* Ars omnium artium difficillima, & omnibus tam neceſſariò ſcienda quàm & neceſſariò ab omnibus dato ſpecimine tandem tandem profitenda, eſt ars moriendi. In qua ediſcenda eſt conſummata ſapientia, ſi maturè ac tempeſtive, ſi perpetuò, ſi à doctis peritiſq́; ejus artis magiſtris ediſcatur. In hac enim arte ipſo opere profitenda errare bis non datur. Docet autem, (heu quàm frequentata) experientia, quanta ſit malè morientium clades, nec aliunde, quàm quia malos moriendi magiſtros, habuêre, bonos autem ſortiri, vel neglexêre vel contempsêre, vel neſcivêre vel etiam non potuêre. Sunt enim quidam qui coguntur ſpecimen artis moriendi edere, priùsquàm ejus ediſcendæ ſpatium habuerunt, quod videmus in infantibus puerisq́; teneris evenire. quibuſdam ſpatium quidem ediſcendi majus aut minus datur, ut iis, qui aliquantò annis maturiores ſinuntur eſſe, ut interea mori bene addiſcant. Et talium ſunt varia genera. Aliqui enim facillimam, adeòque nec aliquantâ curâ dignam putant artem moriendi procurare, profiteri, uti ſunt Athei; aliterve deſperati, qui in profundum ſcelerum prolapſi, ad futurum poſt mortem ſtatutum nihil attendunt, ſed ſuam cùm jumentis ſortem ac mortem eandem putant. Aliqui artem hanc tunc diſcere volunt, quando jam elapſò cum vita diſcendi tempore, non diſcendi, ſed ipſum mortis obeundæ ſpecimen edendum eſt, quo tempore impoſſibile moraliter eſt, in eo ſpecimine non aberrare. Aliqui porrò ſive conſilio ſive temeritate aliter ediſcere mori volunt, aliter autem ipſum mori expedire ſeu optant ſeu ſperant, tales illi ſunt, qui vitam, quàm duxerunt malam, bonâ morte nihilominus finire volunt. quæ affectatio, eſt ſtultitiæ conſummatio, A errorque tam horribilis quàm incorrigibilis. Advertendum vero, quod cùm ſit ars moriendi quædam, ars autem indigeat magiſtrò, qui eam diſcentibus tradat, multiplices ſunt & varii artis moriendi Doctores. Primus ſicut inventor mortis, ita & moriendi artis magiſter fuit atque etiamnum eſt diabolus, cujus ſubſtituti ſunt alii ut mundus & caro, amor proprius, voluntas propria, omnes enim iſti, magiſtri ſunt artis malè moriendi; iidemque ſunt Doctores ad malam mortem. è contra vero alter mortis bonæ magiſter eſt, Dominus noſter JESUS Chriſtus. qui quoniam ad hoc potiſſimum venit in mundum, ut diſſolvat opera diaboli, quæ ſunt, unum B quidem peccatum; aliud autem mors, idcirco partim vivendo partim moriendo ſecundùm carnem, docuit artem tam vivendi, quàm moriendi, tum dicto ſeu ſermone, tum exemplo ſive opere, atq; ita & vitam noſtram vivendo inſtruxit, & mortem moriendo deſtruxit ſalutemque æternam nobis reſurgendo reparavit. Hic jam omnibus ad vitam ſalutemque æternam natis, ſed ad eam nonniſi per mortis januam perventuris incumbit omninò & neceſſariò, mortem ſibi talem, mortiſq́; modum ſive artem deligere, & in praxi, reque ipſa illam ſubire, quæ illum certò deducat & inducat in vitam æternam. hæc autem neceſſario eſt eſſeque debet mors bona. Quo poſito, omnibus etiam incumbit omnino C ac neceſſario talem ſibi moriendi magiſtrum deligere & adſciſcere, à quo doceatur & ediſcat artem moriendi bonam & bene; cujuſmodi artem, cùm nemo præter Dominum noſtrum JESUM docuerit, doceat, docereque poſſit; à diabolo autem & ab ejus ſodalibus jam nominatis, nullo modo talis vel moriendi ars vel ipſa mors ſperanda ſit; manifeſtum eſt Chriſtum, & ejus doctrinam, vivendique ac moriendi artem & mortis ideam deligendam eſſe ab omnibus, ejuſque exemplar ſemper ab oculos propoſitum habendum. Quare juxta ſanum conſilium oportet nos omnes perenni ſtudiò adhærere Chriſto, & ejus tam vitæ quàm mortis exemplar perpe- D tuò defixis oculis mentis intueri, atque artem tam vivendi quàm moriendi (ſanctè & bene) ex ea eidem noſtræ menti inſculpere, & illam re ipsâ prototypo

Digitized by Google

quàm ſimillimam exprimendo ad unguem reddere. In eo enim ſolo ſumma artis moriendi bene conſtituta eſt, ut noſtra tam vita quàm mors à Chriſti Domini tam vitæ quàm mortis exemplari nihil penitus deviet, ſed vita Chriſti, vita noſtra ſit; & mors Chriſti, mors noſtra ſit. *exemplum enim dedit nobis* tam vivendo quàm moriendo, ut quemadmodum ille fecit, & nos ſimiliter vivendo moriendoque faciamus. Ad hoc autem ſtabiliter in mente collocandum, certiſſimum eſſe omni menti debet, quòd quēadmodum non poteſt malè mori quisquis bene vixit; ita quoque non poteſt malè vivere, quisquis ſicut vixit Chriſtus ita vixerit, & quisquis ſicut mortuus eſt Chriſtus, ita mortuus fuerit. Hiſce annotatis expedit breviter ſaltem vitæ ac mortis Domini noſtri JESU Chriſti conditiones diſpicere. Et vitæ quidem Chriſti conditiones inter alias fuêre iſtæ. 1. Quòd à primo conceptionis ſuæ inſtanti ad DEum fuerit pleniſſimè converſus & uſque ad finem vitæ ab hac cōverſione, ne ad unicum momentum defecerit. 2. Quod vita ejus fuerit per omnia innocentiſſima, & à curis ſeculi non tantùm malis, ſed etiam à licitis aliàs remotiſſima. 3. Quod fuerit vità Chriſti ordinatiſſima & per horas ac momenta digeſta, propterea ſæpe dicebat Dominus: nondum venit hora mea. Tempus meum nondum advenit. Pater venit hora. Propterea veni in horá hanc. 4. Quòd fuerit vita Chriſti ſecuriſſima & tutiſſima, quia ſcilicet fuit humillima, pauperrima, laborioſiſſima: difficile enim eſt & bene & ſanctè vivere, & vitæ genus perplexum periculoſumque ſectari. 5. Quòd vita Chriſti fuerit aliis proficua: DEo nempe & proximo, imò & ipſi Chriſto. DEo quidem, quia gloriam ejus perpetuò procurabat, & propagabat. proximo autem, quia verbo, exemplo omnes viam vitæ inſtruebat, & Eccleſiam ſuam, hoc eſt bene pieque vivendi ſcholam fundabat, magiſtramq; erudiebat. Ipſi denique Chriſto, quia gloriam Salvatoris ac Redemptoris, gloriam quoq; corporis & exaltationem ſui nominis merebatur, unde dicebat. Oportebat pati Chriſtum & ita intrare in gloriam ſuam. 6. Quòd vita Chriſti fuerit prudentiſſima & providentiſſima, nullam enim occaſionem gloriam DEi promovendi, homines ad meliora promovendi & de commodis illorum bene merendi prætermiſit. Omnium etiam operum ſuorum director accuratiſſimus, ſciebat ſemper, quid eſſet facturus ipſe, & quid lateret in penitiſſimis hominum cordibus & de integritate vitæ morumque ſuorum certus confidenter æmulis A ſuis dicebat. Quis ex vobis arguet me de peccato? 7. Quòd fuerit vita Chriſti pleniſſima, non tantùm quia præcepta implebat, nec enim venerat ſolvere legem ſed adimplere atque conſummatum facere ſed quia etiam ad ea ad quæ obligatus non erat exactè perficiebat, ùt erat in ſtabulo naſci; circumcidi, legaliter offerri ac redimi, *à Ioanne baptizari, didragma ſolvere.* 8. Quòd fuerit vita Chriſti conſummatiſſima & perſeverantiſſima, quem enim vitæ ſemel aſſumpſit tenorem, eum uſque ad mortis articulum tenuit ac ſervavit dicens ad extremum: *Conſummatum eſt.* 9. Quòd fuerit vita Chriſti perpetua mortis ſuæ memoratio, & præmeditatio. Semper enim baptiſmo B habebat & cupiebat baptizari, ſemper coarctabatur, donec perficeretur, ſemper ſui templi hoc eſt corporis ſolutionem in mente habuit, ſemper de exceſſu quem eſſet in Ieruſalem completurus, cogitabat ſemper, quòd animam ſuam pro ovibus ſuis eſſet, poſiturus, quòd à terra per crucem eſſet exaltandus prædicabat & prædicabat, dans exemplum in eo nobis, quòd optima ſit moriendi bene ars, ſemper mortem ſuam, potiſſimùm verò ipſius Chriſti ob oculos mentis habere, vix enim poſſibile eſt, ut quis mortem ſuam, & maximè ſimul Chriſti cogitet & cupiat, & tamen improbè vivat, aut malè moriatur. Ea propter omiſſis aliis vitæ Domini noſtri conditionibus laude ac C imitatione digniſſimis jam mortis ejuſdem, conditiones pervideamus. 1. earum ſit, quòd fuerit per totam vitam præviſa, præparatu, præoptatu: uti proximè dixi. 2. Quòd fuerit à Domino mors cum omnibus ſuis circumſtantiis doloroſiſſimis tolerata, animoſiſſimè, fortiſſimè, conſtantiſſimè, propoſito inſuper ſibi gaudio & confuſione contemptâ. Etſi enim Dominus, nullos morbos habuit morti prævios, habuit tamē ab extra inflictos duriſſimos & plurimos ſimul cruciatus, propter quod vir dolorum vocatꝰ eſt, & non fuiſſe dolor, ſicut dolor ejꝰ.

3. Quòd fuerit Domini noſtri mors ex omni parte innocentiſſima; tum quia illam nulla vitæ ſuæ culpa promeruit, *peccatum enim non fecit, nec inventus eſt dolus* D *in ore ejus*: tum quia in ipſa morte & in doloribus ejus nihil omnino contra quēquam etiam hoſtium deliquit: tum denique, quia ipſam mortem ſalutarem omnibus,

mnibus, imò ſalutem & vitam omnium fecit, ita ut vitam ſuam profuderit pro eorum ipſorum vita, quorum eam crudelitate profudit. 4. Quòd fuerit mors Domini noſtri conſummatis omnibus, quæcunque erant ab eo ad perficiendum accepta: ideò ex omni parte juſté vereque affirmavit moriens. *Conſummatum eſt.* ſicut & ante mortem dixerat Patri. *Opus conſummavi quod dediſti mihi ut facerem.* nimirū *ne jota quidem aut apex unus remanſit incompletus.* Talis conditio mortis in nullo mortalium fuit, aut vix fuit, ſcriptum eſt enim *cùm conſummaverit homo, tunc incipit.* Unde & Paulus Apoſtolus, etiamſi dicebat de ſe *curſum conſummavi, fidem ſervavi,* idē tamen dicebat quoq; *Ego me non arbitror comprehendiſſe, ſequor autem:* & concludebat. *Quotquot autem perfecti ſumus, hoc ſapiamus.* Solus Dominus JESUS nihil in ſua morte inchoatum, imperfectumve reliquit. Hunc nos imitari oportet, ſi ex arte mortis ſanctæ mori deſideramus. Utinam Domine JESU ſis mihi & mecum omnibus morte tua redemptis ac vivificatis & ſanctè vivendi magiſter, & perſeverandi patienter, Doctor, & feliciter atque bene moriendi exemplar.

55. JESUS in Cruce pendens *Peccati mei fructus eſt.* Peccatum ſpectari poteſt in generali, & in particulari, pariterq; malitia ejus utroque modo ſpectari poteſt. De malitia peccati in genere, illud univerſim dici poteſt, atque ſciri debet, quòd tanta ſit, ut infinitam DEi Omnipotentiam exſuperet. Cùm enim juxta condignum & ad juſtitiæ adæquationem infinitè puniri mereatur, non tamen poſſit à DEo infinité ſimpliciter puniri, ſed tantùm finitè ſemper in infinitum. eſto enim pœna peccatorum in inferno æterna, ac proinde quoad durationem ſui infinita ſit: eſt tamen ſemper inferior condigno, ſeu mitior eſt & lenior, quàm malitia, indignitas peccati, peccatoriſque meretur, & quàm dignitas offenſi peccato DEi requirit & exigit. Iam de malitia peccati in particulari loquendo, ea meliùs expendi, cognoſcique non poteſt, quàm ſi ejus effectus atque fructus perſpiciatur. Dicò autem, fructus ac effectus non ille ſolùm quem cuique peccatori in ſemetipſo affert, qui vg. eſt offenſa, ira, inimicitia, vindicta DEi, deordinatio & deſædatio contrucidatio animæ, itemque ſervitus diaboli, inſuper debitum, reatuſque mortis tam temporalis quàm æternæ cū omnibus utriuſque adjunctis. Sed dico inſuper fructus & effectus, quem attulit Unigenito Filio DEi, capiti, principi, Domino, Sponſo, Patri, Regi noſtro, de quo fructu effectuque noſtri peccati, luculenter ſacra ſcriptura teſtatur. Poſuit (*Pater Æternus in eo iniquitates omnium noſtrum.* Et. *Propter ſcelus populi mei percuſſi eum.* Et. *Ipſe vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra.* Et denique *Ecce Agnus DEI, qui tollit* (omne) *peccatum mundi,* tulit autem *exinaniendo ſemetipſum, & formam habitumq; hominis & ſervi induens*, factuſque Patri redemptionis noſtræ ſalutiſque ac reconciliationis pretium exigenti cùm rigoroſa juſtitiæ ſuæ ſatisfactione, *obediens uſq; ad mortem, mortem autem crucis,* mortem ſcilicet probroſiſſimam, acerbiſſimam, per omnes omnium tum membrorum corporis quàm virium animæ quàm conditionum digniſſimæ, quia Divinæ ſeu perſonæ, quàm dolorum cruciatus exaggeratiſſimam. Si ergo vis ô Homo peccati tui fructum effectumque videre, JESUM in cruce ſuſpenſum ac mortuum pro tuo peccato aſpice, ipſe enim talis, totus eſt fructus & effectus peccati tui. Ad hunc aſpectum ipſe te, & omnes fratres tuos peccatores invitat, cùm ita clamat. *O vos omnes qui tranſitis per viam* peccatorum veſtrorum, *attendite & videte, ſi eſt dolor, ſicut dolor meus. Obſtupeſcite* Ierem. 1. *cæli ſuper hoc, & portæ ejus deſolamini vehementer.* Vides ô peccator, quià Dominus tuus JESUS ſudat ſanguinem, & ponit in pulvere os, & inter anguſtias triſtitiæ ac tædii & pavoris agonizat: iſte eſt fructus peccati tui. Vides quia innumeris plectitur injuriis, iſte eſt fructus peccati tui. Vides, quia crudeliſſimè flagellis cæditur, & proſcinditur, iſte eſt fructus peccati tui. Vides, quia probroſiſſimè ſpinis coronatur, in ludicrum & ridendum plebeculis Regem transformatur, fœdiſſimè conſpuitur, colaphiſatur, à tribunali ad tribunal violenter, raptatur, rabioſiſſimè ad crucem poſtulatur, fructus eſt iſte peccati tui. Vides, quia amariſſimè Barabbæ latroni componitur, eidemque etiam poſtponitur, fructus iſte eſt peccati tui. Vides, quia ad crucem injuſtiſſimé damnatur, voluntati hoſtium traditur, cum iniquis deputatur, ſupplicii ſui crucem bajulare cogitur, iſte eſt fructus peccati tui. Vides, quia felle & aceto & myrrhâ potatur, nudus cruci affixus cunctis ad ludibrium & omnia linguarum jacula amariſſima exponitur, fructus eſt iſte peccati tui. Vides in cruce emorientem,

animam exhalantem, in manus Patri tradentem, demumque inclinato capite mortuum. Iſte eſt fructus peccati tui. I nunc peccator, ſcelera multiplica, innova flagitia, onera te, magìs autem Filium DEi peccatis, obdura animum in nequitis, fove odia, ambitiones, invidias, inimicitias, rixas, cædes, rapinas. Volutare in turpitudinibus, adulteriis, ebrietatibus, relaxa linguam detractionibus, ſuſurriis, murmurationibus, ructa & vome blaſphemias, impietates, atheiſmos, DEi, Eccleſiæ, Religionis contemptus: perſequere bonos & pios, eſto hoſtis & debellator virtutum, ſede in cathedra peſtilentiæ, & eſto magiſter ſcelerum, corruptor juvenum, ſeminator diſſenſionum, *lapis offenſionum*, pater ſcandalorũ, patriarcha impiorum, ſocius, inſtrumentum, ſagena dæmonum. hæc eſto. Sed memineris te per innocentis JESU vulnera hæc omnia acturum, te per iſta omnia ſanguinem Redemptoris JESU profuſurum: te per hæc omnia toties quoties repetieris, mortem Domini renovaturum, iterumq; ac iterũ JESUM crucifixurum & oſtentui habiturum. Ah, pereant iſti tui fructus ô peccator, pereant in amaritudine cordis, in contritione mentis in pœnitentiæ còndignis fructibus, in charitatis ignibus, in perennantibus ſanctæ in bono perſeverantiæ ſtudiis atque operibus. O dolens pro me ſed & à me JESU, agnoſco te infelix opus manuum mearum, imbue me quæſo, & reple ſpiritu contritionis amariſſimæ, ut defleam mortem tuam, deleam culpam meam, & faciam planctum, ſicut plangi ſolet in morte primogeniti, fiant mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte &c. Deducite fontes lacrymarum oculi mei, & perveniat dolor meus cum fletu uſque ad aures Altiſſimi, veniantq; in oblivionem coram eo omnes fructus peccati mei.

56. JESUS in Cruce pendens eſt *Exemplar rigidæ juſtitiæ DEi.* Variis quidis modis DEus juſtitiæ ſeveritatiſque ſuæ rigorem in creaturas peccantes demonſtravit, ut advertere eſt in ruina Angelorum, in clade totius generis humani, ob unum peccatum, item in diluvio mundi, in perditione *Sodomorum*, in pœna *Moyſis & Aaron* ob unam hæſitationẽ: in ſupplicio *Dathan, Chore, Abyron*, quos vivos terra abſorptos ad inferos demiſit: in reprobatione *Saulis*, in caſtigatione *Davidis* in morte *Oza* Sacerdotis arcam DEI à lapſu ſuffulcientis, in *Bethſamitarum* Arcam DEi conſpicientium occiſione. Certè unicum Adami peccatum, diluvio iræ DEi vindicatum eſt, & quidem non per unam ætatem ſeculumve, neq; per unam hominum progeniem, ſed per univerſas hominum ab origine ad finem mundi per tot ſeculorum millia generationes nullo de poſteris Adæ excepto. Si tamen in lumine Divinæ fidei rem voluerimus perpendere, nuſquam & nunquam terribiliori via & exemplo iram ſuam demonſtravit DEus, quàm in JESU Chriſti Filii ſui Unigeniti paſſione ac morte. Filium enim hunc ſuum ſibi conſubſtantialem, ſibi dignitate, Majeſtate & omni perfectione parem, innocentiâ & ſanctitate ſubſtantiali gratum & ſanctum, propter aliena (hoc eſt propter viliſſimorum homunciónum, hoſtium & rebellium ſuorum, dudum prædamnatorum, nulli uſui, nullique operæ ſibi, nihil boni meritorum, omnia contra pœnæ mala promeritorum, ingratiſſimorum, dæmonum poteſtati & ſervitio mancipatorũ, infernalis ignis pabulorum, æternis ſuppliciis addictorum, omnis generis nequitiæ & improbitatis reorum) propter alienà (inquam) peccata pati, excarnificari, interfici, morique, non ſolùm permiſit, ſed etiam mandato adegit, impoſitóque præcepto voluit. Morte porro tam immani, tam per omnes modos dolorum exaggeráta, tam prævia paſſione diuturnâ, in tanta ab omnibus, quà creatis, quà etiam Divinis ſolatiis derelictione, ut poſt inferorum pœnas crudeliùs, indigniùs, miſeriùs cogitari nihil poſſit. Id autem non ob aliam cauſam, niſi ob explendam juſtitiam ſuam peccato pœnas debentẽ. Quis non exhorreſcat ad tam immanem iram vindictamq; DEI? quis eam audebit peccando provocare? Sed heu! non ſolùm provocare audemus, ſed etiam theſaurizare illam in diem iræ, peccata peccatis cumulando, pœnitentiam non agendo, vel tantùm perfunctoriè agendo, ſtultiſſimè & audaciſſimè pergimus. Inſpice hoc exemplar rigoris Divini ô homo? & cogita, quid tecum facturus ſit DEus peccatore? qui proprio Filio, aliena peccata in ſe deferenti uſque adeò nõ pepercit: *Si in viridi ligno*, innocentiſſimo ſcilicet Filio ſuo tanta Pater fieri voluit, *in te arido* ſarmento ignis æterni pabulo, quid tandem fiet? quid in ſecula ſeculorum fiet? Nunc quis novit poteſtatem iræ tuæ Domine? quis novit præ timore tuo iram tuam dinumerare?

57. JESUS in Cruce pendens eſt *Centrum Amorum.* Eſt enim in rebus ter-

minus

Digitized by Google

minus aliquis ad quem naturaliter omnia tendunt: iſque uſitato nomine centrum vocatur. Ad hoc centrum omnia (ùt dixi) tendunt, vel, ut in eo quieſcant, quod proprium eſt inanimatorum, vel ut in illo operentur, quòd propriè viventium eſt. Sic lapis deorſum tendit, ut ibi quieſcat & conſervetur, oculus tendit ad lucem ut eam videat & delectetur, intellectus quoque eâdem de cauſa tendit in verum, ut ſciat. Appetitus in bonum, ut fruatur. Porro natura indidit rebus omnibus põdus quoddam, quo trahantur ad centrũ, ita lapidi ineſt gravitas, quâ deorſum fertur: igni ineſt levitas, quâ ſurſum rapitur. viventibus (maximè rationalibus) ineſt amor quo in bonum cognitum fertur, ut fruatur. Inde illud Auguſtini effatum. *Amor meus pondus meum; amore feror, quocunq; feror.* Sicut autem pondus undique habet viam ad ſuum centrum, ad quod omnes lineæ concurrunt & veluti concentrantur, ſi modò rectæ ſint: ita amor undique habet viam ad ſuum bonum, quoniam ad bonum amor omnis & ſemper tendit, maximè ſi rectus eſt. Quæramus ergo bonum amori noſtro, in quod omnis amor tendat, aut tendere meritò debeat: atque ſi rectè judicamus, tale bonum eſt Dominus noſter JESUS Chriſtus, totus illi quidem eſt maximè paſſus & mortuus in cruce ad eum enim omnes, quotquot recti ſunt amores tendunt. Patris Æterni amor ſedem ſuam habuit, habetq; in Chriſto, [illegible] ait. *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*: complacuit autem Patri in Filio ſemper quidem, ſed ſpecialiter in paſſione illius atque cruce in qua factus eſt *Patri obediens uſq; ad mortem*, & ibidem exhauſit omnẽ ejusdem tam erga ſe, quàm erga genus humanum dilectionem. quoniam *ſic DEus dilexit mundum, ut Filium ſuum Unigenitum, daret, ut mundus ſalvaretur per ipſum.* Amor Angelicus in Chriſtum etiam tendebat, quia in ejus indigniſſima nece amarè Angeli flebant, & per ejus necem reparari honorem DEi, reconciliari humano generi DEum, aboleri peccatum, & diaboli tyrannidem everti, mortis imperium tolli, cæleſtis ſuæ civitatis ruinas impleri, gloriam & regnum Chriſti ſtabiliri videbant, & amabant, & gaudebant. & adhuc ob eaſdem ipſas cauſas Chriſtum amant. adorant, exaltant, exultantque. Jam verò Humanus Amor in Chriſtum patientem morientemque non omnis (pro dolor) tetendit, aut etiamnum tendit. Ea propter etiam patiente JESU, omnis qui amorem rectum habuit, JESUM patientem amavit. Amavit *Mater ejus*, amaverant

A mulieres ſanctæ, amavit *Ioannes*, amavit *Ioſeph Arimathæus*, amavit *Nicodemus*, amavit atque etiam defendit concrucifixus ei latro. Amaverunt mortui, qui in ejus morte revixerunt, amaverunt omnia Elementâ, quæ ſenſum mortis ejus acceperant & in crucifixores ejus unanimem damnationis ſententiam protulerunt. Amaverunt etiam Chriſtum mortuum ipſi crucifixores ſui, videntes enim mira, quæ in morte illius fiebant, gloriam DEo dabant, & *verum fuiſſe Filium DEi aſſirmabant. & percutientes pectora ſua pœnitentiam agebant*: Quin etiam redivivo & ad cœlos aſſumpto Domino, ad prædicationem Petri Apoſtoli multa millia inimicorum & crucifixionis autorum, cre-

B diderunt & amaverunt mortuum, qui oderant & negaverant, enecârantque vivum. Quid dicam de converſis infinitis populis ad Chriſtum, quando in omnem terram exivit ſonus Evangelii in Chriſtumq; fidei ac dilectionis ex prædicatione Apoſtolorum & in fines orbis terræ uſque progreſſa eſt Chriſtum credens, diligens, & confitens ſancta Eccleſia? Illa certè nihil ab origine fundationis & propagationis ſuæ in toto orbe terrarum, in omnibus Filiis ſuis per tot ſecula agit, niſi in Chriſtum & hunc quidem crucifixum tendit, tendit inquam fide, tendit ſpe, tendit dilectione, tendit prædicatione, tendit imitatione, tendit doctrinæ illius obſervatione, tendit gratiarum actione, tendit myſteriorum e-

C jus, potiſſimum crucis & mortis jugi recogitatione, tendit in ſacrificio quotidiano repræſentatione, tendit Sacramentorum & maximè SSmæ Euchariſtiæ, Pœnitentiæ ac inprimis Baptiſmi uſu tendit per omnes ordines ſuos tam ſacros quàm laicos & ſpecialiter per Regulares, quibus omnibus centrum eſt JESUS & hic crucifixus. Eſt ergo Dominus JESUS centrum amorum, quod ipſe Dominus aliquando intimavit cùm dixit. *Et ego cùm exaltatus fuero, omnia traham ad me ipſum.* Similiter & cùm dixit: *Habeo oves alias, quæ non ſunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere, & fiet unum ovile & unus Paſtor.* Et rurſum. *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis & ego reſi-*

D *ciam vos.* Et denique. quando ſtans clamabat. *Si quis ſitit veniat ad me & bibat.* Nunc ergo univerſi filii hominum, tendite, currite, concurrite, coadunemini

ad centrum iſtud: convertite corda veſtra, dirigite amores veſtros ad centrum hoc. Ibi Chriſtiane fige tui amoris cujuſcunque metam, ubi Chriſtus poſuit ſuam crucem: ille amplexus eſt, & ad illam clavis etiam ferreis, magis autem clavis charitatis affigi voluit, tibi quoque *abſit gloriari*, abſit amplecti, abſit poſſidere, niſi *Crucem Domini noſtri JESU Chriſti & niſi ipſum JESUM Chriſtum & hunc crucifixum.* Quouſque ô homines conſumitis amorem veſtrum in vanitatibus, in mendaciis, in perituris & pereuntibus ac ſimul etiam perdentibus vos. Neſcitis, quia pretioſa eſt res amor, & cui nihil in omni humana affectione æſtimationeque poteſt comparari: ſi tamē ad ſuum redigatur principium. Alioqui talis eſt quiſque quale eſt id, quod amat. *Amas terram? terra es.* amas pereuntia? peris. *Amas JESUM, amas DEum? JESUS es. DEus es.* Igitur purga & ordina amorem tuum, & aquam currentem in cloacam, converte in hortum. Ne dixeris in corde tuo. Non habeo quâ pertingam, quâ intrem in centrum meum. Ecce quot vulnera in JESU, tot *lineæ* ad centrum. tot portæ patentes amori ad ingreſſum.

58. JESUS in Cruce pendens eſt. *Fulmen & damnatio impiorum.* Quando homo per peccatum commiſſum Majeſtatem DEi læſit, juſtitia partes Majeſtatis agere, atque injuriam ulciſci decrevit, & cæpit ita ſeverè, ut nullum miſericordiæ locum relinqueret. Videns verò bonitas ſeu charitas, voluit etiam miſericordiæ locum dari. Sed quis illum pararet, Iuſtitiâ juſtam cauſam habente, nemo erat, donec Sapientia DEI inducente bonitate mediatricem ſe inter juſtitiam ac miſericordiam obtulit, hâc lege, ut & juſtitiæ ſatisfieret, & miſericordiæ ſalvâ juſtitiâ locus eſſet. Initum ergo eſt pactum hujuſmodi. Sapientia in gratiam miſericordiæ, Bonitatis charitatiſque decrevit incarnari; ne autem excluderetur juſtitia ſtatuit carnem paſſibilem aſſumere, & in ea patiendo pro hominis peccato juſtitiæ ſatisfacere, atq; ita dedit locum miſericordiæ juſtitia. Quia tamen juſtitia noverat pravos eſſe valde hominis ſenſus ad malum, ideò cavens non tantùm ſibi ſed etiam miſericordiæ atque adeò & ſapientiæ movit dubium hujuſcemodi dicens: O Sapientia increata incarnanda, tu quidem facis omnia ſapientiſſimè, vis hominem juvare, mihi ſatisfacere, miſericordiæ locum dare, ſed quidſi poſtquam tu hæc omnia in bonum hominis feceris homo nihilominus ingratus tuo labore abutetur, miſericordiam contemnet, me juſtitiam exaſperabit, & ſuam cauſam faciet poſteriorem, deteriorem priore. Numquid etiam ingratus exiſtens, & ſterilitatem retribuens, peccatumque peccato addens, poſſidebit nihilominus bonitatem? certè hæc eſſet nimia miſericordia, & ſimul juſtitiæ repugnans. Rationabile dubium cenſuit ipſa ſapientia, proinde ita reſpondit. Dabo illo ingratitudinis humanæ caſu, fore juſtitiæ locum integrumque jure ſuo utendi, ita tamen ut eo non uteretur ante hominis quantumlibet ingrati ab hac vita deceſſum, ſed ut ſpatium vitæ hominis eſſet miſericordiæ poſt mortem autem hominis, juſtitia partes ſuas ageret. ut verò huic ingratitudini obviaretur, recepit ſapientia ſeipſam Incarnatam daturam homini exemplar vivum & efficax Divinæ in peccatores maximè ingratos iræ & vindictæ, idque exemplar in ſemetipſa ſe exhibituram homini edixit. Aſſenſum eſt iſti decreto ſapientiæ, ſtatutumque & executioni mandatum, ut homine quovis vivente miſericordia & gratia in ipſum hominem: Juſtitia verò in DEum jus haberet, ita nimirum ut ex meritis ab incarnata Sapientia Homini quæſitis, DEus & juſtitia ipſius, gratiam, veniam, miſericordiamque exhiberet, dum homo viveret: mortuo autem in ſua ingratitudine homine, extunc juſtitia jure ſuo in ingratum vindicaret, miſericordia verò læſæ Majeſtatis dignitatiſque divinæ, partes ageret, neque illi ulla deinceps de ingrato homine cura eſſet. His ita conſtitutis, quàm ſtrenuè miſericordia ex una parte, juſtitia ex altera negotium ſuum exercuerint, ſatisfactionemque utraque ſibi ſuam procuraverit, facilè ex his quæ utraque earum in ſapientiam incarnatam egerunt, commiſeruntque colligere licet. Per ſapientiam enim Incarnatam, hoc eſt per JESUM miſericordia ſalutem hominis operata eſt: per eundem quoque JESUM juſtitia ſatisfactionem ſibi pro hominis in Deum reatu recepit: & utraque adeò copioſè, & per omnem modum rigoremque exaggeratè, ut neutra quod amplius requireret, reperire poſſet. Quid enim ampliùs miſericordia pro homine facere potuit: quàm quòd Unigenitum Æterni Patris Filium pro ſalute hominis incarnari, hominem naſci, pauperem & abjectum, ingloriumque vivere, nec qui-

dem ubi

Digitized by Google

dem ubi caput ſuum reclinaret, in toto mundo habere, poſtmodum vili pretio vendi, ac emi. capi, ligari, illudi, conſpui, pugnis, alapis, colaphis concuti, flagellis conſcindi, ſpinis coronari, morti crucis addici, inter iniquos ſuſpenſum occidi & mori fecit. Rurſum, quid juſtitia amplius ſatisfactionis exigere pro culpa hominis potuit, quàm quando pretioſiſſimum Filii DEi JESU ſanguinem & vitam per adeò exaggeratam ômnium tormentorum decorumque mortem ad pleniſſimum uſque placitum æquitatis ſuæ, atque etiam ſupra illud exhauſit? Sed nunquid ita ſemper fiet, ut miſericordia pro homine, juſtitia contra Deum militet? ut juſtitia ſibi à Deo ſolvi hominis debita, miſericordia verò ſemper homini indulgeri velit? Erras ô homo, & vehementer quidem erras, venient tempora, quando miſericordia in DEum revertetur, & pro ipſo contra impium, ingratum inſenſatumque ſtabit, quando juſtitiâ non jam à DEo ſed à peccatore homine, debitum ſibi ſatisfactionem *ad uſq; noviſſimum quadrantem exiget.* Venient tempora quandò ipſa miſericordia JESUM hunc, paſſum, cruentum, crucifixum, convulneratum mortuum pro peccatore, ipſi peccatori oſtentabit, & veluti fulmen paratum vibrabit. quando quoque juſtitia iſtum eundem pro peccatore crucifixum JESUM, à peccatore nihilominus per ſūmam ingratitudinem contemptum & abjectum, infinitis inſuper ac fœdiſſimis ſceleribus offenſum, iterùmque ac iterum ſibimet ipſi crucifixum & oſtentui habitum, peccatori oſtendens, amariſ-C ſimè exprobrabit, inſultabit, & polluti conculcatique ſanguinis JESU, deſpretæque miſericordiæ DEi pœnas exiget. O infelix peccator, quomodo tunc tam juſtitiæ quàm miſericordiæ DEi cōtra te tum immani & vehementi fulmine crucifixo ſcilicet JESU armatæ furorem implacabilem ſimul ac inevitabilem effugies? quomodo ſtillantem undique ſuper te ex vulneribus crucifixi JESU iram DEi, quomodo pondus vindicis Omnipotentiæ ſuſtinebis? Tunc infeliciſſimè clamabis. *Montes cadite ſuper me, & colles operite me.* Tunc tibi crucifixus JESUS, qui in præſenti vita eſt tibi in *reſurrectionem, erit in ruinam,* & præcipitium ſempiternum. Quare, hunc quiſque es præveni fletibus fletum; hunc JESUM crucifixum in reſurrectionem tuam adhibe, nunc ſit tibi in ruinam ſcelerum tuorum, nunc tibi ſit fulmen quo terreas & arceas vim poteſtatemque dæmonum, quo durum cor tuum ſalutari timore configas, quo expugnes violentus cœlos, quo iram DEi con-
A tra te paratam infringas. O mi JESU ſis in præſenti fulmen & damnatio impietatis meæ. ut in futuro ſis mihi corona ſpei & bravium Reſurrectionis ſanctæ.

56. JESUS in Cruce pendens eſt *Veſtimentum animarum.* Duplicem nuditatem animæ homo per peccatum incurrerat. Una fuit nuditas intellectus à ſcientia deſtituti: ignoratione verò & cæcitate induti. Altera fuit voluntatis nuditas ſanctitate, gratiâ, rectitudine ac bonitate ſpoliatæ, malitiâ verò indutæ. Miſerabilis ſanè nuditas, quæ hominem illicò erubeſcere, & à facie DEi perpetuò fugere & abſcondi compellit. Cæterùm ex illo capite, longè etiam miſe-
B rabilior, quòd nullis humanis viribus reparari potuerit. Itaque infelix homo, quantumvis perizomata ſibi de foliis conficeret, quantumlibet frivolis excuſationibus ſeſe coram DEo involveret, quantumvis pelliceis veſtibus vel ab ipſo DEo indueretur, ſemper tamen nudus in oculis DEI manſit. Et prô! in quas qualeſque veſtes ſeſe cæcitate & malitiâ miſer homo non induit? aliquandò à lapidibus, à metallis, à lignis, à cepis & portis tanquam à diis ſuis protegi concupivit, aliquando ſemetipſum Divinitate, cultuque Divino ſuperinduens pro DEo coli, adorari, invocari exegit. ſic nimirùm pudebat & tædebat infelicem nuditatis. Sed quia illa ipſa nuditas fu-
C it etiam cæcitas, non erat poſſibile, ut cæcus veſtem ſibi competentem inveniret. Miſerta eſt tandem Divina bonitas calamitoſi hominis, ideò *miſit Filium ſuum in terras,* qui homini omnibus indigenti omnia fieret, etiam nimirùm veſtis, quâ indutus, verè nuditatem ſuam non ſolùm obtegeret, ſed etiam deponeret. Et hæc eſt illa veſtis, ad quam inducendam omnem hominem hortatur Apoſtolus dicens. *Induimini Dominum JESUM Chriſtum.* Cognoſcendum verò eſt, Dominum JESUM, ſicut ipſe pro ſua inexhauſta opulentia, veſtiumq; abundantia, *mutatoriis* & quidem variis, *plerumq; etiam duplicibus indutus incedit,* ita quoque eos qui illum induunt (induunt autem in baptiſmo primitùs juxta illud
D *Quicunq; enim baptizati eſtis Chriſtum induiſtis*) non eſt contentus *ſimplicibus* ſed vult facitque *duplicibus indui* ut non timeant à frigoribus nivis. Itaque induit

Digitized by Google

nos veſtibus valde bonis Divinitatis ſuæ atque humanitatis, cujus utriuſque nos facit eſſe participes, induit etiam veſte meritorum ſuorum, induit gratiæ veſte, veſte luminis & veritatis, veſte charitatis & ſanctitatis, veſte juſtitiæ ac innocentiæ, veſte etiam ſalutis, inſuper ſervat nobis veſtem gloriæ ac beatitudinis. Hæc autem omnis adeò licet varia veſtis unus ac idem ipſe Chriſtus pro nobis paſſus, crucifixus, mortuus. Non enim ob aliud quid talis fieri voluit, niſi ut talis factus à nobis indui poſſet. Quis enim *ſplendorem Deitatis ejus inacceſſibilis* ſuſtinere potuiſſet? Ideo ille ſuam illam depoſuit & obumbravit Majeſtatem, & *tenebras fecit latibulum ſuum*: aſſumpſit verò noſtram humilitatem, infirmitatem, pauperiem, vilitatem, eamque ipſâ ita attemperavit, ut nemo noſtrûm dicere poſſit, quod ea veſtis ſibi non quadret. Ideo etiam tot vulneribus togam ſuæ humanitatis incidi voluit, ut omnibus ad veſtem hanc ejus induendam acceſſus eſſet: imò etiam ut unus idemque aliquis variis viis, formis modiſq; hanc ejus veſtem induere poſſet, imò denique ut quilibet pro ſui guſtûs, ſenſûs, ſtatuſq; varietate & exigentia crucifixum paſſumque JESUM tanquam veſtem circumdare, ut varietatibus, coram DEo ornata conſiſtere poſſet. Ergo Dominus JESUS non unius generis veſtis eſt, verùm ad luctum pœnitentiæ reconciliari volentibus deſervit: ad veſtem quoque profectûs & progreſsûs in morum ſanctitate, & vitæ Domini imitatione peregregiè accommodari poteſt. Tum etiam ſi quis deſponſari de fide & charitate DEo ſuo concupiſcit, nihil congruentiùs ad veſtem nuptialē quàm Paſſum & dolentem, amoreque languentem JESUM ſibi deligere omnino poteſt. Quodſi obarmari contra inviſibiles inimicos quis neceſſe habet, JESUS paſſus lorica eſt impenetrabilis, ſcutum inviolabile, galea tutiſſima, & omnis armatura fortium eſt. Adhibeatur tantummodo ad induendum fides non ficta in Dominum JESUM. Spes etiam robuſta & firma, in gratia meritis & auxiliis ejus, ardens inſuper & ipsâ morte fortior dilectio, à veſtigiis Domini nec ad latum unguem recedens. Ita eſt enim ſuaviſſima ſimul & laudatiſſima ratio induendi Dominum JESUM pro nobis crucifixum, fide, ſpe, charitate, imitatione, paſſiones & vulnera ejus inconniventer continenterque intueri, vulneribus ejus, doloribus, ignominiis, dignationibus, cruce atque morte paſci, nutriri, ſaginari, & denique mortificationem, JESU tam corpore quàm animo jugiter circumferre. Sic indutus
A IESUS crucifixus omnia tibi eſt ô Homo, ad omnia tibi apud Patrem Æternum utilis. Si pro peccatis luges JESUM paſſum indutus, Patri te præſenta: venia tibi parata eſt. Si juſtitiæ vindictæque DEi paratas manus avertere & adſtringere vis; IESUM paſſum indue: DEum exarmâſti, & iram in amorem convertiſti. denique, quidquid boni aſſequi, mali avertere, privati publicive: & omnia tibi, tuis, publicæ rei &c. obtinuiſti. exaudiet enim Pater Filium pro ſua reverentia abs te indutum, & opportunè tibi circumdatum. Indue me mi IESU temetipſo paſſo, crucifixo & mortuo, & circumda mihi veſtimentum paſſionis, gratiæ ac meritorum tuorum, ne unquam nudus & confuſus am-
B bulem coram DEo meo. Sed in ipſo judicio tuo ego te, Redemptorem meum dignè indutus, tibi præſenter, & abs te tanquam tuus dignoſcar tuiſque annumerer in æternum.

60. JESUS in Cruce pendens eſt *Martyrium MARIÆ.* Paſſiones, dolores, injuriæ, crux & mors Chriſti Domini, tantæ fuerunt magnitudinis & indignatis, ut ad eos deflendos & ad compatiendum dolenti Chriſto omnes res exiſtentes in univerſo increatæ & creatæ fuerint obligatæ Primò obligabatur ad compatiendum DEus (eo modo quo in DEum compaſſio cadere poteſt) Chriſto patienti & morienti DEus enim tunc
C patiebatur in Chriſto, & dolores Chriſti, dolores erunt DEi, injuriæ Chriſti erant DEi. Chriſtus enim erat Filius DEi, erat opus Spiritus Sancti, & ſedes ac Templum, denique erat Perſona Dei, & propter cauſam patiebatur DEi. Deinde obligabatur etiam Chriſtus ipſe ſibi, compati. Eſt naturale, ut is qui maximè patitur, maxime etiam ſibi compatiatur. Maximè etiam ſeipſum Chriſtus amabat, innocentiſſimum digniſſimum, & ab omni reatu ſicut culpæ, ita & pœnæ ſciebat. Præterea obligabantur Chriſto compati Angeli omnes, utpote Domino ſuo Regique naturali. Inſuper obligabantur Chriſto compati omnes homines, Chriſtus enim erat Princeps, Caput, Rex, Sacerdos, Legislator, Me-
D dicus, & Doctor hominum, ſummus Benefactor in bonis tam præſentis quàm futuræ vitæ, cui omnis honor, amor, gratitudo, reverentia, obſequium ab omni-

bus &

Digitized by Google

bus & ſingulis hominibus debebatur. Denique omnis rerum etiam inanimatarum univerſitas patienti Domino cõpati tenebatur, utpote naturali Conditori, Dominoque abſoluto & hæredi, ſimulque Principi nobiliſſimo Digniſſimoque ſuo; Primogenito etiam omnium creaturarum. propter hujus gloriam & honorem & exaltationem, omnia ſunt condita & omnia conſervantur, & omnia eidem famulantur. Ex his tamen omnibus rebus, nulla eſt Chriſto compaſſa. Non DEus, quia ipſe potiùs tradidit, imò & *percuſsit eum propter delicta noſtra* dedit etiam ei præceptum moriendi & patiendi. Non Chriſtus ipſe: *Oblatus enim eſt quia ipſe voluit, & ipſe à ſe ipſo adverſùs ſemetipſum ſuſtinuit contradictionem*, & propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem confuſione contemptâ. Denique ait ipſe. *Nemo tollit animam meam à me, ſed ego pono eam, & iterum ſumo eam.* Non Angeli compaſſi ſunt., unus *aliquis apparuit illi oranti in horto confortans eum*, cæterorum alius comparuit nullus. Ex hominibus quoque nemo plenè, vel valde ſteriliter compaſſus eſt. *Diſcipuli, relicto eo fugerunt omnes.* Judas *oſculo tradidit eum. Iudæi ſanguinem ejus 30. argenteis emerant, Barabbam poſtpoſuerunt* & inſtãtes vocibus magnis ad crucem illum poſtulaverunt. Gentiles eum ad mortem, viſâ licet ejus innocentiâ condemnaverunt, *voluntati hoſtium tradiderunt*, ad extremum turpiſſimo crucis ſupplicio occiderunt. Creaturæ reliquæ inanimatæ non ſunt compaſſæ Domino, potiùs multæ earum ad patiendum cooperatæ ſunt, ut catenæ, vincula, flagella, virgæ, ſpinæ, purpura, arundo, fel, acetum, clavi, crux, lancea, cæteraque. Hæc autem omnia facilè oſtendunt, quanta compaſſio debita, quantà negata Chriſto Domino patienti fuerit; tum verò etiam quantùm dolores ejuſdem ex hac compaſſionis ſubtractione adaucti exaſperatique fuerint, quòd Dominus apud Prophetas non tacuit. *Conſiderabam qui cognoſceret me & non inveni, conſolantem me quæſivi & non erat.* Iam verò quæramus, quò tandem in loco congregatæ ſunt omnes illæ compaſſiones Domino debitæ; & omnibus perluſtratis, nullum alium locum vel commodiorem vel capaciorem vel connaturaliorem reperiemus, quàm Beatiſſimam Chriſti Matrem ac Virginē MARIAM, quàm dudum prævideràt ſimulque prædixerat Sanctus ſenex Simeon dicens ad Virginem: *Ecce hic poſitus eſt in ruinam, & in reſurrectionem multorum & in ſignum, cui contradicetur: & tuam ipſius Animam gladius pertranſibit, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes.* In quibus Sancti Prophetæ verbis, peculiari dignum A eſt animadverſione, quod non corpus, neque aliquam ejus partem nominaverit, quam *pertranſiturus eſſet gladius*: cujus percuſſioni ac pertranſitui corpus utique vel pars conveniebat, ad animam enim gladius non ſpectat. Sed nimirum enormitatem, & univerſalitatem volens ſignificare Sanctus omiſſo corpore animam nominavit. totum enim corpus gladio patere, vel non poteſt, vel vix poteſt: tantùm enim aliqua in parte gladio locus patet. Anima verò in parte pati non poteſt, quia partes non habet, ſed ſi patitur, tota patitur & in ſe tota patitur. ut ergo ſignaret totalem MARIÆ afflictionem, animam affligendam prædixit. Deinde, non dixit Sanctus. B Gladius dolens aut mæroris, aut alicujus alterius afflictionis, ſed tantùm *gladium* nominavit, quia omnis generis afflictionem intelligi voluit, reverâ enim ſuper MARIAM, omnis generis calamitas in morte Filii ſui ſupervenit vg Dolor, mæror, triſtitia, timor, tædium, ira, deſperatio, contemptus, irriſio, exprobratio, inſultatio, orbitas, viduitas, deſolatio, corporales etiam & membrorum & ſenſuum atque viſcerum afflictiones, fatigationes, deliquia (ſed abſque offuſione rationis) ingruentia & aſſiduitas malorum aliis aliorum ſupervenientium, & quidem ſuper gravia graviorum, imò graviſſimorum, & ſigillatim ad lethalem calamitatem inferendã C ſufficientium. Omnia iſta Sanctus Simeon nomine gladii involvit & prænuntiavit, quæ prænuntiatio ſi ſola ad mortem inferendam MARIÆ ſatis fuit, quomodo non infinities amplius, effectualis omnium prædictorum perpeſſio ad multas mortes ſufficeit? Accedit ad prædicta, quòd etiam S. Simeon videtur prædixiſſe, cùm dixit. *Et tuam ipſius animam.* hoc enim verbo, *tuam ipſius*, indicavit compaſſionem ſuper Filio ſuo JESU Chriſto patienti ad nullam aliam mentem aut animam perventurã fuiſſe, præterquam ad ſolius ipſius uniuſque MARIÆ animam, quod ita re ipſa poſtmodum patienti Filio certum eſt eveniſſe. Sic enim cogitare licet. Sanctiſſima enim Trinitas Pater, Verbum, D Spiritus Sanctus, cùm ex una parte compati Chriſto & vellet & ſuo modo ac jure deberet, ex altera autem compaſſionis capax non eſſet, delegit ſibi MARIAM tan-

AM tanquam compaſſionis ſuæ vicariam in ejúsque animam totum compaſſionis ſuæ ſuper Chriſtum onus, ſive mare defluere fecit, appellavitque confluxum hunc MARIA. Pari ratione ipſe Dominus JESUS patiens, quia propter majorem puritatem Paſſionis ſuæ, ſicut omnia alia conſolatione, ita etiam compaſſionis ſuæ ſuper ſe propriæ, levamine ſe ſponte privavit, eam totam in MARIAM tanquam Maternitatis jure illi debitam, devolvit, animæque illius comprehendendam dedit. Maximè hoc poſt mortem ſuam, quando jam quidem nihil ipſe ſentire, attamen perpeti non pauca potuit, omne tam paſſionis dolorisque, quàm compaſſionis reſiduum in Matrem tanquam in hæredem devolvit. Conſimili modo univerſitas rerum creatarum, totaque natura, videns à ſuis particularibus aut ignorari aut contemni aut etiam perfici paſſionem & dolores Chriſti, totum compaſſionis ſuæ officium ac debitum, quòd Chriſto debebat, uni ac ſoli MARIÆ tranſmiſit, idque officium ac debitum MARIA ſuſcepit & implevit, non tantùm tanquam pars & Filia univerſitatis, ſed etiam tanquam Domina & Hæres, amatrix & Regina illius ob quod tenebatur pro ea ejuſdem obligationi erga Chriſtum ſatisfacere. Pari denique ratione MARIAM ipſam tanquam Matrem oportebat Filio ſuo per omnia compati: nullibi enim major obligatio capacitaſque compaſſionis dolorumque omnium ſufferentiæ cum Filio aut pro Filio fuit quàm in Matre, & tali, ac talis Filii Matre. His ita cogitatis, licebit adhuc in cogitando pergere, quantus fuiſſet totius Sanctiſſimæ Trinitatis, ſingularumque illius Perſonarum compaſſionis dolor ſuper Chriſtum ſuum, ſi ei compati per naturam potuiſſent? Similiter quantus ipſius Chriſti fuiſſet dolor compaſſivus, ſi ſibimet compati voluiſſet? Item quantus omnium & ſingularum creaturarum cõpaſſionis dolor fuiſſet, ſi illum ſuper Dominum ſuum patientem habuiſſent? Denique quantus dolor eſſe debuit, potuit, & re ipſa fuit Matris DEi & Filii ſui in tantis doloribus ejus, quibus ipſa & corpore & animo præſens interfuit, omneſque eorum conditiones, pleniſſima notitia penetravit, pleniſſimoque illorum ſenſu penetrata eſt. Atq; jam ex his colligi luculenter poteſt, quantus fuerit dolor animæ, quantusque *gladius ille qui animam ſacratiſſimam pertranſiit*, occupavit & poſſedit? quanto dolorum mari inundaverit, redundaveritque, & quàm merito hæc exundatio congregatioque dolorum animæ ejus appellata & appellanda ſit MARIA? Colligi hinc etiam
A pariter poteſt tam abyſſaliter gravem grandemque fuiſſe dolorem MARIÆ in Chriſti paſſione & ſua ſuper ipſum compaſſione, ut in omnes creaturas dividi potuerit, & tantâ copiâ dividi, ut diviſus in omnes, omnes eas vitâ privare & ad interitum adigere ſuffecerit. Quemadmodum enim mare tantis aquarum abyſſis impletum eſt, ut non ſolùm piſces incolas ſuos, verùm etiam omnes montes, inſulas, terræ denique globum univerſum demergere & abſorbere intra ſe poſſet; ita MARIA Mater DEI dolorum ſuorum enormi magnitudine omnes omnino creaturas obruere, & ob amaritudinem exitio tradere potuit. Adhuc etiam ex dictis concludi poteſt, quòd Di-
B vus Bonaventura auſus eſt concludere, *Majorem fuiſſe dolorem MARIÆ in paſſione & morte Chriſti quàm ipſius Chriſti.* Etenim ſi patiens JESUS voluiſſet ſibimet compati, compaſſio illa fuiſſet adæquata & par ipſi paſſioni, quam quia Dominus à ſe (puræ & nulli ſolatio admiſtæ paſſionis gratia) removit, & totam in MARIAM transfudit; jam exinde MARIÆ compaſſio & Chriſti paſſio pares fuerunt, quodſi addatur perpeſſio injuriarum Chriſto poſt mortem ejus quando jam nullus in eo ſenſus fuit, ſed totus earum ſenſus MARIÆ incubuit: utiq; ex hoc MARIÆ dolor jam major quàm Chriſti fuit. Acceſſerit verò his compaſſio à parte SSmæ Trinitatis in MA-
C RIAM redundans, nonne immensâ quadam mole compaſſio Matris MARIÆ excreſcet. Addatur his compaſſio, quæ Chriſto paſſo, mortuoque, à tota creaturarum univerſitate erat debita: non modico ſané augmento excreſcet MARIÆ ſuper Chriſtum dolor & compaſſio. Demum adjungatur his omnibus illa inſuper compaſſio, quàm jure Matris & talis quidem ſeu Filii ſeu Matris MARIA ſuſtinuit cum Chriſto, & pro Chriſto, grandi ſine dubio incremento exaugeſcet magnitudo doloris Mariani in Chriſti paſſione tolerata. Ergo verè Simeon Sanctus dolorem Virginis Matris, gladium animæ dixit. Veré atque meritò Hieremias magnam velut mare contritionem illius vocavit, veré
D ac meritò dolorem MARIÆ dolori Chriſti certo ex reſpectu prætulit, verè quoq; ac merito cor & anima MARIÆ doloribus innatans Arcæ Noëticæ in diluvii aquis

Digitized by Google

luvii aquis fluctuanti comparatur. Verè item MARIÆ anima, centrum, ſedes Thronus, Regnum dolorum appellatur. Verè quoq; MARIA & Martyr. & Regina Martyrum, & infinities Martyr & plusquam Martyr nuncupatur, tot enim Martyria ſubiit, quot dolores mortiferos ſuſtinuit. Si enim mori pro Chriſto Martyrium eſt, & ſi res omnes partitis inter ſe MARIÆ ſuper Chriſtum patientem compaſſionibus, præ magnitudine pro Chriſto mortem obiiſſent & per hoc Martyrium ſubiiſſent: ſine dubio ergo MARIA toties Martyr fuit, quot res ab illius in ſe derivatis doloribus emori neceſſe fuiſſet. Atque ita MARIA non tantùm Martyr, aut qualitercunque Martyrum Regina, ſed infinities Martyr fuit, & Filius ejus Chriſtus non ſolùm Martyrium ſed etiam univerſitas Martyriorum extitit, quandoquidem illi univerſorum Martyriorum occaſionem ſeſe exhibuit. O Mater Chriſti patientis MARIA! ò Martyriorum mare! ô dolorum diluvium & congregatio, quis mihi tantum animum, tantum cor, quo dolores tuos minutiſſima ſaltem ex parte cognoſcere, perſentire, æſtimare poſſim? Amo & exoſculor univerſos dolores tuos quos cor tuum omnium rerum nomine & officio perſentit: ſimulque humillimè à te populo ut me & omnes qui tibi in doloribus tuis compatiuntur in hora mortis noſtræ ſecuros facias; poſtulo, ut in illa exitus noſtri de iſto mundo hora impleas corda noſtra dolore ſynceræ atque plenæ de peccatis noſtris contritionis & doloris; poſtulo vivam fiduciam in redundantiſſima Chriſti per mortem & paſſionem comparata merita &c.

61. JESUS in Cruce pendens, eſt *Filius prodigus.* Prodigalitas non ſemper accipitur in ſenſu rigoroſo pro vitio liberalitati per acceſſum oppoſito: qua ratione avaritiæ ſeu parcitati etiam opponitur. Parcitas enim non facit ſumptum, quantùm oportet, prodigalitas majorem facit, quàm oportet. Liberalitas tantùm facit, quantum oportet, atque ita medium tenet, quod eſt virtutis. Hoc medium liberalitas quandoque tranſcendit, ita ut plus agnoſcatur facere quàm oportet, habet tamen cauſam ejus facti congruam, puta amorem vehementem, ordinatum tamen. Rará & inſignem occaſionem magnificentiæ aut munificentiæ, & ſecundùm hoc talis liberalitas, prodigalitatis nomen habere poteſt, propter exceſſum, laudabilem tamen & non vitioſum, ſi bene circumſtantiæ perpendatur. Atque hoc modo Domino noſtro JESU Chriſto pro nobis paſſo & mortuo in cruce prodigalitatem attribuere, ipſumque prodigum filium appellare: quoniam extraordinaria profuſione atque (ut Paulus loquitur) *nimia charitate exceſſuque ſuô profudit prodegitq; bona ſua omnia ab æternô Patre accepta.* quod quidem non difficulter animadverti poteſt, ſi notas aliquot prodigorum perquiſitas in Chriſto paſſo reperêrimus. Ac primum: Prodigus ille cenſeri poteſt, qui talibus benefacit & ſingularia beneficia præſtat cum ſuo etiam gravi incommodo, quos ſcit indignos, quos videt ingratos, quos novit ſibi inutiles, à quibus ſua beneficia conculcari atque proteri videt, ſcitque etiam deinceps ſemper proterenda. Deinde, prodigus ille quoque eſt, qui pro rebus parvis ac plane vilibus expendit res maximas & pretioſiſſimas. Eſt & ille prodigus, qui id, quod poſſet exiguo labore, induſtriâ, ſumptuque comparare, comparat tamen ſummò. Etiam ille qui neglectis rebus melioribus ac nobilioribus, à quibus longè plus vel commodi vel honoris, vel gratitudinis perciperet, diligit tamen & præfert res per ſe viles, ignobiles, & a quibus vix aliquid aut etiam omnino nihil ſeu commodi ſeu ſaltem grati animi ſperet. Prodigus quoque ille eſt, qui res quibus ad nihil & nullo modo opus habet, & quæ illi nihil utilitatis adferent, imò neque ſi velint, poſſent, tamen impenſiſſimo ſtudio, ſibi coemat & procuret. Eſt & ille prodigus cenſendus, qui eas res quarum alias copiam habet, & quantumcunque vellet, facilè habere poſſet, idque vel ſolâ ſua voluntate, & non ullâ aliâ impenſâ, malit tamen illas maximis ſuis impenſis, laboribus, damnis, quin etiam doloribus, & ipſius vitæ ac famæ omniumque bonorum jacturis ſibi conquirere. Præterea eſt ille prodigus, qui res, quas in ſua poteſtate pleniſſima habet & ſe habere ſcit: attamen eas quærit, emit, in ſuam poteſtatem redigit, graviſſimo ſuo ſumptu, fructu verò ſuo prorſus nullo. Adhuc ille quoque prodigus eſt cenſendus, qui ita largitur aliis omnia ſua, ut ſibi nihil reſervet, ſed ex ditiſſimo fiat ſponte egentiſſimus, alienaque miſeratione victitare, alieno in ſolo atque loco vel dormiturus, caput reclinare vel moriturus alieno ſepulchro tumulari debeat. Denique prodigus ille eſt, qui in benefaci-

endo modum non ſervat, tantumque donat alicui, quantum ille nec poſſit nec indiget ac neque accipere poſſe videtur. ut ſi quis captivum ſervum redimeret, & centum argenteis abunde redimere poſſet, nihilominus daret pro illo mille, aut mille millia aut etiam his amplius. Certè in tali caſu juſtè dici poſſet. ùt quid perditio hæc?

Iſtæ igitur omnes prodigorum notæ in Domino noſtro JESU paſſo & crucifixo atque mortuo pro nobis, cùm abundè, magiſterio fidei nos docente, reperiantur: utique prodigus meritò agnoſci & appellari poteſt ac debet. Cõparetur enim DEus & Homo. Paſſio, mors, cruciatus & contemptus DEi cum ſtatu quolibet hominis, omnino luce clarius apparebit, ſumptum, quem Chriſtus pro nobis fecit collatum nobiſcum, pro quibus eum fecit, infinities plùs magisq; excedere, quàm totum mare excedit guttam, quàm totus mundus excedit atomum. Filius ergo prodigus eſt Dominus IESUS, & nos minores omnibus ejus beneficiis, & in nos ab eo profuſis ſumptibus, nec ullo modo cum eis comparandi: tenemur ſolummodo, ſi quid rectè judicare poſſumus, tenemur inquã & nos prodigi eſſe pro Chriſto, & prodigi non magnarum utique rerum, ſed vanitatum ſed fœditatum, ſed rerum pereuntium & perdentium, prodigi cupiditatum, voluptatum, propriarum voluntatum, privatorum ſenſuum, vaniſſimæ gloriolæ, & fugatiſſimorum honorum, prodigi laboris, vitæ, commodorum, & commoditatum, ſanguinis denique & incolumitatis. Ultrà enim pro DEo eſſe prodigi non poſſumus. Et quantulum hoc ad illa Chriſti maria & Oceanos? & tamen bonus JESUS, ſi hoc ejus cauſâ facimus, putat utiliter ſe tantos illos ſumptus profudiſſe, ſi iſta nos illi viciſſim præſtemus. At enim, heu! tardi ſumus ad hoc: contendimus minuta noſtra revocari ad calculos, quaſi timentes, ne plus impendamꝰ pro Chriſto, quàm Chriſtus impendit pro nobis. O inſania mundi hominumque tenacitas, & avaritiæ iniquitas! Nos nos prodigi eſſe debueramus, & fundere oceanos bonorum, ſi fortè illos habuiſſemus animo pluſquam prodigaliſſimo ut vel unicam beneficientiæ ſuæ guttam DEus nobis oſtentare dignaretur. Nunc verò DEus profudit Oceanos, diluviaque beneficiorum tanto cum affectu, conatu, labore, ſumptu, ſudore, dolore, ſanguine, ipſius poſtremò vitæ profuſione. Nos autem gravamur digitum pro DEo movere: gravamur pro DEo tantillùm impendere, tantillùm nos abnegare, tantillùm nobis ſordidæ & fugacis voluptatis A aut gloriolæ ſubtrahere, tantillùm injuriæ condonare, tantillum pro gloria ſanctiſſimi nominis ejus, pro æterna proximorum aut noſtra ſalute nobis incommodare. Prô pudor! & quibus infernis adeò ſordida ingratitudo expiabitur: quam deinceps nobis miſericordiam promittimus, qui tantæ jam effuſæ ingrati per ſummum ſcelus exiſtimus? JESU liberaliſſime aut potiùs prodigaliſſime: inſtilla nobis quæſo animum prodigum ut audeamus tandem prodigi eſſe tui cauſâ rerum, non dico nobis neceſſariarum ſed ſaltem ſuperfluarum. Mi JESU ad tua beneficia, quæ jam ſatis prodigâ manu effudiſti pro nobis: hoc etiam unum adjice, ut noſtris cordibus pro- B fuſam in te prodigalitatem infundas. Non eſt hoc beneficium majus his quæ jam effudiſti: non eſt pretioſius ſanguine tuo, cruciatibus tuis, contemptibus tuis, paupertate tuâ, vitâ tuâ, anima tuâ, temetipſo. Et hoc ergo beneficium effunde ſuper nos. Sint jam ſuperbi deinceps prodigi honoris ſui propter te: ſint avari ſuarum opum prodigi propter te &c. Simus omnes prodigi omnium, & noſtri ipſorum erga te, propter te &c.

62. JESUS in Cruce pendens eſt *Magnes animorum*. Experientia docuit magnetis eam eſſe naturam ut ad ſe ferrum trahat, illudque conſumat, & aliàs vim ſuam deperdat aut hebetet, ſi fer- C rum, quo quaſi paſcatur, non habeat. Habet mundus iſte, in quo aut potius quo vivimus ejuſmodi magnetes ſuos, eoſque valde multos ac varios qui non ferrum ſed animos & corda menteſque hominum ad ſe trahunt & abſumunt. Magnes ejuſmodi eſt DEus, cui dixit quædam anima. *Trahe me poſt te, curremus in odorem unguentorum tuorum.* Eſt quoque magnes, mundi vanitas, carnis voluptas, opum abundantia, honorum ſplendor. Munerum celſitudo. Magnes etiam eſt proprius amor, Iudicium, voluntas, libertas. Magnes, omnis concupiſcentia, ſenſualitas, pravi habitus & cõſuetudines, Magnes, omnis creatura & amor ejus inordinatus. Denique magnes etiam infernus, & ipſe dæmon, & D omnibus his pejus ac potentius peccatum. In tanta magnetum multitudine & varietate mirum quomodo miſer animus non diſcerpitur in partes. Valde diffi-

Digitized by Google

de difficilis & periculoſa deliberatio, cui magneti adhærendum, & tamen alicui neceſſariò adhærendum. Sed hac deliberandi, deligendique magnetis perplexitate liberavit nos ſi modò volumus, A Dominus noſter JESUS Chriſtus paſſus pro nobis, obtrudens planè ſemetipſum pro magnete, à quo ſecuriſſimè ſimul & ſaluberrimè trahi & abſumi poſſumus. O quantus, quàm efficax quàm inevitabilis magnes pendens & paſſus in Cruce IESUS? Credamus ipſi de ſemetipſo dicenti, virtutem ſuam magneticã deprædicanti. *Ego* (inquit) *ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum.* Et trahit revera, ſed nonniſi volentem, & quomodo volentem, ſi trahit? aut quomodo trahit, ſi volentem? At non tantùm neceſſitas trahit, *trahit etiam ſua quemq; voluptas*, non neceſſitas ſed voluptas, non violenta coactio, ſed ſpontanea affectio. Oſtendis puero nuces, & B trahitur, oſtendis ovi ramum viridem & trahitur, quià verùm eſt. Trahit ſua quemque voluptas. quid dico voluptas? trahit etiam quemque amata veritas. Hæc autem eſt Chriſtus, unde dicebat quidem Chriſto. *Magiſter ſcimus quia verax es, & viam DEi in veritate doces.* Trahit Dominus amore ad amorem diligite. *Sicut dilexi vos.* trahit obedientiã ad obediendum. *Sicut* (ait) *mandatum dedit mihi Pater, ſic facio.* Trahit paupertate ad pauperiem, & mundi contemptum. *Filius hominis non habet, ubi caput reclinet.* Trahit patientiã ad patiendum. *Oportuit Chriſtum pati & ita intrare in gloriam ſuam.* Trahit manſuetudine ad ignoſcendum. *Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt.* C Trahit lacrymis ad commiſerandum. *Videns JESUS civitatem flevit ſuper illam* Trahit humilitate ad humiliationem. *Ego Dominus & Magiſter, lavi pedes veſtros, & vos alter alterius debetis lavare pedes, exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.* Trahit doloribus ad condolendum: *Attendite & videte ſi eſt dolor ſicut dolor meus.* &c. *Chriſto in carne paſſo & vos eadem cogitatione armemini.* Trahit moriendo ad commoriendum. *Chriſtus paſſus eſt, ut nemo jam ſibi vivat, ſed ei qui pro omnibus mortuus eſt.* Trahit beneficio tanto, tamque inſolito ad gratias agendum: *quis enim non reddit bona pro bonis?* Ecce qualis magnes eſt Dominus noſter JESUS patiens pro nobis? Hic idem magnes trahit peccatores ad D pœnitentiam ad veniam, ad ſuam miſericordiam. Trahit pœnitentes ad ſuimet victoriam, abnegationem, mortificationem. Trahit proficientes ad ſuarum virtutum imitationem. Trahit perfectos ad devotum & ferventem liberalemque pro Divina gloria & pro ſalute proximorum laborem. Trahit contemplativos, ad ſuorum myſteriorum, perfectionum, dolorum contemplationem. Trahit divites ad ſui & mundi contemptum. Trahit delicatos ad vitæ auſteritatem & carnis afflictationem. Trahit ambitioſos ad fugam honorum & humilitatis ſtudium. Trahit iracundos ad manſuetudinem. Trahit diſcordes ad amorem inimicorum & condonationem injuriarum. Trahit invidos ad mutuam & ſinceram charitatem. Trahit afflictos ad patientiam & animi pacem. Trahit inquietos, ſolicitos, cupidos, ad fidendum Providentiæ DEi & committendum ſe ejus voluntati. Trahit tepidos ad fervorem, ferventes ad perſeverantiam, perſeverantes ad ſui nihilominus diffidentiam dicens eis. *Cùm omnia feceritis quæ præcepta ſunt vobis dicite. Servi inutiles ſumus, quod debuimus facere, fecimus. Sic quiquis perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.* O Homo, ô omnis homo adverte diligenter, in qua claſſe hominum prædictorum ſis. Ecce verus iſte magnes, trahit te ad ſe, vide ne recuſaveris clamantem ſeu trahentem te. Alicui magnetum adhærendum tibi eſt, ſed ſalutis tuæ æternæ intereſt à quonam traheris aut à quo attraheris, cuinam adhæſeris. Hunc magnetem ſpecta qui verus, non ementitus magnes eſt, qui omnia quòd in ipſo eſt trahit ad ſe, & ſalutem vitamque ſuam tribuit attractis à ſe. Qui tibi traxit Patris ſui miſericordiam, gratiam, veniam, charitatem, cœleſtem beatitudinem. Erisne tu homo immobilior omnibus ut iſte magnes qui gloriatur ſe *ad ſe trahere omnia*, unum ac ſolum trahere & attrahere te ad ſe non poſſit inter omnia. Vide ne quondam trahi velis à magnete iſto ad ipſum & non valeas trahi ſed repelli, habet enim magnes hoc in natura, ut unâ ſui parte trahat, alterâ verò repellat à ſe ferrum. Habet & hoc magnes noſter, qui aliquando dicet his qui à dextris ejus erunt. *Venite benedicti &c.* Illis verò, qui à ſiniſtris ejus erunt. *Diſcedite* (dicet) *à me maledicti.* Quòd tunc electum velles latus magnetis hujus, nunc illud elige, nunc illi inhære. aliàs ignorans nunc, ignorabitur tunc, repellens nunc, repelletur etiam tunc. O mi JESU; ô magnes vere. ô magnes perfecte, & in omni virtute conſummate, trahe me

Zzz ad te, &

ad te, & abſtrahe me ab omni ſpurio magnete, cui nunc ſponte renuntio, & me ad te ſolum converto. Tu ergo me volentem trahe, attrahe, aſſume, tuum cibum me fac, ut meus quoque unicus cibus ſit: A *Facere voluntatem tuam, facere quæ tibi placita ſunt ſemper.*

PARAGRAPHUS CXLII.

JESUS averſo ab Hieroſolymis vultu pendet.

Sap: 2. 15. *Gravis eſt nobis etiam ad videndum.*

Pſal: 65. 7. *Oculi ejus ſuper gentes reſpiciunt*

Hier: 18. 17. *Dorſum & non faciem oſtendam eis, in die perditionis eorum.*

Pſal: 9. 11. *Oblitus eſt DEus, avertit faciem ſuam ne videat in finem.* B

Exod: 10. 28. *Dixit Pharäö ad Moyſen. Recede à me & cave nè ultra videas faciem meam: quocunque die apparueris mihi, morieris. Reſpondit Moyſes. Ita fiet & locutus es, non videbo ultrà faciem tuam.*

STROMATA

1. Communis eſt Patrum ſenſus atq; adeò traditio, Chriſtum Dominum affixum cruci, in eâq; conſtitutum aversâ facie, dorſo, obverſo fuiſſe ad Hieroſolymam curârunt id Iudæi fieri, vel ut exoſiſſimi hominis, atque contēptiſſimi, hoc etiam dolore oculos cruciarent, ne civitatem intueretur. vel, ut eum indignum civitatis ſanctæ intuitu oſtenderent vel ne intuitu ejus urbs ſua veluti profanaretur; vel ne forſan urbē cernens, ei malediceret: vel ut eum hac etiam ratione teſtarentur totaliter de memoriâ, corde, animoq; ſuo, & de medio gentis ſuæ deletum, ſublatumque, vel ut ejuſdem faciem ipſi nequaquam ultrà intueri cogerentur, ſi quando verſo vultu versùs Calvariam proſpicerent. vel ut ſcelus ſuum, ab oculis ſuis amoverent, neque eo pungerentur. vel ut facinus ſuum omnibus publicarent. vel ut JESUM gentibus donarent, atque propinarent ejus oculos, gratiam, ſalutem, miſericordiam, &c. C

2. In qua re ſervierunt Iudæi odio ſuo, in hâc ipsâ re ſervierunt myſterio divino, & ſupplicio proprio. voluit enim Dominus aversâ ab Hieroſolymis facie mori, ut ſignificaret gratiam Iudæis quidem primùm oblatam, ſed ab eis malitiosè repulſam averti, amoveri, transferrique ab eis, & ad Gentes converti, deferrique quod & poſtmodum ex præcepto Domini factum eſt ab Apoſtolis. vnde Paulus dicebat Iudæis. *Notum ſit vobis quoniam gentibus miſſum eſt hoc ſalutare DEI, & ipſi audient.* Act: 28. 28. & alibi *vobis oportebat primùm loqui verbum DEI, ſed quoniam repellitis illud: & indignos vos judicatis vitæ æternæ. ecce convertimur ad gentes: ſic enim præcepit nobis Dominus.* Act: 13. 46. Hoc judicium decretumque ipſi quondā Iudæi de ſeipſis tulerant, quando narratâ ſibi à Domino parabolâ de agricolis malis. qui vineam ſibi à Domino habentes locatam: tēpore fructuum & ſervos, & ipſum etiam *Filium Domini ſui* occiderunt dicentes: Matt: 21. 33. *Hic eſt hæres venite occidamus eum & habebimus hæreditatem ejus, & apprehenſum eum ejecerunt extra vineam, & occiderunt.* Interroganti Domino JESU quid faciet Dominus vineæ agricolis illis? ipſi Iudæi reſponderunt Chriſto dicentes. Malos malè perdet: & vineam ſuam locabit aliis agricolis, qui reddent ei fructum temporibus ſuis. Et Chriſtus Dominus approbans illorum reſponſum, ſubdidit eis inter aliâ. Ideo dico vobis, quia auferetur à vobis regnum DEI, & dabitur genti facienti fructus ejus.

3. Omnis quidem peccator crucifigit Chriſtum peccando, & ſemper avertit faciem ſuam ab eodem: non tamen ſēper Chriſtus avertit faciem ſuam à quolibet peccatore, ſuoq; crucifixore: ſed à quibuſdam avertit, à quibuſdam non: ſic avertit à Saule, non avertit à Davide. Sic Iudam proditorem non reſpexit, Petrum negantem reſpexit. Latronem unum reſpexit, alium non reſpexit. Ab iis faciem avertit DEus, quos in peccatis derelinquit ad illos autem faciem convertit, quos ad pœnitentiam & veniam adducit Atque hoc eſt quod maximè peccantes timere debent, ne fortè DEus avertat faciem ſuam ab eis, & locum pœnitentiæ non relinquat. vnde quidam pœnitentiam dicebat. *Quis ſcit ſi convertatur & ignoſcat DEus:* Ionæ. 3. 9. & alius. *Reſpice in me* (ait) *& miſerere mei.* Pſal: 24. 16. Et iterum. *Ne projicias me à facie tua.* Pſal: 50. 13. Nihil enim poteſt evenire homini calamitoſiùs quàm projectum eſſe à facie DEI D & habere averſos oculos, Domini à ſe.

4. Avertunt Iudæi vultum Domini à ſe, convertunt autem ad gentes: & Dominus avertit ſe ab Iudæis & ad gentes

vertit:

vertit: quia pro uno populo Iudæorum, innumeræ gentes in Chriſtum crediderunt. Magno ſcilicet fœnore compenſata eſt DEo unius ruina & jactura ingrati populi: quia eo in duritiâ ſuâ permanente ſurrexit plurima gentium meſſis. Ex quo diſcant peccatores, quòd non DEo faciant damnum, cùm ſe ipſius voluntati legibuſq; ſubducunt: ſed ſci-
Luca 3. 8. ant, quòd ipſis pereuntibus, *in eorum locum DEus de lapidibus excitet filios Abrahæ*, longè meliores, ut comminabatur olim Ioannes Baptiſta ipſis Iudæis.

5. Nunc meritò dixerit Dominus Iudæis, quod olim dixit per Prophetam.
Ier: 2. 31. *Videte Verbum Domini. Nunquid ſolitudo factus ſum Iſraëli, aut terra ſerotina? Quare ergo dixit populus meus: Receſſimus non veniemus ultrà ad te? Nunquid obliviſcitur Virgo ornamenti ſui: aut ſponſa faſciæ ſuæ? Populus verò meus oblitus eſt mei, diebus innumeris.* Eſt quidem peccatum omne grave DEo, & ad medullas uſque pervadit, ſed nullum ſicut iſtud quod dicit DEo.
Iob. 21. 14. *Receſſimus non veniemus ultrà ad te.* & illud *Recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum*
Oſeeh. 9. 9. *nolumus.* Hoc enim demum eſt profundè peccare, hoc eſt de induſtriâ à DEo recedere.

6. Averſo ab urbe vultu pependit Chriſtus in Cruce: an infelix populus timuit ne fortè (ut paulò antè) *Videns JESUS civitatem fleret ſuper eam?* an ipſe Dominus avertere oculos voluit; ne aſpectu ingratæ urbis, & indurati populi excitaretur, ad feſtinatam iram & vindictam? an oſtendebat ſe paratum, & condonare, & obliviſci, & non videre ſcelera in urbe (contra ſe præſertim) patrata.

7. Averſo ab urbe ſuâ vultu voluerunt Iudæi Chriſtum pendere in Cruce: Crucem nudam urbi obvertentes, crucem autem Chriſti corpore tectam & occupatam à ſe amolientes: & ità prorſus evenit. Habuerunt & habent uſque hodie Iudæi nudam crucem ſine Chriſto, ſine ſalute, ſine æſtimatione, cùm interim Eccleſia ex gentibus obverſo ad ſe Chriſto, ſeu cruce cum Chriſto utiliſſimè ſaluberrimèq; fruatur. Hoc etiam evenit ſemper peccatoribus: dùm enim fugiunt crucem & repellunt cum Chriſto, cum merito, cum ſalute, cum profectu, obvertunt ſibi & accerſunt crucem omnino nudam, & crudam ſine ſolatio ſpirituali, ſine mercede æternâ, ſine Chriſti conſortio, cùm perditione certâ; interim autem juſti crucem habent quidem, ſed cum Chriſto, & pro Chriſto, pro DEo, pro juſtitiâ, pro virtute, pro conſcientiâ, pro æternâ vitâ: qualis crux, vix eſt crux: ſed potius vitæ præſentis beatitudo: dicente ipſo
Domino. *Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam.* Cujus rei teſtes ſunt Matt: 5. 10.
ipſi impii cùm fatentur, *ſe inſenſatos fuiſſe*, Sap: 5. 4.
æſtimâſſe vitam Sanctorum *eſſe inſaniam, & finem illius ſine honore.* Cùm aliter longè ſe res haberet, porrò ſe erràſſe in ſuâ vitâ, laſſatos eſſe in viâ iniquitatis, ambulâſſe vias difficiles, id eſt crucibus refertas; conſolatione; & conſortio, & præmio Chriſti planè vacuas.

8. *Diviſo Loth ab Abraham: ille habitavit in* Gen: 13. 14.
Sodomis: homines autem Sodomitæ peſſimi erant & peccatores coram Domino nimis: Dixit Dominus ad Abraham: Leva oculos tuos & vide, à loco in quo nunc es, ad aquilonem & meridiem, ad orientem & occidentem. omnem terram quam conſpicis, tibi dabo & ſemini tuo uſq; in ſempiternum &c. Id in Chriſto Domino impletum eſſe plus quàm evidens eſt: populus enim Iudæorum à Chriſto ſeparatus Hieroſolymam alteram Sodomam (ut eſt in Prophetis) ſibi obtinuit. JESUS autem verus Abraham omnem terram quam de cruce ſpectavit: id eſt paſſione ſuâ promeruit, obtinuit, & obtinet, obtinebitque uſq; ad fines terræ, & ad finem mundi Eccleſiam ex gentibus conflatam.

PARAGRAPHUS CXLIII.

JESUS inter latrones pendet medius. Ioan: 19. 18.

Et cum ſceleratis reputatus eſt. Iſaiæ 53. 12.
In medio duorum animalium cognoſceris. Abac: 3. 2.

STROMATA

1. Ducti fuerant cum Chriſto duo alii nequam ad crucifigendum: jam crucifixo Domino crucifiguntur & ipſi, ſtatuunturque juxta Dominum hinc & hinc: ipſo medio exiſtente, quod ad ſingularem Domini injuriam ignominiamque pertinuiſſe, vel id ſatis indicat, quòd adeò exactè res hæc ſit tradita ab omnibus Evangeliſtis: declaratumq; ſit ab iis, eſſe per hanc rem impletam ſcripturam quæ dicit: *Et cum iniquis reputatus eſt.* Iſa: 53. 12.

tus eſt. Neque tamen hoc factum eſt tantùm ideò, ut Chriſtus cum ſceleratis reputaretur, ſed etiam ut ipſe ſceleratus reputaretur; imò ut ſceleratorum caput affirmaretur: ideo enim affixerunt latrones hinc & hinc medium autem JESUM, ut oſtenderent ſummum latronem eſſe JESUM.

2. JESUS pendens medius inter latrones: Eſt veluti virtus inter duo vitia extrema ſua. Omnis enim ferè virtus in mediocritate & medio ſita eſt, duorum vitiorum ſibi oppoſitorum: exceſſus enim vel defectus à medio vitium eſt. Medium autem ab utroque declinans rectum eſt ac virtus. JESUS itaq; Magiſter, Dominus, fons virtutum, quid eſt mirum quod ſit in medio. Plerique putant ſolam & omnem virtutem eſſe in arduo, eſſe difficilem: & ideo in extremorum aliquod declinant: arbitrantes ibi difficultatem non fore: ſed errant & decipiuntur. Nam ſicut non ſolus Chriſtus fuit in cruce, qui fuit in medio. ſed etiam alii duo nequam, qui latera ejus cingebant crucifixi erant. Ita non ſola virtus, quæ in medio conſiſtit ardua eſt ac difficultates habet & mortificatione ſervatur, ſed etiam vitia virtuti oppoſita, habent ſuas cruces, habent ſuas difficultates & pœnas, & tam in hoc vitio, quàm in altero oportet te multa tormenta, multaſq; cruces: adeò ut non tantùm in Regnum cœlorum, ſed etiam in ſupplicia inferorum oporteat quemlibet per multas tribulationes intrare. ut videmus in his duobus latronibus, qui licet ambo crucifixi eſſent, tamen & bonus per crucem ac de cruce aſcendit in Paradyſum, & malus perinde de cruce ac per crucem deſcendit in infernum. Non ergo improbi juſtis inſultent, quaſi ſoli in hac vitâ miſeri ſint: nam & improbi ſine cruce & miſeriâ, & quidem graviore multo non ſunt. Neq; etiam juſti de improbis ſcandalizentur, nec in malignantibus æmulentur, quaſi via illorum proſperetur, nam & improbis præterquam quod plures aliæ cruces ſemper ſint, ipſa etiam
Prov. 1. illa quæ videtur proſperitas illorum, eſt
32. perditio eorum. *Proſperitas enim ſtultorum*
Iob. 21. *perdet eos. & Impii ſervantur in diem ma-*
30. *lum.*

3. CHRISTUS in medio latronum eſt. quia inter hominem & Angelum, utrumque apoſtatam & rebellem eſt conſtitutus; ac ſicut ibi latro unus blaſphemando periit, alter credendo ſalutem invenit: ſic Angelus in ſuâ apoſtaſiâ damnatus manſit, homo autem per gratiam Mediatoris, & mortem Redẽptoris vitam æternam accepit.

4. JESUS ſemper in medio. Si perſonam ejus ſpectes Divinam eſt inter Patris & Spiritus Sancti perſonam, media. Si attendas naturam: ea media eſt inter Angelos & homines. nam neq; purus homo propter Perſonam, neque purus Spiritus propter humanitatem. Inferior Angelis quoad humanitatem ſuſceptam. Superior hominibus, quoad perſonam Incarnatam. Si attendas officium. Mediator DEi & hominum eſt. Medius inter diſcipulos. Medius inter Moyſen & Eliam. Medius inter duos populos Iudæorum & gentium. Medius inter oves & hædos, inter ſalvandos & damnandos. Medius inter naturam & legem, interſerens utriq; gratiam. Medius inter duo animalia naſcens. Medius inter duos latrones moriens.

5. JESUS in medio latronum. Verè in medio eorum tunc fuit: quia ubique iis cinctus & undique fuit. *Amici* *Luca 23.*
& noti ejus à longè ſtabant. Pater Æternus *49.*
dereliquerat. Neque Angeli tunc miniſtrabant, ubique inter medios latrones erat JESUS, inter carnifices, milites, latrones, Phariſæos, Sacerdotes, Principes, Iudæos, gentiles; omnes iſti quantùm ad odium Chriſti latrones erant, & Chriſtus in medio eorum erat.

6. JESUS in medio latronum: verè inter eos medius erat: quia non tantùm ſitu locali inter eos medium tenebat? ſed etiam quia unus illorum blaſphemus, alter confitens erat; unus peccabat, alter pœnitebat: unus infeſtabat, alter defendebat, unus oderat, alter amabat; unus à Domino pœnam, alter præmium, unus mortem, alter vitam æternam recipiebat. uni in reſurrectionem; alteri in ruinam erat JESUS.

7. JESUS in medio latronum. Hæc eſt conſolatio & eruditio ſimul Iuſtorũ: conſolatio, ut cùm propter juſtitiam patiuntur calumnias, perſecutiones, odia, infamias, condemnationes, cum peſſimis quibusque comparationes, & infra peſſimos dejectiones, non cadant animo, neq; juſtitiam, quam tenere cœperunt, deſerant: ſed ſe IESU inter latrones damnato atque pendente, & cum ſceleratis, reputato, etiam à principibus hujus ſæculi, conſolentur. vix eſt gravior & oneroſior piis tentatio: quàm crucifigi, & cum ſceleratis reputari pro benefactis: præſertim quando & bonis eorum operibus, ſtudiiſque peſſimorum factorum

Digitized by Google

factorum,ſtudiorumq; veſtis & color inducitur, & hoc nomine affliguntur & odioſi fiunt, quo maximè honorari debebant,& accidit hoc etiam ab his qui præſides & judices, & in poteſtate ſunt. In tali paſſu juſtum aliquem deprehendi, & juſtitiam ſuam non deſerere, & animo non cadere, & in DEo ſpem pacemque inconcuſſam ſervare: hoc ego judicio JESUM inter latrones eſſe, hoc majus quiddam virtute judicio. Etenim pati crucem propter peccatum aliquod commiſſum: debitum eſt & juſtum; & qui illam infert, juſtitiæ opus facit: qui illam iniquo animo fert, bis iniquus eſt: qui illam æquo animo fert, ex reo juſtus efficitur: tamen pati crucem hoc modo: eſt non ferre crucem nudam: neque crucem JESU; habet enim admiſtam cauſam æquam crucis; pœnam ſcilicet peccato debitam At verò pati crucem propter virtutem, pietatem, juſtitiam, bonamq; operationem, ſub nomine virtutis, aut pietatis, aut juſtitiæ, ab his qui oderunt bonum, & pietatem, & rectitudinem: eſt quidem ita pati melius longè quàm priore modo; nondum tamen hæc crux eſt nuda, veſtivit enim ſe crux iſta molli ſatis veſte & pulvillo rectitudinis, virtutis, bonæ operationis, notæ omnibus, etiam his ipſis, qui ejus authores ſunt, eſto hoſtes boni ſiut. Quæ conſolatio in hujuſmodi cruce, ſatis mollificat crucis aſperitatem,& nondum eſt hoc eſſe JESUM cùm ſceleratis reputatum propriè: At pati crucem propter juſtitiam, virtutem, veritatem, pietatem, rectitudinem, bonam operationem: ſed ita ut juſtitia reputetur iniquitas, virtus traducatur eſſe malitia, veritas evincatur eſſe falſitas: pietas impietatis veſte induatur, bonitas & rectitudo detorqueatur in pravum: bona operatio appareat improba & transgreſſoria legis, & æquitatis. & hoc fiat non ab improbis, & notoriè malis, bonique inimicis, ſed fiat à perinde rectis & probis probatiſque, fiat apud majores, & à majoribus, fiat apud virtutis profeſſores, cultores, amicos, & fiat ab iiſdem, fiat apud cenſores, judices, cognitoreſq; recti, æqui, boni, & fiat ab iiſdem: & hoc ſubſtrato fundamento crucifigi, crucemque pati ab iiſdem: hoc demum eſt JESUM inter latrones eſſe,& cum iniquis ac ſceleratis reputatum eſſe: hoc eſt nudam & horridam & genuinè crudam crucem ferre: hoc eſt, ut dixi, aliquid virtute majus: hoc eſt ſtipendiis ſuis militare DEO: hoc eſt ad eum reduci ſtatum, ut neceſſe habeas exclamare. *Deus meus, DEus meus ut quid dereliquiſti me?* *Matt:27.* hoc eſt nucleum ipſum patientiæ comedere, patientiæq; ſaginari medullâ.

A 8. Docuerat olim JESUS leges accubitûs convivalis, *Cùm* (inquit) *invitatus fueris ad nuptias vade & recumbe in noviſſimo loco? &c.* *Luca 14. 10.* Invitatus JESUS ad menſam & nuptias crucis, venit & recubuit, non in noviſſimo loco, ſed in principe loco: medium ſiquidem id eſt principem inter latrones crucifixos locum accepit: tanquam ſcilicet omnium humilium & abjectorum Dux & caput: Princeps & Rex. Aliarum namq; menſarum lex iſta eſt, ut accedentibus ad eam modeſtia ſit neceſſaria, & ultimi loci aucupatio, quo poſſit haberi aſcenſus ad ſuperiora. Sed menſæ conviviiq; crucis alius eſt ritus: primi accubitus hic ſunt ambiendi & occupandi: quo-B niam periculum non eſt, ut dicatur taliter ambitioſo. *Da huic locum, incipiatq; noviſſimum locum tenere cum rubore.* *Ibid: ℣. 9.* Omnes ſiquidem ultimum locum crucis ad epulas volunt: ad primum rari feſtinant: proinde ad primum hic feſtinare perinde laudis eſt: atque in aliis menſis ad ultimum tendere eſt modeſtiæ. Duriſſimus quidem eſt in epulis & nuptiis crucis principatus, verumtamen tutiſſimus: quoniam *tantum quiſq; proficiet, quantum ſibi ipſi vim intulerit*: *Thomas à Kempis: lib. 1. c. 25.* quantùm ſcilicet in crucis accubitu & deliciis ambiendis primus erit.

9. Dignum conſideratione eſt: quòd cum Domino IESU crucifixo nemo juſtorum crucem aſcenderit: ſoli la-C trones & ſcelerati, eum in cruce aſſociant. An nullus erat in mundo qui non latro fuerit, ita ut juſtus ad conſortium crucis nullus, qui vocari poſſet, inveniri potuerit? An etiam hic locus eſt illi obtrectationi Iudaicæ. *Ecce hic peccatores recipit: & non tantùm manducat ſed etiam in cruce pendet cum illis?* *Luc:15.2.* Certè JESUS *venerat non juſtos* (qui enim erant?) *ſed peccatores vocare ad pœnitentiam*: *Luca 5. 32.* id eſt ad crucem. quid enim pœnitentia ſine cruce? imò quid pœnitentia niſi crux? Quidni ergo in cruce cum Chriſto latrones eſſent: quandoquidem maximè in cruce JESUS in peccatores benignus eſſet, & de cruce & ad crucem peccatores vocaret? Diſcant peccatores IESUM amare in cruce, IESUM co-D mitari ad crucem; cùm JESU pendere in cruce, à JESU pendente in cruce ſalutem & veniam ſperare, ſed ita ut & ipſi affixi ſint cruci. Affixi inquam?

nam verè pœnitentem manere oportet in pœnitentiâ. quod nihil eſt niſi affigi cruci. Pœnitere enim hodie, & cras à pœnitentiâ ad pœnitenda patranda redire: hoc non eſt pœnitere, ſed Chriſtum illudere. imò & crucifigere, vel (ut ait Ambroſius) *in Chriſto luxuriari.* lib. 2. de Pœni: c. 10 Ille *fructus dignos facit pœnitentiæ*, qui ſe ita addicit operibus, ita affigit cruci pœnitentiæ, ut nunquam deſcendat de cruce pœnitentiæ, nunquam iterandam, ſed ſemper continuandam putet pœnitentiam. Luc:3.8 Quâ in re felix eſt Religioſorum conditio: quorum ſtatus, cùm ſit ſtatus pœnitentiæ: quem propter vota emiſſa deſerere nec volunt, nec poſſunt: ideò ipſi ex vi ſtatûs ſui verè affixi ſunt cruci cum Chriſto: & totâ vitâ ſuâ inhærent operibus pœnitentiæ. Si tamen inter eos non reperiantur etiam latrones blaſphemi & illuſores: qui de cruce non migrent in Paradyſum; ſed deſcendant in infernum.

10. JESUS cum ſceleratis reputatꝰ, & cum latronibus in cruce pendet. Vltimum eſt hoc tempus, quo Chriſtus cum peccatoribus converſatur: poſt reſurrectionem cum nullo peccatorum verſabitur: nulli peccatorum apparebit glorioſus. Feſtinate peccatores, feſtinate, neq; pœnitentiam in longum differte: Ioan.12. 35. *Sed ambulate dum lucem habetis*: & ne vos tenebræ comprehendant. Dum hic vivitis, etiam JESUS vobiſcum degere paratus eſt: imò propter vos in cruce quodammodo pendet: quoniam vobis ad participationem mortis & Paſſionis ejus aditus patet. Sed ſi tardatis converti ad Dominum, ſi Dominus reſurrexerit à mortuis, & vos in morte peccatorum veſtrorum reliquerit: Ioan:8. 21. *quæretis eum & non invenietis, & in peccatis veſtris moriemini*: quia quò ille abiit vos non poteſtis venire: nam poſt mortem veſtram apud glorioſum & judicem JESUM, non eſt amplius locus pœnitentiæ neq; indulgentiæ.

11. JESUS inter latrones. Quis JESUM inter latrones intuens pendentem credat innocentem, credat Sanctum, credat honore dignum, credat Salvatorem, credat JESUM? O quàm cæca, & ad errandum ſunt prona hominum ſive judicia, ſive ſtudia. Quem ſuper Angelos exaltare debuerant, hunc latronibus poſtpoſuerunt. Cujus vitam & ſalutem, & honorem, ſuâ vitâ, ſalute, honore redimere debuerant; hunc in cruce cum latronibus occiderunt. Conſolamini vos propter nomen JESU contempti, blaſphemati, afflicti, odio habiti, inter improbos, inter impios, inter nequiſſimos computati: habetis JESUM ſimilem veſtrî in medio veſtrî. *At vos nolite in judiciis veſtris confidere: neq* Rom: 11. 25. *apud voſmetipſos ſapientes eſſe, qui abundatis in ſenſu veſtro, & falſum judicium judicatis*: quantos enim reperietis Sanctos, & innocentes, apud DEum ex his, qui à vobis in cruce condemnationis, cenſuræ, opinionis, detractionis, calumniæ, convitii, inter ſceleratos quoſque ſuffixi penderunt, & ad omnium ludibrium expoſiti fuerunt? Ita fecerunt, ita voluntariè & malitioſè erranti animo ſuo induſerunt Iudæi, in Chriſto JESU: Sed quando hoc erit, aut quis hoc mortalibus perſuadebit? *ut diſcant non ſecundùm faciem judicare: diſcant verum judicium judicare, diſcant non judicare quenquam*: Ioan:7. 24. Ezech:7. 9. diſcant à cenſuris, ab odiis, à contemptibus, ſervorum DEi abſtinere? *Nolite judicare & non judicabimini*: Matt:7. 1. & Sq. nolite condemnare & non condemnabimini: in quò enim judicio judicaveritis, judicabimini, quâ menſurâ menſi fueritis, remetietur vobis. At hæc quamvis ex ore ipſius veritatis homines audiunt, tamen non credunt, nec metuunt. Quæ tamen ſi vera ſunt, (uti omnino non poſſunt non eſſe niſi veriſſima) oſtendunt nullis hominibus certiorem eſſe paratam damnationem & perditionem, quàm cenſoribus & obtrectatoribus aliorum, quorumlibet quidem, at præcipuè DEI ſervorum. Quoniam ſi vis horum verborum Domini introſpiciatur: impoſſibile eſt cenſoribus & judicibus aliorum ſalvos eſſe, adeò ut etiamſi cætera ſint innocentiſſimi, & omnino vitâ ſaluteque æternâ digniſſimi, neceſſariò tamē ſint condemnandi, etiam quodammodo (ſi id foret poſſibile apud DEum, & in illo futuro ſæculo) per iniquitatem & depravatum judicium. quia enim dicit Dominus. In quo judicio judicaveritis aut damnaveritis, in eodem judicabimini, & damnabimini; conſequens eſt, ut ſi iſti iniquo judicio hic judicârunt, & damnârunt apud ſe, vel coràm aliis, alios, etiam & ipſi in futuro ſæculo judicentur, damnenturque iniquo judicio & calculo. Et quamvis iſthic iniquitas eſſe non poteſt, tamen ſi aliter iſti critici & cenſores, judicari & damnari non poſſent, iniquitate tamen mediante judicandi & damnandi eſſent: ut quâ menſurâ illi menſi ſunt alios, etiam ipſi eâdem menſurâ menſurentur, & quâ menſurâ menſi ſunt, aliis hic damnationem, in-

nem, infamiam, nomen malum &c. eâdem menſurâ remenſam ſibi accipiant, ſibi damnationem & pœnam æternam. Nemo ergo audeat alium in cruce infamiæ inter latrones deputare ac figere. Sed timeat ne fortè quem condemnat, quem infamat, quem traducit, non latro ſit ſed JESUS, non nequam ſit ſed juſtus, ne fortè quâ iniquitate ipſe ad damnandum alterum proſilit, eâdem ſuâ ipſe damnetur: neque alia in eo requiratur cauſa condemnationis, præter ſolam iniquitatem, iniquæ ac præſumptæ in alium damnationis.

12. JESUS inter latrones medius. Omnia quidem tam Iudæi, quàm dæmones Iudæorum inſtigatores, contra Chriſtum, in hoc machinati ſunt, ut non tantùm Chriſtum, de medio tollerent quoad vitã, ſed etiam quoad bonã famã & memoriam, peculiari tamen invento, mediæ inter latrones crucifixionis hoc agebant, ut JESUS in oblivione, in odio, in execratione, in opprobrio ſepultus ſemel, ab hominum animis excideret periretq; ſemper. Sed quid eſt malitia creaturarum, ad Sapientiã DEi? per quod obſcurari volebant Chriſtum, per hoc illuſtrior evaſit, & prædas ex inimicis ipſis egit Dominus JESUS: prædas (inquam) tum ſalvationis hominum, tum glorificationis ſui, quid enim glorioſiùs Chriſto, quid contumelioſius diabolo, quid doloroſius Iudæo eſſe potuit, quàm in cruce inter latrones, ab uno latronum cum eo crucifixorum, agnoſci JESUM pro DEo, pro Meſſia, pro Rege, pro Salvatore, pro innocente, & ab uno latrone, condemnari totum cætum Principum & Phariſæorum Iudaicorum. *Ita Dominus JESUS metit, ubi non ſeminat, ita ex malis bona eruit:* ut intelligant ſervi DEi, nulla ſua adverſa deflere aut formidare, ſed vel ab hoc exemplo diſcere: facillimum ac familiariſſimum eſſe DEo, ex ſervorum ſuorum injuriis & damnis, ſaluberrimos ſuaviſſimosq; fructus, & manipulos gloriæ, ſuæ, profectûs ipſorum, ſalutis aliorũ demetere. Matth: 25. 24.

13. JESUS inter bonum & malum latronem. Sic jam præluſit Dominus in cruce pendens, operi ſuo quod facturus eſt in ſublimi ſolio Iudex reſidens. Pro hac ad crucem damnatione & affixione IESUS, judiciariam poteſtatem, ſuper mundum univerſum accepit: ut ergo poſſeſſionem ejus poteſtatis acciperet, ejuſque uſum & exercitium re ipsâ faceret, ideò inter latrones pependit duos: quorum unus ſalutem, alter damnationem, unus Paradyſum alter infernum reciperet: jamque per hoc nunc oſtenderet, quod in ultimi judicij die univerſum humanum genus ad judicandum congregatum, biſariàm dividendũ eſſet: oves quidem à dextris, hædi autem à ſiniſtris Chriſti collocandi: quorum illis vitam æternam, his autem ſupplicium æternum, juſto, & æternùm non mutando, decreto collaturus Chriſtus eſſet.

14. JESUS inter latrones pependit: quia hoc requirebat manifeſtior gloria, & virtus tam Chriſti, quàm crucis ejus. Etenim cùm non ſolus Chriſtus pependiſſet in cruce, ſed cum duobus aliis: & tamen nullius aliûs vel crux, vel mors clarificata eſt per orbem, honoremve accepit, præter ſolius Chriſti, & ſolum Chriſtum, tantò evidentior facta eſt Domini noſtri patientia, & innocentia, quantò per adjunctas aliorum crucifixiones, & crucis ſteriles, & inglorias remanentes, facta eſt comprobatior. Nam ſicut in nativitate ejuſdem Chriſti, *ſtellâ Magos* ad ejus adorationẽ eum muneribus adducente, cæteris tunc etiam natis neglectis, clariora eluxerunt Chriſti cunabula, aut ſicut *virga Aaronis* cum virgis aliorum Principum in tabernaculo depoſita, eò illuſtriore miraculo floruit, quod non ſola una, ſed cum pluribus ſterilibus manentibus depoſita fuit; ita crux JESU per hoc facta eſt glorioſior, quòd licèt non ſola fuerit, & tamen ſola, virtute ejus quem portavit, mundum domuit, ſibiq; ſubjecit, & quæ Chriſto data fuerat in probrum ſummũ: facta eſt à Chriſto & per Chriſtum in honorem ſummum. Matt: 2. 9. Num: 17.

PARAGRAPHVS CXLIV.

JESVS Nazaræus Rex Iudæorum.

Scribe, & ſuper buxum, & in libro diligenter exara illud: & erit in die noviſſimo in teſtimonium, uſq; in æternum. Iſaiæ 30.

Ne diſperdas: David in titulum inſcriptionem. in ipſis titulis Pſalmorum citatorum. Pſal: 56. 57. 58.

STROMATA

1. CRucifixo Domino: affixus eſt titulus hujuſmodi. *JESUS Nazarænus Rex Iudæorum*: ſcriptus à Pilato, hoc fine ut conſtaret omnibus ejus necem ſpectantibus, vel cauſam ſcire necis volentibus, quânam de cauſâ, & quodnam ob facinus hac morte eſſet punitus. Ergo hoc titulo notata eſt ambitio Domini noſtri: quaſi ſcilicet Regnum Iudæorum, homo alioqui privatus & abjectus ambjiſſet, ſeditioniſq; ac rebellionis caput contra Tyberium & Romanos eſſe voluiſſet: propterea crucis patibulum & mortem promeruiſſet. Voluit etiam hoc titulo Pilatus juſtificare iniquum decretum ſuum in IESUM: & illud quòd aliàs de ejus innocentia profeſſus fuerat abolere: atq; quod tandem ambitionis reus compertus eſſet, ideoque ad crucem meritò damnatus foret demonſtrare. Non placuit tamen per omnia titulus iſte Iudæorum Principibus, tanquam timentibus ne quis crederet verum & legitimum Regem Iudæorum, in contumeliam Iudæorum, à Pilato cruce damnatum fuiſſe, ideò ſuaſerunt Pilatò di-

Ioan: 19 21. centes. *Noli ſcribere Rex Iudæorum. Sed quia ipſe dixit Rex ſum Iudæorum*: at Pilato mutationem minimè perſuaſerunt ſed reſpondit eis. *Quod ſcripſi ſcripſi.* Sive ſit verè Rex, ſive ambitione eſſe voluerit Rex Iudæorum: non intereſt: ſtat non mutare quòd ſcripſi.

2. Quæcunq; fuerit intentio Pilati in hac ſcriptione: certum eſt titulū hunc Domino noſtro non tam exprobratorium, quàm revera aſſertorium Regni fuiſſe & eſſe. Hoc enim titulo promulgatus eſt Dominus IESUS toti mundo Rex verus non tantùm Iudæorum: quantùm ad illum ingratum populum; ſed Rex omnium omnino hominum, qui illum tanquam Regem ſuum agnoſcere, in eum credere, eum confiteri tenentur: obliganturq;, ſi non propter aliud, propter ſolam mortem crucis: quoniam *regnavit à ligno DEUS* & quoniam

Ioan: 12 32. *exaltatus à terra omnia trahere ad ſe*, omnia ſubjicere ſibi debebat. Hoc titulo proclamatus eſt Dominus IESUS, Meſſias verus & DEus verus, in lege Iudæis promiſſus & miſſus: qui ſecundùm legem ipſorum, & ſecundùm figuras atq; prophetias, mori debuit in cruce, & de facto in eâ jam affixus pependerit: prædictaq; de ſe impleverit. Hoc titulo, divulgata eſt victoria Chriſti, & denunciatus triumphus ejus de omnibus inimicis ſuis, & Patris, & humani generis, & poſiti ſunt omnes ſcabellum pedum ejus: & cruci tanquam arcui triumphali, Nomen, Patria, Dignitas, victi, ſeu ſubditi, victoris, inſcripti ſunt triumphumque firmant & celebrant. Hoc titulo coronatus eſt Dominus IESUS in Regem: & ideò ſuper caput ejus affixus titulus iſte fuit, tanquam ſi eſſet diadema capitis impoſitum illi. *in die deſponſationis & Regni ejus.* Hic titulus ornavit caput Domini noſtri tanquam laminâ aureâ quæ ſummi pontificis ornabat caput, & habebat *ſcriptum nomen ineffabile*: quòd nomen in veteri lege parùm cognitum, nunc autem eſt cantatiſſimum: *Nomen ſcilicet JESUS, in quo nomine omne genu flectitur & curvatur.* Neque dubitem cohorruiſſe tunc omnes infernas poteſtates, ad conſpectum ejus Nominis Sacroſancti atque tremendi ſuper caput Domini appoſiti: ideoq; velut deſperata cauſa ſimulâſſe Iudæos, ad perſuadendam Pilato immutationem tituli. Hoc titulo coronatus eſt noſter IESUS, verus filius David, & verus David: non ſecùs ut olim David Rex qui *tulit coronam de capite Melchon*, & invenit in eâ auri pondo talentum, & pretioſiſſimas gemmas: fecitq; ſibi inde diadema. Talentum auri in titulo Chriſti, eſt nomen ſanctiſſimum IESU, reliqua ſunt tanquam gemmæ pretioſiſſimæ, ornantes caput Domini, & enarrantes magnalia ejus quæ fecit. Hoc titulo enucleata eſt plenè univerſa cauſa mortis Domini noſtri, imò & totius vitæ oeconomiæq; ejus in mundo. IESUS enim mortuus eſt: quis fuit & eſſe debuit totius mundi IESUS, ſeu ſalus & Salvator: Salvator autem à peccatis: propter quā ſalvationem oportebat eum mori & ſanguinem fundere, ut implerentur veteres figuræ, in quibus nullius unquam *peccati fiebat remiſſio, niſi effuſo aliquo ſanguine*: ut ergo IESUS ſalvum faceret populum ſuum à peccatis eorum oportebat ut ſanguinem ſuum funderet. Deinde verò Nazarænus IESUS debebat: quia ſanguine ejus debebat Eccleſia rigari & fœcundari, floridaq; & fructifera reddi: *ferreq; fructum triceſimum in pœnitentibus*, ſexageſimum in proficientibus, centeſimum in perfectis: ferre fructum & florem virtutum omnium, in omni ſtatu, ætate, ſexu hominum: ferre fructum in confeſſoribus, in virginibus, Martyribus &c. Propterea Rex IESUS debebat mori: ut regnare poſſet à ligno: & fieret principatus ejus ſuper humerum ejus: redimeretque nos auro vel potiùs plus quàm auro ſanguinis ſui: ſicut dixit Apoſtolus.

Margin: Cant: 3. 11. — Exodi 28. 36. — Phil: 2. 10. — 1. Paral: 20. 2. — Hebr: 9. 22. — Matt: 13. 8.

Digitized by Google

1.Cor:6. 20. poſtolus. *Empti enim eſtis pretio magno.* Et *non corruptibilibus auro & argento, ſed pretioſo ſanguine*, quaſi agni immaculati Chriſti. 1.Petr:1. 18. & 19. ut præterea regeret omnes populos in virgâ ferreâ, virgâ ſcilicet crucis, quæ Pſal. 2. 9. erat virga directionis, virga regni ejus. Pſ:44.7. Denique Rex Iudæorum IESUS mori debebat. Hoc enim in lege & Prophetis prænunciatum fuerat, Meſſiam ex Iudæis eſſe debere: unde & ipſe Dominus dixerat Samaritanæ: *Nos ſcimus quia ſalus ex Iudæis eſt.* Ioan:4. 22. & hoc Regnum præcipuè per mortem acquirere debebat, IESUS, facereque ſibi acceptabilem populum, populum utique confitentem, & non erubeſcentem de cruce Domini ſui Regiſq; ſui IESU Chriſti. Auguſtini verba ſunt Tract: in Ioan: 117. *Nonne occulta vox quædam Pilato intus, quodam ſi dici poteſt clamoſo ſilentio perſonabat, ne corrumpas tituli inſcriptionem.* Hinc patet non abſque divino conſilio, ac planè veluti prophetico afflatum ſpiritu (uti & Caiphas) à Pilato hunc titulum Domino fuiſſe ſcriptum, ſuperque caput ejus in cruce poſitum, fruſtraque mutationem ejus à Iudæis tentatam.

3. Scribit Pilatus Gentilis titulum IESU in cruce pendenti: vocatque eum Regem Iudæorum & Nazarænum. Contrario utique ſpiritu per omnia Iudaicis ſtudiis, illi enim nec Chriſtum, nec IESUM appellare Illum, nedum agnoſcere, aut ferre poterant, ſed Pilatus IESUM vocat & ſcribit, illi IESUM Regem abnegabant: at Pilatus IESUM vocat Regem & ſcribit: illi volebant IESUM cum memoriâ ipsâ abolere, & eradere de terrâ: at Pilatus eum *Nazarænum, florentem, floridum,* germinantem vocat & ſcribit: Ioan:19 15. *illi JESUM Regem ſuum negabant, & pro Rege Cæſarem ſe habere clamabant*: at Pilatus eum Regem Iudæorum vocat & ſcribit: quid hoc quæſo aliud eſt, niſi demonſtrare divinum de gentibus ad Chriſtum vocandis conſilium? quòd quem Iudæi genus utique ſuum negabant: Gentiles agnituri, confeſſuri, complexuri, amaturi, tanquam Regem ſuum, tanquam Nazarænum, tanquam verum JESUM Salvatoremq;, erant: iſtoq; modo pro carnalibus Iudæis negantibus, Iudæorum ſpiritualium & verè fidelium atq; credentium & confitentium, JESUS Rex eſſet futurus, & in eorum fide, amore, cultu, imitatione, poſſeſſione ſemper Nazarænus, ſeu floridus, florens, germinansque permanſurus: Planèque hoc videmus oculis & manibus cordibusque tenemus impletum in Eccleſia gentium quantumvis enim Iudæi conentur obſcurare titulum hunc, & negare IESUM eſſe Regem, eſſe Nazarænum, tamen Eccleſia reſpondet eis & dicit: *quod ſcripſi ſcripſi*, quod Actor: 8. 37. credidi, *Credo Filium DEi eſſe JESUM*, IESUM Nazarænum, Regem Iudæorum, in ſpiritu eſſe, Salvatorem mundi, regnare à cruce, in domo ſpiritualis Iacob in æternum, regnique ejus finem fore nullum.

4. *JESUS Nazarænus Rex Iudæorum*: Quid eſt hoc aliud quàm invitatio univerſorum ad IESUM? Nam quis audiens aut legens IESUM non ſperet, non quærat, non amet Salvatorem, ac ſalutem: præſertim ita non in abdito ſitam: ſed omnibus in propatulo & publico expoſitam? quid proſunt alia ſi IESUS, id eſt ſalus Salvatorq; abſit? quid obſunt cætera, ſi IESUS Salvator & ſalus ad manum ſit? Quis Nazarænum videns & habens, non refloreſcendi & germinandi ſpem ac vires concipiat? Iam nemo dicet. *Ego lignum aridum*: aruit Iſaiæ 56. 3. ſpes mea. Ecce enim IESUS, & quidem ipſe Nazarænus eſt: facit florida germinantia omnia. *Date florem Moab:* Iere: 48. 9. *egrediatur floridus*: quisquis enim quantumvis exoſus & execrabilis ſit florem IESUM acceperit, *continuò & ipſe egredietur floridus, erit florens, & germinabit radix ejus coram Domino.* Oſeæ 14. 6. Quanti Moabitæ hoc eſt peccantes exemplo id ſuo docent, qui quotquot florem IESUM amplexi ſunt, quotquot IESUM crucifixum amaverunt, illicò effloruerunt & germinaverunt in florem & fructum acceptabilem Deo. Quis Regem videns IESUM, non continuò exuat ſe vinculis tartareæ ſervitutis, & adhæreat Regi Chriſto Regi à ligno regnanti, Regi ſervitutem illam ad lignum inobedientiæ ſuaſu ſerpentis contractam, ad hoc lignum obedientiæ juſſu Patris abolenti & diſſolventi, atq; in libertatem Filiorum DEi omnes liberaliſſimè aſſerenti? Quis videns Regem Iudæorum IESUM: non & ipſe velit ex Iudæis iſtis eſſe, quibus gaudet IESUS Rex eſſe? Iudæis dico non carne ſed ſpiritu, non litterâ, ſed gratiâ, non nomine, ſed re, non appellatione, ſed confeſſione. Tales enim quærit IESUS Iudæos: qui confiteantur, quia *Dominus noſter JESUS Chriſtus in gloria eſt DEI Patris*, & Phil: 2. 11. ipſe Pater quoque tales quærit adoratores, *qui adorent eum in Spiritu & veritate.* Ioan: 4. 23.

5. *JESUS Nazarænus Rex Iudæorum.* Diceret Sponſa. Oleum effuſum nomen tuum: nam quid aliud IESUS Nazaræ-

Digitized by Google

nus Rex Iudæorum in cruce pendens, Cant:1.3. *niſi oleum effuſum. Oleum effuſum ad ſalutem* & ideò JESUS: oleum ad nitorem, & ſanctificationem & ideò Nazarænus, oleum ad unctionem, & ideò Rex, Sacerdos, Propheta Chriſtus. Oleum ad lucem: & ideò Iudæorum: *ipſe eſt enim* Ioan: 8. 12. *lux mundi: & illuminatio omnium venientium in hunc mundum. & lumen ad revelationem gentium.* Luce 2. 32. Ergo bene JESUS Nazarænus Rex Iudæorum explanari ſic poteſt cum ſponſæ ſenſu ac fide, oleum effuſum nomen tuum.

6. Titulus crucis Dominicæ ſcriptus fuit triplici idiomate, Hebræo, Græco, Latino. ut ſcilicet cauſa mortis ignominiaq; Chriſti poſſet legi intelligique ab omnibus: tam indigenis, quàm advenis, tum Hieroſolymæ præſentibus: per hoc tamen factum eſt ut mors Domini jam tunc ſignificaretur vulganda,& recipienda eſſe per omnes gentes, & omnium gentium linguis ubique prædicanda: Regnumque Chriſti ubique vulgandum: plantandum, recipiendum. Hoc etiam trium præcipuarum linguarum uſu in titulo Dominico ſcribendo, ſignificabatur Doctrinæ, fidei, legiſque Chriſti antiquitas, ſanctitas, ſapientia, potentia. Antiquitas quidem per linguam Hebræam; quæ omnium eſt antiquiſſima, & Fides Chriſti, ejuſque Eccleſiâ ab Adam uſq; ducit originem: per eandem linguam ſanctitas, ut enim hæc ſola lingua ſancta dicitur, utpote concreata à DEo hominibus: & adeò myſteriis ſuis ſacris adhibita: ita in ſola doctrina Chriſti veritas, ſanctitas, puritaſque Divinæ legis invenitur. Sapientia deſignabatur per Græcam: Græci enim ſapientiam quærunt (ait Paulus) & eloquentiam, ſed præ lege Chriſti omnis ſapientia ſtulta. omnis eloquentia muta eſt. Potentia denique Majeſtas, efficacia, amplitudo, dilatatio, gloria ſignificabatur, per Latinam ſeu Romanam linguam. Nam ut eſt *in Daniele* de hoc imperio dictum ſicut ferrum domat omnia, ita illud omnia alia regna perdomuit ac ſubjecit ſibi; ita etiam dici poteſt, quòd ſicut Romana poteſtas inſtar ferri omnia regna domuit & obtinuit in ſuâ potentiâ prout alibi ſcriptura loquitur de eâ,ita Chriſti fides. ac Doctrina pervicit omnia & domuit, dilatavitque imperium Eccleſiæ per omnes gentes, non abſq; patientia. 1. Mach: 8. 3.

7. Ex tribus idiomatibus quibus titulus crucis ſeu cauſæ Chriſti,fuit ſcriptus, ſupremo loco fuit Hebræum,medio Græcum, infimo Latinum: proinde ſequitur fuiſſe Chriſto Domino maximè vicinum: quâ vicinitate videtur ſignificare voluiſſe Dominus, ſuæ crucis gloriam, ſuæ doctrinæ puritatem, ac integritatem, ſuæ Eccleſiæ domicilium ac ſedem, ſuum denique cultum & laudem maximè ſtabiliter in Latio perſeveraturam.

8. *JESUS Nazarænus Rex Iudæorum.* Sicut qui domum aliquam emunt, aut qui civitatem occupant poſſidentve: ſua in eâ inſignia, nomina, ſtemmata, poni faciunt: priorum verò poſſeſſorum deponunt & abolent; ita Dominus JESUS cùm jam poſſeſſionem crucis, & per crucem orbis: humanique generis adiiſſet, & diabolum debellâſſet, Iudæorumque omnem furorem, uſque ad eorum defectionem eviciſſet: tanquam legitimus poſſeſſor, & bello victor triumphatorq; titulum ſuum cruci & orbi, apponit: oſtendens *exnunc jam nihil eſſe juris diabolo, nil peccato, nihil morti, nihil inferno in mundum & hominem:* Colos. 2: 14. proinde omnia antiqua chyrographa, omnia jura nobis côtraria, eripit, diſcerpit, & abjicit, ſuum verò titulum apponit & adſcribit. JESUS Nazarænus Rex Iudæorum.

9. *JESUS Nazarænus Rex Iudæorum.* Negaverunt Iudæi ante faciem Pilati Chriſtum ſe Regem habere atque agnoſcere hoc ut fruſtra & malitiosè factum eſſe ab eis conſtet: in cruce Chriſti titulus apponitur & expreſsè ſcribitur. *JESUS Nazarænus Rex Iudæorum eſt.* Dicite & vociferemini. *Nolumus hunc regnare ſuper nos:* tamen *JESUS Nazarænus Rex Iudæorum*, ſuclamate magìs ac magis. *Tolle, crucifige eum.* tamen *JESUS Nazarænus Rex Iudæorum.* Fruſtra eſtis fruſtra: Pilatus quòd *ſcripſit, ſcripſit*, & eſt ſicut *ſcripſit. JESUS Nazarænus Rex Iudæorum.* Crucifigite, inter latrones ſtatuite; in altum levate, à civitate veſtrâ avertite: tamen *JESUS Nazarænus Rex Iudæorum*: totus hoc orbis legit, totus novit, totus teſtatur, *quia JESUS Nazarænus Rex Iudæorum.* Quando JESUM crucifixiſtis tunc Regem, & veſtrum quidem feciſtis: quando *fratres ſui Ioſephum vendiderunt in Ægyptum, ne ei prodeſſent ſomnia ſua*, Gen: 37. hoc eſt ne regnaret ſuper eos: tunc eum fecerunt ſuum Principem: tunc ei viam ad principatum aperuerunt: ita vos Iudæi, dum Chriſtum quaſi à veſtro regno amoturi crucifixiſtis, in cruce Regem veſtrum feciſtis, regnumque ejus firmâſtis. Firmâſtis: quia eum non tantùm in Regni ſolio, Regioq; throno collocâſtis; ſed etiam

ſed etiam affixiſtis: omnia ſcripturarũ oracula impleſtis: & Meſſiam hoc eſt Iudæorum, ſeu veſtrum Regem oſtendiſtis ſimul, ac feciſtis. Quare meritò tãquam inſultans, vel exprobrans vobis A malitioſum errorem, fruſtraneumq; conatum veſtrum in excutiendo abolendoq; Chriſti Regno, Pilatus eum titulum ſcripſit: quo *JESUM Nazaræṅum Regem Iudæorum* in perpetuam memoriam, & propter omnium notitiam promulgavit. Eſtq; tunc impletum à Patre æterno in Chriſto, quod olim per os David prædixerat de eodem Chriſto. *Illuc producam*

Pſ: 131. 18. *cornu David paravi lucernam Chriſto meo: Inimicos ejus induam confuſione: ſuper ipſum autem efflorebit ſanctificatio mea.* Perductũ eſt enim jubente Patre, miniſtrante malitiâ veſtrâ ad crucem Regnum Chriſti: per quam glorificatus & exaltatus, factus eſt, ut Simeon etiam prædixerat, ſalutare DEi (ſive JESUS Salvator) B *paratum ante faciem omnium populorum, lumen ad revelationem gentium*: tanquam *vera lux mundi*: poſt hæc autem & per hoc *induti ſunt inimici ejus Iudæi confuſione*, nihil commodi ſolatiive ex Chriſti crucifixione reportantes præter ſcelus & pœnam & confuſionem ignominiamque ſuam. Nam Chriſtus Rex Iudæorum & omnium deinde nationum eſt & permanet: effloreſcitque ſuper eum, *ſanctificatio Patris*: nec marceſcit aut ſteriliſcit in cruce gloria & memoria & potentia & ſanctitas & efficacia ejus: ſed potiùs effloreſcit ſuper eum, ſuper caput ejus titulus gloriæ ejus, *JESUS Nazaræṅus Rex Iudæorum*: effloreſcit ſuper eum: quia etſi infernè ſecundùm exteriorem humanitatem, humiliatus, abjectus, ſaucius, C plagis conciſus, deſpectus, ſuper eum tamen gloria ejus, ſanctificatio ejus, Majeſtas, potentia, virtus, innocentia, efflo-

Ita aliqui legunt & vertunt hæc verba Pſal: reſcit tanquam *verus Nazaræṅus, Domino Sanctus, & effloreſcit Nazaræitas ſua ſuper eum.* quia quantum emarcuit per paſſionem in carne: tantum effloreſcit & fructificat in virtute, & gloria, & Eccleſia. Quamobrem huc bellè quadrat, id, quod Pſalmo 56. Prænotatum legimus ſic. *In finem ne diſperdas: David in tituli inſcriptionem, cùm fugeret à facie Saul in ſpeluncam*, legit Hieronymus *victori ut non diſperdas.* Vatablus autem *ut non perdas inſignem aureolam Davidis.* Nimirum Chriſtus in cruce florebat, vincebat, ſuperabat, aureolam inſignem Salvatoris, Redemptoris, D Regis, Meſſiæ, DEi ſalvationum reportabat. hanc titulus ſuper caput affixus enarrabat, publicabat, ſervabat:

quem proinde quamquam maximè Iudaica fraus & invidia volebat mutari & tolli, nullatenus licebat: neq; DEus Pilato permittebat: ſed cujus ipſe neſcientis manum ad ita ſcribendum Chriſto titulum dirigebat. ita idem ipſe, ne animum ad mutationem ejus inclinaret, firmabat.

10. Regius honor & titulus deferebatur olim Chriſto cùm multiplicatis panibus ſatiaſſet turbas, ſed refugit & repulit eum Chriſtus, quando autem poſuit animam ſuam pro ovibus ſuis, tunc Regis titulum admiſit, honoremque accepit. Hæc nimirum eſt vera & legitima cauſa acceptandi & gerendi magiſtratûs & regiminis animarum: ut ponas animam tuam pro eis, quibus præeſſe velis. Nam regere ut paſcas corpora, vel paſcere, ut regas & præſis: abjecta eſt, ambitioſa eſt, periculoſa eſt Regiminis cauſa. Incumbit quidem Rectoribus populorum, & principibus animarum, providere etiam temporalia cõmoda ſubditorum, ſed principalis & præcipua cauſa eſt gubernandi. Studium animas Deo lucrandi, & ad obſequium ejus adducendi, in eoq; continendi, eſto neceſſitas veniat hoc cum poſitione animæ pro ovibus ſuis perficiendi.

11. *Titulus Chriſti tribus linguis ſcriptus eſt, eo quòd potentiſſimi gentium, quales Romani, & ſapientiſſimi, quales Græci, & Religioſiſſimi, quales Hebræi regno Chriſti ſubjiciendi eſſent, & ipſum prædicare debeant.* *Theophilactus in Lucam.*

12. *Triplex idioma tituli: manifeſtat Dominum Regem eſſe Philoſophiæ practicæ, & naturalis, & Theologicæ: Practica per Romanas ſcripturas ſignificatur: nam Romanus principatus maximè virilis erat & ſtrenuus in rebus bellicis. Per Græcos verò naturalis, cui vacabant Græci. Per Hebraicas deniq; Theologica: nam Hebræis Divinorum cognitio concredita fuit. Gloria igitur ei, qui per crucem apparuit tale habere Regnum, & qui mundum vicit, practicam noſtram virtutem roboravit, ſcientiamq; naturæ largitus eſt, & ab illa nos duxit in interiora velamenti, in ſuam dico ſcientiam, & contemplationem, Theologiam videlicet.* *Idem in Ioan.*

PARAGRAPHVS CXLV.

JESVS pro inimicis orat Patrem in Cruce. *Lucæ 23. 34.*

Digitized by Google

Iſa: 53 12. *Et pro transgreſſoribus oravit.*
Pſ: 34:13. *Cùm mihi moleſti eſſent: ego autem orabam.*
Gen:20.4. *Domine num gentem ignorantem interficies.*
Pſ: 104.39. *Expandit nubem (orationis excuſationiſq;) in protectionem eorum (crucifixorum.*

STROMATA

1. PEndens Dominus JESUS in Cruce, ſtipatus inimicis ſuis: eorumq; cordibus, oculis, linguis, geſtibus undiq; confixus, & veluti ſagittis ſagittatus, veluti lanceis convulneratus, ſtupente ad tam immane, inſolitum, inviſum, intolerandum, Deicidii ab hominibus patrati ſpectaculum, tam natura omni; quàm authore naturæ ipſo: antequam armata furore creatrix & creata omnis res in ultionem ſe tota effunderet: feſtinavit Dominus JESUS tanquam homo ſine querelâ, proferre ſcutum orationis ſuæ ad Patrem: & exclamavit: *Pater: ignoſce illis, non enim ſciunt quid faciunt.* Quaſi enim videret jam jam manum Patris ſui extentam, & gladium vindictæ vibrantem, ferireq; paratam, occurrit cohibens, orationiſq; ſuæ ſcutum opponens ait. Pater ignoſce.

2. O *Charitas patiens* (exclamat Bernardus) *ſed & compatiens: Molliti ſunt ſermones ejus ſuper oleum, & ipſi ſunt jacula.* Patiens fuit Domini charitas cùm ſuſtineret manſuetè injurias: Compatiens fuit, dum deprecaretur à Patre paratas crucifixoribus ſuis vindictas.

3. Ab orbe condito non eſt audita vox hujuſcemodi à Domino: nec dulciùs quidquam charitas ipſa perſonavit unquam: neq; Incarnata ſapientia quidquam ſuâ bonitate digniùs elocuta eſt aliquando. Hæc ſunt verba Domini, quibus conſervatus & ab imminenti, certo, ultimoque exitio revocatus eſt mundus. Viſo enim tam immani ſcelere Deicidii Divina Majeſtas & juſtitia, exarſit magìs quàm contra *Adam* quàm contra *Noë* concives; quàm contra *Sodomam*: ibatq; jam pluere ignem deſuper ibat aperire os terræ; ibat detrudere in infernum viventes: & videtur omnino prægravare hoc ſcelus: ſed charitas, quæ benigna eſt, ſceleri indignari neſciens, magìs autem compati ſolita: adjungitur peccantibus: excuſat: & obtendit illorum ignorantiam vindictæ, benignitatem ſuam, iræ; miſerationē, juſtitiæ, quoniam tempus miſerendi ejus tunc erat; non autem vindicandi, fecit abundare ibi gratiam & veniam: ubi abundaverat delictum: evicitque ut plus poſſet ſanguis ſuus, quod fuſus eſſet ex ſuâ bonitate quàm quod ex hoſtium A ſuorum malignitate. Vicit ergo miſericordia propugnans vel excuſans malitiam: & exaltata eſt parcens impiis, conſervatuſque an magìs conditus eſt iterum mundus univerſus.

4. Hæc vox ſeu Oratio Chriſti pro inimicis: primum fuit & primarium ſignum quod Chriſtus verè & verus DEus eſſet, eſto in cruce fixus penderet. Etenim non tam per hoc DEus Divinitatem ſuam creaturis manifeſtat, quòd eas de nihilo creat. vel quòd in nihilum tendentes continuò ſervat: quàm per hoc quòd eas quantumlibet ingratas, indignas, ignaras, abjectas, malignas, bonitate tamen ſuâ ſuſtentat, & iniquitates earum apud ſe ipſe excuſat: neq; ab B miſerendo eis, ceſſat: Hoc enim facere propriiſſimum eſt DEI ſolius: & nemo hujus particeps eſt, niſi in quantum particeps eſt DEI: Miſſurus *DEus Moyſen ad Pharaonem*: ſciens eum fore Moyſi lapide duriorem in faciendo imperio Domini: ne Moyſes tam obſtinatâ repetitâq; duritiâ Pharaonis, feſtinaret in pœnam induratiſſimi Regis: fecit Moyſen DEum illius dicens. *Conſtitui te DEum Pharaonis*: O Domine quid hoc conſilii? Si Moyſes erit Pharaonis DEus, ad primū experimentum duratæ ejus malitiæ, utetur poteſtate Divina in eum; & perdet impium? Non ita fiet, ait DEus, *conſtituo te DEum Pharaonis, ut ſis manſvetus & mitis, & præſtolabilis ſuper malitia ejus*: ſi- Exodi 7. 1.
C cut DEus: *hoc eſt enim proprium DEI*: & hæc germana participatio Divinitatis, *Miſereri ſemper & parcere.* Quia ergo DEus etiam erat in Chriſto reconcilians ſibi mundum: ideò manſuetudine certat cum ingrato & ferociente & exaſperante mundo, & oſtendit illi genuinam & appropriatam faciem ac indolem DEI, quantumlibet inimico, & crucifixori: Facies hæc fuit. *Pater ignoſce.* 2. Cor: 5. 19.

5. Hæc vox ſive Oratio Chriſti ſaxa & petras emollivit: non tamen emollivit homines: homines inquam, non illos tantùm, qui tunc furebant, ſæviebantque in Chriſtum: ſed nec iſtos etiam, qui hodie hanc Domini vocem quaſi fideles audiunt, quaſi credentes mirantur, quaſi laudantes approbant: Nam quis D hodie durus & immitis non eſt his, qui ſe oderunt? Homo Chriſtiane ſi Chriſtianus es, hic monſtra, dicens pro inimicis tuis ad DEum: *Pater ignoſce.* Si hic renuis?

renuis? nuſquam Chriſtianus es. Nam cætera etiam Ethnici faciunt. Hoc ſolus Chriſtus docuit, præcepit, fecit. Aut ergo hoc à Chriſto diſce, exemploque Chriſti præſta: aut te Chriſti diſcipulum Chriſtianumq́; nega.

6. CHRISTUS in medio æſtu furentium in ſe hoſtium, ſævientium in ſe crucis dolorum, inſultantium ſibi & triumphantium de ſuis ærumnis inimicorum: omnium tamen horum veluti ignarus: veluti oblitus, veluti expers, ſolius manſvetiſſimæ, patientiſſimæ dilectionis memor inter hæc mala omnia, reſtituit bona pro malis, & pro inimicis exorans Patrem ignoſci illis poſtulat, ipſos etiam ſi non à ſcelere, ab enormitate tamen ſceleris excuſat, lacrymasq́; precibus & dolori ſuo miſcet, ut tanto validiùs cor Patris oppugnet, tanto efficaciùs veniam impetret. Hoc demum eſt nempe tempus exercendæ patientiæ, manſuetudinis, atq́; charitatis, quo maximè exerceris ab inimicis, cùm amariſſimè luditur in tuis malis, quando ſecuriſſimè triumphat & opprobriat tibi hoſtis. Tum decet ſui oblivisci, & mala veluti non ſentire, compati peccantibus errantibusq́; adverſariis, petere à DEo, largiri à corde, & ultrò prioremq́; offerre veniam, largiri beneficia, cauſamque DEo remittere non vindicandam, ſed condonandam, & miſerationis beneficio compenſandam. Talibus demum hoſtiis promeretur DEus Chriſtiani: hæc ſunt arma Deo potentia, hæc eſt
Cant: 8. 7. *Dilectio morte fortior, & omnibus aquis flaviisq́; potentior*: hæc poſtremò quæ *nunquam excedit charitas.*

Gen: 9. 24. 7. *Iraſcatur Noë deridenti filio ac maledicat ſervumq́; fratrum cum poſteritate faciat.*
2 Reg. 10. *Non ferat David Legatos ſuos ludibrio habitos,*
4 Reg: 1. 10. *& ad internecionem uſq́; ulciſcatur.* Elias *igne de cœlo* iterum iterumq́; advocato, *inimicos ſuos in favillam redigat.*
4. Reg. 2. 24. *Elizæus inſultantes pueros urſis in pabulum objiciat.* Meus Noë meus David, meus Elias, meus Elizæus, Chriſtus ſcilicet IESUS non ſic
Hebr: 5 7 me docuit, ſed benedictum ſuum *Pater ignoſce illis* ingeminat, & Patri cum lacrymis atq́; obteſtatorio clamore valido offert: *& exauditur pro ſuâ reverentiâ.* Notate Chriſtiani aſſertum Pauli mirabile. Nunquid aliàs Chriſtus nunquam exauditus? aut nunquid nunquam pro ſuâ reverentiâ exauditus? Supplicabat ſæpiſſimè Dominus IESUS Patri, & exauditus eſt ſemper: ſed alio forſan atq́; alio jure: & nunc dum pro inimicis orat exauditus eſt. pro ſuâ reverentiâ. Nempe ſola inimicorum dilectio Chriſtum ipſum quoq́; Patri DEo fecit reverendum ac venerandum: aliàs exaudiebat filium, aliàs humilem, aliàs Patris honori ſtudentem, aliàs obedientem, alias miracula patrantem: ſed nuſquam *pro reverentia.* Audit orantem pro inimicis & crucifixoribus ſuis: hic exaudit pro ſuâ reverentiâ. Dilectio inimicorum ſcilicet, eſt *Chriſti reverentia*, eſt quæ Chriſto apud ipſum Patrem conciliat reverentiam. Et eſtne credibile quod in Deum cadat alicujus reverentia? Paulus aſſerit: *credimus & ſcimus quia verum eſt teſtimonium ejus.* Sed tamen quomodo Deus revereri aliquem, & pro ejus reverentiâ exaudire eundem poſſit, quærimus? Videtur mihi Privilegium hoc, facere aliquem Deo venerandum: *eſſe proprium dilectionis inimicorum*: vel ideò quia in Deum dilectio inimicorum non cadit: ac ideo: ſi quis eâ coram Deo præditus ſit, meritò venerabilis reverentiâq́; dignus apud DEum evadat: vel ideo, quia dilectio inimicorum ſolius DEi, ejuſq́, Bonitatis Divinæ propria ſit, naturæ autem creatæ vires quodammodo excedat, fiatq́; ex eo, ut ſi creatura, puta homo, ad dilectionem uſq́; inimicorum pertingat, ad Divinæ Bonitatis peculiarem illam proprietatem pertingat; propter quam Deo venerabilis evadat, non minùs quàm ipſa ſua bonitatis in inimicos ſuos exundans plenitudo Deo reverenda & venerabilis eſt. Contradictoria videor locutus. Sed me paucis explico. Aſſerit luculenter Chriſtus: *Patrem ſuum Æternum ejus eſſe naturæ, ut diligat inimicos ſuos*, hoc eſt impios homines: beneque faciat eis qui oderunt eum; idq́; probat quotidiano & irrefragabili argumento: quia inquit ſolem ſuum facit oriri ſuper bonos & malos: & pluit ſuper juſtos & injuſtos: in quo alioqui facilè poſſet diſcrimen facere ſicut fecit aliquando in Ægypto: *ubi Ægyptios tenebris palpabilibus obruit.* Hæ- Exodi 10. 21.
bræis autem lucem omnino inter eos eodem tempore dedit atq; hoc exemplo Patris cœleſtis Chriſtus invitat homines ad amandum bonisq́; proſequendum inimicos ſuos: ut ita ſint Filii Patris ſui cœleſtis. Amat ergo hac ex parte & ratione Deus inimicos ſuos, & eos qui ipſum hac in re æmulantur etiam amat: & tanquam Divinam ſuam excellentiam in eis agnoſcens, eos tanquam alteros ſe æſtimat, honorat, reveretur, & pro reverentiâ ſupplicantes exaudit. Alterâ vero ex parte, in Deum dilectio ini-

micorum videtur non cadere: perinde, ut in eundem non cadit inimicum aliquid, vel aliquem pati & habere. Nam cùm, ſupra omnes ſit & nullius egeat: nemo ei nocere, nemo malus eſſe, conſequenter nemo noxius, nemo inimicus eſſe poteſt: quo fit ut nec ille inimicus ulli, nec illi inimicus ullus eſſe poſſit: ac tandem inde fit, ut tam inimicos ſeu malos ſibi diligere, quàm & eoſdem habere non poſſit. Creaturarum alia ratio eſt, quarum natura eſt, contraria, repũgnantia, inimica, noxia ſibi habere, iis repugnare, ab iiſque impeti: quare naturale eſt creaturis obſiſtere adverſis, fugere inimica, odiſſe nociva. Cùm igitur quiſpiam inimicum ſuum diligit, benefacit odienti, orat pro perſequente, facit hoc, quod ſupra naturam adverſùs naturaliter adverſam eſt, facit hoc cujus Divinitatis certo quodammodo expers eſt: ac proinde facit hoc quod & creaturâ & creatore quodam modo ſuperiùs eſt: atq; ideò venerabilis & reverentiâ etiam apud DEum dignus cenſetur. Quia igitur Chriſtus in cruce ab inimicis indigna omnia patiens, eoſdem ita dilexit, ut veniam oraverit & ſcelus excuſaverit, & illum ipſum ſanguinem quem fundebant, injuriaſq; quas irrogabant, pro iis fuderit & pertulerit, atq; Patri obtulerit, venerabilis Patri factus eſt. & pro ſuâ hac reverentiâ exauditus eſt. Exauditus partim in eo quia ſtatim plerïq; pœnitentiam egerunt, & *percutientes pectora ſua diſceſſerunt*, partim quia poſtea longè plures prædicantibus Apoſtolis in Chriſtum crediderunt: partim quia pœna omnium, quam ſine dubio ùt merebantur, ita & paratam habebant, uſq; ad quadrageſimum annum dilata eſt. Exemplum hujus rei luculentum eſt in actis Apoſtolorum *in Stephano Levità*: in quo quia DEus dilectionem *inimicorum vidit*: etiamnum viventi *illi cœlum aperuit, JESUM ſtantem à dextris virtutis ſuæ oſtendit*, beatitudinemq; in ſinu ejus pluit, gloriamq; æternam ipſi adventanti obviam, exceptionis, & amplexûs, deductioniſq; ad ſedem ſuam cauſa miſit. Nec minus illuſtre poſteriores hiſtoriæ exemplum referunt *de Ioanne Gualberto*: qui cùm fratricidæ ſuo veniam per crucifixi Chriſti amorem petenti donâſſet, eumq; in locum fratris occiſi ab ipſo, ſibi adſciviſſet, ingreſſus in templum de via cædem cum fuiſſet, vidit Chriſti in cruce fixi ligneam ſtatuam ſibi intranti caput inclinare, & veluti pro venia inimico in ſui gratiam datâ gratias agere.

Lucæ 23 48.

Act: 7. 55.

Hoc quid quæſo fuit aliud quàm Ioannem factum fuiſſe venerabilem DEo, & exauditum pro ſuâ reverentiâ? Neque id quiſquam miretur *Etenim infinitæ virtutis eſt odia viciſſe beneficiis.* Audet affirmare Rupertus, Davidi pro dilectione inimici Saul, *promiſſum fuiſſe Meſsiam de ſuo ſanguine naſciturum*, perinde ùt Abrahæ idem promiſſum fuerat *pro Filij vicini immolatione*: quia *ratio docet non multò minoris fuiſſe meriti pepercisse inimico propter DEum: quàm non pepercisse Unigenito Filio.* & quia inimicorum amatores ſunt quaſi natura Filii DEi (proût à Chriſto dictum eſt. *Diligite inimicos veſtros ut ſitis Filii Patris veſtri*) æquum & veluti connaturale fuit ex ſanguine Davidis inimicorum amatoris carnem ſumere Unigenitum Filium DEi. Sed hæc hactenus.

S. Valer: bom: 12. de cõſer. Pacis.

Rupertus de Incar: verbi lib. 4.

Rom: 8. 32.

Matt: 5. 44. & 45.

8. *Pater ignoſce illis.* Nunc ſcio *quòd charitas vere operiat multitudinem peccatorum.* Nam ſi peccata infinita numero, pondere, malitiâ, pœnæ merito, in Chriſtum ab inimicis commiſſa operire & excuſare potuit charitas: quæ jam erunt peccata uſpiam quæ operire non poſſit? O quàm parvam eſſe illam oportet charitatem, quæ proximorum noſtrorum, etiam modicos defectus operire non poteſt. Non ſunt iſta magna peccata quæ odiſti, ſed eſt parva tua charitas quâ operire non potuiſti. Metire Chriſti inimicorum injurias, odia & ſcelera in ipſum: & vide *charitatem ſimul operientem omnia peccata eorum* in ſe coram Patre: & ex hoc intellige quantum tuæ deſit adhuc charitati, quæ uſque adeò adhuc impar eſt Chriſti charitati, quantum impar eſt inimicorum Chriſti iniquitas, inimicorum vel proximorum tuorum defectuoſitati.

1. Petri: 4. 8.

9. Non credamus JESUM tantùm pro crucifixoribus illis quos in Calvario monte habebat & ſuſtinebat oraſſe Patrem, veniamque petiiſſe: pro omnibus totius mundi peccatoribus, qui fuerunt, ſunt, erunt, orationem fudit. Nam ſicut omnes iſti crucifixores ſunt Chriſti: ita pro omnibus fuſa eſt illa ad Patrem oratio Chriſti. Miraris pro crucifixoribus orâſſe Chriſtum, & non miraris pro te ipſo crucifixore orâſſe. Imò mirare ampliùs hoc quàm illud, illi crucifixores erant ſemel, tu quotidie, tu ſæpiſſimè, tu diutiſſimè, tu aſſiduè; illi ignoranter, tu ſciens & volens, cùm enim agnoſcas & credas Chriſtum Redemptorem DEumq; tuum, nec ſicut Deum glorificas, nec ſicut Redemptorem amas. Sed quàm ante Redemptionem reus, tam poſt Redemptionem ingratus exiſtis.

10. *Pater*

Digitized by Google

10 *Pater ignoſce.* Admirandum certamen: ad quod cœlum ſtupuit, ſtupuit & terra, ſtupuêre & inferri. Oderant Chriſtum inimici: Chriſtus amabat inimicos: inexcuſabiliter illi peccabant, illos Chriſtus excuſabat; pergebant illi in ſcelere, pergebat Chriſtus veniam orare, injuriam ſuſtinebat, & gratiam offerebat, occidebant illi, ſanabat ille, illi DEum ad iram cogebant, iſte ad miſericordiam flectebat. Contra illum omnes, unus ille pro omnibus erat: exultabant illi in ſcelere, ille lacrymans orabat pro eorum iniquitate. Qualis pugna, quale certamen, qualis lucta? Ac veluti coactus inter frigidas nubes tepor: tantò magis fervet & igneſcit quantò magis undiq; frigore cingitur, donec etiam in flammas & fulmina prorumpat; ita charitas Chriſti quo magis furore inimicorum undiq; & undiq; obſeſſa irritabatur, eò magis accendebatur, & odientes amabat, atq; occiſoribus ſuis vitam impetrabat, quòd indicare volens ſcriptor ſacer adverſativa particula. (*Autem*) rem explicat dicens. Poſtquam venerant in locum Calvariæ, ibi crucifixerunt eum. *JESUS autem dicebat Pater dimitte illis:* illi crucifixerunt, ille autem dicebat: utrinque lucta, & illi quidem crudelitatem exercebant, JESUS autem contrà miſericordiæ januas pulſabat.

11. *Pater dimitte illis.* Non poterat ipſe JESUS dimittere? nunquid jam tunc non habebat poteſtatem dimittendi peccata? poterat ſanè & habebat: & latroni ea dimittebat: ùt quid igitur Patrem rogat? Rogat ut tu amandi inimicos, rogandi pro eis, benefaciendi eis, exemplum habeas. Si ille dimiſiſſet tantùm, & ſolus, tu id non ſcires. Nunc dum Patri ſupplicat ut dimittat, & ipſe ſe dimiſiſſe oſtendit; & ut Pater quoq; idem faciat rogat.

12. *Pater dimitte illis.* Non tantùm in hac Domini oratione benignitas charitatis agnoſcenda eſt, ſed etiam invicta animi fortitudo? & inconcuſſum mentis inter decumanas injuriarum procellas tempeſtateſq; robur & quies. Quid hoc animo immobilius? quid hoc pectore ſolidius? occiditur: & orat pro occiſoribus: crucicifigitur & excuſat crucifixores. Exquiſitis doloribus, odiis, contumeliiſq; cruciatur, & amat malefactores. Hoc nimirum eſt eſſe verè patientem, verè fortem, verè inconcuſſum. Iraſci in injuria, dolore, uri, furere, vindicari, minas, iras, odia vomere: hoc non eſt fortem, hoc non eſt robuſtum, hoc non eſt inconcuſſum eſſe. Si iraſceris: motus ergo es. Si doles læſus ergo es. ſi furis, ſi ureris, ſi odiſti, mutatus ergo & alteratus es? Non
A ergo robuſtus, ſed mollis, non victor, ſed victus es. vis te victorem probare? injurias ne ſenti? vis robuſtum? quieſce. vis fortem? patere. vis inconcuſſum? ride. vis per omnia ſuperiorem? ama injuriantem. vis etiam ex hoſte amicum facere? benefac malefacienti. Quod omnibus mundi viribus non efficeres: ut te hoſtis ſcilicet amet, ut æſtimet, ut miretur, ut prædicet, ut læſiſſe odiſſeque doleat, ut ex animo & conſtanter obſervet: hoc facies unicâ dilectione, unicâ veniâ, unico beneficio: iraſcendo inimico magis inimicum facis: amando inimicum, in amicum fidelem convertis. facere injuriam ſæpe caſus, ſæpe error eſt: pati non poſſe injuriam ſæpe mali-
B tia, miſeria ſemper eſt, vindicare autem nunquam fortitudo, ſemper infirmitas, ſemper nequitia eſt. Bene Ambroſius. *Vindicare ſe, ait, non eſt actus fortitudinis, ſed abjectionis, & timiditatis.* addo etiam iniquitatis. *Ambr: lib. 1. offic: c. 30.*

13. *Pater ignoſce.* Primum hoc in cruce Chriſti verbum eſt: ut ſciamus quid primum in omni noſtrâ cruce faciendum nobis ſit: & in quos ſenſus verba formanda: Non ad obluctandum, non ad iraſcendum, non ad maledicendum, non ad accuſandum, non ad quiritandum, nō ad animo cadendum, non ad ſuſpicandum, non ad deſperandum, non ad blaſphæmandum, non ad ejulandum, non ad indignum quidpiam Chriſtianâ Phi-
C loſophiâ agendum: ſed ad orandum in adverſis, ad DEum placandum adverſariis, ad laudandum DEum in acerbis, ad corrigendos mores, in paternæ manûs flagellis: ad compatiendum (in nos licet) peccantibus: ad excuſandum errantes, ad dandam veniam injuriantibus, ad obfirmandum & erudiendum animum pro futuris, ad gratias agendum Deo, pro omnibus proſiliendum eſt. Hæc eſt enim *divina eruditio per adverſitates communicari*, tradiq; ſolita. Hæc eſt Chriſtianorum Philoſophia ſublimis. *hoc inſigne Filiorum DEi*, quo ab adulterinis dignoſcuntur. *Hæc eſt communicatio crucis & paſſionum Chriſti.* *Hebr: 12.* *1. Petri 4. 13.*

14. *Pater dimitte.* Pater uſitatum hoc
D Chriſto fuit orandi exordium: ab æterni Patris compellatione ordiri. Pater Pater mi. Abba Pater, Pater Sancte, Pater juſte, Pater Domine, Rex cœli & terræ: tunc ergo etiam morem ſuum

reum mortis, qui te conſpuerunt & colaphis cæciderunt: qui tuo in ſanguine, cruciatu, probro, morte ludunt & exultant. Illis Pater, dimitte illis rogo. Iſtis etiam dimittam Fili: qui & hodie inju- A rii in me, ingrati in te, iterum crucifigunt te, quotidie in ſemetipſis occidunt te? Etiam illis Pater. iſtisne ſacrilegis, iſtisne ſuperbis, iſtisne avaris, iſtisne terrenis & carnalibus, iſtisne iram & odia exercentibus, iſtisne gulæ & ventri deditis: iſtisne invidis & boni fraterni oſoribus, iſtisne qui devorant pauperem in abſcondito, & plebem meam quaſi cibum panis: iſtisne perjuris, maledicis, raptoribus, mendacibus: iſtisne hypocritis, qui dicunt in corde ſuo non eſt Deus, & vanus eſt qui ſervit Deo. iſtisne qui dicunt tenebras lucem, & bonum malum? illis Pater illis dimitte illis illis. O abyſſum charitatis JESU, quomodo omnes capit, omnium iniqui- B tates operit: nullum excludit, nunquā excidit. O utinam omnes iſti, omnes illi attendant iſtam charitatem, & deſerant ſuam iniquitatem: & ingrediantur vitam meliorem, & ſervent gratiam, quam à Chriſto emeritam & oblatam habent: & fient ex hoſtibus amatores æterni, ex illuſoribus laudatores aſſidui, ex contemptoribus & negatoribus exaltatores & confeſſores fideles ac perpetui.

Quia neſciunt quid faciunt. Omnis peccans ignorans: nam ſi quis cognoſceret ut par eſt quid ſit peccare: quid ſit DEI voluntatem, honorem, amorem, obedientiam, reverentiam, obſequium contemnere & exuere, quid & quis & quantus ſit DEus C in quem peccatur: quid perdat boni qui peccat, quid incurrat mali qui peccat. nunquam certè peccaret: ſed peccat omnis qui peccat, quia neſcit quid faciat dum peccat. Hac fundamentali ratione, quæ in omnibus etiam malitioſiſſimis peccatis peccandiq; modis reperitur, excuſat JESUS apud Patrem peccatores, tam illos præſentes, quàm omnes alios: dimiſſionemq; poſtulat. Et præterea addit aliam peculiarem magis, magiſq; veniabilem ignorantiæ rationem: quia neſciunt quid faciunt: neſciunt enim in quem faciunt, quod faciunt. Non noverunt te Patrem neq; me. Non noverunt me Filium DEI: non noverunt DEum Hominem, non noverunt D Meſſiam ſibi olim promiſſum jam miſſum; non noverunt Salvatorem ac Redemptorem, non noverunt myſterium crucis & mortis meæ, non noverunt myſteria figurarum quæ habent & faciunt ſecundùm legem ſuam. Non noverunt voces Prophetarum quæ ſicut ſunt de me, ita & finem habent in me. Non noverunt quia ignorantes implent ea omnia quæ ſunt in Prophetis, in Pſalmis, in lege eorum de me. Neſciunt deniq; me Dominum gloriæ: nam ſi cognoſcerent, nunquam crucifigerent: quia ergo neſciunt quid faciunt dimitte illis Pater. 1. Cor. 2. 8. Filius dum in Phreneſi furit, injurioſa, impia, maledica etiam in Parentes verba effutit, violenter etiam invadit, aut percutit: excuſatur tamen ab ipſis parentibus: dicentibus, neſcit quid facit, non ex malitia ſed ex infirmitate impius eſt: venia dignus eſt. Ita bonus JESUS omnes phreneſi odii & invidiæ laborantes videbat; ideò quantumvis injurios in ſe ſentiret, tamen coram ſe & Patre excuſans dicit. Pater dimitte illis quia neſciunt quid faciunt. Infinita quidem erat charitas Chriſti ſed abſcoſa in infirmitate & vilitate: ignorabatur ab his ipſis, quibus exhibebatur, & ideò tam indignè tractabatur: excuſat ergo illos, eâdemq; ipsâ charitate cooperit eos: apud iram Patris excuſans. Neſciunt quid faciunt. Vt ſint aliqui in eis, qui ex malitiâ, odio, invidiâ, affectatâ & craſsâ ignorantiâ in me peccent, alioſq; peccare faciant: Cæci tamen ſunt & duces cæcorum: qui eorum ſvaſu, authoritate, metu, inducuntur ad affligendum me, quia ergo neſciunt quid faciunt, dimitte illis Pater. Filius latrocinia exercens in obvios: ſi in Patrem aut Regem ſuum latrocinio debaccharetur, ignarus Regem vel Patrem eſſe: excuſaretur ignorans peccâſſe. etſi non excuſaretur omnino peccâſſe: Ita iſti ſciebant quod crucifigerent, neſciebant quem crucifigerent: illud Chriſti orantis pietas præteriit, hoc charitas ad Patrem allegavit: & ideò dixit. Dimitte illis quia neſciunt quid faciunt: dum neſciunt in quem faciunt. Hoc eſt magiſterium Pietatis noſtræ, in proximos errantes, peccantes, injuriantes, odientes, perſequentes. Pia charitas, & amans pietas, operit multitudinem peccatorum; extenuat gravitatem factorū, excuſat malitiam peccantium: allegat ignorantiam, allegat errorem, allegat caſum, allegat ſubreptionem, allegat infirmitatem, allegat zelum bonum, etſi non ſecundùm ſcientiam: allegat raritatem, allegat pœnitudinem de facto: allegat emendationem, & futuram cautelam. Hæc ſimiliaq; allegat charitas ſi

eſt charitas: & ex his orationem ſuam
ad Deum pro peccatoribus, proq́; inimi-
cis format, his, manſuetudinem paſcit,
his patientiam firmat, his veniam & be-
neficentiam apud ſe imperat: his deni-
que charitatem ſuam in adverſarios in-
flammat. Agnoſcimus hic etiam man-
ſuetiſſimum Dei noſtri ingenium: quod
eſt diſſimulare peccata hominum, ad pœ-
nitentiam; excuſare peccantes, & quæ-
rere miſerationis viam, præſtolari pec-
cantes, & trahere tardantes, & excipere
ulnis obviis redeuntes ad accuſandam
corrigendamq́; ſuam miſeriam, & mali-
tiam; ad amplectendam vero, & deme-
Ezech:33. rendam DEi miſericordiam. *Non enim*
11. *vult mortem peccatoris DEus, ſed ut magis con-*
vertatur & vivat. & ideo dicit JESUS
ad Patrem: tanquam ſuam exercens,
Paternam autem eliciens indolem. *Pa-*
ter dimitte illis, non enim ſciunt quid faciunt.
Ex his tamen piiſſimis DEi noſtri ſuper
peccatores viſceribus; non eſt deſumen-
da licentiùs peccandi audacia; Nam
Hebr:10. ſcriptum eſt. *voluntarie peccantibus nobis*
26. *jam non relinquetur hoſtia pro peccatis.* Et
iterum: *Maledictus omnis qui peccat in ſpe.*
Sed eſt ſumenda poſt peccatum fiducia,
& ad pœnitendum, veniamq́; ſperandá,
& pro remiſſione poſtulandum, & mo
res in melius commutandum voluntas:
Rom:2.4. & cura & diligentia: *Longanimitas enim*
DEi & benignitas ad pœnitentiam hominem
debet adducere: non ad peccandi licē-
tiam provocare: Alioqui hoc erit *con-*
ibid:2.5. *temnere divitias bonitatis ejus: & theſauriza-*
re ſibi iram in die ira &c. Vocat etiam Do-
minus JESUS crucifixores ſuos neſci-
entes quid faciant: eo ſenſu, imò & ritu
quo *ſummus Pontifex in interius* ſeu ſecun-
Hebr:9.7 dūm *tabernaculum introibat ſemel in anno cum*
ſanguine quem offerebat *pro ſuâ & populi*
ignorantia: ubi Paulus *ignorantiam peccata*
vocat: Et Chriſtus quidem in cruce o-
rans conſummabat ſummi ſui Pontifica-
tûs officium, offerens & ſeipſum & ſuum
ſanguinem: & hanc ipſam orationem:
non pro ſuâ ignorantiâ, aut iniquitate,
quæ nulla in eo fuit, nec eſſe potuit: ſed
pro populi totius, hoc eſt generis huma-
ni iniquitate, (qua Phraſi etiam eſt o-
Abac:3.1. ratio Abacuc *pro ignorantiis ſcilicet peccatis)*
& ideo dicit. *Pater dimitte illis quia neſci-*
unt quid faciunt. Docere etiam nos po-
teſt hæc Oratio Domini orare & pœni-
tentiam agere, ſollicitoſq́; eſſe coram
Deo non tantùm pro peccatis manife-
ſtis, & notis nobis: ſed etiam *pro occultis*
& ignoratione aut oblivione ſepultis:
etiam pro his quæ videntur eſſe juſtitiæ
nobis, cùm coram Deo peccata ſint. In
quo præivit *David* nobis dicens & orans
ad Dominum *Delicta juventutis meæ &* Pſ: 24 7.
ignorantias meas ne memineris. Et. *Delicta* Pſ: 18.
A *quis intelligit. Ab occultis meis munda me, &* 13.
ab alienis parce ſervo tuo. Et. Paulus. *Ni-* 1.Cor.4.
hil mihi conſcius ſum: ſed non in hoc juſti- 4.
ficatus ſum: etenim qui me judicat Dominus
eſt Et Salomon. *Eſt, ait via quæ videtur* Prov:16.
homini recta, noviſsima autem ejus ducunt ad 25.
mortem. Denique monet idem. *De pro-*
pitiato peccato noli eſſe ſine metu. Ergo ſalu- Ecl.5 5.
bris & Sancta eſt deprecatio ut à peccatis etiam
occultis & ignoratis ſolvamur & mundemur
coram Domino.

15. *JESUS autem dicebat: Pater dimit-*
te illis. Videtur Chriſtus Dominus non
ſemel duntaxat uſurpâſſe hanc oratio-
nem pro inimicis, ſed ſæpius & quaſi ad
omnes inimicorum injurias blaſphemi-
aſq́; repetiiſſe hæc verba: *Pater dimitte*
B *illis*: ad quod ſignificandum videtur E-
vangeliſta dixiſſe. JESUS autem *di-*
cebat: non verò, JESUS autem dixit.
Obſervatio ſanè perutilis ad expugnan-
dos inimicos. & ad debellandam pra-
vitatem affectûs in querelas & vindictas
propendentis. Non ſit ſatis ſemel con-
donâſſe, vel orâſſe pro injuriantibus: o-
ptimum eſt repetere orationem cùm
Chriſto: Pater dimitte. Pater dimit-
te: ſic enim firmatur animus in bono:
& revera talibus hoſtiis promeretur De-
us. Et ſine dubio propterea Chriſtus
Dominus præcepit Petro, ut *non tantùm* Matt:18.
ſepties ſed etiam ſeptuageſies ſepties dimittat 22.
fratri ſuo: propterea quoq́; in quotidia-
nâ & perpetuâ oratione ſuâ quā nos Do-
C minus edocuit, id quoq́; poſuit. *Dimitte* Matt: 6.
nobis debita noſtra ſicut & nos dimittimus de- 12.
bitoribus noſtris.

PARAGRAPHVS CXLVI.

JESV veſtimenta partiuntur milites inter ſe. Ioan: 19. 23.

Partiti ſunt veſtimenta mea ſibi: & ſuper Pſ: 21. 19.
veſtem meam miſerunt ſortem.

D STROMATA

1. PEndente in Cruce Domino ne-
quaquam quievêre inimici ejus;
ſed per-

Digitized by Google

ſed perrexerunt telum texere quam exorſi fuerant: ac primùm crucifixores milites de more ſimul & de cupiditate, rapuerunt veſtimenta Domini: excutienteſq; ea, cùm nihil præter ipſa inveniſſent: ea inter ſe partiri aggreſſi ſunt. Erat autem veſtimentum Christi duplex, unum interius inconſutile ſed contextum deſuper totum: manibus ut opinio eſt amantiſſimæ Matris confectum: quod & totâ vitâ Domino in uſu fuerit, illius utiq; virtute ſervatum; cujus beneficio totius populi Iſraël, *veſtimenta & calcei per quadraginta annos non ſunt attrita.* Aliud veſtimentum fuit exterius conſutum ut apparet ex partibus: in quarum quatuor eſt etiam à militibus diviſum. Deut: 5: 2+.

2 Pertinuit hæc veſtium Chriſti diviſio ad ignominiam ejus: ſatis enim probroſum vulgò eſt eò calamitatis deveniſſe in vitâ, ut totus ſpoliatus, nudatus, in oculis omnium turpiſſimo ſupplicio crucis damnatus, ſine ſpe ſalutis & vitæ carnificum manibus, diſtractas ſuas reculas, ipſaq; adeò veſtimenta oculis ſuis ſpectare cogaris: Hoc enim non niſi abjectis deſpretiſq; vulgò hominibus lictores facere ſolent: nam alioqui ii ipſi eos reos, atq; ad ſupplicium licet damnatos, quibus adhuc honor aliquis eſt, vix permittitur lictoribus, manu contingere, nedum ſpoliare, aut nudare, in vitâ, vel poſt vitam. Sed in humillimo pro nobis. deſpicatiſſimo autem apud hoſtes ea ratio decentiæ honoriſq; ſervata nequaquam eſt. Neq; verò ex hac etiam parte hoc ad Domini ignominiam non pertinuit, quod extremarum recularum ſuarum, quæ ſolæ veſtes erant, non alium nanciſci potuerit hæredem quàm carnifices quatuor. Quin etiam congruè cogitare poſſumus, milites illos, excuſſis (ut dixi) Chriſti veſtibus, nulloq; alio præter pura veſtimenta peculio invento, vilem ſatis prædam ex malefico ſcilicet nobili, & ambiti Regni reo ac pœnas dante ſe nactos agnoſcentes, non expletæ cupiditatis ſuæ dolorem, ſarcaſmis & dicteriis in Chriſtũ, uti Regem per ludibrium jactatis, veſtibuſq; tanquam Regis ſubacti & victi manubiis direptis ſolatos fuiſſe: non abſq; Domini contumeliâ & probro: quòd magnum fuiſſe illud argumento eſſe poteſt, quod nullus Evangeliſtarum eam veſtium diſtractionem putaverit prætereundum, tanquam ſcilicet rem ad ignominiam Chriſti graviorem ſpectantis.

3. Pertinuit hæc quoq; res ad Chriſti dolorem, tum propter dictam nuditatem ignominiamq; conceptam: tùm propter Sarcaſmos, & affectati ſceleſtè regni, jam etiam dictas exprobrationes; tum propter negatum tantillum ſolatium amicis ſuis: quod ex veſtibus ſuis retentis habere licuiſſet.

4. Pertinuit adhuc res iſta ad Chriſti Domini abſolutam & puram per omnia paupertatem, ac nuditatem rerum omnium. Nam eſto nudus pependiſſet atq; objiſſet in cruce: tamen ſi veſtes ad ſuorum aliquem deveniſſent: videri poterat non planè eas amiſiſſe: at quando in manus lictorum devenerunt: tum planè jus omne Chriſti in veſtimenta extinctum fuit: omnis ſpes vel recuperationis, vel recompenſationis ſublata. Vt ſicut non habuit locum in quo caput reclinaret, non palmum terræ, in quo pedem poneret, ita neq; pilum latum quo operiretur, poſſideret. Atq; in hũc modum & ſectatoribus ſuis ditiſſimæ nuditatis, paupertatiſq; exemplum daret, & glorioſiſſimâ paupertatis veſte ornatus, omnibus Eccleſiæ filiis ſæculiſq; ſpectandum ſe exhiberet.

5. Adhuc pertinuit eà res, ad liberalitatem Domini, in die ſolemnitatis ſuæ, in die deſponſationis, in die inaugurationis ad Regnum; in die aditi principatûs mundi univerſi, in die victoriæ & triumphi. In die pacificationis rerum omnium: In die nati vel renati orbis: ad cæteras ſolemnitates quidni accederet donorum in vulgus emiſſio atq; jactatio? facta eſt & uſq; ad detractionem propriarum veſtium: à Rege liberaliſſimo facta. Alexandrum olim omnia in amicos & milites diſtribuentem: nihilque prorſus ſibi retinentem; cùm familiares interrogarent: ecquid ſibimet donatis omnibus relinqueret? ferunt reſpondiſſe: Spem Perſicam ſe ſibi relinquere: Regni ſcilicet Perſici obtinendi theſauros & opes; ita prorſus Monarcha noſter JESUS, diſperſit omnia uſq; ad nuditatem, imò uſq; ad ſanguinis & vitæ profuſionem, non ſpe lactatus Perſicâ, ſed partæ ſalutis humanæ ditatus jam tunc opulentiâ.

6. Pertinuit hæc res etiam ad ignominiam & dolorem ſuorum: JESUM ita nudum, ita etiam veſtitu privatum, ſpectantium, nec opis ferre quidquam valentium. *Iacobo quidem Patriarchæ Ioſephi dilecti filii, tunicam ſanguine tinctam miſerunt cæteri fratres ad inſpiciendum & retinendum*: at Chriſti veſtimenta redire ad ſuos negata ſunt: ne vel ſic ſolatio ſuis eſſet, à ſuisve haberet. Gen: 37. 32.

7. Pertinuit hæc inſuper veſtium diſtractio ad myſterium & quidem multiplex. 1. Ad impletionem Prophetiæ, quam ore Davidico, ante annos penè
Pſal: 21. 19. millenos Spiritus Chriſti ediderat: *Partiti ſunt veſtimenta mea ſibi, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem.* Et quid clarius vel prædictum vel re ipsâ impletum eſſe potuit. 2. Oportebat veſtem Chriſti diviſam eſſe in quatuor partes, quibus veſtiri totus orbis (qui quadripartito dividi ſolet) poſſet: Doctrinam ſcilicet fidem, Gloriam Chriſti quæ eſt veſtis ejus, ſed quâ nos induimur in Baptiſmo: quamque toto orbe terrarum diffuſa tenet Eccleſia: oportebat non in unum compactam mundi angulum latere. 3. Oportebat Chriſti tunicam unam diviſam eſſe, ut ſcilicet in omne humanum genus beneficium redemptionis, meritorum, gratiæ, Sacramentorumque pertranſiret. 4. Oportebat aliam tunicam Chriſti eſſe indiviſam: & plenè integram: quia non eſt, nec vult diviſus eſſe Chriſtus: non vult dividi Eccleſiæ unitatem: ſed vult in illa ſemper vigere, & regnare integerrimam charitatē. Sine quâ impoſſibile eſt ſtare unitatem. Ideò dictum eſt de antiquis, ac dici debet & de Neotericis Hæreticis atq; Schiſmaticis omnibus. Amiſerunt unitatem quia non habuerunt charitatem. Ex nobis prodierunt diviſione & Schiſmate, quia non erant ex nobis dilectione & charitate. Oportet communicari veritatem & ubiq; locorum, temporum, gentium propagari: ſed non licet lacerari unitatem: ſed ubiq; integram, inconſutilem, contextamque per totum ſervari: ad quorum utrumq; neceſſe eſt charitatem mutuam retineri. Etenim glutinum bonum eſt charitas, quo quidquid ſtringitur diſſolvi nequit: niſi ipſa primùm diſſoluta ſit. Nam illa ſtante: *quis nos ſeparabit à charitate Chriſti.* 5. Oportebat unicam Chriſti tunicam diſtrahi: aliam integram teneri: quia jam aderat tempus quo oportebat Synagogam exoleſcere. Eccleſiam verò ſemper inconcuſſam integramq; contrà omnes inferni portas ſtare, creſcere, prævalere. Cujus rei gratiâ illo ipſo tempore velum templi exterius ſciſſum a ſummo uſq; deorſum: veſtis autem Chriſti intima manſit integra. Interior Chriſti veſtis Eccleſia eſt: exterior Synagoga fuit: pallium breve quod duos populos operire non potuit. Chriſti autem Eccleſia operit populos, orbem cōplectitur, per ſæcula durat: talaris enim eſt: & ad fines ſæculorum non deſinet. 6. Oportebat veſtes Chriſti in quatuor partes dividi: ut per quatuor mundi partes habitantium peccatorum nuditas
A miſeratione Chriſti tegeretur, ut maculoſitas aboleretur. 7. Oportebat ſortem mitti & ſuper inconſutilem tunicā, & ſuper diviſæ veſtis partem. Redemptionemque Chriſti, gratia eſt & pura miſeratio DEi ſuper homines: quam nemo ſuis meritis tribuere poteſt aut debet. *Non enim ex operibus juſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed per miſericordiam ſuam ſalvos* Ad Tit: 3. 5.
nos fecit. Fidelis es? Sors Domini eſt. Perſeveras? Sors Domini eſt. Fide ſtas & vivis? *Noli altum ſapere ſed time.* quis enim te diſcernit? *Gratia DEi es id quod es*, imò & id quod non es? vide ergo Rom: 11. 20.
ne gratia ejus in te vacua ſit.

8. Pertinebat hæc veſtitus Chriſti tam diviſo quàm ſortitio ad noſtram in-
B ſtructionem. 1. Dividenda eſt veſtis Chriſti exterior inter alios, ſed non interior. Nam ita proximis miniſtrandum eſt verbum ſalutis, ut nos ipſi qui miniſtramus, non patiamur detrimentum: neve, cùm aliis prædicaverimus ipſi reprobi efficiamur. 2. Sic etiam externa Pax & quies, proximorum utilitatis cauſa deſeri debet: ut tamen interna pax mentis conſervetur: ita ſit *Martha ſollicita circa frequens miniſterium*, ut Act: 4. 32.
tamen *Maria ſedeat ſecus pedes Domini*: audiendo verbum illius. 3. Sic etiam Eccleſiæ filii, Doctores, poſſunt diſcordare ſententiis, ſed non animis. Sit varia & alia ſententia: ſed cor unum & anima una. Diſcordare poſſumus mo-
C ribus, viribus, inſtitutis, ſtudiis, vocationibus, gradibus, ſtatibus: ſed non amoribus. quia porro unum eſt neceſſarium, & hoc eſt charitatis unitatiſque bonum. 4. Dat Chriſtus crucifixoribus præmia, quantò magis dabit amatoribus? Amate Chriſtum homines, & nuditate ſuâ veſtiet vos: imò nudabit ſe, ut veſtiat vos. 5. Veſtes Chriſti accipiunt, qui Chriſtum crucifigunt: quia multi ſunt qui ſcelera ſua in Deum, proximum, charitatem, Eccleſiam committunt, & tamen id bono quolibet colore cooperiunt: incedunt veſtimentis induti ovium & agni: intrinſecùs autem ſunt rapaces lupi. 6. Veſtes Chriſti accipiunt & Chriſtum crucifigunt, mali
D Eccleſiaſtici, qui de bonis Chriſti pingueſcentes & niteſcentes: corpus ejus in cruce vel figunt, vel fixum negligunt. Tantùm animarum ſalutem negligentes (& ipſæ ſunt corpus & ſanguis & membra Chri-

bra Chriſti) quantum de reditibus, deque commodis temporalibus miſerabiliter, (utinam non damnabiliter) ſe ſe deſervientes. Illos quis ſatis laudet (quales neutiquam deſunt) qui & partiuntur veſtimenta Chriſti externa optimos in uſus miniſtrantes bona Eccleſiæ (1. In Pauperes Chriſti. 2. In ſarta tecta. 3. In ſuorum ſeu Eccleſiæ ſuæ miniſtrorum. 4. In ſuam propriam ſuſtentationem) tunicam tamen internam ſervant integram: quia in oves ſuas, & animas ſibi commiſſas exercent Paſtoralem charitatem. Nec faciunt fœdiſſimam & tam Chriſto luctuoſam, quàm diabolo lucroſam diviſionem inter Paſtorem & oves: ut (quemadmodum aliquis olim notavit) Paſtor ſit in Polonia oves in Litvaniâ. Paſtor in curis hujus ſæculi, grex in laqueis & perditione diaboli. 7. Veſtes Chriſti accipiunt, & Chriſtum in cruce negligunt vel etiam defigunt Hypocritæ politici, quorum eſt ſpeciem pietatis habere, virtutem autem ejus penitùs abnegare.
Matt. 6. 25. *Atqui plus eſt anima quàm eſca, corpus quàm veſtimentum: hæc oportet facere & illa non omittere.* Non veſtem Chriſti, ſed ipſum Chriſtum induas oportet, ut ſis Chriſtianus, ut agnoſcaris, & ſis verè Chriſti. *Nam qui ſpiritum Chriſti* (en veſtem) *non habet, hic non eſt ejus.* Et quis eſt Spiritus Chriſti? Qui Chriſti ſunt carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis. 8 *Sortem mittunt in veſtem Chriſti*, qui ad Eccleſiæ ordines vel caſu & fortunâ, vel honorum opumq; ſtudio, vel ſanguinis nexu, non Chriſto ſerviendi zelo progrediuntur. 9. Crucifixo Chriſto acceperunt veſtem Chriſti: at tu depone de cruce Chriſtum, ex animâ tuâ, vel proximi peccatum: & non tantùm veſtem, ſed ipſum etiam Chriſtum accipies. *Etenim ſi eduxeris pretioſum è vili* (animam è peccato) *quaſi os DEI eris.* 10. Veſtem Chriſti externam diviſim plures accipiunt, integram nemo: at verò interiorem unus ſolus: & quidem integram. Nimirum omnes quidem currunt in ſtadio, fidei & Chriſtianiſmi, & perfectionis, ſed unus accipit bravium. Multi ſunt vocati, pauci vero electi. Exteriores ritus, ceremonias, obſervationes, opera externa, jejunia, ſacrificia, orationes, peregrinationes, devotiones, conciones, & ſimilia exercent, frequentant, inducunt multi: ſed internam gratiam ſolidæ virtutis, & perfectionis conſummatæ: charitatiſq; ordinatæ: pauci admodum: imo ne pauci quidem obtinent, niſi ſint unus: unus inquam inter ſe, & cum omnibus, dilectione, unus robore, & labore, unus conſtantiæ, & perſeverantiæ firmitate.
A Hæc Chriſti tunica interna eſt, & indiviſa, & una: nec contingit niſi uni: non quidem numero ſed unitate, ſed charitate cum Deo ſimul & proximo.

9. Veſtis Chriſti una dividitur, altera indiviſa ſervatur, vel quia in Chriſto ita diſtinctio naturarum Divinæ Humanæq;, corporis & animæ ſervatur, ut tamen unica Verbi Perſona contineatur. vel quia in morte Chriſti veſtis externa patibilis Humanitatis, anima à corpore recedente diſſolvitur atq; dividitur: veſtis tamen interna Divinitatis, neq; in ſe, neq; ab alterutrâ Humanitatis parte ſegregatur. vel quia mores, virtutes, exempla, merita, gratiæ, dona Chriſti, dividuntur in plures: neq; enim
B omnes eodem modo imitantur & ſequuntur Chriſtum, ſed Spiritus Chriſti dividit ſingulis prout vult. unde diviſiones gratiarum ſunt. Attamen interna Chriſti veſtis: nempe ipſa ejus Humanitas ſacroſancta unica eſt, inconſutilis de ſolâ Virgine MARIA generata, deſuper contexta per totum, virtute ſcilicet Spiritus Sancti ex alto ſupervenientis coöperante concepta. Quam ipſam interiorem Humanitatis tunicam accipit unus, & dat Chriſtus uni, nempe in Sanctiſſimo Sacramento Euchariſtiæ communicat ſe animæ viventi in gratiâ & per charitatem ſecum vitæ.

10. Crucifixo jam Chriſto, demum veſtes auferuntur, & ad aliorum uſum
C poſſeſſionemq; deveniunt, Chriſto etiam ſpectante, & minimè repugnante; ut exemplum ſit & imago perfecta veri & verè crucifixi cum Chriſto in ſpirituali cruce (qualis eſt potiſſimum religioſorum) per timorem Domini, & per vota. Ita enim quilibet talium debet eſſe ad omnia quæ ſunt hujus mundi & vitæ affectus, ita inquam ab omnibus abſtractus, & omnibus altior, ſicut Chriſtus fuit. Optimè id declarat apud Caſſianum Abbas Pynuphius novitium quendam alloquens his inter alia verbis quæ ſuprà retuli folio. de congruentiis crucis 22. *Crux noſtra timor Domini eſt.* Sicut ergo crucifixus quis, jam non pro animi ſui motu membra ſua quoquam movendi vel convertendi habet poteſta-
D tem: ita & nos voluntates noſtras, ac deſideria non ſecundùm id, quod nobis ſuave eſt ac delectat ad præſens, ſed ſecundùm legem Domini quo nos illa

Digitized by Google

conſtrinxerit, applicare debemus. Et ſicut is qui patibulo crucis affigitur, non jam præſentia contemplatur, nec de ſuis affectionibus cogitat non pro die craſtino ſollicitudine curâq; diſtenditur, nullâ poſſidendi concupiſcentiâ permovetur, nullâ ſuperbiâ, nulla contentione, nulla æmulatione ſuccenditur, non de præſentibus dolet injuriis, non præteritarum jam recordatur, ſeque cum adhuc ſpirat in corpore, cunctis credit elementis eſſe defunctum, illuc præmittens ſui cordis intuitum, quo ſe non dubitat illicò tranſiturum: ita nos quoque timore Domini crucifixos oportet his omnibus, id eſt, non ſolùm carnalibus vitiis, verùm etiam ipſis elementis mortuos eſſe, illuc habentes oculos animæ noſtræ defixos, quo nos ſperare debemus momentis ſingulis migraturos. Hoc enim modo mortificatas poterimus univerſas concupiſcentias noſtras & affectus habere carnales. Cave ergo ne quid aliquando eorum reſumas quæ renuncians abjeciſti, & contra Domini interdictum de agro Evangelicæ operationis reverſus inveniaris tunicâ tuâ quâ te exſpoliaveras reveſtiri, neq; ad humiles terrenaſque mundi hujus concupiſcentias ac ſtudia revoluaris.

11. Chriſti crucifixi veſtis dividitur. Antequam crucifigeretur, veſtis non dividebatur. Crucifixo jam illo dividuntur veſtes, jam adierat ſcilicet Dominus Regnum crucis: ideò jam partitur bona ſua in omnes: Egebamus omnes veſtitu, nudi enim eramus in Paradyſo facti, nec ſatis proderant nobis veſtes pelliceæ, veſtibus opus erat Chriſti: jam ergo dividuntur inter nos: qui? qui illis non egeret nullus erat inter nos. *Omnes peccaverunt, & egent gratiâ DEi* ait Apoſtolus. gratia DEi veſtimenta Chriſti: *de plenitudine quippe illius accepimus omnes nos.*

Rom: 3. 23. Joan: 1. 16.

PARAGRAPHVS CXLVII.

Matt. 27. 36.

JESVS in Cruce pendens, à ſedentibus militibus ſervatur.

STROMATA

1. POſtquam milites crucifixerunt Dominum veſtimentaq; ejus inter ſe jactis ſortibus diviſerunt; tanquâ perfuncti munere ſuo: ad alia ſtudia converſi: partim ſedentes ſervabant Chriſtum: partim illudebant; acetum propinabant, & cauſam mortis: ſimul & miracula olim patrata ſugillantes dicebant. Si tu es Rex Iudæorum ſalvum te fac. Et milites quidem hæc fecerunt. Cauſas tamen videmus ob quas ſedentes JESUM ſervabant. 1. Id moris fuit (ſicuti & eſt) reos cruci affixos, non ſtatim à peracto ſupplicio relinquere, ſed tantiſper, aut ferè dum viverent affecti ſervare ſeu cuſtodire: ne quid nimirum præter legem decretumq; in reum latum, ipſo relicto adhuc vivo circa eundem eveniret: puta ne reus ab aliquo de cruce deponeretur, neve ſuorum obſequiis foveretur, aut etiam ne furore alicujus ultra modum impeteretur. 2. Acceſſit de Chriſto peculiare imperium Pilati ſubverentis forſan, ne quoniam Regni affectati accuſatus & damnatus fuerat Chriſtus, aliqui ejus factionis hominem eum adhuc viventem tollerent de cruce: & novis turbis anſam darent, ipſeq; reus à Iudæis apud Cæſarem fieret: malè defenſi ab Invaſoribus imperii. 3. Non defuit etiam hac in re ſtudium Iudæorum, quos partim patrati ſceleris conſcientia, partim metus novi alicujus eventûs timere ac ſatagere cogebat: ne quo caſuve actuvè aut impetu Chriſtum ſupervivere contingeret. Si enim eos hæc cura mordebat etiam mortuo ac ſepulto Domino, quantò magis mordere debebat vinco adhuc & ſpirante? 4. Fuit tamen alia præter has interior occultiorq; in hoc Divinæ Sapientiæ voluntatiſq; providentia, quæ prædicta Chriſti crucifixi uſq; dum exſpiraret cuſtodia, tam juſſu Pilati, quàm Iudæorum ſtudio adhibita, utebatur ad gloriam Chriſti: id eſt, ad adeò certam manifeſtamq; ejus ex mortuis reſurrectionem poſtmodum reddendam: ut nec Pilato, nec Iudæis, nec militibus, nec ulli mortalium eſſe locus negandi, eludendi, in dubiumve vocandi, quod indubitatè feciſſent Iudæi, ſi vivo adhuc Chriſto à cruce cum militibus abjiſſent: tum enim ſi ſpargi ſermones de redivivo Chriſto audiſſent, eludere potuiſſent, ab aliquibus ſuorum de cruce adhuc viventem depoſitum curatumq; ex vulneribus, ſuperſtitemq; pro redivivo ſcilicet vulgari. Quod jam præſtitâ hac diligentiâ ſervandi ad uſq; mortem Chriſti, tam non poterant fingere, quàm ſuis & omnium aliorum oculis qui mortuum vi-

diſſent,

Digitized by Google

diſſent, non valebant fidem negare. Ita
ergo Sapientia vincebat malitiam: &
hoſtium in necando Chriſto accuratam
diligentiam, convertebat in evidentiſſi-
mam irrefragabilemq; Reſurrectionis
Chriſti certitudinem & gloriam: ut &
Gen. 50. hic verum ſit illud. *Vos cogitaſtis de me*
20. *malum. DEUS autem vertit illud in bonum.*
Et, non eſt conſilium contra Dominum.

2. Sedentes lictores Crucifixum JE-
SUM ſervant: quando peccatores qui
in ſemetipſis Filium DEI crucifixerunt,
in peccatis ſibi complacent & perſeve-
rant: vel etiam quando ſuâ malitiâ &
poteſtate abutentes aliorum converſio-
nem ad pœnitentiam de peccatis, ſtudi-
oſis conatibus impedire laborant. Quid
enim iſti faciunt aliud quàm Chriſtum
de cruce deponi non permittunt.

3. Sedent milites, JESU in Cruce
pendente, dolente, & cum inimicis hu-
mani generis luctante: ſedent atq; quie-
ſcunt Chriſtiani, ſedent ſervi Chriſti &
indulgent otio, deſidiæ, luxui, ne quid
gravius adducam? Chriſto interim ex-
trema omnia ſubeunte & de ſummâ re-
rum periclitante. An non & ita in hor-
to actum? *Chriſtus ſudabat ad ſanguinem,*
Chriſtus agonizabat, diſcipulorum au-
tem quis non interea dormiebat? & cui
Mar. 14. Chriſtus dixit tunc? *Simon dormis? Sic*
37. *non potuiſtis unâ hora vigilare mecum;* O mi-
Matt. 26. lites, mihi cum crucis doloribus lucta
40. eſt. vos ſedetis, vos ſpectatis. otioſi?
Pro? quantos habet Eccleſia DEI mili-
tes, doctos, eruditos, omni ſcientiâ, cau-
tos diſciplinâ, decoros formâ, in quibus
nulla ſit macula ipſorum ſaltem & ho-
minum opinione, pares converſioni mũ-
di, grandes eloquentiâ, potentes in do-
ctis humanæ Sapientiæ verbis: hi tamẽ
omnes, omnes ſedent, compoſiti ut ſi-
militudo templi, ſedent otioſi, ſedent
ſegneſcentes, ſedent loquentes, aut eti-
am ponentes adversùs fratres ſuos labo-
rantes in Evangelio, ſcandalum. Se-
dent detrahentes ſine causa, ſedent ſer-
vantes quidem Chriſtum, ſed in cruce
fixum, & utinam non à ſemetipſis fi-
xum, quemadmodum iſti milites, quẽ
crucifixerunt eundem cuſtodierunt, ſed
& illuſerunt IESUM.

PARAGRAPHVS CXLVIII.

JESVS in Cruce pendens ab omnibus omnimode illuditur.

Omnes qui viderunt me, deriſerunt me, lo- Pſ. 21. 8
cuti ſunt labiis & moverunt caput.

Quem tu percuſſiſti perſecuti ſunt, & ſu- Pſ. 68. 23.
per dolorem vulnerum meorum addiderunt.

A *Ego factus ſum opprobrium illis. viderunt* Pſ. 108. 25.
me & moverunt capita ſua.

Plauſerunt ſuper te manibus omnes tranſe- Tren. 2. 15.
untes viam, ſibilaverunt & moverunt caput ſu-
um. Hæccine eſt urbs dicentes, perfecti decoris,
gaudium univerſæ terræ.

Aperuerunt ſuper me os ſuum: ſicut leo ra- Pſ. 21. 14.
piens & rugiens.

Dilataverunt ſuper me os ſuum: dixerunt Pſ. 34. 21.
euge euge (vech, vech, in Hebr:) viderunt ocu-
li noſtri.

Speravit in Domino, eripiat eum, ſalvum fa- Pſ. 21. 9.
ciat eum, quoniam vult eum.

Gloriatur Patrem ſe habere DEum; videa- Sap. 2. 16.
mus ergo ſi ſermones illius veri ſunt: & ten-
temus quæ ventura ſunt illi: & ſciemus quæ
erunt noviſſima illius: ſi enim eſt verus Fili-
B *us DEi, ſuſcipiet illum; & liberabit eum de*
manibus contrariorum.

Promittit ſe ſcientiam DEi habere, & Fili- Sap. 2. 13.
um DEi ſe nominat.

Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, Iſaiæ 1. 4.
ſemini nequam, filiis ſceleratis: dereliquerunt
Dominum, blaſphemaverunt Sanctum Iſraël.

Deſpexit te, & ſubſannavit te Virgo filia Si- Iſ. 37. 22.
on. poſt te caput movit filia Hieruſalem; cui
exprobraſti, & quem blaſphemaſti, & ſuper
quem exaltaſti vocem, & levaſti altitudinem
oculorum tuorum ad Sanctum Iſraël.

Si Filius DEI es? mitte te deorſum. Matt. 4. 6.

Si Filius DEI es? dic ut lapides iſti Panes Matt. 4. 3.
fiant.

C STROMATA

1. Tantus tamq; exactus Prophetia-
rum cumulus oſtendit, & quàm
exactè omnia completa ſint in Chriſto,
quæ prædicta tantò antè fuerant: &
quanta harum injuriarum Chriſto jam
pendenti in cruce à linguis inimicis in-
flictarum acerbitas fuerit. Non enim
ſine causâ, quâ Prophetæ, quâ Evangeli-
ſtæ in iis, & futuris, & factis denarran-
dis tam exacti ſunt: ſed nimirum Spi-
ritus Sanctus maximam in eis, & ab eis
Chriſti Domini calamitatem latuiſſe,
proveniſſeque ſciens, hanc inexplicabi-
lem acerbitatem tantâ cum diligentiâ
deſcribi jubendo declarare voluit.

D 2. A quatuor porrò hominum claſſi-
bus hæc linguea linguoſave linguarum-
ve in Chriſtum carnificina exercita fu-
iſſe refertur ab Evangeliſtis. 1 A mi-
litibus ſeu miniſtris crucifixionis cuſto-

 dibuſq;,

dibuſq; crucifixi Domini. 2. A Principibus Sacerdotum & ſcribis, & ſenioribus. 3. A populo ſpectante. 4. Deniq; à latrone concrucifixo: uno ſaltem ſi non ab utroq; quidem primùm: altero tamen poſtmodum reſipiſcente, & aliam cantilenam canente. ſcilicet pro Chriſto, altero in nequitiâ ſuâ perſeverante. Marcus enim & Matthæus expreſsè aſſerunt, ambos latrones improperaſſe, & convitiatos eſſe Chriſto. Lucas unum tantùm blaſphemum eſſe aſſerit.

3. Ab his quatuor claſſibus plauſtra acerbiſſimorum convitiorum & blaſphemiarum, illuſionumq; in Chriſtum ructata ſunt totis tribus horis: jactata verò quâ verbis, quà oculis, quà geſtibus manuum, quà oris contorſione, quà cachinnis, quà totiùs corporis fœdâ fractione, quà ab unoquoq; ſigillatim, quà à pluribus ſimul, aliis alios inſtigantibus, æmulantibus, inſtruentibus, transgredientibus, amarâ, & ſceleratâ contentione atq; concertatione.

4. Ex innumeris blaſphemiis & pro-
Luc: 23. bris, recenſentur ab Evangeliſtis. 1. *Si*
37. *tu es Rex Iudæorum, ſalvum te fac.* 2. *Vah*
Mar: 15. *qui deſtruis templum DEi, & in tribus diebus*
29. *reædificas.* 3. *Salvum fac temetipſum de-*
Ibid. 30. *ſcendens de cruce.* 4. *Alios ſalvos fecit ſe-*
Ibid: 31. *ipſum non poteſt ſalvum facere.* 5. *Si Filius*
Matt: 27. *DEi es deſcende de cruce.* 6 *Si Rex Iſraël*
40. *eſt deſcendat nunc de cruce, & credimus ei.*
Matt: 27. 7. *Confidit in Deo: liberet nunc ſi vult eum.*
42. *dixit enim quia Filius Dei ſum.* 8. *Si tu es*
Ibid: 43. *Chriſtus ſalvum fac temetipſum & nos.* 9 *Ec-*
Luca 23. *ce Eliam vocat* 10. *Sine videamus an veniat*
39. *Elias liberans eum. Sinite videamus ſi veniat*
Marci 15. *Elias ad deponendum eum.* Hæc hiſq; ſimi-
35. lia jactabant, partim accedentes ad cru-
Ibid: 36. cem ipſius, partim prætereuntes, partim ſtantes, partim ſedentes, partim ad alterutrum converſi & accedentes, crucifixumq; oculis conjectis, intentisvè manibus deſignantes, partim capita moventes & illuſoriè agitantes, partim inſolentiſſimè cachinnantes, & ſcurriliſſimos jocos jocantes.

5. Quibus omnibus innocentiſſimas Chriſti aures primum, ſed deinde, & quidem gravius, penetrabiliusq; cor & animum cruciabant. Quia enim jam manibus eorum ſubductus erat, crucis altitudine, & quia jam vota ſua deſideriaq; expleta abundè videbant & gaudebant: ſolutiſſimo idcirco animo totos ſe ad inſultandum, illudendum, ſugillandum, ſubſannandum, proſcindendum, exprobrandum, blaſphemandum, convitiandumq; converterunt, ut per aures oculoſq; mentem pendentis miſerrimè & intimè cruciarent, implerent vulneribus & doloribus animam non minùs quàm impleverant jam tot cruciatibus inſtrumentiſq; carnem. Exerebant ergo exacutas linguas ſuas venenato odio & ludibrio, plus quam ſerpentes ſua ſpicula, plus quàm ancipites gladios, quibus pertingebant uſq; ad diviſionem animæ, compagum quoq; ac medullarum Chriſti audientis. Singuli enim improborum illorum motus geſtuſq;, ſingulæ voces, vocumve & ſonorum inclinationes, ſicut à venenatiſſimo animo procedebant ita etiam cum eodem veneno, ſpiculi ad inſtar, gladiive bis acuti, & politi, in intima cordis Chriſti penetrabant, illudq; amabile & amoris dulcediniſq; ſedem cor lancinabant.

6. Verè, *filii hominum dentes eorum arma* Pſ. 56 5.
& ſagittæ, & lingua eorum gladius acutus. Verè *lingua ignis eſt. Univerſitas iniquitatis, inflammata à gehenna, inquietum malum, plena veneno mortifero.* Verè *lingua flagellum inundans, & redundans*: quod ceſſantibus omnibus aliis inſtrumentis cruciatum, cruci & clavis additum omnium aliorum vicem abundè ſupplevit: imò omnium etiam clavorum, etiam crucis ipſius acerbitatem ſuperavit. Verè linguei iſti carnifices impleverunt quod de ſe ipſis apud Ieremiam prædicaverunt. *Venite & percutiamus eum lingua, & non attendamus ad univerſos ſermones ejus*, planè percuſſerunt JESUM linguâ, planè percuſſerunt, & ſuper dolorem vulnerum aliorum, vulnera linguæ exquiſitiſſima prorſus addiderunt. Nihil mitigati ſunt, imò neq; attendere voluerunt ad verba ejus orantis pro ipſis omnibus ad Patrem, & loquentis pro eis bona, & avertentis indignationem ejus ab eis.

Iacobi 3. 6.

Iere: 18. 18.

7. Sicut Imperatores cauti ad extremos præliorum labores exercitatiſſimâ, & veteranam, & fidiſſimam militum reſervant manum: ita diabolus in prælio cum Chriſto inito, probatiſſimam ſibi longo & quotidiano uſu linguarum legionem, ad extremum reſervatam, conflictum & aſſultum in Chriſtum immiſit. Bene res ſuas linguæ geſſerunt toto Paſſionis decurſu; quieverunt utcunq; ad crucifixionem uſq; à condemnatione Domini: elevato jam in cruce Domino: cum ſpectaculo illo pendentis Dei actum de ſe videret: emiſit legiones linguarum, effudit virus, evomuit venenum, ſpicula infixit, non jam in corpore ſed intima in anima. Ibi omnem Domini tenta-

mini tentavit oppugnavitq; charitatem, omnem bonitatem, omnem patientiam, omnem manſuetudinem, omnem humilitatem, omnem obedientiam, omnem fortitudinem, omnem ſapientiam, omnem longanimitatem, omnem fidelitatem, omnem fiduciam, omnem perſeverantiam. Planè inferni noviſſima diabolus ſerpens callidiſſimus movit, & adhibuit, & effudit: ut Chriſtum labefactaret exaſperando, blandiendo, convitiando, blaſphemando, exprobrando. Quid non tentavit verſipellis, & per omnia ad mentem diaboli facta lingua. Iam falſa eſt, jam irriſit miracula, jam potentiam agnovit, jam imbecillitatem & exhauſtam poteſtatem ſalvandi objecit. Iam ad miſericordiam provocavit, jam fidem & obedientiam promiſit, jam per Dei nomen atq; fiduciam adſtrinxit, jam ipſius Dei in eum incuriam oblivionem neglectumq; exprobravit. Iam Regnum Iſraëlis obtulit, jam Filium Dei negavit, jam ſtultè ſperâſſe in Deum, jam ne à volente quidem Deo liberari poſſe inſultavit. Quas non in facies ſeſe induit hæc iniquitatis univerſitas à gehenna inflammata, à diabolo inſtructa linguarum legio?

8. Ergo tunc iterum eſt crucifixus Chriſtus in corpore clavis, in Animâ linguis: ferrum tenebat carnem, verba penetrabant mentem, perforabant clavi manus, penetrabant linguæ ad cor ipſum. clavi ſolùm hominem exterius configebant linguæ poſt aures & animam, etiam Divinitatis blaſphemabant Majeſtatem. Parum eſt tamen quod dixi: tunc iterum Chriſtum linguis crucifixum: dico amplius quidquid in tota Paſſione prævia paſſus jam fuerat. Nunc iterũ à linguis patitur, neq; enim linguæ iſtæ carent flagellis, non carent ſpinis, non carent ſputis, non carent felle. Deniq; lingua univerſitas iniquitatis eſt. quid igitur ei inſtrumenti ad crucifigendum JESUM deeſt? Et quid ſi hæc renovata paſſio acerbior eſt, quàm tota præcedens fuit?

9. Quis jam ſperet evadere linguas hominũ ſi ipſæ ſunt, quæ uſq; in ſanctũ Dei, in ſanctum ſanctorum exaltari potuerunt? Cui parcent linguæ, quæ Dominum ipſum, quæ Verbum Æterni Patris confixerunt; Quis ferret linguas ſi non hebetatæ eſſent ad petram iſtam duriſſimam, ad Chriſti inquam patientiam? Quis linguæ cuſtos ſatis erit cautus & accuratus: ſine quâ inermem ſe novit, quâ ſolâ ſatis ſuperq; armatus & invictus eſt diabolus. Lingua ſatelles diaboli; ſementis imò meſſis inferni: primiceria Paſſionis totius Chriſti, Incendium mundi, Humanæ naturæ labes, deſolatio cœli, Divinitatis crucifixio. Sed enim reprehendere linguam omnium eſt, paucorum patienter ferre, nullius frenare. Omnis enim natura beſtiarum & volucrum, & ſerpentium & cæterorum domantur & domita ſunt à naturâ humanâ. linguam autem hominum nullus domare poteſt. Hominis eſt animam præparare: & Domini gubernare linguam: licet in ſpeciem videatur eſſe difficilius negotium cum animæ præparatione, quàm cum linguæ: externi utiq; & à naturâ ſatis cautè conſtituti membri.

10. Dignum eſt autem magnâ obſervatione & conſideratione: quod juxtà relationem Evangeliſtarum, ex omnibus hominibus qui linguâ ſuâ moleſti fuerunt Chriſto in cruce: copioſiſſimi fuêre Principes Sacerdotum; & ſcribæ, & ſeniores. Milites, plebs alia, latrones, longè his parciores. Quid in hoc latere putem paucis explico & quidem Sancti Hieronymi verbis: ita igitur ille. Pauci ſunt qui huic vitio (*Linguæ ſcilicet*) renunciant, tantaq; hujus mali libido mentes hominum invaſit, ut etiam qui procul ab aliis vitiis receſſerunt: in iſtud tamen quaſi in extremum diaboli laqueum incidant) utinam autem hoc omnium ſæculorum experientia non docuerit, neq; doceat. Videtur dici poſſe: Pietati, virtuti, Religioni ad omnia ſcelera cohibenda ſatis virium ſupereſſe: ad ſolius linguæ peccata frenanda dominandumq; linguæ ſatis omnino non eſſe. omnino Domini eſt gubernare linguam. Audeo plus: quod tamen ſine injuriâ virtutis dictum volo. Videtur dici poſſe, quòd virtutis & Pietatis profeſſioni, exercitio, & conſcientiæ, vis quidem inſit ad laxandam linguam: & quidem tantò licentius quantò ſub Pietatis pallio tectius. Mirum ut non debeat eſſe dictum Hieronymi, cùm id experientia comprobet. Neq; tamen hoc eſt malum virtutis, ſed eorum qui virtutem opinione ſaltem nacti, profeſſiq;, linguæ cuſtodiam negligunt, vel etiam ex fiduciâ quâdam ſui, frenos eidem laxant. Nullus religioſus ordo eſt in Eccleſia qui non ſpeciali curâ ſeveritateq; pro ſilentio contra linguæ, etiam ipſam otioſitatem excubet: neſcio tamen an ullus ſit in hac parte tam infelix: ut non deſideret ſe feliciorem, adeò verum

Hieronym: Epiſt: ad Celantiã.

Digitized by Google

eſt, etiam eos qui procul ab aliis vitiis receſſerunt in linguæ vitia (& ſpeciatim *in detractionis*) quaſi in extremum diaboli laqueum incidere.

11. Vtiliter etiam hoc quæri poteſt, aliquid cauſæ ſubſit quòd diabolus ultimò, per linguarum venenum tam multiplex Chriſtum oppugnârit? Breviter quod ſentio explano. Lingua, præſertim talis, quali Chriſtus eſt oppugnatus in cruce, potiſſimùm impugnat & ſauciat maxima Dei & hominum bona. 1. Honorem. 2. Sapientiam. 3. Innocentiam. 4. Charitatem. & hanc quidē ſuper omnia: in his quatuor Chriſtum videbat diabolus ſummum, conſequenter delicatum (ut ſic loquar) eſſe: in his ergo quatuor eum per linguas tentavit & afflixit, juxta illud. Contumeliâ & tormento interrogemus illum: & probemus patientiam illius. Addo in progreſſâ paſſione diabolus oppugnavit Chriſtum quaſi hominem: & tantùm exterius: extrinſecus ergo lædentibus inſtrumentis uſus eſt potiſſimùm, ad crucem ubi perventum, cum Deitate & internis Chriſti bonis bellum geſſit, ac potiſſimùm cum charitate: quæ ſicut potiſſimùm Deus eſt, ita potiſſimùm hoſtem linguam habet, & à linguâ nunquā non læditur, hanc ergo ut ſi non excuteret, ſaltem quateret diabolus in Chriſto, linguis tanquam aptiſſimis arietibus arietavit: itaq; DEus quidem in cruce pendens charitatis extremo conatu atq; opere, imò exceſſu & nimietate ut loquuntur ſcripturæ: diabolus autem omni linguarum acerbitate & penetrativitate in eum viciſſim pugnavit.

12. Quæri adhuc poteſt cur Chriſtus audiens tanta Iudæorum promiſſa, tam ſibi deſiderabilia, fidem ſcilicet illorum in ſe: non deſcenderit de cruce? Sed Dominus noſter ſcrutator cordium & renum bene videbat nequitiam cordis Iudæorum atq; duritiem ad credendum in ſe. An enim non potuiſſent facilè etiam dicere: Chriſtum in principe dæmoniorum feciſſe ſignum deſcenſionis: ut in aliis miraculis moris habebant. Deinde vero an non majus viderant patratum miraculum, *in Lazaro quatriduano fœtente reſuſcitato ad vitam*, quàm hoc fuiſſet vivum hominem de cruce deſcendere? quo tamen miraculo tantùm ſcilicet profecerunt ad fidem, ut & Lazarum cogitaverint interficere: quaſi Dominus qui mortuum ſuſcitârat, occiſum non poſſet? At bene Auguſtinus alloquens Iudæos ait. Si vobis aliud videtur mortuus & aliud occiſus: ecce Dominus fecit utrumq;. Nam & Lazarum ſuſcitavit mortuum, & ſeipſum occiſum, & utiq; majus eſt per omnem modum ſemetipſum reſuſcitare à morte, quàm aliquem quemlibet, ſed nequitia incredulorum & odientium, tantumq; linguis exaſperare ſatagentium crevit ſemper. Et quemadmodum in typicâ eductione populi DEI *ex Ægypto*, *Pharao* cum ſuis per omnes plagas indurabatur, donec in mari rubro interiret: ita in verâ eductione generis humani de ſervitute diabolicâ, diabolus & Iudæi perpetuò fiebant deteriores & duriores. Hanc ipsā quæſtionem egregiè Sanctus Bernardus explicat, ita ut & diaboli malignam aſtutiam, & Iudæorum aſtutam malitiam, & Chriſti Domini ſetiam prudentiam declaret: pluribus argumentis. 1. Ex Caiphæ prædictione ſumptum, qui dixerat. Expedit ut unus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat. 2. Ex ineptia conſequentiæ, ineptè enim arguunt Iudæi. Si Rex Iſraël eſt, deſcendat & credimus ei. imò aſcendat & credimus. 3. Ex antiquiore prædictione quâ prædictum. Dominus regnavit à ligno. 4. Ex eo quia etſi hoc Iudæis non ſerviret, ſerviebat nationibus: ad quas dictum, dicite in nationibus regnavit à ligno DEus, quomodo dictum fuiſſet in nationibus, ſi deſcendiſſet de ligno Dominus. 5. Ab exemplo Conſtantiæ Pilati in inſcriptione crucis. Scripſerat Pilatus JESUS Nazaræaus Rex Iudæorum. Si deſcendiſſet Chriſtus, titulum deſeruiſſet Regni: ergo etiam & Regnum, conſtantiorq; eſſet Pilatus quàm Chriſtus, ille enim urgentibus mutationem Iudæis dixit, quod ſcripſi ſcripſi, ergo etiam Chriſtum oportebat finire quod cepit. 6. Quia ſi deſcenderit neminem ſalvabit: nam qui non perſeveraverit ſalvus non erit, quantò minus Salvator erit? 7. Quia abſurdè dicebant ſalvum te fac: non indigebat ille ſalute ſeu ſalvare ſe, cùm eſſet ſalus. 8. In lege, ſacrificio veſpertino neq; cauda deeſſe debuit, defuiſſet autem Sacrificio Chriſti, ſi de cruce deſcendiſſet. 9. Perſeverandi in bono magiſterium ſummopere nobis neceſſarium exigebat à Chriſto ut non deſcenderet: quis enim noſtrûm in cruce fixus voluiſſet perſeverare ſi ſvadentibus perſeverantiam potuiſſet objicere quod Chriſtus non perſeveraſſet in cruce. Sine cauſa ergo diabolus cum Iudæis deſcenſum ſvadent Chriſto: ſed diabolus deſperatione ſva-

Ioan: 11. 42.

tione ſvadebat, iſti fervore malitiæ improperabant, Chriſto ab utriſq; telis innoxio. Et quemadmodum olim diabolus ſuaſerat Chriſto in Pinnaculo templi à ſe conſtituto. Si Filius DEi es mitte te deorſum. Sic nunc per Iudæorum linguas, idem repetit, deſcende de cruce. Sed nuſquam virulenta fraudulentia ſucceſſit maligno, vincente ubiq; Sapientiâ DEi malitiam Diaboli. 10 Quia aliud confirmandis fidelibus, aliud confutandis hoſtibus tempus deſignavit. 11. Interim patientiam exhibebat, humilitatem commendabat, obedientiam implebat, perficiebat charitatem. 12. Hiſq; quatuor virtutibus, quatuor cornua crucis ornabat, quæ cruci defuiſſent, ſi Chriſtus ante mortem deſcendiſſet. Addi poſſunt præterea. 13. Quia Iudæi uti aliàs fecerant, ita & nunc quoq; in Chriſto ſugillabant miracula, proinde non digni erant videre miracula. 14. Præterea Chriſtus prædixerat & dixerat Iudæis. *Solvite templum hoc & in triduo reædificabo illud*, quod dicebat de templo corporis ſui, licet Iudæi acciperent dictum de templo Salomonis: ſugillabant hoc ipſum etiam nunc Iudæi: atq; hoc re ipsâ præſtabat Chriſtus per eorum manus, revera enim ſolvebant templum corporis ejus, in triduo à Chriſto reædificandum. 15. Deniq; Iudæis quondam volentibus ſignum de cœlo: reſponderat non fore illis dandum ſignum aliud, niſi ſignum *Ionæ Prophetæ*. Sicut enim *ille fuit in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus* ita Chriſtus in corde terræ triduo futurus erat: iſtud ſignum oportebat dari & fidem verborum Chriſti impleri, morte & ſepulturâ & reſurrectione. proinde non oportebat de cruce deſcendere.

Ioan. 2. 19.

Matt: 12 39. & ſequ:

13. Adhuc quærimus, quid ſibi voluerint, quod moventes capita ſua inſultarint Chriſto? Eſt quidem hic mos familiaris inſultantibus, præſertim quando exprobrare alicui volunt, ſtultam præſumptionem, vanos conatus, iram ſine viribus, jactantiam ſui, prædictiones vanas & fallaces, arrogantiam nimiam, quæ omnia Chriſto Iudæi in his ſuis improperiis objiciebant: ſed præterea aliud ſignificatum fuiſſe hoc inimicorum Chriſti geſtu credimus. Qui inſani ſunt & qui moribundi eorum capita quieta teneri non poſſunt. adeò ut morituri citò hominis ſit indicium, caput defluens in humeros jacentis infirmi. Quid fiebat cum Iudæis tunc, niſi mente movebantur, & cum ſuâ ſynagogâ moriebantur? Similiter eos qui ex alto præcipites cadunt fertur capite gravante in caput ut plurimum terræ allidi: ſive id fiat ex vertigine cerebri, ſive ex metu nimio, ſive ùt dixi ex naturali cerebri gravitate. Nimis ex alto cadebant eo tempore infelices Iudæi, valde in præceps ibant: capita ergo movebant, & in capita in præceps labebantur. Cùm *Dathan, Core, & Abiron* eorumq; gregales contra *Moyſen Aaronemq;* ſeditionem moviſſent: ait ad eos Moyſes: *Multùm trigimini filii Levi*. Sed erectio iſta vertigine capitum completa eſt: nam ſubito *aperiente terra os ſuum, abſorpti ſunt & vivi deſcenderunt in infernum.*

Num:16. 7.

14. Ad extremum quærimus hoc loco: quid Dominus JESUS inter hoſce vipereos linguarum undiq; ingruentes morſus egerit? Ad quod ipſe Dominus per Prophetam nobis reſpondet. *Os peccatoris & os doloſi ſuper me apertum eſt, locuti ſunt adverſum me lingua doloſa, & ſermonibus odij circumdederunt me, & expugnaverunt me gratis. Pro eo ut me diligerent detrahebant mihi: ego autem orabam.* Orabat ergo IESUS inter illas ſerpentum ſibilantium, ſugillantium & ſugentium manſuetudinem illius & probantium patientiam ejus, & hæc fuit ejus ultio. Creditur autem oraſſe Dominus ſpecialiter Pſalmum 21. totum, qui plurima & maxima Paſſionis myſteria valde expreſſé continet: eſtq; appoſitiſſima crucifixi Chriſti oratio. Alterum quod egiſſe Chriſtus Dominus in cruce inter maledicas haſce linguas videri poteſt: expreſſit Sanctus Bernardus refellens enim hunc Iudaicum aculeum *Si Rex Iſraël eſt deſcendat de cruce & credimus*, poſt alia ita loquitur. *Aliud tempus elegit confortandis diſcipulis, aliud adverſariis confutandis.* Interim patientiam magis exhibet, humilitatem commendat, obedientiam implet, perficit charitatem. His namq; virtutum gemmis quatuor cornua crucis ornantur: & eſt ſupereminentior charitas: à dextris obedientia, patientia à ſiniſtris, radix virtutum humilitas in profundo. His ditavit trophæum crucis conſummatio Dominicæ paſſionis, cùm ad Iudæorum blaſphemias humilis, ad vulnera patiens, intus linguis, clavis exterius pungeretur. Nam & charitas in eo perfecta eſt, quòd pro amicis animam poſuit & obedientia conſummata cum inclinato capite tradidit ſpiritum, factus obediens uſq; ad mortem. His privare dotibus, hac privare gloriâ Chriſti ſatagebant Eccleſiam, qui dicebant.

Pſ. 108. 2.

Ibid: 4.

Bernard: Serm. 1. in Paſch.

Digitized by Google

Si Rex Iſraël eſt deſcendat de cruce &c. Tertium quod Chriſtus in cruce geſſit cum ab omnibus blaſphemaretur, erat converſio latronis ad pœnitentiam, ejuſdemq́; remuneratio. Quartum etiam fuit ejus opus. Sollicitudo de Matre, & diſcipulo cruci adſtante. Sed de his ſeparatim mox dicendum eſt.

15. Sumant ex hoc toto inimicorum Chriſti cum Chriſto, & Chriſti cum ipſis proceſſu normam & formam ſpirituales viri, tam diabolicarum tentationũ quàm reſiſtendi iiſdem. Omnium tentationum mundi, carnis, diaboli, hæc eſt ſumma deſcende de cruce. Quidquid enim mundus, caro, dæmon amori proprio ſuaderit, id totum huc collineat. Deſcende de cruce. Quemadmodum & illæ voces, quas ipſe diabolus in ſuâ perſonâ olim Dominum noſtrum tentans Matt: 4. 6. uſurpabat. *Mitte te deorſum. &c. Hæc omnia dabo tibi ſi cadens adoraveris me.* Sed his omnibus trifariam occurrendum eſt, exemplo Chriſti Domini. 1. Orando. 2. Obureſcendo, & nihil omnino cum tentatoribus tentationibuſq́; colloquii interni externive factitando. 3. Denique iis ſeriò ſeverè, ac reſolutè, in faciem reſiſtendo ac confundendo. *Vade Sathana. Scriptum eſt. Dominum DEum tuum adorabis & illi ſoli ſervies. Non tentabis Dominum Deum tuum. Vade retro Sathana ſcandalum es mihi, non ſapis ea quæ Dei ſunt, ſed ea quæ ſunt hominum.*

16. Speciali verò quâdam ratione, eſt hic Magiſterium & exemplar vivum, hominibus probis, propterq́; juſtitiam perſecutiones patientibus, ab ipſomet Chriſto Domino demonſtratum. Ecce enim Chriſtus aſcendit crucem, & cùm jam omnes aliæ pœnæ ceſſaſſent, ſecutæ ſunt eum linguæ: atq́; tum maximè ſævierunt in eum: ejuſq́; patientiam, manſuetudinem, conſtantiam, charitatem, probaverunt & convellere laboraverunt: quas tamen Dominus modis proximè dictis omnes eluſit & devicit. Diſcant hoc pii viri: pietatiſq́; ac perfectionis viam meditantes, crucemq́; conſcendentes. Non exiſtiment jam eſſe per hoc bella finita quia in crucẽ evaſerunt: ſciant ſecuturas ſe illuc etiam linguas: ſciant quod etiam latrones cum iis concrucifixi, etiam ejuſdem propoſiti inſtitutiq́; homines atq́; ſpecietenus amici & ſodales improperabunt & convitiabuntur eis. Sed illi in his omnibus intueantur ad Chriſti exemplar: non deſerant locum ſuum, ſed hoc ad quod in crucem aſcenderunt tenentes atq́; perficientes, conſtanter, perſeverent, tam contemptores, quàm contempti linguarum. Faciant ſibi hoc familiare ipſo uſu, ut quoties aliquid boni proponunt vel aggrediuntur, quod neceſſe erit hominibus innoteſcere, ſtatim etiam proponant propter illud bonum opus pati: pati inquam cenſuras, reſiſtentias, improperia, irriſiones, impedimenta hiſq́; ſimilia. Quod genus patiendi eſt valde arduum & heroicum. Pati ſcilicet manſuetè pro eo, pro quo laudari debueras & honorari, & amari: & pati ab eis à quibus approbari & amari, & promoveri in bono debueras: & pati ab eis in quorum bonum operaris. Hæc patientia habet bolum ſine oſſe (ut quidam dicere ſolebat.) Hoc perſecutionum genus ſuperatur ut dixi manſuetudine, contemptu linguarum, oratione pro perſecutoribus, præparatione ad patiendum &c.

17. Inſanas haſce Iudæorum in Chriſtum blaſphemias egregiè exagitat Sanctus Leo. *Principes Sacerdotum quibus indulgentiam Salvator petebat, ſupplicium crucis irriſionum aculeis aſperabant: & in quem manibus ſævire amplius non poterant, linguarum tela jaciebant dicentes. Alios ſalvos fecit ſeipſum non poteſt ſalvum facere. Si Rex Iſraël eſt deſcendat nunc de cruce & credimus ei.* S. Leo Ser: 4. de Paſ: cap. 2. De quo erroris fonte Iudæi, de quo invidiæ lacu talium blaſphemiarum venena potaſtis? Quis vobis magiſter tradidit, quæ doctrina perſuaſit, quod illum Regem Iſraël, illum DEi filium credere deberetis, qui ſe crucifigi non fineret, aut à confixione clavorum liberum excuteret? Non hoc vobis legis myſteria, non Paſchalis obſervantiæ Sacramenta, nec ulla unquam Prophetarum ora cecinerunt. Sed illud verè abundèq́; legiſtis, quod ad deteſtabilem veſtri ſceleris impietatem, & ad voluntariam Domini pertinet Paſſionem. Ipſe enim per Iſaiam loquitur. *Dorſum meum dedi ad flagella. maxillas meas ad palmas, faciem meam non averti à confuſione ſputorum.* Iſaiæ 43. Ipſe per David. *Dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potaverunt me aceto.* Pſal: 68. 22. Et iterum *Circumdederunt me canes multi, conſilium malignantium obſedit me. Foderunt manus meas & pedes meos, dinumeraverunt omnia oſſa mea. Ipſi verò conſideraverunt & inſpexerunt me: diviſerunt ſibi veſtimenta mea & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem.* Pſal: 21. 17. Ibid: ℣. 18. 2.6. Et ne ſceleris tantùm veſtri videatur ordo prædictus: nulla autem potentia crucifixi: non quidem legiſtis *Dominus deſcendit de cruce*: ſed legiſtis *Dominus regnavit à ligno* Pſal: 95. Crux ergo Chriſti Sacramentum veri & prænunciati

nunciati habet altaris, ubi per hoſtiam ſalutarem naturæ humanæ, celebraretur oblatio. Hactenus Sanctus Leo.

18. Quando olim Archiſynagogi filiam Dominus reſuſcitaturus ex mortuis A domum intravit: deridebant eum tibicines, & turba tumultuans. Totam ecce IESUS Synagogam revocat ad vitam, ſed illa tumultuatur, & deridet Salvatorem: quid ergo reſtat niſi ut eijciatur turba tumultuans, & in medicum inſaniens, trasferaturq; ſalus ejus ad Ecclefiam.

19. *Deſcendat de cruce, & credimus ei.* Dignum cerebro Iudaico verbum, promiſſum credendiq; motivum. Propter quod minimè cuiquam credendum eſt, propter hoc illi credituros ſe Chriſto ſpondent. Deſcendiſſe de cruce aliquem: apoſtataſſe eſt à Deo, à virtute, à veritate. Iudæos tamen imitatur miſerrimum hæreticorum vulgus: qui non B ullis aliis prædicantibus ferè credunt quàm qui de cruce Eccleſiaſticæ diſciplinæ, aut etiam Religioſæ deſcendentes, amplexi ſunt inimicitias crucis, hoc eſt delicias carnis, & miſero populo loquuntur placentia, blanda, ſenſui amica, licentiæ portas patefacientia, quibus populus ineſcatus tam pronas dat aures, quàm prono lapſu plumbi maſſa deorſum tendit. Hos etiam ipſos Iudæos imitantur illi, qui cùm de Religioſis aut viris, aut familiis vix quidquam ſani cogitare velint: poſtquam aliquem de cruce Religionis alicubi deſcendiſſe compererint, eum mox ſibi familiarem faciunt: eiq; fanda, & infanda garrienti lætiſſimè credunt: nullo alio fidei motivo, niſi illo. Deſcendit de cruce, & C ideò credimus ei.

20. *Deſcendat de cruce & credimus ei.* Non eſt inſolens humanæ malitiæ atq; verſutiæ, ita tentare DEum, ut medicinas & ſanitates ejus cupiant, ſoleantque ſibi vertere in venenum, ut ſcilicet peccatum appareat. peccatum ſuper peccatum, per bonum operatur eis. & in eis, mortem. Quid melius doloribus JESU, quid ſalubrius vulneribus Salvatoris? Quid vitalius morte Filii DEi? Homines deſperatiſſimè ægrotabant, & tamen ipsâ ægritudine, quâ mentes perdiderant etiam medicum cædebant, quin & occidebant. Et ille quidem etiam cùm occideretur, Medicus erat. etiam cùm vapulabat ab eis, eos tamen curabat: D patiebatur phreneticos, nec deſerebat ægrotos, tenebatur ab eis, alligabatur, percutiebatur, irridebatur, ſuſpendebatur, & nihilominus Medicus agnoſcitur, Medicus erat, quantò magis inſaniebant illi, tantò diligentius ſanat ille. Agnoſcis phreneticos? Agnoſce & Medicum. Illi dicunt, deſcendat de cruce & credimus ei, ille autem orabat, Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt, illi amiſsâ mente ſæviebant, & Medici ſanguinem ſæviendo fundebant: ille autem etiam de ipſo ſanguine ſuo ægrotis medicamenta faciebat. *Vide Aug: Serm. 9. de verbis Apoſtoli.*

21. *Si Filius DEi eſt deſcendat de cruce & credimus ei.* Olim diabolus Chriſtum tentare auſus: hoc eum telo aggreſſus eſt. *Si Filius DEi es, dic ut lapides iſti panes fiant:* iterumq; eâdem conditionali repetitâ: ſubdit: *mitte te deorſum.* ex patre diabolo nati Iudæi, ejuſdem nunc linguâ loquuntur, & quaſi Patris ſui Prophetiam in ſe ſe adimplendam Chriſto promittunt. Sed non eſt tempus nunc ut Chriſtus *ex lapidibus filios Abrahæ ſuſcitet, aut panes ſibi faciat, aut deorſum ſe mittat.* Non hanc viam elegit, *qua ſe Filium DEI monſtraret.* Permanendo in cruce, latrones in Apoſtolos & Martyres mutando. Divinitatem ſuam demonſtrare, comprobare, & evincere decrevit, quod & præſtitit: vnde & citò revertentes populi à cruce percutiunt pectora ſua, eaq; velut in panem mutata Chriſto offerunt ac dicunt. *Verè Filius DEi erat iſte.*

PARAGRAPHVS CXLIX.

JESVS ab uno latrone blaſphematur. Lucæ 23. 39.

STROMATA.

1. INter alios Chriſti de cruce pendentis blaſphematores, fuit etiam latro. Vterq; an alter ſolùm ex Evangeliſtis difficilè eſt colligere: cùm Matthæus & Marcus aſſerant latrones in plurali, qui crucifixi erant cùm eo, improperâſſe & convitiatos eſſe. Lucas verò dïſertè dicat unum de his qui pendebant latronibus blaſphemaſſe eum dicendo: Si tu es Chriſtus ſalvum fac temetipſum & nos. Alterum contrà reſpondiſſe blaſphemo increpando illum. Neq; tu times Deum, quod in eâdem damnatione

Digitized by Google

es. Et nos quidem juſtè: nam digna factis recipimus: hic verò nihil mali geſſit. Et dicebat ad JESUM. Domine memento mei cùm veneris in Regnum tuum. Quam diverſitatem Evangeliſtarum expendentes Patrum & interpretum aliqui dicunt, revera ambos latrones Chriſto eſſe convitiatos ab initio: ſed in progreſſu unum ex his videndo Chriſti patientiam, manſuetudinemq́;, ac taciturnitatem in pœnis & conviciis: audiendo etiam ejus orationem pro inimicis ad Patrem: intuendo etiam ſolis obſcuritatem in meridie ſubitò factam, & durantem diu: (ſi jam tunc facta fuit) Innocentiam Chriſti, atq́; adeò etiam quiddam humano majus aſſ qui ex his cœpit, Chriſtumq́; miſerari: & de primo jactis conviciis in illum compungi, tum vero contra ſocium pergentem in convitiando excandeſcere, atq́; Chriſti defenſoris partes contra ipſum agere cœpiſſe: quod dum agit, ſtatim ſuam & ſocii malam vitam, meritam & juſtam pœnam fateri, Innocentiam Chriſti in contrà adducere, eoque tandem devenisse Chriſti gratiâ, & ſanguine, & oratione adjutum, ut etiam in Chriſto Dominatum. Regnum, Divinitatem agnoſcens, myſteriumq́; Redemptionis à Chriſto peragi veluti ſentiens, ſeſe illius miſericordiæ & gratiæ commendare non dubitaret, quantumvis in eodem ſecum ſupplicio & dolore contemptuq́; poſitum cerneret. Alioqui rurſus exiſtimant verè unum tantùm latronem convitia in Chriſtum jeciſſe: alium vero ſtatim patronum ejus egiſſe proút Sanctus Lucas explicatè aſſerit: apud alios autem Evangeliſtas pluralem numerum latronum pro ſingulari ſeu pro indefinito poſitum eſſe. Sicut inferius dicitur ab Ioanne in plurali, quod ſpongiam aceto plenam hyſſopo circumponentes obtulerint ori Chriſti. Matthæus autem & Marcus aſſerunt id ab uno factum tantùm. Vterq́; ſentiendi modus bonus eſt: ego meum judicium non interpono: ſed me ad alios ſenſus veſtigandos confero.

2. Duo iſti latrones duo Populi ſunt, Iudæorum, & Gentilium: quorum uterque Chriſtum initio & perſecutus eſt & blaſphemavit, poſtmodum vero unus eorum nempe gentilis agnovit, & pro Deo Redemptore Meſſiâq́; recepit, atq́; contra alterius injurias uſq́; hodie defendit, ab eoq́; gratiam & gloriam, & locum in Paradyſo emendicat, & impetrat. Ita etiam Iudas ſemper fuit hoſtis Chriſti, Paulus autem ex perſecutore & blaſphemo Apoſtolus ejuſdem fuit.

3. Ad inſignem Chriſti humiliationem & dolorem ignominiamq́; pertinet hæc blaſphemia convitiatioq́, ab uno latrone ſecum pendente in cruce excepta toleratāq́; Verè enim contemptibilis eſſe debuit valde Dominus noſter, cui etiam latro de patibulo putavit ſe poſſe & impunè, & cum merito, & cum approbatione apud Principes, quin fortè & apud Deum cum indulgentiâ, ac ad mortem diſpoſitione ſingulari inſultare, forſitan enim & iſte nequam, arbitrabatur ſe obſequium præſtare Deo ſi inſultaret Chriſto tanquam ambitioſo Meſſiæ, & falſo Regi atq́; Prophetæ.

4. In hac blaſphematione unius latronis unâ ſecum in Cruce pendentis: poterat merito Dominus dicere blaſphemanti quod dixerat olim Petro mortem diſſuadenti. *Vade poſt me Sathana, ſcandalum es mihi, non ſapis quæ DEi ſunt, ſed ea quæ hominum.* (Matt. 16. 23.) Verùm Dominus ab hac increpatione abſtinuit, patiendi enim tunc fuit & pro perſecutoribus orandi tempus.

5. *Tobiæ percuſſo cæcitate* & in paupertatem rapinamq́, bonorum lapſo, inſultaverunt plurimi, & pietatem, Eleemoſynas, ſpem in Deum exprobrârunt. (Tobiæ 2. 11.) Idem Paſſus eſt *Iob ab amiciſſimis & ſervis ſuis,* & à viliſſimis quibuſq́;, quorum partem cum ſuis canibus quondam non fuiſſet dignatus ponere. (Iob. 30. 1.) Dolori erant hæc opprobria viris ſanctiſſimis, ſed nihil ita ſicut uxorum inſultatio: quæ cum æqualiter debuiſſent viris ſuis compati, ſicut & ex æquo calamitate communi virorū ſuorum tangebantur: ambæ tamen ſuis viris inſultare maluerunt, & ambæ nihilominus ab utroq́; Patriarchâ, æquanimiter toleratæ ſunt. Ita Chriſto Domino omnium quidem inſultationes fuêre acerbæ, ſed ſpeciali ratione latronis ſecum in eâdem damnatione poſiti, acerba accidit blaſphemia: eam tamen JESUS benigno & placido animò pertulit. Senſit hanc acerbitatem & indignitatem inſultationis à latrone concrucifixo in Chriſtum profectæ alter latro: unde & in patrocinium innocentis Chriſti converſus: ab hac ipsâ blaſphemandi indignitate exorſus ſocium refutat dicens. Neq́; tu times Deum: qui in eâdem damnatione es. Quæ verba præter aliam energiam, hanc etiam habent: inſultari & variis improperari conviciis huic, qui inter nos medius pendet cruci affixus, à militibus, à plebe, à Principibus, etiā

Digitized by Google

bus, etſi dolendum & indignum eſt; jam enim ejus pœnis & præteritis & præſentibus ſatiari poterant ac debebant, non tamen mirum, quia inimici ſunt, quia extra calamitatem omnem ſunt: quia adhuc pœna Dei ab eis longè eſt. Sed te inſultare & blaſphemias jacere, in eũ qui tecum, & cum quo tu eandem pœnam fers, in eum qui te nullâ unquam læſit injuriâ, in eum quem tot alii perſequuntur ſine causâ, in eum cujus te commiſeratio tangere debebat. ſicut & tui, te inſultare, qui propter ſcelera tua juſtiſſimas pœnas pateris. te inſultare qui jam de crucis ſupplicio ad ſupplicium futuræ vitæ à Deo ſubeundum properas, jamq; in foribus inferni ipſius aſſiſtis. te inſultare eâ horâ, quâ pœnitentiam pro nequitiis agere debueras, quâ timore Dei, ejuſq; judiciorum ſuper te totus concuti debueras: te inſultare eo loci poſitum, quo ex tua propria calamitate diſcere ſenſum alienæ debueras: te inſultare huic, quem nullius ſceleris reum cognoſcis, quem pro ſuis malefactoribus & crucifixoribus orantem audis, eorumq; in ſe injurias excuſantem coram Deo? id certè inſigne eſt inſignis improbitatis & nequitiæ: proinde longè melius ſaperes atq; ageres, ſi innocente relicto, tuas nequitias eâ horâ coram Deo defleres, meliùs ageres atq; ſaperes, ſi hujus innocentis orationi te commendans, de exitu tuo & morte ſollicitus eſſes Melius ageres & ſaperes: ſi malè tandem agere deſinens, & peccata peccatis ultrà non addens, Deum timere in hoc ultimo vitæ paſſu mortiſq; confinio inciperes. Quoniam tu te ipſe bene nôſti: quod nos quidem juſtè patimur crucem, nam digna factis recipimus. Hic autem quem blaſphemas nihil mali geſſit. Hoc igitur age, & mortalium improbiſſimus eſſe deſine. talem enim eum eſſe opus eſt, qui in media morte poſitus, oblitus nihilominus & ſcelerum ſuorum, & periculi ultimi, malit alteri innocenti in calamitate poſito inſultare, quàm interea ſaluti ſuæ æternæ conſulere. Hic ferè ſenſus energicus (inter alios) eſt orationis boni latronis impium latronem in Chriſtum injurium increpantis. Quâ oratione expreſſit grandem indignitatem latentem in improbi latronis blaſphemiâ, in cujus perperſione Chriſtum modeſtiſſimè, non minùs quàm moleſtiſſimè agentem intuens bonus latro, eo uſq; admiratus eſt Dominicam manſuetudinem, ut eam majorem humanâ, verèq; divinam, primùm quidem ſuſpicatus, deinde etiam agnoſcens & admiratus, confiteri Chriſtum Deum, ſuumque Dominum, per crucem ad Regnum euntem prædicare, ejuſq; ſe benignitati, quantumlibet in cruce ſecum morientis commendare, non dubitaverit, unde averſâ ſuâ, à nequam ſocio, oratione, eam ad Chriſtum convertens, tanquam præbiturus ſodali perdito pœnitudinis exemplum ſupplex ait. Domine memento mei dum veneris in Regnum tuum. Igitur ſi quid latronem bonum convertit ad Chriſtum, ſi quid eum ad ejus cognitionem, confeſſionem, ſupplicationemq; adduxit, adduxit inaudita Domini manſuetudo, in omnium quidem inſultatorum ſed potiſſimum improbi latronis inſultatione ſufferendâ. Iudice enim latrone iſto tam fuit indigna, tam improba, tam intoleranda illa ſocii in Chriſtum blaſphematio ut eam manſuetiſſimè & benigniſſimè tolerari (prout facere Chriſtum videbat) non poſſe crederet, niſi ab altiore quàm humanâ atq; adeò à Divinâ manſuetudine atq; benignitate. quocirca hoc potiſſimùm indicio & argumento videtur latro iſte inductus ad fidem, ad defenſionem, ad amorem, ad venerationem Chriſti Domini, contra omnium licet oppoſitum ſenſum & conſenſum.

6. In hac inſigni improbitate unius latronis in cruce cum Chriſto pendentis, & in hac item inſigni pietate latronis alterius, pariter in cruce cum Chriſto affixi, bene poteſt animadverti veritas illius dicti, quod poſtea Auguſtinus experientiâ doctus protulit. *Sicut non inveni meliores quàm qui in Religione profecerunt; ita non inveni deteriores quàm qui in Religione defecerunt.* Etenim hujus rei typus eſt in hiſce duobus cum Chriſto crucifixis latronibus: quorum alter occaſione crucis inſigniter ad impietatem, alter ad pietatem in Chriſtum profecit. O verè non ſtatus Eccleſiaſticus aut Religioſus, non veſtis Religioſa, non habitus & tonſura, non profeſſio, & emiſſa vota, non ipſa crux & crucifixio carnis facit ſanctum, facit virtute præditum, facit perfectum Dei ſervum, Chriſtique crucifixi aſſeclam & diſcipulum. Ecce enim iſte latro ex ipsâ cruce, ex crucis ſuæ ad crucem Chriſti vicinitate deſcendit in tartara: cùm interea alter aſcendat in Paradyſum. O quàm dura commutatio: à latere Chriſti, ad manus delabi diaboli. Nemo altum ſapiat: nè quidem ſi os ſuum in cœlum ponat:

nemo de ſui ſtatûs ordinisve gloriâ, perfectione, integritate, rigore, & vigore arroganter diſputet aut præſumat. Quis enim Chriſto crucifixo vicinior, quàm latro cum eo ad latus pendens? quis ita vivam experiebatur crucis Chriſti Paſſionem, ſicut latro in ſimili pariter cum Chriſto affixus cruce? Certè iſte rigorem & vigorem crucis diſciplinæ ſenſit & pertulit unà cum Chriſto? & tamen non pervenit ad Paradyſum cum Chriſto? quare nemo altum ſapiat: neq; ſibi ex ſuo ſtatu admodum placeat: ſed timeat, & humilibus cõſentiat. Et intelligat ſe in optimo licet profectiſſimoq; ſtatu ſecurum non eſſe ſed peſſimum eſſe, atq; in manus diaboli incidere poſſe. Hoc ſanè etiam Paulus monitum voluit unumquemq;: cùm enumeratis illis magnis & miris concludit. Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habeam, nihil ſum, nihil mihi prodeſt. Amiſit latro, quamvis confixus cruci cum Chriſto, amiſit inquam unitatem cum Chriſto quia non habuit (ne quidem tanquam in proximum) charitatem in Chriſtum.

7. Sicut unus idemque calor ſolis, ceram liquat, lutum ſiccat, unus idemq; radius lucis ſanos oculos recreat, morbidos cruciat: unus idemq; ignis bonum aurum purgat & purius efficit, falſum & adulterinum in fumum abire facit: unus idemq; ventus granum in areâ mundat, paleam rapit & ſpargit: ita Chriſti in cruce aſſociatio, & vicinitas, ita Chriſti pro inimicis ſupplicatio, ita omnis tribulatio & adverſitas, latronem bonum à malis ad meliora convertit: improbum verò etiam improbiorem & obduratiorem facit: & quotidiano experimento docti ſcimus: in unius ejuſdemq; generis calamitate à Deo hominibus immiſſâ, quoſdam impatientes eſſe, Deum blaſphemare & deteſtari nequioresq; reddi, quoſdam verò modeſtiores effici, reſipiſcere, & ad meliorem frugem converti: utrumq; horum expreſſit Spiritus Sanctus, ac *primùm* quidẽ. *Fruſtra percuſſi filios veſtros: non receperunt diſciplinam. Secundùm verò. Cum occideret eos veniebant ad eum.*

8. Latronis mali improbitas obſtinata, obſtinatioq; improba, utcunq; habere poſſet excuſationem, quod Chriſtum tam multorum, tamq; magnorum juxtà ac parvorum, ſenſu damnatum, cruci affixum illuſum & ipſe illuſerit, atq; blaſphemaverit: ſecutus eſt exempla: raptus eſt veluti torrente rapido in ſenſũ pravum. Non potuit etiam modeſtiſſimum Domini tot inter mala ſilentium, & animum bene piè ſublimiter interpretari: ſit hoc ita: ſit hactenus Latro
A iſte utcunq; minùs improbus, minùs in improbitate obſtinatus: at quod idem, ſocii ſui & monitione & exemplo tam luculento inſtructus, de Innocentia Domini edoctus, ad amorem, venerationẽ, obſequium, invocationemq; ejuſdem, tam fidei quàm ſubmiſſionis admirandæ plenâ & in exemplum prævium factâ oratione invitatus: quod ampliſſimo, & promptiſſimo, & optimâ fide firmatiſſimo promiſſo à Domino ad ſocium facto: quod deinde tot tantiſq; viſis portentis, quæ mortem Domini partim antegreſſa partim ſecuta ſupremam Chriſti licet in cruce ſecum pendentis innocentiam, majeſtatem, potentiamq; cõteſtata ſunt. mortemq; indigniſſimam lamentata
B ſunt: quod vivificæ, & in totius mundi ſalutẽ vitamq; ſuſceptæ à Domino mortis, bullientis fervore Divinæ charitatis ſanguinis efficaciſſimâ virtute circumquaq; comprehenſus licèt foret: nihilominus in ſuâ improbitate ac duritie cordis, rupibus & petris durior, putrefactiſq; mortuorum cadaveribus inſenſibilior, ipſiſq; crucifixoribus Chriſti obſtinatior permanſerit: hoc demum eſt cordis duri exemplum, aut potiùs monſtrum monſtroſumq; prodigium.

C

PARAGRAPHVS CL

JESVM alter latro defendit, confitetur, precatur. Lucæ 23. 40.

STROMATA

1. BLaſphemante uno latrone Dominum, alter ejus patrocinium ſuſcipit: dicta ſunt aliqua proximo in pũcto, etiam de hoc latrone bono: hic tamen ex propoſito pluribus agendum. valde oportunus & humanitus inſperatus inexſpectatuſq; fuit hic Chriſto Domino patronus: quem ex millibus tot præſentium Hieroſolymis hominum, à
D Chriſto plurimis etiam beneficiis affectorum non reperit neq; habuit Dominus: inter tot contradictores, conviciatores, illuſores, contra tot & tantæ

authoritatis

authoritatis: contra tot præjudicia: contra omnes humanas rationes & ſpes: in tam deſperatâ & deploratâ, & ad omnia extrema deductâ Chriſti causâ: nullis antea prævijs Chriſti in latronem hunc non dico beneficiis, ſed vel notitiis in tantâ Chriſti ab omnibus derelictione, is unus & ſolus & primus inventus eſt: qui ſe & ſuo ſocio, & ſimiliter omnibus circumſtantibus, pariterq; Chriſto inſultantibus auſus eſt opponere, Chriſtum propugnare, innocentiam profiteri, injuſtam mortem & pœnam proclamare, & Pilati decretis, & Principum placitis ſitisq; contradicere, totius plebis placita poſtulataq; carpere & convellere, ſua peccata & pœnæ promerita fateri, ſocium à ſcelere dehortari. Quàm mirus eſt in his omnibus latro iſte: hæ ſimilesq; circumſtantiæ ſatis oſtendunt, ſi debite expendantur, quám oportunus defenſor & Patronus eadem adjuncta declarant. Nam nunc in eo non attendendo, quod ad ſumma, intima, eaque nunquam magìs quám in præſenti rerum Chriſti ſtatu, abſcondita myſteria, mirabilibus & plus quám linceis, imò plus quam Angelicis oculis penetraverit: id enim ſeparatim expendendum veniet:

Eccl: 22. 6. Itaq; quod Sapiens dixit *Muſica in luctu importuna narratio*: non habet locum in præſenti: ſed potiùs hæc muſica Latronis, ad Chriſti patrocinium laudesq; côcinnata, valde oportuna, valde decora, valde accepta eſt narratio. Nec facilè Chriſtus in omni vitâ ſuâ ſibi gratiorem ad aures accidiſſe meminerit

2. Ecce latroni tantus & tam latè patens campus aditusq; ad ſalutem apertus eſt, in ipſo ſcelerum ſuorum ſupplicio; in infamiſſimò cruciatus genere, in ipſo mortis aditu. Nemo ſalutem deſperet dum vivit, quando eam latro, in his circumſtantiis reperit: quis dubitare aut deſperare poterit, ſe quoq; eam invenire poſſe. Ita omnibus pervium & paratum eſt cœlum, ut nec patibularios furciferosq; excludat: eorumvé ingreſſu ſe pollui putet. Ad inferos ex ipſis cœlis ab ipſis Angelis ruitur: ex cruce, ex patibulo, ex furcâ ad cœlos, ad Angelos, ad Angelorum cœlorumque Dominum aſcenditur. Nemo indignus creditur conſortio Regni Chriſti quisquis novit uti conſortio crucis Chriſti: profuit ad ſalutem Simoni Cyreneo bajulâſſe crucem Chriſti poſt Chriſtum: profuit latroni non tam in cruce pependiſſe unâ cum JESU (quoniam & malus latro pependit) quàm in crucis ſuæ ſupplicio ſe quidem eſſe reum, innocentem autem eſſe confiteri JESUM.

3. Quærimus quanta myſteria latrò penetrarit in cruce pendens, in Chriſto A item de cruce pendente? 1. Penetravit & agnovit Innocentiam Chriſti etenim diſertè dixit. Hic nihil mali geſſit. 2. Penetravit iniquitatem & injuſtitiam in Chriſtum patratam, ab omnibus accuſatoribus, judicibus, crucifixoribus, inſultatoribus ejus: quia enim agnovit Chriſtum nihil mali geſſiſſe, nulloque modo crucis ſupplicium promeruiſſe, conſequens fuit ut agnoſceret impietatem & injuſtitiam omnium quorum ſcelere videbat eum in cruce pendere. 3. Agnovit valde impium indignum crudeleque eſſe inſultare Chriſto innocentiſſimo, tam crudelem pœnam ſuſtinenti: unde cùm alios non poſſet ab hac in Chriſtum impietate coërcere, ſocium ſal-B tem ſuum revocare conatus eſt: & hoc pacto ſimul etiam alios officii commonuit, & à ſcelere revocavit. 4. Agnovit longè aliam eſſe rationem patiendi pro maledictis, & aliam pro benefactis. Vnde dicebat. Nos quidem juſtè, nam digna factis recipimus: hic autem nihil mali geſſit. 5. Agnovit magnam diſtantiam differentiamq; inter ſe ſociumque ſuum & inter Chriſtum: quantumvis pariter ſecum in cruce affixum, unde illi inſultari & ab aliis noluit, & à ſocio prohibuit. 6. Agnovit Chriſtum non invitum neq; ex imbecillitate ſuâ, & quod inimicorum vim evincere non potuiſſet; ſed altiore quâdam profundioreq; ratione inductum pati, in cruceq; C pendere. 7. Agnovit Chriſtum paſſione illâ ſuâ atq; tam miſerabili ſpecie operari quiddam grande abditum, ſalutare omnibus. 8. Agnovit Chriſtum, per illam crucis, Paſſionis mortiſq; ignominiam, non tantùm non perire, aut ſuccumbere, ſed potiùs invaleſcere, & hoſtibus ſuis robuſtiorem evadere. 9. Agnovit Chriſtum non ſinè myſterio Regem in titulo crucis affixo nuncupatum, ſed reverà Regem eſſe & per mortem crucis ad Regnum proficiſci, vel Regnū parare, ita ut jam tunc videatur cognoviſſe latrò, quod poſt Reſurrectionem ſuam Chriſtus diſcipulis repetiit: oportere nimirum pati hæc Chriſtum, & ita intrare in Regnum ſuum, & in gloriam ſuam. 10. Agnovit Chriſtum poſt mor-D tem ad Regnum perventurum, & regnaturum eſſe. 11. Agnovit Chriſtum poſt mortem & per mortem non alienum aliquod Regnum quo caruerit tunc per-

venturum, ſed potius ad Regnum ſuum proprium rediturum: unde non ait Chriſto, memento mei cùm veneris ad Regnum: ſed apponit tuum: quod ſcilicet habes quod tuum eſt etiam nunc. A 12. Agnovit Chriſtum habere regnum, & pergere ad Regnum longè ſublimius, atq; divinius quàm ſit in hoc mundo: hic enim Reges regnant, tantùm corporibus, & poſſeſſoribus hominum: at latro agnovit Regnum Chriſti ſuper animas ipſas: pertinereq; ad ejus Regnum Spiritus mortuorum, & illius Regalis officii eſſe, poſt mortem corporum dare animabus partem in ſuo Regno, vel eas excludere à ſuo Regno. Vnde petit à Chriſto ut ſaltem ſui dignetur meminiſſe in illo ſuo Regno, partemq; ſibi in illo aliquam concedere. 13. Agnovit Chriſtum habere poteſtatē habiturumq; poſt mortem ipſam, animabus condonandi peccata, peccatorumq; pœnas, B vel etiam caſtigandi peccata earum: quam ob rem conſcius ſuorum præteritorum ſcelerum cum magnâ modeſtiâ, verecundiâ, ſubmiſſione, petit à Chriſto, ut in ſuo illo Regno ſui meminiſſe (in bonum utiq; & ſalvationem) dignetur condonandi ſibi nunc peccata, & pœnas, deinde verò aliquod conſortium Regni, ſeu aliquem locum in Regno ſuo attribuendo. 14. Agnovit ſuam quantulamcunq; pro Chriſti contra ſocium defenſione curam, Chriſto non ingratā eſſe in præſenti, neq; gratuitam fore in futuro: proinde memoriam ſui apud Chriſtum remanere petit, ubi ad ſuum Regnum, ad quod per crucem tenderet perveniret. 15. Agnovit Chriſtum eſ- C ſe Dominum, & quidem longé altioris ejuſdem Dominii. Dominum ſcilicet vitæ & mortis, Dominum hic, Dominū & poſt mortem, Dominum cujus in poteſtate ſit dare veniam & dare pœnam. Dominum qui poſſit donare Regnum admittereq; ad illud quem velit, & excludere ab eodem quem indignum nôrit. 16. Agnovit Chriſtum eſſe verè Deum: & Salvatorem hominum, conſequenter Meſſiam, ſeu DEum-hominem: qui ſalutem hominum in cruce operaretur, & pro hoc moreretur, & per mortem ad Regnum tenderet. Ex prædictorum enim ſuperius myſteriorum cognitione pronum fuit, imò neceſſarium etiam hoc agnoſcere quod Chriſtus eſſet D Deus in Homine cruci affixo, mundum, ſalvans, & ſalutem æternam in Regno ſuo, poſt hanc vitam hominibus donandi poteſtatem habens. 17. Sed nihil mirabilius quàm hoc, quod iſte latro agnoverit Chriſtum morte ſuâ aperire mortalibus Regnum cœlorum: quod ſatis ejus poſtulatio indicat: Dum enim petit: *Domine memento mei dum veneris in Regnum tuum* hoc utiq; petit, ut & ipſe aliquatenus particeps ſit Regni ejus: & ſicut hoc Regnum non aliud ille credebat eſſe, quàm cœleſte, ita & non alterius eſſe particeps optabat quàm cœleſtis: optare autem hoc non poterat, niſi illud à Chriſto morte ſuâ reſarciri ſuis cognoviſſet; ac credidiſſet. Credidit hoc à Chriſto fieri, ideò etiam optavit ſui à Chriſto memoriam in illo Regno haberi, partemq; in eo ſibi aſſignari. Magna certè & grandia profundaq; myſteria aſſecutus eſt hic latro: inter extremam Chriſti abjectionem: ex quâ naturaliter loquendo, non tantùm non agnoſcere Chriſtum, ſed etiam ſi quam aliquando notitiam opinionemq; de eo habuiſſet, amittere illam debebat, prout factum videmus in diſcipulis aliiſq; fidelibus ejus, qui omnes ſcandalum paſſi ſunt in eo, propter tam miſeram ejus conditionem. At in latrone ſecùs evenit: ut intelligamus maximam Chriſti Domini gratiam in eo operatam eſſe has tantas cognitiones, tamq; profundorum myſteriorum penetrationes: accedente ejus etiam aliquantula ad gratiam accommodatione: licet hæc ipſa accommodatio non niſi ex gratia fuerit.

4. Eſt etiam operæ pretium videre quibus veſtigiis paſſibusq; latro hic ad tam eminentem ſtatum, in fide gratiâq; apud Chriſtum pervenerit. 1. Agnoſco in latrone modeſtiam quandam animi, in ſupplicio perferendo pro ſuis ſceleribus: conſcius enim ſibi multorum criminum: ſupplicia eorum, non omnino gravato & acerbo, impatientive animo pertulit. 2. Agnoſco in eodem latrone, alteram animi modeſtiam, quâ facilè de aliis bene ſentire, bonamq; opinionem concipere poterat: nam pergens cum Chriſto ex civitate ad montem locumq; ſupplicii, audiens amicos perſonas aliquas Chriſti indignam ſortem deplorantes in illâ viâ, ejuſq; opera, doctrinam, beneficia, & miracula in homines effuſa interdum commemorantes: & de indignâ ejus afflictione queritantes, audiens etiam Domini ad mulieres lamentantes ſe, verba, valde ſobria & ſeria, uti probabile eſt audiſſe, tam hunc, quàm alios plurimos: audiens præterea etiam Chriſtum jam in cruce pendentem, nihil amarum contra inimicos ſuos loqui, ſed

Digitized by Google

loqui, ſed potius orare pro illis, excuſareq; coram Deo facinus ipſorum & malitiam in ſe patratam videns etiam ſummam Chriſti, in cruce doloribusq; ejus, & maximè inter inſultationes omnium, A tam amarulentas, patientiam, modeſtiam, ſilentium, manſuetudinem: audiens etiam Chriſto ab inimicis opprobrari, quod ſe Filium DEi, quod Chriſtum. Meſſiam, Regemq; Iſraël vocitâſſet, quod alios ſalvos feciſſet: hæc inquam omnia latro partim audiens, partim videns, 3. *cæpit de Domino* IESU quantumvis afflictiſſimo, & eâdem ſecum damnatione crucis poſito, bonum quiddam & ſublime opinari: 4. *cæpit* cogitare non omnino de vano eſſe quod Filium DEi, quod Chriſtum, quod Regem Iſraël, ſe aliquando vocâſſet, & ſalutes aliis datas, & præſentem ejus modeſtiam in cruce & probris, arguere ejus innocentiam, ſanctitatem, poteſtatem majorem humanâ. B cæpit ſubvereri, imò in hanc partem inclinare, animo, & perſuaſione Chriſtum verè innocentem, verè ſanctū, verè Chriſtum Regem eſſe. 5. *Indignum* tantâ calamitate, hoſtiumq; invidiâ & injuria, nihilominus non ſine altiore aliquo conſilio ſponte propriâ iſthæc pati. 6. *Unde jam tunc* compatiebatur Chriſto, tam indigna injuſtè innocenterq; patienti. jam tunc orationem ejus pro injuriantibus ad Patrem, modeſtiam, patientiamq;, & taciturnitatem in ſuſtinendo mirabatur: 7. *& in* ſuo animo aliquatenus fovebat Chriſtumq; & æſtimabat & amabat. 8. *Donec ſocius* ejus alter improbioris naturæ, & impatiens in ſuis pœnis cæpit Chriſto convitiari: quod C hic indignè ferens, exarſit ad increpandum eum, quem minùs quàm alios ex circumſtantibus verebatur, atq; ita in illam pro Chriſto apologiam prorupit. Socium modeſtiæ & timoris Dei commonuit: revocavit illi ſcelera ejus in mentem, debitamq; iis pœnam: 9. *docuit* longè aliam eſſe ſuam & aliam Chriſti in ſupplicio cauſam. 10. *tum fateri* auſus eſt innocentiam Chriſti 11. *tum verò* proficiens in gratia & fervore, verſus eſt ad ſupplicandum Chriſto, ad vocandum eum Dominum, ad confitendum ejus futurum poſt mortem Regnum, ad poſtulandam ſaltem memoriam ſui in Regno illo alio, ad quod per crucem iret. 12. *neq; enim* de præſentis vitæ Regno D cogitabat vel ſupplicabat cogitareve poterat latro, in eâ ad Chriſtum oratione, ut qui & ſe brevi moriturum ſciebat, & Chriſtum moribundum, & mortis cauſâ cruci affixum videbat. de alio igitur, id eſt, de alterius vitæ Regno cogitabat alteriuſq; vitæ Regni Chriſto ſe ſe commendabat.

5. Hi paſſus Latronis melius cognoſcentur ex ſerie virtutum inſignium valde, quas latro iſte exercuit, exercuitq; in hac Chriſti Domini defenſione, & ad Chriſtum ſupplicatione. 1. Virtus Latronis hujus fuit. Compaſſio & commiſeratio ſuper eum, qui ſimul ſecum patiebatur in eodem genere pœnæ. Non erat locus in hoc latrone illi proverbio: gaudium eſt miſeris ſocios habere malorum. iſte enim noluiſſet Chriſtum ſecum pati, quod ſatis oſtendit tum, quando ſocio inſultanti reſtitit, tum quando ſe ac ſocium digna factis malis recipere, Chriſtum autem innoxiè pati ac nihil mali egiſſe aſſeruit. 2. Virtus latronis fuit cognitio peccatorum ſuorum, quidamq; juſtitiæ amor, quo æquanimiter pertulit ſe puniri pœnâ, quam ſceleribus ſuis meruerat. Magna & rara in malefactoribus virtus. qui ut peccare nôrunt, ita pro peccatis pati nolunt, & extenuant excuſantq; peccata ſua ordinariè: neq; facilè confitentur. 3. Virtus Dei timor, ejuſq; ſeveritatis ac in culpas vindicta. Apparet enim ex verbis ejus, quòd non crediderit finem pœnarum ſuarum eſſe crucem; ſed adhuc ſe alias pœnas Deo depenſurum, niſi in præſenti vitâ pœnitentiam egiſſet, & pœnas ſibi inflictas ut par eſt ſuſtinuiſſet: quapropter ſocium Chriſto inſultantem, ac per hoc ſcelera ſceleribus addentem, ab hoc reprehendere orſus eſt. *Neq; tu times Deum &c.* Luca 23. 40. Quaſi dicere vellet. Par quidem erat ô mi ſocie te in eo ſtatu poſitum, in quo defacto es aliud agere quàm agis: deſinere à ſceleribus, & Dei tandem timore, pœniſq; ab eo imminentibus poſt hanc vitam, brevi à te finiendam tibiq; infligendas terreri, nec innocenti huic inter nos crucifixo inſultare. Et tu nihilominus oblitus periculi tui eligis potiùs ſcelera ſceleribus cumulare. Recognoſce quantorum reus ſis, & quàm juſtè hoc ſupplicium ſuſtines unà mecum: ſed ne in eâdem tecum claſſe conſtituas hunc cui inſultas: hic enim nihil mali geſſit in vitâ. 4. Virtus fuit deterius inferiuſq; de ſe ipſo, melius de proximo ſuo cogitare atq; judicare, & loqui: iſte enim ſe juſtè pati & digna factis recipere, Chriſtum autem omnino innoxiè cruciari faſſus eſt: & non tantùm illi non putavit exprobrandum id, quod cum ab aliis tum à ſocio exprobrari au-

Digitized by Google

diebat. Salvum te fac & nos. Sed potiùs ex hoc eum miſeratione & amore dignum reputavit: proptereaque patrocinium ejus ſuſcepit. 5. Virtus, Libertas in confitendâ Chriſti Innocentiâ: etenim quàm liberè ſuas culpas confeſſus eſt, tam liberè innocentiam Chriſti proclamavit. Neq; enim in aurem & ſubmiſsè ſocio dixit. Nos quidem juſtè patimur, nam digna factis recipimus: hic autem nihil mali geſſit: ſed prorſus altâ & intelligibili, & à plurimis circumſtantium Chriſtoq; inſultantium exaudiendâ voce profeſſus eſt, Innocentiam Chriſti: quam profitendo, accuſavit ſtatim, damnavitq; totius populi adſtantis, & Principum tam præſentium quàm abſentium & Pilati ſententiam, tanquam iniquè in Chriſtum innoxium & immerentem latam. Revera magna libertas & animoſa fiducia latronis hujus, quâ ſe unus ac ſolus tot tantorumq; ſenſui & judicio auſus eſt opponere: & Chriſtum damnatum crucifixumq; jam, non dubitavit innocentem indignaque injuſtè patientem proclamare. Certè nunc poterat dicere Chriſtus. *Amen dico vobis non inveni tantam fidem in univerſo Iſrael.* in univerſis meis auditoribus, in univerſis meis diſcipulis, qui audierunt doctrinam meam, qui ſpectarunt & experti ſunt miracula mea, qui receperunt beneficia mea. Ac quamvis hoc non conſtet eſſe a Domino dictum huic latroni: effectus tamen oſtendit Domino, zelum hunc ejus pro ſe, proque ſuæ innocentiæ confeſſione ac defenſione admodum placuiſſe. propter quod etiam adſpirante amplius gratiâ ſuâ adjuvantibuſq; meritis recentiſſimæ Paſſionis ſuæ, ad altiores virtutes promotus & progreſſus eſt latro jam non latro, ſed Chriſti confeſſor, atq; adeò cum ſui capitis novo periculo defenſor & propugnator. 6. Probat hoc ſatis admiranda cognitio atq; confeſſio de Chriſto facta ab illo. Converſo enim ad Chriſtum & vultu & ſermone; quem modò innocentem contra omnium ſenſum aſſeruerat: jam etiam majore utiq; fide & libertate mirabiliore Dominum appellat, Dominum inquam non ſuum tantùm, ſed abſolutè Dominum omnium. Quid hac fide, & confeſſione mirabilius eſſe poſſit, equidem non apparet. Nam quo tandem argumento cognovit latro Chriſtum in cruce pendentem, per omnia miſerum & abjectum, vermem potiùs quàm hominem, abjectionem & opprobrium plebis, quo inquam indicio, in tali ſtatu poſitum Chriſtum aſſecutus eſt eſſe Dominum, ut cum tantâ libertate, fiduciâ, fide, promulgaret & invocaret Dominum. Non audiebat prædicantem, non A videbat mortuos ſuſcitantem, cæcos illuminantem, dæmoniacos ſanantem, ſagenas piſcibus implentem, millia hominum pauculis panibus ſatiantem, in patibulo pendentem & agonizantem videbat, ab omnibus deriſum & blaſphemiis obrutum videbat, ipſius hominis ſpecie exutum, à nullo defenſum, conſolatumve videbat. & tamen Dominum agnoſcit, Dominum fatetur, Dominum prædicat, Dominum invocat: Dicebat quidem aliquando Petrus, *exi à me Domine, quia homo peccator ſum.* Dicebat centurio. *Domine non ſum dignus ut intres ſub tectum meum.* dicebant & alii Chriſto *Domine Domine*: ſed non in cruce pendenti: non inter latrones miſerrimum ſpi- B ritum trahenti, verùm miraculis & beneficiis coruſcanti: ſed latro non ſic. penes ſe in medio ſui & ſocii pendentem de cruce videbat, nihil mirabile in eo ſpectabat, & tamen Dominum agnoſcit, Dominum vocat, Dominum prædicat, Domino ſupplicat, Domino & Patrono ſeſe commendat. Commendat autem quod omnibus eſt mirabilius non in hac vitâ, nec pro hac vitâ, ſed pro alterâ vitâ pro futurâ vitâ. Expendat qui vult vocem latronis hujus: ſcrutetur prout poteſt qualenam Dominium in Chriſto cognoverit vel Regnum: nullum certè inveniet niſi Divinum. Quis enim in alterâ vitâ poſt hanc, Dominus eſt, aut regnum habet, & miſereri & C meminiſſe alicujus, & Regnum donare poteſt mortuis mortuus, niſi ſolus Deus? Itaq; latro cum Dominum vocavit, Deum confeſſus eſt, & tanquam Deo ſupplicavit. Thomas Apoſtolus poſt Reſurrectionem palpans vulnera Chriſti: procidit & dixit. *Dominus meus & DEus meus.* Sed quid hæc Thomæ Fides ad latronis confeſſionem? Ioannes Baptiſta venientem Baptiſmi gratiâ Chriſtum ad ſe prohibebat dicens. *Ego à te baptizari debeo, & tu venis ad me.* Sed quid hæc Baptiſtæ humilitas ad latronis humilitatem coram Chriſto penes ſe crucifixo? *Reges illi ab Oriente* cum muneribus ſtellâ duce adducti, venerati ſunt Chriſtum in ſtabulo in Matris gremio, in infantilibus membris: ſed tamen fatentur ipſi & di- D cunt, *vidimus enim ſtellam ejus in Oriente & venimus cum muneribus adorare Dominum*: at latroni quæ ſtella illuxit? quod ſidus Dominum monſtravit eſſe? eum, quem

nudum

Matt: 8. 10.

Lucæ 5. 8.

Matt: 8. 8.

Ioan: 20. 28.

Matt: 3. 14.

Matt: 2. 2.

Digitized by Google

nudum clavi tenebant in patibulo. Michaël Archangelus prælians cùm Lucifero in cœlo pro Dei Dominio & honore: exclamavit. *Quis ut DEus.* Sanè non immeritò ex ſemet enim ipſo Deum eſſe Dominum ſupremum & Luciferum illi minimè comparandum agnoſcebat. Sed latro in Chriſto quam Dominii & Divinitatis umbram vidit? & è converſo quam ſeruiles & abjectæ per omnia conditionis ſpeciem non vidit? & tamen Dominum eum futuri ſæculi, Regemq; & ad Regnum per crucis mortem tendere, poſt mortem regnaturum, & regni conſortia ſuis largiturum eſſe agnoſcit, prædicat, ſeſeq; memoriæ ſaltem admirandi adeò Regis, admirandâ etiam humilitate, modeſtiâ, fiduciâq; commendat. Atq; hic demum ſeſe plurimæ virtutes ejus conſiderandæ imitandæq; offerunt. Etenim poſt agnitum mirabile Chriſti Dominium ac Regnum, poſt perſpectum etiam ejus arcaniſſimũ ad iſtud Regnum tendendi perveniendiq; modum: contra omnem rationem atq; probabilitatem & ſpem humanam, in ſpem contra ſpem, credidit in Chriſtum, tanquam in Dominum, Regem, Meſſiam, Patrem futuri ſæculi & Deum. 7. Inde in admirabilem fiduciam erectus moribundo ſe ita commendare non dubitavit, ac ſi eum non tam mori, quàm potiùs ex morte exire, mortemq; abjicere & ſubjicere videret: quocirca ita ſe illi commendat, ac ſeſe quis commendaret homini alicui hodie quidem privatam vitam agenti, ſed cras ad ampliſſimum Regnum aſſumendo. 8. Hanc verò commendationem ſui, ex ſtupendâ fide ac ſpe profectam exornavit ac condivit charitate ſingulari, etenim ex deſiderio manendi morandiq; cum Chriſto, ei ſe commendavit, & quidem non pro præſenti ſed pro futurâ vitâ. 9. Condivit etiam hanc poſtulationem cõmendationemq; ſui humilitate atq; modeſtiâ valde profundâ, & verecundâ. Non enim ſe dignum putavit, nec petere præſumpſit, ut eſſet cum Chriſto in Regno ejus, ut ad illud admitteretur, ut portionem aliquam in eo inter ejus ſubditos, haberet: ſed tantùm petiit memoriam
Luca 13. 42. ſui remanere apud Dominum. *Domine* inquit *memento mei.* Verecunda certè & modeſta ad ſtuporem poſtulatio ſuique commendatio: quæ in eo nunquam fuiſſet, niſi ex illuminatiſſimâ de Chriſti Majeſtate, poteſtate, Dominio, Divinitateq; perſuaſione ac fide, robuſtiſſimâq; ac pleniſſimâ ſpe & fiduciâ, tum etiam eminentiſſimâ dilectione proceſſiſſet. Etenim quanto verecundiùs ſupplicat, tantò majorem fidem, ſpem, charitatemq; animi ſui in Chriſtum & erga Chriſtum declarat. Non inferior hac in re Centurione, non Chananæâ, non ſororibus Lazari; imò tanto ſuperior, quantò in circumſtantiis fidei, ſpei charitatis orationiſq; ſuæ maximâ diverſitate imò difficultate ſeparatior. 10. Adhuc autem eandem ſuam poſtulationem condivit conſtantiſſimâ fidelitate: etenim hac oratione ſuâ, una eâdemque opera proteſtatus eſt Domino, ſe illi & hic uſq; ad mortem ex nunc adhærere velle, & inſuper etiam poſt mortem ab eo ſeparari nolle: niſi enim hoc utrumque præſtare vellet, fruſtra ſe Dominò etiam poſt mortem commendaret. Neque vero in hac tantùm aut primum ſupplicatione hanc ſuam fidelitatem in Chriſtum eſt hic latro teſtatus: ſed etiam antea jam eandem demonſtraverat Domino ſatis luculenter, in verbis huic ſupplicationi præmiſſis: in verbis inquam ad blaſphemantem ſocium directis: quibus & os ejus compeſcuit, & inſigni ac valde fideli zelo honorem ejus defendit, & innocentiam ejus aſſeruit, & longè aliam id eſt, meliorem eſſe Chriſti cauſam quàm Impiobi convitiatoris, evicit, & contra omnes adverſarios Chriſti, ſe unum ſolumq; oppoſuit, atq; quantum in ipſo fuit omnem furorem hoſtium Chriſti in ſeſe avertit. In quo ſi non inſignem, ac planè martyrum animo parem fidelitatem in Chriſtoque tuendo conſtantiam oſtendit: non facilè inveniemus in quâ re, & in quâ occaſione poſſit magìs inſignis fidelitas exerceri, vel demonſtrari. Quamvis autem non eſt propoſiti mei Latronem hunc Sanctum, vel Martyrem aſſerere, vel Martyribus conferre, vel alicui Sanctorum ordini ſeu inſerere ſeu præferre: illud tamen ſine cujuſquam præjudicio, ad ſolius Divinæ gratiæ in hoc latrone Sancto mirificè eluceſcentis exaltationem videor mihi poſſe dicere. Si attendantur circumſtantiæ, in quibus latro iſte Chriſtum habuit propoſitum, & in quibus eum defendendum ſuſcepit, ejuſq; innocentiam ex altâ cruce, altâ ſimiliter voce omnibus profeſſus eſt, in quibus eundem Dominum ſuum & omnium dixit: in quibus Regem, & ad Regnum per crucis probroſam mortem pergentem confeſſus eſt, ſeq; illi commendavit, ſi inquam circumſtantiæ, in quibus, hæc latro, erga ipſam Chriſti

perſonam patravit, conferantur cum a-
liis circumſtantiis, in quibus quicunque
Sanctorum Chriſtum coluerunt, amave-
runt, fidemq; ac doctrinam ejus & ho-
norem propugnârunt: evidens erit o-
mnium Sanctorum pro Chriſto labores,
conatus, paſſiones, eſſe inferiores, acti-
bus latronis hujus. Omnes etenim San-
cti propugnatores honoris Chriſti qua-
leſcunq; habuiſſe rationes & circumſtan-
tias ejuſmodi invenientur, quæ illis Chri-
ſtum talem proponebant ſuadebantque,
pro quo merito tantùm laborarent, ze-
larent, paterentur: at verò huic latro-
ni, non modò tale nihil, ſed omnia in
oppoſitum in Chriſto apparebant, ut in-
terea non afferam innumera exempla in
oculis poſita Chriſtum contemnentium,
exempla autem non tantùm plebeia, ſed
etiam ſummorum, ſapientiâ, authorita-
te, Religione, dignitate hominum, ut
item non afferam ipſius latronis indo-
lem, latrociniis efferatam, totiuſq; vitæ
ſceleribus planè, in pravum converſam.
Quis ergo hujus latronis circa Chriſtum,
& pro Chriſto, geſta, & dicta, quis ani-
mum ſatis aſſequi ſatiſq; demirari, quis
gratiæ Chriſti in eum redundantiam ſa-
tis prædicare poterit 11. Inſuper hic
latro exornavit poſtulationem ſuam, ad-
mirandâ reſignatione ſuæ voluntatis,
ſuiq; totius in voluntatem Chriſti & qui-
dem tam moribundi, quàm mortui: quæ
circumſtantiæ ſine ſtupore in latrone
conſiderari non poſſunt neq; etiam de-
bent. Niſi enim admirandâ quâdam fi-
dei notitiæq; de Chriſto luce perfuſus &
ſimul perſuaſus fuiſſet: nunquam certè
tam inſaniſſet, ut ſe crucifixi, perq; o-
mnia miſerrimi & abjectiſſimi, ejuſdem-
que moribundi hominis, fidei, tutelæ do-
minio, patrocinio commendaret, totûq;
ejus nutui ac voluntati traderet; poſtq;
mortem tam ſuam quàm illius, aliquod
ſingulare bonum ab eo ſperaret, & emen-
dicaret. Nihil particulare, ac certum,
determinatumq; petit. quod ſibi fieri
præſtariq; à Domino gratiæ beneficiiq;
velit non aſſignat: non hoc vel illud eli-
git aut diſcernit: ſed totus in Chriſti
arbitrium projectus, tantùm ait. *Memen-
to mei dum veneris in Regnum tuum*: de cæ-
tero quod voles de me ſtatuito facitoq;.
12. Acceſſit his virtutibus eximia obli-
vio ſui ipſius rerumque hujus vitæ omni-
um, totiusq; curæ de illis depoſitio. Di-
gnum ſanè conſideratione: quod hic la-
tro, in eâ de Chriſto perſuaſione poſi-
tus, non petierit, à Chriſto vel mitiga-
tionem dolorum, vel à cruce etiam eli-
berationem vitæq; prorogationem, vel
mortis accelerationem & ex cruciatibus
ereptionem, prævidere poterat ſe diuti-
uſculè in cruce victurum, aut certè cru-
A rifragio ad celeriorem mortem, per im-
maniorem auctioremq; cruciatum adi-
gendum: commodè poterat remedium
his malis à Chriſto poſcere: ſed ecce
nullâ horum curâ tactus, nihil poſtulat,
quod in hac vitâ ſibi proſit: totus eſt in
Regno Chriſti futuro cogitando, & cum
Chriſto obtinendo: in quo vel ſolam
ſui memoriam apud Chriſtum remanere
habet pro bono maximo. Quid hac ſui
& omnium præſentium oblivione illu-
ſtrius. 13. Non abſuit ab hujus latro-
nis animo atque oratione prudentia ad-
modum rara: quâ ille elegit potiùs hic
pati, & pro ſuis noxis per omnia ſatisfa-
cere Deo. quàm ſe futuræ vitæ ſupplici-
is reſervare, hinc illa de quâ modò dixi,
B oblivio præſentium ſuarum rerum pro-
manavit. Sed neq; prudentiâ vacavit
adhortatio iſta ejuſdem, quam ſocio fe-
cit in Chriſtum blaſphemias jactanti, &
impatienter pœnam meritam ferenti, ac
impotenter ab eâdem ſalvari expoſcen-
ti, reduxit enim illum ſermone ſuo, in
gyrum rationis, præteritæ vitæ ſcelera,
in memoriam revocavit, juſtitiæ debitas
pœnas eſſe pro ſceleribus rependendas
docuit: innocenti inſultandum temerè
non eſſe, neq, plurimum exempla prava
ſequenda eſſe oſtendit, ſaltem in mortis
viciniâ, de Dei timore, deq; pœnitentiâ
peccatorum cogitandum eſſe, ſeriò ad-
monuit. Hæc & ſimilia magnæ pruden-
tiæ ſunt argumenta, ſed nullum majus
C hoc uno, quod quidquid ſocio ſuo ſugge-
rebat faciendum cadendumve, ipſe re
ipsâ præſtitit. 14. Accuſavit enim ſe
ipſe de peccatis, juſtitiam in pœnâ eorum
complexus eſt, Dei timore ſe non minùs
in corde confixit, quàm fuerat in corpo-
re confixus, Chriſti innocentis patroci-
nium ſuſcepit, ab eodem manſuetudinẽ,
& patientiam in doloribus injuriiſq; di-
dicit & æmulatus eſt. Miſericordiam &
veniam ex animo humili & contrito pe-
tiit. cum Chriſto tam vivens in cruce,
quàm moriens in Regno eſſe deſidera-
vit, avellique à Chriſto tam vivens quàm
moriens timuit. O verè magna, verè
Chriſtiana, verè divina prudentia latro-
nis hujus, omniq; ſimul virtutum pluri-
marum praxi refertiſſima. Hic enim vi-
D dere eſt inſignem. 15. Devotionem
atq; Religionem hujus latronis, ad ſer-
viendum & adhærendum Chriſto: un-
de enim iſta poſtulatio ejus ad Chriſtum,

Domine

Domine memento mei, dum veneris in Regnum tuum, niſi ex ardentiſſimâ devotione, ad ſerviendum Domino, ſemperq́, illi adhærendum. Hic etiam videre eſt. 16. Inſignem pœnitentiam confeſſionemq́; & accuſationem ſuorum peccatorum, coram omni populo, de cruce altâ, voce clarâ, non abſq; contritione cordis, & ſupplicii juſti in ſatisfactionem ſuſceptione. Quid enim ſibi volunt aliud, illæ voces. Nos quidem juſtè nam digna factis recipimus. Hic etiam videre eſt. 17. Inſignem compaſſionem & miſericordiam ſuper innocentem & patientem iniquiſſima tormenta Chriſtum, quem aliàs nunquam noverat, cujuſq; nec beneficium nec colloquium unquam expertus fuerat. Et tamen ad ejus defenſionem ſponte prorupit, ſolâ ductus humanitate, & miſeratione: hoc enim tota ejus ad ſocium peroratio ſonat: hoc indicat vox illa. Hic autem nihil mali geſſit. Hoc indicat illud. Neq; tu times Deum &c. non te movet miſeratio innocentis: etiam illi inſultas & conviciaris tu, qui propter nequitias patiens indignè id fers, & ex hoc ſaltem diſcere debueras compati ei, quem tecum paria patientem innocenter vides. Si is qui ſitienti dederit calicem aquæ frigidæ in nomine Prophetæ mercedem Prophetæ accipit, teſte Domino, quantam mercedem accepit hic latro, qui tam oportunâ compaſſione commiſerationeq́; unus ac ſolus animam Chriſti afflictiſſimi reſocillavit? Si Samaritanus ille à leprâ per Chriſtum mundatus, ad agendas ſolus gratias reverſùs tantam accepit approbationem, & gratiam à Chriſto. Latro iſte, nihil adhuc tale, à Chriſto expertus, totus ad tutelam, & commiſerationem, confeſſionemq́; Chriſti converſus, quantam approbationem putamus à Chriſto, tam in vitâ, quàm poſt vitam recepit? Maximè quando hic ipſe latro ſub tempus quo eam compaſſionis, commiſerationiſq́; ac zeli pro Chriſto, charitatem affectumq; exercebat: non erat ipſe in portu felicitatis, non ſecurus ſui, non ſanus, ſed ipſe quoq́; in cruce fixus, ipſe in ſummis cruciatibus, ipſe cum mortis doloribus, conflictatus. Qui tamen omnis ſuæ calamitatis veluti expers, veluti ignarus, veluti oblitus; victor certè illius & ſuperior totum ſe Chriſti compaſſioni, commiſerationi, defenſioni, confeſſioni impendit. O verè hic exclamare poterat Chriſtus ita pròut exclamaverat ob fidem, & humilitatem Cananeæ, poterat inquam exclamare. O latro: magna eſt fides, magna eſt charitas, magna devotio, magna compaſſio, magna commiſeratio tua ſuper me, & erga me. Certè qui tormenta ſua contempſit ut Chriſti partes ageret, dolentiq́; Chriſto compateretur, qui plus cruciatibus & injuriis Chriſti angebatur, quàm ſuis: neſcio quid minus Martyre fecit? neſcio quomodo & is, animam ſuam, non poſuit pro Chriſto, & quidem adhuc vel ignoto, vel tenuiſſimè, ac tunc primum cognito, neq; antehàc ullatenus amico? Imò verò ex tunc, quando hic latro ſuorum cruciatuum oblitus, Chriſti cauſæ ſervire cæpit, extunc inquam, jam non pro ſceleribus ſuis præteritis, ſed pro commiſeratione, dilectione, obſequioque Chriſti pati cæpit, verumq́; ac legitimum Martyrium tam corde, quàm ore, quam corpore inchoavit, pœnaſq; ſuos & dolores, militare Chriſti honori, & innocentiæ, fecit. Sed finis tandem ſit veſtigandis virtutibus beatiſſimi hujus latronis. Claudat agmen. 18. Conſtantia atq́; perſeverantia in omni eo bono, quod hactenus in latrone utcunq; conſideravimus: in nullâ enim virtute defecit: ſed potiùs ſemper ad ampliores profecit: in omnibusq́; uſq; ad mortem perſtitit, & deniq; etiam poſt mortem in iis perſeverare quantum in ipſo erat laboravit. Nam ad quid ille ſupplicavit hunc in modum. Domine memento mei, dum veneris in Regnum tuum, utiq́; de Regnò poſt mortem locutus eſt? ibi ergo Dominum habere, ibi Domino adhærere, ibi Domino ſervire, ibi de Regno ejus eſſe petiit. quomodo ille in vitâ mortali perſeverantiam in bono non habuit, qui etiam ex vitâ, cum eâdem migrare poſtulavit? Sed nihil hanc latronis Sancti conſtantiam, perſeverantiamq́; illuſtrem reddidit, quàm patientia, & oblivio ſui ſuorumq́; commodorum: quâ & paſſus eſt omnia moderatè, & ſe etiam periculo, plura patiendi, propter Chriſti defenſionem objecit, & nullum omnino verbum, de ſuis doloribus, vulneribusve à Chriſto mitigandis fecit: ſed crucis & mortis calicem, uſq; ad crurifragium auctarium integrè prorſus ebibit, & de deſcenſu ex cruce, ne cogitavit quidem. Perſeverantia in bono quolibet admiranda eſt: ſed in bono arduo, ſed in crucis probro, cruciatu, & morte, ſed in patientiæ immutabilis conſortio, eſt plus quàm admiranda. Hactenus de virtutibus boni latronis, quas in cruce exercuit: jam ad alia progrediendum eſt.

dum eſt.

6. Diſpiciamus aliquantulum Dignitatem, & prærogativas latronis iſtius. 1. Dignitas latronis hujus, quod electus fuerit à Chriſto aſſumptuſque ad hoc: ut A in eo, tanquam in primo lapide fundaret Eccleſiam ſuam. Sicut enim diabolus Synagogam malignantium, fundavit in latrone Adamo (ſeu quis velit dicere in Caimo) ita Chriſtus Dominus inter latrones deputatus, in primo latrone, iſto ſancto, fundavit Eccleſiam ſanctorum. 2. Latro iſte eſt primus, ex actu redemptis Chriſti, primuſq; Chriſtianus, à Domino factus, & agnitus; & primitias redemptionis ſalutiſq; finalis, per, & poſt Chriſti mortem, præ omnibus viventibus, cum Chriſto, & poſt Chriſtum, primus ille accepit. 3. Ideoq; ille idem eſt primogenitus Chriſti filius, primus ejus paſſionis fructus, primus ejus Gratiæ pullus, primus lactens B mamillis vulnerum ejus; adhuc recentium, & calentium, lactatus. 4. Idem primus mortuus eſt Chriſtianus: ante illum nullus. 5. Idem eſt Patriarcha Eccleſiæ Chriſti. 6. Idem eſt Propheta primus novi teſtamenti. prævidit enim, & prædixit Chriſtum, per, & poſt mortem regnaturum: unde & ſe Regi illi commendavit: 7. Idem eſt Apoſtolus & Evangeliſta, nunciavit enim innocentiam Chriſti, nunciavit Dominum, & Regem, & Meſſiam, nunciavit Deum; non ſecus ac Petrus, qui dixerat, *Tu es Chriſtus filius Dei vivi.* (*Matt: 16. 16.*) Nunciavit condonatorem peccatorum, futuri ſæculi Patrem, Iudicem in extremo judicii die, Donatorem Regni æterni C cœleſtis. 8. Idem eſt Doctor Eccleſiæ, & lux mundi, lucerna ſuper candelabrum crucis poſita, de crucis enim cathedrâ, propugnavit Chriſti innocentiam, Dominium, Regnum, Redemptoris, & Meſſiæ officium profeſſus eſt: & toti Synagogæ ejuſq; Sacerdotibus, ac ſcribis propoſuit concluſionem, quam non tantùm expugnare, ſed neque oppugnare, poterant omnes adverſarii Chriſti: *Hic autem nihil mali geſsit.* (*Ioan: 8. 46.*) quæ propoſitio ſimillima eſt illi à Chriſto Iudæis quondam propoſitæ: *Quis ex vobis arguet me de peccato.* Vnus ergo iſte latro, confutavit totam Synagogam: ita ut non poſſet ei reſpondere verbum. 9. Idem eſt prædicator timoris Dei, & pœnitentiæ, pro peccatis, & juſtitiæ ſatisfacientis, & confeſſionis peccatorum: & miſericordiæ Chriſti, fiduciæq; de veniâ, plurimorumq; aliorum dogmatum, ac myſteriorum, de quibus ſupra vidimus: ac proinde hic latro eſt confeſſor Chriſti: non tantùm doctrinæ, ſed etiam perſonæ, ita ut videri poſſit, explêſſe officium Ioannis Baptiſtæ, Chriſtum Agnum Dei, digito demonſtrantis. *Ecce Agnus DEI*, (*Ioan: 1. 29.*) qui tollit peccatum mundi: etenim etiam ille, intentâ voce, quia non poterat affixa manu, demonſtrat Chriſtum, Agnum Dei, dicens. Hic autem nihil mali geſſit. item. Domine memento mei: quibus vocibus, etiam quodammodo baptizavit Dominum, aquâ confeſſionis ſuæ, abluens & abolens, omnes calumnias inimicorum, unicâ illâ voce, ſed omnibus Iordanis aquis, copioſiore. Hic autem nihil mali geſſit. Paravit etiam ſicut Ioannes viam Domino & plebem perfectam: (*Lucæ 1. 17.*) tum in ſe ipſo, tum in ſocio ſuo, ſi reſipiſcere voluiſſet, tum in circumſtante plebe, quibus eâdem operâ, cum ſocio, timorem Dei prædicavit &c. 10. Idem eſt Martyr Chriſti: & quidem primus omnium: etſi enim ab initio, non propter Chriſti fidem amoremve crucifixus eſſet: in progreſſu tamen, ex quo Chriſti defenſoris, ſibi partes aſſumpſit: ex quo ſuæ miſeriæ oblitus, Chriſto compati, Chriſtum ab injuriis vindicare, Chriſti innocentiam fateri, Chriſti Dominium & Regnum prædicare, Chriſto ſupplex eſſe cepit; ex eo ſtatim etiam Chriſto, & pro Chriſto pati exorſus eſt, unde eo ſe jam ad Chriſti partes pertinere, dictante conſcientiâ ſentiens; Chriſtum vocat Dominum: Chriſtum Regem appellat, Chriſto ſe commendat, cum Chriſto eſſe poſt mortem deſiderat, ſicut cum Chriſto, ante mortem in cruce ſe eſſe ſentiebat. 11. Idem eſt Chriſti benefactor, nutritius, medicus, patronus, tutor, pater, & quidem in eo paſſu, inque tali tempore, omnium horum officia geſſit, & explevit, quo tempore Chriſtus, omni alio ſolatio, ſubſidioq; planè deſtitutus fuit. Vnica namq; ejus confeſſio, defenſio, commiſeratio, contritio, obſecratio, prædicatio: fuit Chriſto ſanè quàm maximè oportunum beneficium, convivium, medicina, patrocinium, tutela, parentela. Etenim amicus certus medicamentum eſt vitæ. 12. Idem latro eſt, vel fuit, certè ſe fecit ſcutum Chriſti contra linguas blaſphemantium, & quantum in ipſo fuit, avertit omnium, omnem furorem à Chriſto, D in ſe autem convertit, ut ſupra dixi. 13. Idem fuit unicum Chriſti in extremâ calamitate, ac neceſſitate refugium ſubſidiumq;:

diumq;:

diumq́;: ita ut qui nuſquam habuit, ubi caput reclinaret ſuum, unum tamen hūc latronem habuerit, in cujus fide præſidioq́; ſecurè conquieſceret: itaq́; eo temporis articulo, nullus in Chriſtum plus A amoris, & beneficentiæ, quoad licebat, exercuit expenditq́;, quàm hic unus latro. Nemo enim illum defendit. nemo confeſſus, nemo in caput ſuum furorem hoſtium ejus convertit, nemo ſe periculo, pro Chriſto expoſuit, præter hunc unum ſolum, & quidem in ſummis quoq́; propriis anguſtiis, doloribusq́; poſitum: quorum ille negligens ac oblitus, ſolius Chriſti, ſolus, curam tanquam Pater & Mater ſollicitè geſſit, quâ etiam de cauſâ, pro illo ipſo tempore, nemini Chriſtus plus debuit, quàm iſti latroni. 14. Idem latro eſt & fuit Dux omnis militiæ Chriſti: primusq́, miles Chriſti, primus qui ad caſtra ejus convolavit, primus qui gladium Spiritûs, zeliq́; ſtrinxit, B pro Chriſto, in mundo, primus qui reſtitit univerſæ aciei hoſtili, tam ex hominibus, quàm ex dæmonibus, conflatæ: ac ſicut in cœlo quondam primus Michaël, pugnavit contra diabolum, Dei inimicum: ita in hoc Eccleſiæ Chriſti cœlo, primus latro, contra univerſam improborum phalangem, conſurrexit: & omnem poſtiavit dicens de Chriſto. Nihil mali geſſit: quod ferè perinde eſt, ac ſi dixiſſet. Quis ut Deus? Hoc autem latro facit, ſolus omnino ac unus, nullo præter Deum auxiliante; fecit eo tempore, quo Chriſtus omnia alia potiùs videri potuit, ac debuit, humanitus res penſando, quàm ut vel innocens, vel Dominus, vel Rex, vel Deus credi poſſet C deberetq́; 15. Deniq́; omnibus Chriſtum damnantibus, omnibus Chriſto ſcelera opprobrantibus, omnibus, eum periiſſe propter ſcelera, credentibus, & aſſerentibus, & gaudentibus: unus ille,
Dan: 13. 49. tanquam judicij præſes; tanquam *Daniel in Suſannæ judicio*, reclamavit, judicia damnantium damnavit, Chriſtum reum mortis judicatum, ab omni crimine, & conſequenter criminis pœnâ, abſolvit, innocentem eſſe, nihil mali egiſſe, veluti pro poteſtate pronunciavit, ſententiamq́; latam, idem ipſe promulgavit. Hic autem nihil mali geſſit. Pro! quanta hæc latronis dignitas, Dei damnati jam, punitiq́; ab hominibus, omnis conditionis, judicem agere, latamq́; ſententiam reſcindere, & aliam pro Deo D ſententiam ferre? O te felicem latro, cui Deus teſtimonium, imo ad decretum, pro ſuâ innocentiâ, Dominio, Regno, Deitate, adeò publicum debet. Propterea etiam. 16. DEus nòn diſtulit judicium tuum: ſed illico hac ipsâ in vitâ, te licet adhuc crucis incolam, licet adhuc tormentorum pabulum. licet adhuc mortis ſubditum, jam tamen ore ſuo proprio Divino, pronunciavit, Regni ſui conſortem, Paradyſi poſſeſſorem, cœlorum candidatum, quem nulli inferi, nulli lacus ſine aquâ, nullæ regiones umbræ mortis, nulli Abrahæ ſinus, poſt mortem excepturi eſſent, ſed Paradyſi cœleſtis, æternæq́; beatitudinis portæ, ſtatim eſſent admiſſuræ. Itaq́; latro primus eſt. 17. Canonizatus Sanctus, & quidem adhuc in vitâ iſtâ vivens, & quidem ore ipſius Chriſti. 18. Adeo ut ſicut ipſe Dominus noſter, quamvis adhuc carne patibili veſtitus, tamen erat comprehenſor jam, & fruebatur Deo, ſecundùm ſupremam animæ ſuæ partem: ita latro iſte, licet adhuc mortalis, adhuc moriturus, adhuc in cruce fixus, jam tamen promiſſione Paradyſi cœleſtis, ſtatim ſtatim à morte obitâ, obtinendi fuit, quodammodo beatificatus, & glorificatus. Nunquid enim ſine immenſo quodam animi ſolatio, latro ille eſſe potuit, auditis ex ore ipſius veritatis adeo aſſertivis, promiſſoriiſq́; verbis. *Amen dico tibi hodie mecum eris in Paradyſo.* Luca 23. 43. Sanè quo affectu gaudii, replebuntur omnes illi, qui in die judicii extremi, audient à Chriſto dici ſibi: venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis Regnum &c. non diſſimili, non minori, exultationis plenitudine, repletus fuit animus latronis: ubi audivit, ex ore Chriſti ipſius. Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradyſo; neq́; enim aliquid aut minus, aut aliud, aut incertiore loquelâ Dominici oris, ille accepit, quàm illi audituri, & accepturi ſunt. 19. Idem latro fuit ſpecialiter dilectus à Sapientiſſimâ JESU Chriſti crucifixi Matre. Non enim ullum dubium, quin illa totum hunc latronis boni pro filio ſuo zelum exaudiverit: quo exaudito, fieri certè nequaquam potuit, quin tenerrimo quodam, amoris, atq́; gratitudinis affectu in illum exarſerit, cumque complexa ſit, & benedictionibus repleverit, & filio ſuo quàm diligentiſſimè commendaverit. Quomodo enim illa non amâſſet amatorem, & defenſorem filii ſui in tali horâ, contra tot inimicos? quomodo non benedixiſſet talem, & quidem ſolum unicum, ſimul ac publicum, innocentiæ filii ſui atteſtatorem, dignitatiſq́; prædicatorem? Latro quātum in

tum in ipſo fuit, Chriſtum Virginis filium, crucis ſupplicio exemptum Virgini reſtituebat, & ab omni injuriâ protegebat: quidni ergo totum etiam Virginis amorem, ad ſeſe, pro tantâ, & in filium, A & in ſe, benevolentiâ attraheret? Si Ioſepho Arimathæo, aut Nicodæmo, maximè ſe obligatam, Sanctiſſima Mater profitebatur, pro corpore, filii mortui, de cruce ſublato, inuncto & ſepulto honorificè; quantò magis latroni huic Sancto, & devoto, ſe obligatam & gratam amantemq; præſtabat: quem pro filii ſui honore, ac innocentiâ, & bono nomine adeò zelantem ſpectabat. Si Chriſtus ipſe, ſtudium latronis erga ſe, tam parato tamq; incomparabili munere, æternæ beatitudinis compenſavit: quomodo non Mater Chriſti, eam ipſam compenſationem, & optavit, & à filio poſtulavit? Non dubito equidem, quin ſe Mater Sanctiſſima iterum, & millies B iterum, in omnes benedictiones, gratiarumq; actiones, latroni huic effuderit: Filiumq; ſuum remuneratorem, & eſſe rogaverit, & fore ſpoponderit: & ſe quoq; debitricem, illius eſſe, dulciſſimâ confeſſione profeſſa ſit. Quin imò: hûc tantum, tamq; celerem latronis in Fide, Spe, Charitate, aliiſq; virtutibus omnibus, profectum, audeo precibus, meritiſq; Sanctiſſimæ Virginis, apud Deum Filium tribuere. A dextris Filii, Mater ſtabat juxta crucem, à dextris Chriſti, hic latro pendebat; mediam ergo Matrem latro inter ſe, & Chriſtum habebat. Mediam inquam non tantùm corporali præſentiâ, ſed etiam interiori, precum, meritorumq; ſubſidio. Non tam facilè C latro profeciſſet, niſi intermediam, pro ſe Matrem ad filium habuiſſet. 20. Non abſimili ratione cogitare poſſumus, omnes cœleſtes incolas, ac ſpecialiter, Æternum ipſum Patrem exarſiſſe illo tempore, in amorem latronis hujus, tam bene de unigenito ſuo, in tali tempore merentis. Nam ſi verum eſt Chriſti

Ioan: 14. 23. verbum illud. *Si quis ſermonem meum ſervaverit, Pater meus diliget eum*: quomodo non multò magis, verum erit. quoniam latro me Filium Dei, in tam amaro tempore, & in tam durâ horâ amavit, defendit, & quantum in ipſo erat ſervavit. *Pater meus diliget eum.* Et ſi Dominus noſter dixit Apoſtolis ſuis. *Ipſe Pa-*

Ioan:16. 27. *ter meus amat vos, quia & vos me amâſtis*: quorum tamen amor. valde frigidus fuit, D uti mox in paſſione patuit: quantò verius juſtiuſq; dixit, vel dixiſſet Chriſtus. Ipſe Pater meus amat te, quia & tu me amâſti, amâſti autem tali tempore & horâ, amâſti ſic &c. Atq; hæ ſunt latronis boni prærogativæ, atq; dignitates, ex quibus aliæ plures, non admodum difficulter elici cognoſciq; poſſunt.

7. Sed ad documenta utilia, ex hujus latronis boni geſtis eruenda progrediamur. Ne vero dicta repetamus. Inprimis quot myſteria penetrata, & cognita, à Sancto latrone vidimus, tot documenta habemus. Similiter, quot inſignes virtutes in eodem emicuerunt, totidem vivendi doctrinæ, & imitationis exempla propoſita tenemus. Præter hæc autem diſcimus, quanta ſit vis pœnitentiæ, & doloris, confeſſionis, accuſationiſq; ſuorum peccatorum: & quomodo ex infimo pœnitentium ſtatu, ad altiſſimos apud Deum gratiæ, gloriæq; gradus perveniri poteſt. Verè in hoc latrone diſcimus: quoniam facilè eſt, in conſpectu Domini ditare & elevare pauperem, ut ſolium etiam Regni teneat, & cum Principibus populi Dei ſedeat. Quos enim Sanctorum, latro iſte non præceſſit in Dei Regno: qui primus eſt in Dei Regno. *Verè potens eſt De-* Matt: 3.
us de lapidibus, (& quid tam lapideum, 9.
quàm publicus latro) *ſuſcitare filios Abrahæ.* Diſcimus etiam quo zelo ardere debeamus, oblatâ præſertim occaſione, pro alienis peccatis, vel reprimendis, vel contundendis, pro tuendâ Gloriâ Divinâ, pro defendenda proximi famâ, & innocentiâ. Diſcimus etiam, quomodo in nullis prorſus circumſtantiis condemnandus ſit proximus, malisve alienis inſultandum: inter tres ſimul crucifixos, & damnatos publicè: unus repertus planè innocens, ac innocentia ipſa, alter verò & pœnitens ipſe, & pœnitentiæ magiſter, & innocentiæ defenſor, & fidei doctor, Quis hoc ſperâſſet reperiri poſſe in patibulo, præſtari à latrone, & tamen præſtitum eſt. Diſcimus etiam, neminem eſſe dum vivit cōdemnandum, nullius emendationem deſperandam, neminem etiam poſt mortem, inter damnatos facilè reponendum. Ecce latro in fine vitæ, non tantùm pœnitens, ſed etiam Sanctus evaſit, & ſalutis æternæ promiſſum retulit, & inter Sanctos ore Veritatis æternæ relatus eſt, etiamnum vivens. O mortales nolite ante tempus judicare quoadusq; veniret Dominus. Diſcimus ſemper quidem ad Dei timorem eſſe feſtinandum, ſed in mortis confinio maximè: bene iſte ſocium monuit. *Neq; tu times DEum,* qui in eâdem damnatione mortis es? Diſcimus

ſcimus flagella quælibet, undecunq; provenientia æquanimiter ferre, atq; ea peccatis propriis ſemper imputare, neq; facilè de innocentiâ nobis blandiri, neq; importuné impatienterq; eliberationem ab adverſitatibus, etiam apud Deum poſtulare. neq; contra Deum murmurare, aut conqueri, ſed ex ſuppliciis ſapere, timorem Dei diſcere, vitam in melius mutare, peccata fateri, mores emẽdare. Optimus hic latro magiſter. Et, *nos quidem* (ait) *juſtè, nam digna factis recipimus*. Vtamur hac voce, in omni cruce, nos quidem juſtè, nam digna factis recipimus imo ſæpè, nec digna, nec paria factis: in hunc modeſtiæ ſtatum
Iob: 33. 27. conſcenderat, Iob qui dicebat. Peccavi & verè deliqui, & ut eram dignus non recepi. Diſcimus, ex minutis etiam occaſionibus, ac veſtigiis, ſumere & nobis formare bonam de proximis opinionẽ: eſſeq; proniores ſemper, ad bene de quolibet ſentiendum, & eum defendendum, quàm ad incuſandum, vel damnandum. Benignum cor, erga proximorum famã: experietur Deum quoq; benignum, cir-
1. Petri 4. 8. ca ſuam ſalutem. Nam *charitas operit multitudinem peccatorum*, tam alienorum coram oculis noſtris, quàm noſtrorum, coram oculis Divinis, beatiq; miſericordes, quoniam & ipſi miſericordiam conſequentur, & in quo judicio judicaverimus proximos noſtros, in eodem judicabimur à Domino. Diſcimus in bene ceptis non deficere, ſed ab inchoatis bonis quantumlibet tenuibus, animosè & viriliter ad ulteriora, altiora, inſigniora q; proficere. Talis fuit curſus latronis hujus: qui orſus à compaſſione ſuper Chriſtum injuriam à ſocio perferentem, pervenit uſq; ad ſolidiſſimas quaſq; virtutes. Diſcimus apud Deum nos viliſſimo infimoq; loco reponere, & vix eò dignos; vix inquam quorum meminerit Deus, dignos judicare, idq; tum maximè quando maxima videbimur pro gloriâ & honore Dei egiſſe. Latro ſuo tempore nullum parem in mundo habuit, qui tantum pro Chriſto ſatageret; & tamen quomodo alloquitur Chriſtum. *Domine memento mei.* Sufficit mihi, ſi recordatus fueris mei: nimium etiam id pro me; proinde non id exigo, neque tanquam dignus, aut meritus expeto, ſed tanquam indigus & mendicus ſupplico. Implevit latro illud, quod tamen non
Lucæ 17. 10. audierat, dictum à Domino. *Cùm omnia feceritis quæ præcepta ſunt vobis: dicite ſervi inutiles ſumus: quod debuimus facere fecimus.* Diſcimus etiam à Domino ſola poſcere ſalutaria animæ, & æterna futuraque bona: præſentia autem vix Deò proponere, imò totaliter in curam Dei abjicere. Quantis enim malis hic latro cinctus erat in cruce, neq; tamen ullam earum geſſit ſollicitudinem, fecitve mentionem apud Dominum, ſed ſuffecit illi, pro æternis futuræ vitæ bonis rogare, idq; cum verecundiſſimâ humilitate: Domine memento mei, dum veneris in Regnum tuum. Diſcimus in operibus Dei non præſumptuosè ſuperba, ac inutilia, ſed ſtudiosè ſalutaria ſcrutari & ſcire, agnoſcere, faterique, quod in omnibus ſuis conſiliis, judiciis, operibus, ordinationibusq; Deus tendat in Regnum ſuum, in omnibusq; operetur gloriam ſuam, quare in omnibus glorificemus Deum, & dicamus ei. Domine memento mei dum veneris in Regnum tuum. *Domine ſanctificetur nomen tuum, in omnibus o-* Matt: 6. 9.
peribus tuis. Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula. Dan: 3. 57. Diſcimus exemplo ſimul proximos ad bonum provocare, poſtquam provocaverimus verbo. Hic latro commonuerat ſodalem ſuum Timoris Dei & pœnitentiæ, pro peccatis, & modeſtiæ in ſuppliciis, & charitatis in proximum. Mox verò in ſe ipſo formam exhibens, ſe peccatorem perinde ùt ſodalem, multorum ſcelerum reum, digna factis recipere ſupplicia, juſtè pati, confitetur: ac inſuper ad Dominum ipſe verſus, eum veneratur, Dominum profitetur, ſervum ſe agnoſcit, miſerationem poſcit; hoc ipſum ut ſodalis ſuus faciat exemplo ſuo docens & provocans. Diſcimus adverſitates evenire, tàm in pœnam his, qui digna factis recipiunt: quàm etiam in coronam his, qui nihil mali geſſerunt: in utriuſque tamen modeſtiam in patiendo ſervandam eſſe, Deumq; timendum: neque
blaſphemè dicendum: *Si tu es Chriſtus* Pſ: 38.
ſalvum fac temet ipſum & nos. Si es juſtus 11.
Domine, amove à me plagas tuas: Abſit, abſit. Dicendum potiùs. Nos quidem juſtè, nam digna factis recipimus. potiùs
dicendum. *Dominus eſt, quod bonum eſt in* 1. Reg: 3.
oculis ſuis faciat. potiùs dicendum. *Sicut* 18.
Domino placuit ita factum eſt, ita fiat. Sit no- Iob: 1. 21.
men Domini benedictum. potiùs dicendum.
Obmutui & ſilui à bonis quoniam tu feciſti. Pſ: 38.
potiùs dicendum. *Etiamſi me occiderit, ta-* 10.
men in eo ſperabo. Hæc eſt teſſera filio- Iob: 13.
rum Dei. his dicit Dominus & præſtat. 15.
Hodie mecum eris in Paradiſo. Hujuſmodi namq; anima Paradyſum paratum habet: imò ipſa Paradyſus Dei eſt, & De-

us viciſſim Paradyſus ejus. Diſcimus ponere nos murum pro domo Dei, & pro gloriâ Dei, ipſoq; Deo, ita verè fecit hic latro: omnibus enim hoſtibus Chriſti ſe oppoſuit, omnes in caput ſuum irritavit; etenim omnibus unus ſoluſque contradixit: dicens de Chriſto omnibus, in faciem. Hic nihil mali geſſit. Domine memento mei, dum veneris in Regnum tuum. Omnes enim inſultàbant Chriſto, tanquam ambitioſo, & fictitio Regi: iſte autem & Dominum profitetur, & Regem & Regem proclamat, & Regnum manifeſtat, illi occidunt ne regnet: iſte contrà per mortem ad Regnum ire, & poſt mortem regnaturum eſſe prædicat. Quantùm putamus rabiiſſe diabolum, & diabolica, hoſtium Chriſti, corda, & aures, dum hæc de Chriſto in cruce, à latrone ſimul crucifixo, de cruce palàm & clarè prædicarì audirent? Diſsecabantur ſine dubiò B cordibus ſuis, & continuerunt aures ſuas: ſicut poſtea ad vocem *Stephani* fecerunt in ſimili de Chriſto confeſſione. [*Actor: 7. ℣. 54.*] Diſcimus exaltare gratiam Dei, illique cöoperari, & efficaciæ ipſius omnia attribuere. Nam quid hic latro habuit vel diſpoſitionis, vel commoditatis ad ſalutem, & talem quidem ſalutem, ſi media humana attendimus, ſi ſenſum noſtrum coſulimus. Potiùs ille fuit, in portâ mortis & inferni, & tamen hæc ipſa inferni porta, facta eſt illi, porta cœli, janua Paradyſi, hoc præſtante gratiâ Dei. O verè ſicut nemo poteſt corrigere quem Deus deſpexerit; ita ſi Deus eſt, qui juſtificat: nemo eſt qui condemnet? C O mortales diſcite gratiam Dei exaltare, revereri, tractare, confiteri. O mortales diſcite nutrici omnium gratiæ blandiri, ad ejus vos ubera applicare, ei omnia bona attribuere. Diſcite mortales aſſiduò dicere. [1.Cor: 15. 10.] *Gratia Dei ſum id quod ſum.* Diſcite, *non in vacuum Gratiam Dei accipere.* [2.Cor: 6. 1.] Diſcite in omnibus dicere & fideliter dicere. *Exaltetur Deus ſalutis meæ.* [Pſ: 17. 47.] Diſcimus, quàm parcus, quàm ſterilis, quàm pauper ſit mundus in Deum. Ecce quo tempore maximè Deus mundo benefaciebat: quo tempore illum ſanguine proprio, & redimebat, & abluebat: quo tempore animam ſuam, pro mundo ponebat; eo tempore mundus unum hominem, eumq; fæcem hominum, eumq; latronem, & patibularium, eumq; ipſum vix reperit, quem D Deo ſuo, pro tantâ Dei charitate, pro tantâ profuſione, in pignus præſentaret? O quoties Domine pro immenſis tuis beneficiis in nos: tibi nos gratitudinis, & amoris loco, latronem & ſæpe non omnino bonum ac fidelem præſentamus & offerimus: imò quod deterius eſt, A nos ipſi latrones efficimur, & divinis bonis extollimur, in contumeliamq; Dei benefactoris abutimur. Nonne ita *Lucifer*, nonne ita *Adam*, nonne ita *Saul, David, Iudas, totus Iſraël.* totus mundus in latronem Deo verſus eſt? *Facta eſt mihi hæreditas mea quaſi leo in ſylva: dedit contra me vocem &c.*

PARAGRAPHVS CLI.

JESVS latroni Paradyſum pollicetur. [Lucæ 23. 43.]

STROMATA

1. DOminus JESUS, latronis boni, & defenſione, & confeſſione, & pœnitentiâ, & humilitate, & ſupplicatione tùm recreatus, tum exoratus, præſtitit ſe eidem perquàm faventiſſimum, & liberaliſſimum, reſpondit enim ejus votis ſuperabundantiſſimè, dicens ad ipſum. Amen dico tibi. Hodie mecum eris in Paradyſo: quâ oratione ſuâ Dominus, latroni, ſuperadmirabilē, ſuperabundantemq; exhibuit munificentiam, ac ut ita loquar gratitudinem. Etenim obtulit enim ei Paradyſum. hoc C eſt æternam beatitudinem ac ſalutem. obtulit autem Paradyſum ſuum, ſive ſuæ beatitudinis conſortium: non alicujus Sancti, aut Angeli, ſed omnino ſuæ: ideò enim dixit *mecum eris.* Obtulit verò ſine dilatione: non enim in annos, vel menſes, vel hebdomadas diſtulit: ſed ait: *Hodie mecum eris, & eris in Paradyſo!* oblationem ſuam Dominus confirmavit, gravi & ſibi familiari aſſeveratione dicens. Amen dico tibi. quod penè perinde erat, ac ſi diceret in omni veritate, cum conteſtatione veritatis ipſius, dico, affirmo, atteſtor, promitto tibi, quia hodie mecum eris in beatitudine. Præmiſit autem Dominus, hanc atteſtationem, aſſeverationemq;, reliquis verbis D ſuis ad latronem dictis, ut ille auditâ hac veritatis conteſtatione, & fieret ad reliqua audienda attentior, & de magno aliquo promiſſo, donove ſibi exhibendo

ſpe, &

Digitized by Google

ſpe, exſpectationeq; erectior, & de audito promiſſo bono certior & confirmatior.

2. Magnificæ ex parte Chriſti, humillimæ ex parte ipſius latronis poſtulationi ejuſdem, Chriſtus Dominus magnificè reſpondit. Quid enim, aut quomodo magnificentiùs à Chriſto poſtulare potuit latro, quàm dicendo Domine memento mei dum veneris in Regnum tuum. Multa hic magnifica Chriſto cõfeſſus eſt latro de ipſo Chriſto. Dominum vocavit, Regem faſſus eſt, pergere ad Regnum, viâ, & modo, adeò admirabili, per crucis ignominiam, & mortem, agnovit, & prædicavit. tenuiſſimam ejus de ſe memoriam, pro maximo ſibi munere, humillimè ſimulq; fidentiſſimè petiit, poſt ſuam ejuſq; mortem, ejus ſibi auxilium, & neceſſarium agnovit, & ad futurum ſperavit. Quid hoc poſtulationis genere ad Chriſti Domini gloriam magnificentius? Iam quid ad humilitatem, modeſtiamq; latronis ipſius deeſt; quia Chriſto tantâ cum fiduciâ, nihil aliud grandius audet poſtulare, præter ſolam ſui memoriam, apud Chriſtum. Admiranda ſanè hujus oratoris, & orationis miſtura, tam magnifico ſenſui de Chriſto, tam modeſtum immiſcuit ſenſum de ſe ipſo. Ergo quemadmodum olim, tum ab eodem Domino noſtro, leproſus quiſpiam poſtulaſſet mundationis gratiam, modo quodam ſané quantùm ad Chriſtum ma-
Lucæ 5. 12. gnifico dicens. *Domine ſi vis potes me mundare.* Chriſtus Dominus ſatis gnarus, tam excellentis orandi modi ponderator: illico per quàm magnificé reſpondit, ac rependit leproſo, dicens: *volo:*
Ibid: 13. *mundare: moxq; ſola voluntate mundatus eſt,* qui ſolâ ſe voluntate Chriſti ad munditiem indigere confeſſus eſt. Vnde meritò Origenes, hoc factum utrinq; ponderans, in perſonâ Chriſti ad leproſum exclamat. *Magnificè petis, magnificè mundaveris: volo mundare:* ita prorſus videtur Dominus ad latrónem dixiſſe; petis à me ut ſaltem meminerim tui in Regno meo: neq; ampliùs petere præſumis per modeſtiam: ego autem tibi longè amplius præſto, per meam magnificentiam. *Amen dico tibi. Hodie mecum eris in Paradyſo.* Magnificè petis, magnificè donaberis: hodie mecum eris in Paradyſo. Magnificè petis, memoriam tui apud me petis, magnificè donaberis, hodie mecum eris, hohie Paradyſum meum introibis, & mecum poſſidebis. O quale certamen, Dominum inter, & ſervum, latronem inter, & Chriſtum? Non potuit Latro demiſſiore modeſtiâ, provocare Chriſti magnificentiam: non poterat Chriſtus majore magnificentiâ, explere latronis modeſtiam.

3. Quis ſatis demirari poſſit haſce duas perſonas, inter ſeſe tractantes, Chriſtum ſcilicet & latronem: quos ſi humanis oculis intuearis, nihil illis miſerabilius, abjectius, deploratius. Si autem divinioribus quibuſdam, & fidei ſpectes eos intuitu, nihil illis celſius, nihil ſecurius, nihil felicius & auguſtius. Intuere illos oculis carnis, patibularii ſunt, fæx & abjecto plebis, mortis filii, deteſtabiles, execrandi, & execrati, extremum in crucis tormento halitum vix trahentes, & jam jam in probro atq; dedecore ſepeliendi. Audi verò & attende quid & de quibus inter ſeſe tractent & conferant: intelliges eos eſſe ſupra, & extra omnem ſortem humanam: præſentium attendentes nihil, curantes ac pene ſentientes nihil, & latro quidem de cruce prophetat, Regnantem à ligno Deum declarat, Regem, Meſſiam, Deum veneratur, ad Regnum ejus aſpirat: & pro maximo ſibi futurum bono fortunioq; confitetur, ſi Regis hujus (in cruce alioqui morientis) vel commemoratione tantillâ, ac ſolâ dignus inveniatur. O quomodò hic non dicat Chriſtus. Hem Latro Propheta meus & Apoſtole, ſodalis in tribulatione, & Martyr meus: *Magna eſt fides tua:* verè *non inveni tantam fidem in Iſraël: tu es qui ab Occidente, ab ipſo mortis probroſa occaſu venis, recubiturus cum Abraham, Iſaac, & Iacob?* Iam autem Chriſto quid magnificentius? ille nudus, ille excarnificatus, ille doloribus exhauſtus, ille in cruciatibus deficiens, ille patibuli crucis infamiſſimi acerbiſſimiq; pabulum, ille vermis & non homo, ille ſemivivus & ſeminex, ille qui vix habet aërem, quem ſpiret, Regna nihilominus ſpirat, regna non tantùm ſperat, ſed ſpargit, ſed donat. *Hodie ait, hodie mecum eris in Paradyſo.* Hodie Regni te mei ſodalem facio, hodie Rex eris mecum, hodie regnabo ego, ſed ſimul mecum regnabis & tu. Non ſunt hæ voces hominis, ſed Dei; vel ut veriùs pleniuſq; dicam, ſunt hæ voces Hominis-Dei. Nam ſi non hujus forent, ſomniantis imò delirantis, menteque ex doloribus emoti hominis forent. Sed non ita eſt. Sobria, & veritatis, verba ſunt: Regis, Regnantis, Regna donantis verba ſunt. Mundus tale par hominum, talia & inter talia ſecum tra-

ſtantium non vidit, nec viſurus eſt unquam. Donâſſe aut reliquiſſe moribundos aliis regna, domeſticaſq́; fortunas ſucceſſuris Regibus miſſitaſſe legimus. Sed à morientibus regna poſtulata poſt mortem, mortuis, à mortuis præſtanda, communicanda, poſſidenda, donanda, hoc eſt unum, hoc ſolum, quod legimus, quod novimus, quod fatemur, ubi moriens à moriente Regnum poſt mortem ſperat, & poſtulat: moriens morienti, poſt mortem Regni ſocietatem ſpondet, ac donat. Talis unus eſt ſoluſq́; latro: talis, unus, ſoluſq́; eſt Chriſtus.

4. Rogatus Dominus IESUS à latrone bono ſeu Regnum, ſeu aliquod Regni conſortium, beneficiumve, ipſe illi Paradyſum pollicetur: aliudne Chriſtus offert, & aliud latro poſtulat? an verò idem eſt in re dicere memento mei dum veneris in Regnum, & hodie mecum eris in Paradyſo, ita ut eſſe in Paradyſo cum Chriſto, non aliud ſit, quàm veniſſe in memoriam Chriſto regnanti, & eſſe in memoria apud Chriſtum regnantem? An idem eſt omnino Regnū Chriſti, & Paradyſus Chriſti, & ita quod volebat latro Chriſtus offerebat? at fortè latro antè hàc ne nomen quidem Paradyſi audierat, an Chriſtus melius mētem linguamq́; latronis, quàm Latro ipſe percipiebat? An plus aliquid Chriſtus exhibebat, quàm Latro poſtulabat? quid dicam de hoc myſterio Regni atq́; Paradyſi quod Chriſtus cum Latrone in cruce pendente crucifixus & ipſe habuit? Certum mihi eſt quod Latro Regnum Chriſti non de hoc mundo, ſed aliud quoddam poſt hunc mundum cogitaverit, quando memoriam ſui à Chriſto, in ingreſſu Regni petiit. Certum etiam mihi quod Chriſti Regnum Paradyſus ſit, venireq́; Chriſtum ad Regnum ſuum, ſit venire in Paradyſum, dari quoq́; à Chriſto Regnum ſuum, ſit dari Paradyſum, quando itaq́; latro petiit à Chriſto Regnum, revera petiit Paradyſum, & viciſſim quando Chriſtus Latroni obtulit Paradyſum, obtulit illi poſtulatum Regnum. Quamvis autem latro non videatur petiiſſe Regnum, ſed memoriam ſui in Regno, tamen id quoq́; ipſum unum, ac idem eſt: meminiſſe ſcilicet Chriſtum regnantem, alicujus, & dare illi ipſi Regnum ſuum: hoc namq́; eſt regnare cum Chriſto, eſſe in memoriâ apud Regnantem Chriſtum; ſicut, hoc eſt excidere à Regno Chriſti, eſſe in oblivione coram Regnante Chriſto. Regnante inquam, nam non ſunt in oblivione, coram ipſo judicante, condemnante, puniente: ſed ſunt in oblivione, coram Chriſto Regnante, Beato, & beatificante. talis enim Chriſtus, damnatorum, non eſt memor amplius, ſed ſunt velut mortui à corde Chriſti: ſepulti in oblivione æternâ, in oblivionis terrâ. E contra idem David dicit. *In memoria æterna erit juſtus, ab auditione mala non timebit*: (Pſ. 111. 7.) quare non timebit, quia in æternâ memoriâ erit. Hanc memoriam æternam ſui latro petiit, & ideo ab auditione malâ non timuit: ſed potius auditionem bonam audiit. Hodie mecum eris in Paradyſo. Quid hac auditione melius? quid hac memoriâ æternius? O Latro verè meminit tui Chriſtus in Regno ſuo; & ideò te collocat, in Paradyſo ſuo, in æternum Chriſtus erit in Paradyſo, in æternum Chriſtus erit in Regno ſuo, in æternâ memoriâ Chriſti erit juſtus Latro.

5 Loquenti Latroni de Regno, Chriſtus loquitur & reſpondet de Paradyſo, per quod Latroni, magìs autem nobis & ſui Regni commendationem, naturamque, & inſuper Regni ſui, à Regno hujus mundi magnam differentiam explicavit. Regnum Chriſti quantum quantum eſt, Paradyſus eſt, Regnum verò mundi, quantum quantum eſt, infernus eſt. Eſto Rex vel unius muſcæ, eſto Rex vel totius mundi, Regnum tuum Paradyſus non erit, infernus erit. Quis enumeret quantæ ſunt Regum, magnatumq́; tribulationes? Si ſano inſpiciant ſe potentes hujus mundi, invenient ſe damnatos ad infernum eſſe. *Potentes potenter tormenta patientur*: (Sap. 6. 7.) ait Spiritus Sanctus, quid eſt potenter patientur? *in infernum deſcendent viventes.* (Pſ. 54. 16.) pròut per Davidem idem Sanctus Spiritus loquitur. *Diabolus quando Chriſtum tentavit in deſerto. aſſumpſit illum in montem excelſum, & oſtendit illi omnia Regna mundi in momento: & ait, hæc omnia mea ſunt, hæc omnia dabo tibi, ſi cadens adoraveris me.* (Matt. 4. 8. Luca 4. 7.) Novimus diabolum, nihil præter infernum, & damnationem ſuam poſſidere. Si ergo diaboli omnia Regna hujus mundi ſunt, omnia igitur regna mundi infernus diaboli ſunt, & quando alicui diabolus dat Regnum, non aliud utiq́; dat, quàm ſuum infernum, unde illud nulli dat, niſi qui coram ipſo adorans eum cadit: quia nemo regnum hujus mundi diligit: niſi qui pleno paſſu ad inferna deſcendere adamavit. Chriſtus *negavit Regnum ſuum eſſe de hoc mundo*: (Ioan. 18. 36.) è contra diabolum, Principem hujus mundi, aſſeruit.

Itaq; ſi regnum hujus mundi, non eſt Regnum Chriſti, non eſt etiam Paradyſus Chriſti: quodſi mundi hujus Princeps & Rex, diabolus eſt, conſequẽter Regnum hujus mundi infernus eſt, A & omnis Rex hujus mundi, ſive omnis amator regni, hujus mundi, vel diabolus eſt, vel diaboli, in poſſidendo regno, ſcilicet inferno, ſocius; imò vero ſervus eſt, quoniam diabolus, eſt Rex, ſuper omnes filios ſuperbiæ. O utinam capiant hoc, amatores mundi, utinam capiant hoc, ſuperbiæ filii: gloriantes de poteſtatibus hujus ſæculi: utinam advertant ſe inter majeſtates & bona hujus mundi poſitos, eſſe veluti infernalibus ſpinis circumſeptos: & ſicut oves in ſpinis eſſe collocatos. *Spinas vocavit Dominus noſter, omnes mundi divitias*, & delicias, & poteſtates: quia ſicut ſpinæ quanto fortiùs manibus ſtringuntur; tanto ab eis manus ſtringentium crudelius & intolerabiliùs ſauciantur: ita & mundi hujus divitiæ, atq; magnificentiæ quantò vehementiùs, & impotentiùs à cordibus noſtris appetuntur, vel poſſidentur, tantò immanioribus omniũ peccatorum vulneribus, eadem corda cruciantur, & trucidantur. Solum atque unum Chriſti Regnum Paradyſus & ſinceræ voluptatis locus eſt &c.

Lucæ 8. 14.

6. Offert Latroni Chriſtus Paradyſum, qui rogaverat, ut meminiſſet ſui, poſtquam veniret in Regnum: ad mentem & votum potentis, eſt hæc promiſſio exaudientis. Etenim memoria Dei, eſt verus & genuinus Paradyſus Dei. Memoria Dei, alia eſt, quâ meminimus nos Dei: alia, quâ meminit noſtri Deus. Vtraq; harum, Paradyſus eſt. de priore talem ſe, ſuamq; experientiam adducit David, dicens. *Memor fui Dei, & delectatus ſum*: quod eſt dicere. in Paradyſum voluptatis, ingreſſus ſum: porro ſi quando nos Dei meminimus, Paradyſum habemꝰ, quantò magìs tunc, quando meminit noſtri Deus: quem digniorem locum habere, vel expetere poteſt creatura, quàm memoriam Dei? Memoria Dei, eſt locus omnium bonorum, & divitiarum Dei: quidquid enim novit, vult, poteſt, habet, æſtimat, amat, eſt Deus. hoc totum eſt in memoriâ Dei: quidquid autem odit, & non æſtimat, & ignorat, & non eſt Deus, totum hoc eſt in oblivione Dei, in ignoratione, in reprobatione Dei. Eſſe ergo in memoriâ Dei, eſt nihil aliud, quàm connumerari, & collocari, & conſervari, inter omnia bona Dei. Et quis quæſo

Pſ. 76. 4.

fingi, cogitari, deſiderariq; poterit verior Paradyſus Dei, quam conceptaculum, & gazophilacium omnium bonorum Dei, quod eſt memoria Dei. Non poteſt eſſe extra voluptatem Paradyſi, quisquis meruerit eſſe in memoriâ Dei: cujuſcunq; enim recordatur Deus, ejus & miſeretur: cujus autem miſeretur: hunc & ſuſcipit, quem autem ſuſcipit hic eſt ejus. Vnde Virgo Sanctiſſima in ſuo cantico canit de Deo. *Suſcepit Iſraël puerum ſuum, recordatus miſericordiæ ſuæ.* Nimirum in memoriâ ſuâ Deus reperit miſericordiam ſuam, & continuò eam convertit ſuper Iſraël puerum ſuum, hoc eſt ſuper electam familiam ſuam, ſuſcipiendo illam, & effundendo ſuper eam miſericordiam ſuam. In quem ſenſum, accinit etiam Zacharias. *Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitavit nos, oriens ex alto. Viſcera miſericordiæ Dei*, idẽ B ſunt ac reconditoria omnis bonitatis Dei: hæc porro reconditoria, quæ ſunt alia, niſi memoriæ & recordationes Dei? Quod tantò magnificentiùs, quin etiam dulcius eluceſcet, ſi attenderimus memoriæ proprietatem? Quid eſt enim memoria, niſi quædam actualis, realis, vivaxq; præſentia, objectorum, in intellectu, apprehenſioq; eorum ab intellectu. quodſi ita eſt, memoria Dei, erit ipſemet Filius Dei, in quo ſunt omnes theſauri Sapientiæ & ſcientiæ Dei reconditi. Memoria quoq; Dei, erit proceſſus quidam Verbi æterni ab intellectu Dei. Memoria denique Dei, erit viſcera miſericordiæ & bonitatis Dei, & veluti uterus quidam Dei, in quo omnia C reconduntur; omnia gignuntur, omnia educantur, omniaq; ex eodem educuntur: ita ut de hoc utero, intelligatur dictum ab Ioanne. *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.* Ex his eluceſcit, quantam, & quàm magnificam rem, Latro petierit, quando meminiſſe ſui Chriſtum in Regno ſuo petiit. & quam viciſſim magnificè, quàmq; regiè, Chriſtus Dominus vota Latronis explevit: quando illum hodie ſecum eſſe in Paradyſo fecit.

Lucæ 1. 54. — ibid. ℣. 78. — Ioan. 1. 3.

7. Latro petierat Chriſti Regnum, JESUS autem offert illi Paradyſum. Jam ſcilicet Dominus noſter, & meminerat Latronis, in Regno ſuo, & participem eum Regni ſui fecerat. Siquidem regnavit à ligno Deus: & Regnum D Chriſti, eſt Regnum crucis, ad cujus conſortium, ex toto Latronem, etſi non ſatis advertentem jam admiſerat. quare non illi Regnum promittit, ſed Para-

dyſum: quia jam Regnum dederat, Paradyſum autem reſervaverat. Crucifigi namq; cum Chriſto, pro Chriſto, eſt jam poſſidere, Regnum Chriſti, ſed nõdum eſt poſſidere, Paradyſum Chriſti. Crux quippe Chriſti, eſt Regnum Gratiæ, eſt Regnum Chriſti, in hac vitâ, eſt Regnum meriti: at Paradyſus Chriſti, eſt Regnum gloriæ, eſt Regnum Chriſti, in futurâ vitâ: eſt Regnum prœmii, & beatitudinis æternæ: propter hoc ergo Chriſtus latroni petenti Regnum, non offert Regnum, ſed Paradyſum: ſcilicet Regni crucis, pro ſe toleratæ, æternum & inceſſabile prœmium.

8. Alii Reges ſervis ſuis, cum aliqua munera donant, non donant regna ſed ſervitia: ſed obligationes ad obſequia: unde dictum illud: qui accipit beneficium, vendit libertatem. Solus Chriſtus hoc habet, quod Regnum donet, & Regnum quidem Paradyſiacum. Eſt quidem verum, quod quantò majora dat Chriſtus nobis beneficia & dona, tantò magìs nos ſibi obligatos, reddit: nihilominus iſtud ipſum incrementum obligationis, eſt augmentum libertatis: ita ut tantò liberiores ſimus, liberiuſque Chriſto ſerviamus, quantò pluribus ab ipſo donis, effecti ſumus obligatiores.

Ioan:15. ℣.14.15. *Iam non dicam vos ſervos, ſed amicos meos, quia omnia quæcunq; audivi à Patre, nota feci vobis*: ait ipſe Chriſtus Dominus: quibus verbis oſtendit, auctis beneficiis ſuis in diſcipulos, auctam fuiſſe libertatem, apud ſe, diſcipulorum; translatoſq; illos eſſe, à conditione ſervorum, ad libertatem amicorum. Vnde & alibi.

Ioan:20. 17. *Fratres ſuos*, eoſdem appellat. Idem Dominus ait. *Verè liberi eritis*, ſi veritas li-
Ioan:8. 32. beravit vos: falſitas, vanitas, malignitas, *non liberat hominem*, imò tantò magìs ligat, quantò magis laxat. Veritas Chriſti, quæ eſt ipſe Chriſtus, ſi quem liberat, verè liberat: verè in libertatem filiorum aſſerit, auctis ergo donis Chriſti, in nobis, augetur libertas no-
1.Ioan:4. 13. ſtra, ad Chriſtum: quoniam *perfecta charitas* (quæ eſt maximum Chriſti donũ) *foras mittit timorem*. Hoc eluceſcit in ſtatu Beatorum, quos Deus non implet bonis ſuis, ſed introducit & poſſidere facit, omnia bona ſua, in æternum: & tamen hoc ipſo donat, implet, coronatque eos plenitudine, libertatis æternæ. Nam alioqui, ubi eſt? Si in beatitudine libertas non eſt. Proprium ergo Chriſti eſt dare Regnum, & facere liberum, quia illius ſolius proprium eſt dare libertatis Regnum.

9. *Deſcendens JESUS ab Hieruſalem in Hierycho, cum cruce ſua, incidit in latrones,* Lucæ 10. 30.
qui & deſpoliaverunt eum, & plagis impoſitis, non tantùm ſemivivo, ſed planè
A mortuo relicto abjerunt, attamen diſpari deſpoliatione, deſpoliarunt eum. Vnam deſpoliationem fecit latro malus, fecit Judas, Herodes, Pilatus, Judæorum Princepes & Scribæ, crucifixores etiam: quid enim iſti omnes, & alii ſimiles, reliquerunt Chriſto, vel in Chriſto integrum? Sanè deſpoliaverunt eum famâ, virtute, integritate, honore, amore, ſanguine, animâ, vitâ, Divinitate, omni deniq; bono, & re, hujus vitæ. Incidit præterea Dominus in Latronem bonum iſtum, qui ſpoliavit Chriſtum, primitiis redemptionis & gratiæ, primitiis confeſſionis & Martyrii, & crucis Chriſti, primitiis defenſionis, & prædicationis, & invocationis, & miſerationis, ſuper
B omnia autem ſpoliavit Chriſtum, primitiis Paradyſi, & beatitudinis, cujus primus omnium, repromiſſionem accepit, & primus omnium inter Sanctos beatosque ſuos, ab ipſo Chriſto Domino vivente, & ipſe adhuc vivens, relatus eſt. Ita latro, etiam in cruce, latro eſt; neq; artis ſuæ oblviſcitur, ſed per ipſam confeſſionem, prædatur regnum, ait Chryſoſtomus. Sermone in Paraſceve. O quis det tale, latrocinandi deſpoliandiq; Chriſtum, genus exercere? quis det ita ſpoliare Chriſtum, & ita ditari, bonis Chriſti? quis det, ita prædas agere ex Chriſto, & omnem ſubſtantiam ejus diripere, ſuamq; facere? Grata eſt & jucunda nimis Chriſto, iſtiusmodi
C deſpoliatio, & deprædatio, & ſauciatio: adeò ut quærentibus: Quid ſint, quidq; Zachar. 13. 6.
ſibi velint plagæ iſtæ, in medio manuum ſuarum? amicabiliter reſpondeat. *His plagatus ſum in domo eorum, qui diligebant me.* Eſt nimirum deſpolatio quædam dilectionis, & amoris, ſicut eſt etiam quædam deſpolatio impietatis & odii: quæritur Chriſtus amore, quæritur & odio: Ioan:14. 21.
illis dicit Dominus, *manifeſtabo me ipſum.* iſtis ait: *quæretis me, & non invenietis, & in peccato veſtro moriemini.* Ioan: 8. 21.

10. Petenti Latroni Regnum, ſeu memoriam ſui in Chriſti Regno, Chriſtus offert Paradyſum. Non enim dicit illi. *Hodie mecum eris* in Regno, ſed ait *in Paradyſo.* Etenim Chriſtus illo
D mortis ſuæ die, non erat propriè futurus in regno ſuo, ſiquidem non niſi tertio die poſt, in Reſurrectione, & item quadraginta in Aſcenſione ſuâ, Regnum erat aditurus cum corpore, & animâ, totus glorio-

tus glorioſus & beatus: quamobrem, non poterat, in eo Regno hodie eſſe Latro, cum Chriſto, ideoq; illi Regnum Chriſtus hodie obtinendum, non promittit, ſed Paradyſum, beatitudinem nimirum animæ, viſionemq; beatificam: quæ eſt proprius, verus, ſolus, ſubſtantialis, alterius vitæ Paradyſus: in quem etiam ſinus ille Abrahæ ſtatim à morte ſuâ, per Chriſtum illuc cum animâ & Divinitate deſcendentem, commutatus eſt.

Matt: 13. 45. 11. Deſcribit Dominus noſter alicubi *hominem negotiatorem, quærentem bonas margaritas, & invenientem theſaurum abſconditum in agro*: quo invento theſauro, & pretioſâ unâ margaritâ, vendidit omnia ſua, quæ habuit, & emit agrum illum, emit margaritam illam. Homini iſti negotiatori quem potiſſimùm comparem, ambigo: Chriſtumne? an Latronem, an utrumq;? ita ut uterq; ſit negotiator, quærens opes & merces pretioſas, uterq; *vendat omnia ſua, quæ habuit, & emat theſaurum abſconditum, emat pretioſam margaritã.* An non Latro negotiator prudens & ſagax, qui Chriſtum in crucis patibulo, & ignominiâ ſepultum, atq; abſconditum, tanquam theſaurum grandem, tanquam pretioſam orbis terræ Margaritam, oculatiſſimè ſcrutatus eſt, & invenit: vendiditq; omnia ſua, quæ habuit, & Chriſtum emit. Latro iſte in cruce, cum Chriſto pendens, habuit unicum cor, unicam ſolutam linguam, habuit peccata ſua, habuit pœnas peccatorum ſuorum, habuit ſocium pœnæ ſuæ, alterum latronem, hæc inquam habuit Latro tunc: hæc omnia vendidit pro Chriſto, & in emptionem, hoc eſt in defenſionem, & confeſſionem, & prædicationem Chriſti convertit: alterum ſocium ex blaſphemo, pœnitentem facere ſtuduit, ſuæ totius vitæ peccata, confeſſus eſt, innocentiam Chriſti, toti mũdo, contra totius mundi ſenſum teſtatus eſt: deniq; emit agrum iſtum, theſauro & margarita divitem, aitq; Domine memento mei, cum veneris in Regnum tuum, & mox poſſidet opes cupitas, audit enim. *Amen dico tibi. Hodie mecum eris in Paradyſo.* Rurſum autem, nonne & Chriſtus Negotiator ſagax atq; prudens, in opprobrio latrocinii in ſupplicio crucis, abſconditum theſaurum, pretioſamque Eccleſiæ ſuæ margaritam Latronem reperit: eumq; primogenitum redemptionis, primitias ſuæ mortis, margaritam ſuæ crucis, prœmium ſuæ amaræ paſſionis conſtituit. Dedit omnia ſua, dedit omnem charitatem ſuam, omnem Paſſionis ſuæ valorem, pro latrone profudit, eumq; emit: & in Paradyſi ſui delicias introduxit, unde & ait ad illum. *Amen dico tibi: hodie mecum eris in Paradyſo. Inveni te ovem perditam: hodie mecum eris in Paradyſo. Non inveni tantam fidem in Iſraël*, propterea hodie mecum eris in Paradyſo: hodie recumbes cum Abraham, & Iſaac, & Iacob, in Regno meo: hodie te mors tua, gratia mea, non *in Regionem umbræ mortis*, ſed *in Paradyſum deducet* voluptatis: ingredieris poſt mortem Paradyſum primus, ſed ingreſſu feliciore, quàm homo primus.

12. *Amen dico tibi.* Ad certitudinis firmitatem, præmiſit Dominus noſter, hanc gravem, & ſibi familiarem aliàs aſſeverationem. Etenim Chriſtus Dominus, prima & ipſa Veritas cùm eſſet, dictaq; ſua, juramentis confirmare opus nõ haberet pro juramento, ſubſtituere ſolebat, vocem Amen: eamq; etiam interdum repetito adhibere, ut dictis ſuis infallibilem veritatem ineſſe, promiſſis verò fideliſſimum indubitatumq; eventum, adfore declararet. Hunc aſſeverandi modum ſibi familiarem in præſenti ſervavit, & ut ſervaret, gravibus cauſis adductus eſt Dominus noſter. 1. Nam, inprimis hic, qui promittebat, hic, cui promittebat, hoc, quod promittebat, hi, coram quibus promittebat, hi denique, qui hæc credituri erant, aſſeverationem, hanc, adeò gravem requirebant. Ipſe quidem, qui promittebat, in iis circumſtantiis poſitus erat, ut ſi Regna, Paradyſoſq; poſt mortem præſertim habendos, largiendoſq; diceret ac ſpiraret, ſomniare potiùs, & motæ mentis homo eſſe videri poterat, quàm ſeria, aut ſobria loqui. Etenim omnia ea tunc, omnia circa Chriſtum fiebant, quæ magis oſtenderent miſerculum hominẽ, quam omnipotentem Deum: ergo cùm Chriſtus polliceretur latroni Paradyſum; præmitti opus erat quòd fidem firmaret. *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradyſo.* 2. Jam verò is, cui promittebatur, hac quoq; aſſertione gravi, opus habebat: Pauperculus erat latro, miſellus, peccator, vix in fine vitæ Chriſto notus: qui vix memoriâ Chriſti, ſe dignum crederet, qui pro magno habuit, ſi ſibi vel in ultimo in judicii die parceretur, nec ad inferos amandaretur. Noverat ſua ſcelera multa, noverat ſuâ merita nulla: igitur ſi Chriſtus illi, tamen & tam præſentem mercedem promittere volebat, ſeriam adeò robuſtamq; aſſeverationem

Digitized by Google

præmittere debebat: ne promiſſio ejus, vel ſicut olim à Sarâ uxore Abrahæ irrideretur, vel ſicut à Sunamittide inter mendacia deputaretur. 3. Porro res ipſa, quæ promittebatur, hanc quoque adeò certam affirmationem poſcebat. Inſolentiſſimam quippe rem Chriſtus promittebat, & ab omni fide remotam, notitiâq; illius temporis. Nemo tunc Paradyſum cœleſtem ſciebat, ſperabat etiam nemo, ſinum Abrahæ, vel lacum, in quo non erat aqua, & carcerem, in quo *Sancti Patres tenebantur*, hunc utcunque norant: de terreſtris Paradyſi qui utiq; corporibus, non animabus ſerviebat, memoriâ, aliquis ſermo, iſq; dubius erat, à cujus aditu, gladio cherubico arceri omnes, aliquantum ſermonis priſci erat. Promitti ergo à Chriſto Paradyſum poſt mortem, Paradyſum animæ, non corpori, Paradyſum poſt tantillum à converſione ſuâ tempus: hodie ſtatim: & non olim aliquando habendum. Paradyſum ſecum ſtatim, ipſâ iſtâ die poſſidendum, res tanta erat, tam creditu difficilis in hiſce circumſtantiis, ut neceſſe fuerit, aſſertionem illam gravem, à Chriſto adhiberi. Inſuper hi, coram quibus hanc rem, Chriſtus Latroni pollicebatur exigebant tantam aſſeverationem promiſſioni præmitti: promittebat namq; hoc Chriſtus, præſente maximâ Iudæorum, Scribarum, Phariſæorum, Sacerdotum, & Principũ multitudine: qui omnes Chriſtum meditati ſtultiſſimè ambitioſiſſiméq; Regni accusârant: ii ſi audiſſent Latroni nudè promitti Paradyſum, haud dubié irriſiſſent, tanquam adhuc in ſuâ ſtultitiâ, inſaniâq; permanentem, excuſſiſſent fortè etiam Latroni fidem ſarcaſmis ſuis, præmiſit ergo Dominus affirmationem accuratam & ſeriam valde, dicens Latroni. *Amen dico tibi hodie mecum eris.* Deniq; & noſtrâ causâ, qui hæc credimus à Chriſto dicta, atq; Latroni præſtita: opus erat, ut tam affirmatè à Chriſto promitterentur: firmareturq; fides noſtra, & ſpes, & doceremur, nullum eſſe tardũ tempus ad ſalutem: nulli dum vivit clauſum pœnitentiæ locum, nullius veram converſionem à Deo reiici. Miſericordiam Dei evincere omnes iniquitates noſtras. Non differri ſalutem, beatitudinemq; noſtram poſt mortem, ſed ſtatim poſſe in Paradyſum tranſire Deoq; perfrui. Poſtremo nulli eſſe in extremo vitæ, quantumvis magno peccatori deneganda Sacramenta reconciliationis. Iſta enim omnia, firmat & ſolidat in nobis Dominus, dicens Latroni. *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradyſo.*

Gen: 3. 24.

13. *Hodie mecum eris in Paradyſo.* Rapit me in admirationem iſtud Chriſti hodie: jam jam moriebatur Chriſtus: jam & latroni mors imminebat: uterq; finem hodiernæ diei viſurus non erat: ait tamen Chriſtus latroni. Hodie mecum eris: quidſi vel latro, vel quis alius diceret: hodie neuter veſtrûm erit in rerum naturâ; quomodo ergo uterq; veſtrûm, erit ſecum ſimul in Paradyſo? Sed alia eſt lingua Chriſti, noſtra alia, apud Deum neq; heri neq; poſtea, ſed ſemper eſt hodie: apud Deum tam præterita, quàm futura, ſunt præſentia, apud Deum tam vivunt, qui jam non vivunt, quàm qui nondum vivunt, quàm & qui adhuc vivunt. *Non eſt enim Deus mortuorum ſed vivorum. & vocat ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt*: ſive ergo mortuo, ſive viventi Chriſto manet tamen ſuum *Hodie*: & ſive mortuus ſit, ſive vivat latro, manet ille tamen in Divino Hodie. Verumtamen aliud quiddam in hoc Hodie concluſit Chriſtus, quod ad Latronem dixit. Expectabat Latro ſalutem à Chriſto: ſed non modò: dicebat ſibi: *Expectabo ſalutare tuum Domine: conſiderabo eum, ſed non prope: videbo eum ſed non modo. Sufficit mihi nunc, ſi aſcendat aliquando memoria mei coram ipſo. Domine memento mei, dum veneris in Regnum tuum.* Hac ſpe vivebat, & ſuſtentabatur Latro, ſed Chriſti miſericordia, non tardis ſpei pedibus incedebat, accelerabat alis charitatis, & benignitatis: & dicit Latroni. *Hodie mecum eris.* Non tantùm meminero tui in Regno meo, ſed mecum eris in illo: neq; poſt judicii ultimum diem non etiam poſt purgatorias, aliquanti temporis flammas, non etiam poſt tœdia ſinus Abrahæ, tenebraſq; toleratas, non poſt expectationis alicujus moram. Hodie mecum eris in Paradyſo. Hodie mecum eris, in beatitudinis Regno. *Hodie mecum eris* in æternâ vitâ. *Hodie* mecum perfrueris Divinitatis meæ viſione & poſſeſſione beatificâ. Quanti Reges & Prophetæ & Patriarchæ deſideraverunt hoc, & nemini contigit, niſi ſoli Latroni iſti? O *hodie* neſciens moram, neſciens umbram, neſciens dilationem, non habens tœdium. Stabat iſtud *Hodie*, in exitu & portâ mortis: & intro euntem in eam Latronem, illico excepit, beatitudiniſq; luce perfudit: ac in Paradyſum deduxit. Verè verè, *Domini Domini ſunt exitus mortis.*

A B C D

Mar: 12. 27. Rom: 4. 7. Gen: 45. 18 Num: 24. 17. Pſ: 67. 21.

Inſaniunt

Inſaniunt (& volentes quidem ac ſcientes) qui fingunt Chriſtum, illudentem Latroni iſti: inducuntq; dicentem ſic: *Amen dico tibi hodie. Mecum eris in Paradyſo.* O perverſitas improba: quæ A non tantùm eſt in Latronem immiſericors, ſed etiam in Chriſti charitatem, miſericordiam, libertatem veracitatem blaſphema & impia. Digni ſunt carere miſerationibus Chriſti; qui ita illudunt veritati & bonitati Chriſti, non ſic impii non ſic loquitur Chriſtus, ſed hodie Paradyſum promittit à Latrone ſecum, ſine ullis interjectis moris poſſidendum. Non ad annos ultimi judicii, non ad purgatorii tempora te differo, ſed dum iſtum curſum ſuum Sol perficit, antequam occumbat, tu mecum eris in Paradyſo, perfrueris beatitudine tuâ, Divinitate meâ.

14. *Hodie mecum eris.* Antehac ſanctiſſimis quibuſq; dicebatur à Deo: *Cras*
2.Paral: 20. 17. *egrediemini*: dicebatur. expecta me in die Reſurrectionis meæ: dicebatur. *Ex-*
Habac:2 3. *pectate Dominum: quia veniens veniet*: dicebatur. *Expecta re expecta, manda, reman-*
Iſaiæ 28. 10. 13. *da.* Modò primum mutat Dominus Parabolam ſermonis ſui, & jam non ait *Cras*: nòn poſtea, non *modicum ibi*: non expecta me: ſed ait *Hodie* mecum eris in Paradyſo? à ſæculo non eſt auditum iſtiuſmodi *Hodie.* non illud audivit Adam, non Abel, non Nòé, non Abraham, non Moyſes, non ullus Patrum antiquorum, non Magnus Joannes: non Nutritius ipſe Salvatoris Joſeph: omnibus iſtis cras promiſſum & oſtenſum eſt. Solus ac primus Latro, audire meruit à Domino verbum hoc. *Hodie mecum eris.* Cõ- C ſolamini deinceps, conſolamini & evigilate juſti, quia eſt merces operi veſtro, & non differtur: ſed ſtatim exhibetur. dicit enim Dominus veritatis. Hodie mecum eris in Paradyſo. dixit Domi-
Ioan: 17. 24. nus: *Volo Pater, ut ubi ſum ego, illic ſit & miniſter meus.* Sed præ omnibus conſolamini, quotquot eſtis, peccatores: quia vobis primùm hoc inſonavit beatiſſimum *Hodie.* Latro Patriarcha veſter, primus pœnitentiæ ſuæ fructum hunc decerpſit: & audire meruit: *Hodie mecum eris in Paradyſo*: feſtinate igitur & vos ad pœnitentiam: ut feſtinantem ad vos præoccupetis miſericordiam? Exhibete & vos Chriſto hodie pœnitentiam: ut hodie exhibeat vobis Chriſtus, & peccatorum veniam, & Paradyſi ſui gloriam. D Sed prô? ſtuporem filiorum hominum: qui ſemper occinunt cras, cras, Deo ſuo; cùm illis Deus obtrudat, Hodie ſuum. O Veſani! quamdiu cras cras? quare non hodie? quare non modo? quare non hac horâ? quare non hoc momento? finis turpitudinis & iniquitatis veſtræ? Cras cras, vox corvi eſt, non habens gemitum columbinum, non habens luctum pœnitentium, & ideo obſtruens miſericordiæ Chriſti aditum. Solemniſſimus eſt hic, & dæmonum aſtus, & peccatorum laqueus: ſemper obtrudere promittereq; Deo cras, cras, poſtea, poſtea: ſibi autem indulgere hodie, ſervire hodie, explere cupiditates ſuas hodie. Deus è contra conſilium ſuum tale proponit. *Hodie mecum ſit*, cras veſtrum erit o mortales! *Hodie* exhibete mihi obſequium, pœnitentiam, dilectionem, & ego exhibebo vobis etiam hodie, etiam cras, etiam per omnem æternitatem, veniam, gratiam, & gloriam. Apoſtolica aut veriùs Divina vox eſt. *Adhortamini* Hebr: 3.
B *vosmetipſos, per ſingulos dies*, donec hodie 13.
cognominatur, ut non *obduretur quis ex vobis fallaciâ peccati. Hodie ſi vocem ejus au-* Pſ.94.8.
dieritis nolite obdurare corda veſtra. Magnum quiddam omnino latet in iſto *Hodie*, quod per ſingulos dies, imò per omnia momenta, ingeminari, repeti, inculcari exhortatione aſſiduâ vult Paulus. Nimirum *Hodie pertinet ad converſionem, cras autem ad indurationem. Hodie eſt ſalutis*, cras eſt perditionis, quis quis ergo negligit Hodie, decidit in cras: quia qui hodie non convertitur, ad pœnitentiam, cras induratur ad obſtinationem, ut tempus pœnitentiæ etiamſi quærat invenire non poſſit. Quâ de causâ idem Apoſtolus monet: *Ecce nunc tempus acceptabile, ec-* 2.Cor.6.
ce nunc dies ſalutis: quid eſt enim nunc 2.
tempus acceptabile? aut quæ, *nunc eſt dies ſalutis?* niſi hodie, quod Deus indulget ad ſalutem, & ad pœnitentiæ acceptationem: poſt quod non reſtat, niſi cras obſtinationis, & derelictionis: ergo donec hodie cognominatur, hodie quiſque ad pœnitentiam convertatur, ut non obduretur quis fallaciâ peccati ſuadentis dilationem, & inducentis in obdurationem: quàm enim facilis eſt tranſitus de Hodie in cras, tam pronum eſt à dilatione boni, devolvi in obſtinationem mali. Quoniam cùm vult non poteſt, quia quãdo potuit noluit: & per malum nolle, perdidit bonum poſſe. Quia Deus, etſi omni pœnitenti veniam promiſit, nulli tamen peccanti tempus pœnitentiæ promiſit, imò verò, omni, pœnitentiam differenti, pœnam impœnitentiæ aſſignavit. Certè ut quod minimum eſt eloquar. Pœnitet ambiguè qui ſerò pœnitet. Nam

Mmmm2

Digitized by Google

tet. Nam pœnitentia ſera rarò vera. Igitur Hodie ſi vocem ejus audieritis nolite obdurare corda veſtra.

15. *Hodie mecum eris in Paradyſo.* Videbatur æqui boniq; conſulturus Latro, A qualęmcunq; mercedem, ſive miſerationem, etiamſi in longiſſimum quodlibet tempus dilatam. petebat enim tantummodò ut Dominus ſui meminiſſet, ubi in Regnum ſuum veniſſet. Ea erat optimi Latronis hujus modeſtia, ea mentis de ſe puſilla ſentientis ſubmiſſio, atq; moderatio: ut nec plus peteret, nec citius ſperare præſumeret, ſed ſolùm hoc. Memento mei dum veneris in Regnum tuum. Quid verò Dominus: prudens juxtà æquus meritorum Ponderator, accuratè omnia opera Latronis expendens, invenit omnimodâ remuneratione digniſſima, invenit etiam, minùs ſi remuneratio differretur condignè remuneranda: ergo profert ſententiam, fidei, B & merito Latronis parem, magnificentiâ, & liberalitate ſuâ dignam: ait itaq; Amen dico tibi, Hodie mecum eris in Paradyſo. Abſit hoc à me ut differam te: Hodie mecum eris in Paradyſo. Credidiſti tu hodie in me: defendiſti tu hodie cauſam meam, & contra ſodalem & contra populum crucifixorem meum, innocentiam meam prædicâſti. Noxas tuas confiteri non erubuiſti, Timorem Dei & pœnitentiam, proximo tuo ſuaſiſti, dolorum tuorum & crucis tuæ oblitus, mei patrocinium, contra hoſtes meos ſuſcepiſti. Negantibus diſcipulis, tu me confeſſus es, recedentibus amicis, tu acceſſiſti, deficientibus & hæſitantibus, qui me docentem audierunt, C tu in cruce affixum, latronum medio pendentem, animam agentem agnoviſti, nec confiteri, amare, invocare, defendere erubuiſti aut timuiſti. Nihil horum ego hodie, in omni Iſraële, in omni mundo reperi, quod tu mihi hodie exhibuiſti: eapropter non te differo, ſed mecum te hodie futurum in Paradyſo promitto. Amen dico tibi hodie mecū eris in Paradyſo. Sum ego hodie tecum in tuo Paradyſo, ſum in fide, ſpe, charitate, conſtantiâ, patientiâ, modeſtiâ, humilitate tuâ, amen dico tibi hodie mecum eris in Paradyſo. Magna eſt fides tua, quam exhibuiſti mihi hodie: magna ſit remuneratio mea, quam exhibeo tibi hodie. Hodie me confeſſus es eâ fide, & conſtantiâ, cui D quid addi poſſit ignoro. Hodie te colloco mecum in Paradyſo, & eo prœmio corono, cui quid apponere poſſim non habeo. Itaq; Chriſtus dedit Latroni hodie, pro hodie, Paradyſum, pro Paradyſo, fruitionem beatitudinis, pro converſione cordis, neq; tamen eſt inter Chriſti gratiam, & inter latronis meritum æqualitatis. Namq; amat charitas, amat immenſitas, Latro autem, vicem rependit, cum menſurâ, ei, qui, remuneratur, abſq; menſurâ. *Deniq; excedit humanam conditionem, iſta Chriſti ad Latronem promiſſio, & non tam de ligno crucis, quàm de throno editur Poteſtatis.* Leo Ser: 2. Paſs:

16. *Hodie mecum eris in Paradyſo.* Implevit Dominus in Latrone hoc, quod aliquando Parabolicè in operariis, noviſſimâ & unicâ horâ, in vinea laborantibus facturum ſe prædixerat. Revera enim Latro iſte noviſſimâ horâ venit, unicâ horâ laboravit, in extremâ tum ſynagogæ, tum vitæ ſuæ clauſulâ venit & fecit: & tamen qui omnium ultimus venit, primus omnium abſq; ullâ dilatione pervenit. Et quis hic ſive naturæ, ſive ſcriptæ legis Sanctus, operariusque obſtrepet Deo? quis Abel, quis Adam, Seth, quis Matuſalem, quis Nòë, quis Sem, quis Abraham, Iſââc, Iacob, David, dicet Deo, quare ita feciſti? quare Latronem ultimum noſtrûm, primum tamen præ nobis, non tantùm parem nobis feciſti? Audirent ſine dubio dici ſibi à Domino. *Amici non facio vobis injuriam. An non licet mihi quod volo facere? volo & huic noviſſimo dare ſicut & vobis.* Matt: 20. 13. 14. Et fecit ita miſericors & miſerator Dominus, fecit autem quia illa hora confinium quoddam legis ſcriptæ exoleſcentis, & Legis Gratiæ exorientis fuit. Uno itaq; veluti paſſu Latro de Synagogâ ad Eccleſiam tranſiens, ab illâ quidem legem, ab iſtâ verò accepit gratiam, illius onera excuſſit, hujus autem privilegia participavit. Onus Synagogæ fuit, ut quilibet juſtiſſimus licet, Deoq; chariſſimus, ad inferna deſcenderet, & ſalutare Domini inibi expectaret, Privilegium Eccleſiæ eſt, à morte tranſire ad vitam, à labore mox migrare in requiem, & ſtatim de mundi ærumnis abire in Divinæ fruitionis, æternæq; beatitudinis Paradyſum. Hæc ſors Latronis propria eſt, hujus Privilegii uſum Eccleſia in Latrone primùm adiit, hanc gratiam primò omnium Latroni Chriſtus præſtitit. Hunc primum Paſſionis & mortis fructum in cruce ſuâ Chriſtus invenit & decerpſit.

17. *Hodie mecum eris in Paradyſo.* Libet hic admirari admirabilem Sapientiæ, Providentiæq; Divinæ, à fine ad finem uſq;,

Digitized by Google

nem uſq;, ſuaviter, ac fortiter, pertingentis diſpoſitionem Primogenitus, Dei Creatoris, Homo Adam, ubi de ſcientiæ ligno guſtaſſet in Paradyſo, & latro rebelliſq; Deo factus eijci meruit de A Paradyſo ne de ligno vitæ guſtaret: factumque id primo ejus Creationis, jam ad veſperam inclinantis die, ita ut illo ipſo veſpere exulaverit Adam à Paradyſo. Iam hodie mutatas imò ſublatas, abolitaſq; licet intueri rerum vices. Ecce enim primogenitus, Dei Redemptoris, Homo, videlicet Latro: poſtquam de ligno crucis deguſtaſſet, in eoq; ſcientiam mali ſui, & boni Chriſti, hauſiſſet, ſubditumq; ſe Deo morienti profeſſus eſſet, meruit iſto ipſo die, quo & olim Homo conditus, & nunc idem redemptus eſt, introduci in Paradyſum, & ab ipſo fonte vitæ, ab ipſo ligno, quod eſt in medio Paradyſi haurire beatitudinem, & audire à Domino. Amen dico tibi. B *Hodie mecum eris in Paradyſo.* Ita Adam innocens à Deo conditus, ab eodem Creatore à Paradyſo tanquam Latro juſtè expulſus: hodie in Latrone iſto, ab eodem Deo Redemptore, tanquam innocens, & in ſanguine Agni dealbatus, in Paradyſum miſericorditer introductus eſt.

PARAGRAPHVS CLII.

Ioan:19.25 *JESV in Cruce pendenti, adſtat MARIA Mater ejus.*

Ruth:1.20. *Nolite me vocare Noëmi (id eſt pulchram) ſed vocate me Mara (id eſt amaram) quia amaritudine replevit me vehementer Dominus.*

Hier:6.26. *Accingere cilicio, & conſpergere cinere: luctum unigeniti fac tibi, planctum amarum.*

Thrē:1.13. *Poſuit me deſolatam totà die mœrore confectam.*

Thrē:2.13. *Magna eſt, velut mare, contritio tua, quis medebitur tui? Cui comparabo te, aut cui aſſimilabo te, filia Hieruſalem.*

Thrē:2.4. *Occidit, occidit, omne quod pulchrum erat in tabernaculo filiæ Sion.*

Thren: 5. 15. & 16. *Defecit gaudium cordis mei: verſus eſt in luctum chorus meus cecidit corona capitis mei.*

Pſ. 37.11. *Cor meum dereliquit me, & lumen oculorum meorum: & ipſum non eſt mecum.*

Lucæ 2. 35. *Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius.*

Thrē:1.12. *O vos omnes, qui tranſitis per viam, attendite, & videte ſi eſt dolor ſimilis, ſicut dolor meus, quoniam vindemiavit me Dominus.*

Multi enim gemitus mei, & cor meum mœrens. Ibid: ver. 22.

STROMATA

1. VNus ac ſolus Joannes narrat MARIAM Virginem Chriſti Matrem vivente Chriſto, & furente in eum univerſo hoſte, juxta Crucem Filii adſtitiſſe cum aliquot comitibus, videlicet MARIA Cleophæ, & Mariâ Magdalene, & ipſo etiam Ioanne. Alii tres Evangeliſtæ, Matthæus, Marcus, Lucas. narrant etiam alios longè plures notos, & amicos, & benefactores ejus ſtetiſſe aſpicientes quæ fiebant. Verùm diverſam hanc eſſe trium narrationem ab illâ, quam unus Ioannes refert, multa oſtendunt. Nam 1. Ioannes narrat Matrem JESU ſtetiſſe *juxtà Crucem*, cum jam dictis comitibus, tres autem Evangeliſtæ, narrant, ſtetiſſe à longè aſpicientes. 2. Ioannes tantùm tres Matri comites adjungit, alii Evangeliſtæ multas perſonas ſtetiſſe indicant. 3. Ioannes narrat viventi Chriſto Matrem adſtitiſſe: & patet quia eam alloquutus eſt, ac Ioannem de cruce: tres autem narrant, multos illos poſt mortem ſtetiſſe à longè aſpicientes quæ fiebant Chriſto mortuo. Evidens igitur eſt, aliam eſſe narrationem Ioannis, ab narratione trium illorum: neq; eſſe quæſtioni locum, cur Ioannes dicat juxta ſtetiſſe, alii autem à longè ſtetiſſe. Porro etiam ſatis videtur certum Chriſto Domino, vel mortuo, vel jam jam morituro, Matrem Domini C cum comitibus abjiſſe à cruce, & procul etiam ſtetiſſe cum aliis: quia Matthæus & Marcus inter illos multos notos, qui à longè ſteterunt nominatim ponit Mariam Magdalene, & Mariam Cleophæ, ſive Iacobi, quas tamen Ioannes ſuperius juxta crucem ſtantes fecerat, abjerant ergo jam tunc à cruce, neq; ſine Matre aut Ioanne abjiſſe putandæ ſunt, ſed próut opinatur Gregorius Naſſian? moriente Chriſto de cruce poſtquam abiit Mater, & illas ita feciſſe, ſtetiſſeq; cum aliis notis mulieribuſq; à Gallilæa & Hieruſalem Chriſtum ſecutis à longè credendum eſt. Porro quemadmodum pro plurimis aliis narrationibus Evangelicis, quas ab aliis Evangeliſtis omiſſas, Ioannes ſolus, diligenter ſupplevit, D ita ut pro hac præſenti, quæ eſt de præſentiâ MARIÆ juxta crucem: deq; verbis Chriſti ad illam: & ad Ioannem:

Digitized by Google

maximæ debitæ ſunt gratiæ Ioanni, qui illam omittendam non putavit. Non tantùm ideo, quia in hac narratione, ſpecialem valde Chriſti amorem in ſe explicavit, quem libenter ubiq; Ioannes explicat: ſed multò magis, quia ſingularis Chriſti in Matrem pietas, eximiaque viciſſim Matris in filium dilectio, inq; illius, quâ doloribus, quâ ignominiis, quâ morte, conſtantia, egregiè deſcribitur, magna præterea omnibus nobis, qui in Ioanne, Matri Chriſti, in filios traditi ſumus conſolationis, & exultationis materia continetur, de quibus rebus, pleniùs in ſequentibus.

2. *Stabat autem juxta Crucem JESU Mater ejus,* Stantem nobis Matrem Chriſti Joannes oculatus teſtis repræſentat: quo loquendi genere refellit omnes, qui MARIAM in Paſſione Filii, variis occaſionibus ſpaſmum & deliquium, & alienationem à ſenſibus meditantur: quàm id è dignitate Dei Matris, quàm conſonè iis, quæ perinde verè atq; magnificè, de nobiliſſimâ perfectiſſimâq; poſt Filiū ſuum creaturâ, aſſerere & credere, non tantùm ſolemus, ſed etiam debemus, viderint tam ii, qui hæc magis devotè, quàm examinatè aſſerunt: quàm ii qui hæc ex propoſito ad Theologicum veritatis rigorem expendunt. Mihi certè videtur Evangeliſta Ioannes in ſpiritu contemplatus iſtos ſpaſmi Virginei devotos & aſſertores, conſultò improbare voluiſſe, ac ideò ſeriâ fortiq; oratione, fortitudinem Virginis explicâſſe dicendo. Stabat autem juxta crucem JESU Mater ejus, *Si ſtabat juxta crucem*, non ergo deliquio languebat, non ergo nervis contrahebatur, non ergo articulis temere motabatur, non ergo adſtrictis non ſpirabat dentibus, & labris, non ergo extra ſe, extra ſenſus, extra vires poſita collabebatur in terram, aut collidebatur in terrâ: quæ tamen omnia, & plura alia ſpaſmi quamlibet devoti ſunt propria. Quàm autem Matris Dei conſummatâ perfectione, perfectiſſimoque omnium motuum ſuorum & affectuum dominio, hæc digna, vel potiùs plus quàm indigna: res ipsa tacente me loquitur. Senſum hunc in verbis Ioannis vidit Ambroſius: qui inter alia, ſic animum, ſic habitum Virginis juxta crucem depingit. *Stabat ante crucem Mater, & fugientibus viris, ſtabat impavida vide te utrum pudorem mutare potuerit Mater JESU, quæ animum non mutavit? Spectabat piis oculis, Filii vulnera, per quem ſciebat omnibus futuram redemptionem. Stabat non degeneri Mater ſpectaculo, quæ non metueret peremptorem: pendebat in cruce Filius: Mater ſe perſecutoribus offerebat: non ignara myſterij fuit: quod genuiſſet reſurrecturum.* Quibus verbis Sanctus Doctor duo præſtat, & ſcilicet robur Virginis, ſub Paſſione Filii, ipsâ planè dignum aſſerit: & cauſas aſſerti duas minimum oſtendit. Vna eſt: quia ſciebat, per Filii vulnera & mortem omnibus Redemptionem. Altera eſt: quia non ignara myſterii fuit, quod genuiſſet reſurrecturum. Eandem in ſententiam breviter ac nervosè de Virginis juxta crucem conſtantiâ idem Sanctus ait. *Stantem lego, flentem non lego.* Stetiſſe juxta crucem, & fleviſſe Matrem Chriſti, nihil repugnat: eſt enim hoc naturæ, non impotentiæ: unde & Chriſtus ipſe, non rarò mitioribus in occaſionibus *flevit*: Quare Ambroſius non negat fleviſſe Matrem, ſed oſtendit, quàm ſolidum firmumq; Virginis pectus Evangeliſta deſcribere voluerit. Succinit Ambroſio Anſelmus, ejus etiam verba quædam mutuatus, ait enim. *Stabat MARIA in fide JESU conſtantiſſima & patientiſſima. Nam diſcipulis fugientibus, cunctiſq; viris recedentibus, in gloriam totius fœminei ſexus, inter tot preſſuras filii ſui, conſtanter ipſa ſola ſtabat, in fide JESU firma. Et pulchrè ſtabat, ut decet pudicitiam virginalem: non ſe laniabat in tantà amaritudine; non maledicebat, non murmurabat, nec vindictam hoſtium à Deo petebat: ſed ſtabat diſciplinata, verecunda Virgo, patientiſſima, lacrymis plena, doloribus immenſa.* Hactenus Anſelmus licet non ex toto alibi, deliquio Virginis in dolore contrarius. Hæc Sanctorum dicta ſpaſmum à Virgine ſatis excludunt. Lego apud probæ notæ Scriptores, ſpaſmi gradus varios, ejuſq; mitigationes, & in eo Virgini Sanctiſſimæ attribuendo cautelas: quibus ut non contradico: ita Spaſmi nomē ipſum veſtiumq; à Virgine removere magis, è dignitate Virginis per omnia perfectiſſimæ, judico. Præſertim cum ſine omnis Spaſmi attributione poſſit ſatis, incomprehenſa doloris Virginei in paſſione, & morte Filii, magnitudo acerbitaſq; explicari. quomodo id fecit Sanctus Senex ille *Simeon*: qui Prophetico Spiritu, & agnovit, & expreſſit ſummos Virginis futuros dolores: dicens ad eam: *Et tuam ipſius animam doloris gladius pertranſibit*: de quo doloris gladio, nos alibi peculiari tractatione fuſius agimus. quâ de causâ hoc loco breviores ſumus.

Ambr: de Inſti: Vir: c. 7.

Amb: Orat: de obitu Valentin.

Luca 2. 35.

3. MARIANI Doloris, in morte Filii, magnitudinem, vivacitatemq; acerbiſſimam ex-

mam expreſſurus Ioannes hac Oratione utitur. Stabat autem juxta crucem JESU, Mater ejus: omnia namq; & ſingula verba hæc, peculiare pondus habent, quo Dolorem Matris aggravando A explicant. Affinge enim v. g. quemcunq; alium Virgini huic in præſenti occaſione, ſtatum, ac ſitum, nullum tam acerbum, tam gravem, tam ad ſentiendam calamitatem appoſitum dabis: quàm eſt iſte. Stabat juxta crucem. Ajice & demerge, in quæ voles deliquia Virginem; adimes quidem illi tam dolorem, quàm doloris ſenſum: impotentiam porrò, & imprudentiam, & alia inconvenientia attributa Virgini tantæ forſitan appinges. Itaq; Virgo hoc ipſo ſummè doluiſſe oſtenditur, quia ſtetiſſe, quia ſtando dolores Filii toto pectore hauſiſſe dicitur. Jam cum legis ſtetiſſe juxta crucem Filii Matrem: juxta crucem Filii Dei, Matrem Dei, non tibi vi- B detur, immenſos dolores, imò immenſos dolorum, probrorum, aliarumque acerbitatum fontes, in cor Marianum exundantes, Evangeliſta ſingulis voculis demonſtrare? Potuit fortè, ſine probro ſuò, Virgo Mater ſtare, ad patibulũ Filii, patibulo affixi, monſtrariq; omnium digitis, configi omnium oculis, lacerari omnium dicteriis, & Mater patibularii, Mater furciferi, Mater archilatronis, Mater nequiſſimi nequam dici? Si hæc abſq; probro & dolore Paſſus eſt Filius: ſteterit etiam inter hæc Mater, ſine probro, hauſerit hæc omnia ſine dolore. Hoc dixit Ioannes, dum ſtetiſſe Matrem juxta Filii crucem dixit, neque tamen hoc totum eſt, quod ille dixit, ſed C menſuram verborum ejus nullus ſcriptorum, nullus mediatorum, nullus eloquentium hactenus aſſequutus eſt. *Ferunt in Abdiis fontem fuiſſe, quem Auſtrales lenes caludiq; venti commovent*, & turbant facilè, ſi autem Aquilonares, aliiſq; vehementes flaverint, immotas ille aquas tenet. Hic fons verè imago MARIA eſt, ad vocem Angeli ſalutantis, Eliſabethæ prædicantis, tanquam ad flatum lenis Auſtri, turbata eſt, & cogitabat qualis eſſet illa ſalutatio &c. At furente Herode in fugâ Ægyptiacâ, in Paſſionis & mortis Filii turbine, & tempeſtate plus quàm Aquilonari, *MARIA ſtabat juxta crucem JESU.*

De hoc fonte Alexander Neapol: Gen. dier: lib. 6.

4. Cùm extremè magnum dolorem ſcriptura Divina edicere vult, parturi- D entes in Parabolam & exemplum adducit. Summus nimirum ille dolor eſt, quo viſcera materna lacerantur, dum in hoc calamitatum mare ejicimur: concurrente ad cruciatum illum ex naturâ, & magis peccato illo, non ſolùm primò, ſed etiam maximo, cui vindicando maximé, juſtus Deus tantum ſupplicii doloriſq; admenſus eſt, quantum omnes tot ſæculorum parturientes ab origine mundi ad finem uſq; non exhaurient. Ab hac Filiorum Evæ hæreditariâ doloris dote, MARIA Virgo ac Mater eximia fuit in partu: ſed eximia fuit non liberatione, verùm dilatione tantùm. Tantùm enim dilatus non autem ablatus eſt à MARIA Dolor parturienti debitus. Reſervatus eſt morti, qui excluſus fuit, à natali Filii, ergo moriente Filio parturivit MARIA, & parturivit illa quidem vitam, ſed non in vitam, verùm in mortem. Et quomodo quæſo ſine dolore parturiit? Imò quantò quæſo cum dolore parturiit, quæ ipſum virum dolorum, ipſum dolorem parturiit? Olim in Bethleemitico ſpecu, peperit, teſtante & appellante Angelo Gaudium magnum. jam nunc in Calvario monte, parturit dolorum virum, dolorum Regnum, dolorem ipſum. Simeon quidem, hunc ipſum partum vocavit doloris gladium. appoſito, etſi non pleno nomine: plenius hoc, ipſa Mater, ore Prophetico expreſſit quando dixit. *O vos omnes, qui tranſitis per viam, attendite, & videte, ſi eſt dolor ſimilis, ſicut dolor meus, quem parturivi. An non vir dolorum?* non gladius doloris? non dolor ipſe? non dolor omnium dolorum? doloroſiſſimus JESUS, ſimul ſuus, ſimul & Dei Filius crucifixus? Quidni in iſto partu ſint omnia dolor, quando in fetu nihil eſt non dolor? Nam eſtne aliquid, in JESU crucifixo non dolor? eſtne aliquid non maternus dolor? Sed parum eſt quod loquimur: plus aliquid Iſaias loquitur; *quando virum dolorum intueri ſe profitetur.* JESUS eſt *Vir dolorum*, filius dolorum, & quomodo MARIA non Mater dolorum? Sicut JESUS Crucifixus non eſt dolor, ſed dolores: ita MARIA non eſt Mater doloris, ſed dolorum? Propheta intuitus hanc Matrem in iſto partu laborantem: exclamat ſtupeſcens, & de menſurâ doloris deſperans. *Magna eſt velut mare contritio tua.* Divinè prorſus. Nam ſicut mare non eſt una aliqua aqua: ſed congregationes aquarum, quas cum coëgiſſet Deus in unum locum, appellavit Maria: ſeu mare: ita Mariana contritio, non eſt unus aliquis dolor, ſed congregationes dolorum, & ſive Maria, ſive mare dolorum: quod alio no-

Thren: 1. 12.

Iſaiæ 53. 3.

Thren: 2. 13.

Digitized by Google

alio nomine Ioannes circumloquutus
eſt, quando ſcilicet dixit. Stabat juxta crucem JESU Mater ejus: quod nihil aliud ſonat, quàm congregationes
dolorum, appellare Maria, vel dicere. A
Magna eſt velut mare contritio tua. De
parturientibus dicit Dominus. *Mulier*
Ioan: 16. *tum parit triſtitiam habet, cùm autem pepetit*
21. *puerum, jàm non meminit preſſuræ; quia natus eſt homo in mundum.* Hoc quidem aliis parturientibus evenit, ſed non MARIÆ quæ, & cum parit, & poſtquam peperit, triſtitiam habet, quia partu ejus non naſcitur homo in mundum, ſed moritur Deus-Homo de mundo. Ita non tantùm ſolvit, ſed etiam cum fœnore ſolvit MARIA debitū Evæ. Quamobrem præclarè, & multum verè Da-
Damaſ. 4. maſcenus aſſeruit quod MARIA. *Dolo-*
fid. 15. *res partus, quos effugit pariens, illos tempore Paſſionis ſuſtinuit, ex materna compaſſione viſcerum laterum reparturiens.* Unde eti- B
am propriiſſimè quadrat Christo Domino dictum illud, juxta lectionem Hebra-
Cant: 8. icam. *Sub arbore malo ſuſcitavi te, ibi pe-*
5. *perit te Mater tua*: ibi parturivit te Genitrix tua. Verè enim ſub arbore crucis in quâ Chriſtus pependit MARIA Genitrix, parturivit illum filium doloris. Concludat hoc punctum Divus Bernardus in lament? Beatæ MARIÆ. *Nunc ſolvis Virgo cum uſura, quod in partu non habuiſti à natura. Dolorem, pariendo filium non ſenſiſti, quem millies replicatum, Filio moriente, paſſa fuiſti.*

5. Menſura Martyrii, ex charitate deſumitur. Charitatis autem menſura, ſumitur ex re in charitatem impenſa: cujus teſtis eſt Dominus noſter dicens. C
Ioan: 15. *Majorem charitatem habet nemo, quàm ut ani-*
13. *mam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* & alio
Ioan: 3. loco. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium*
16. *ſuum Unigenitum daret.* Et rurſus. *Vt co-*
Ioan: 14. *gnoſcat mundus, quia diligo Patrem, ſic facio:*
31. *id eſt ad* Paſſionem vado. Et Paulus de
Gal: 2. Chriſto: qui ait. *Dilexit me, tradidit ſe-*
20. *ipſum pro me.* & alibi *Qui proprio filio ſuo*
Rom. 8. *non pepercit, ſed pro nobis tradidit illum.* Itaq;
32. *probatio dilectionis, eſt exhibitio operis: etenim amor ſi eſt, magna operatur. & quantò majora, tantò ipſe major agnoſcitur.* Porro opus Amoris eſt duplex. 1. Agere. 2. Pati. Magna agere ex charitate, magnus eſt Amor. Sed magna pati ex charitate, major eſt amor: eſt enim difficiliùs pati, quàm agere. Ergo menſura charitatis ibi eſt major, ubi majorum D
& difficiliorum rerum eſt perpeſſio, propter charitatem: inde quia is qui animam ſuam ponit, pro dilectione alicujus, maximam, pretioſiſſimam rem ponit, difficillimamq; patitur: propterea Dominus ait. Majorem charitatem habet nemo, quàm qui animam ſuam ponit, pro amicis: unde etiam Martyrum charitas, omni charitati præfertur: quia difficillimam rem patitur, maximamq; impendit, patitur mortem, impendit vitam. Martyr ergo eſt, qui vitam, ſeu animam pro charitate ponit. Demus autem caſum, quod aliquis habeat rem, animâ & vitâ ſuâ ſibi pretioſiorem, & chariorem, quam tamen impendat charitati, quam amittat propter charitatem ſeu Dei, ſeu proximi: quam impendat charitati, modo, per omnia, difficultatibus omnibus, exaggeratiſſimo: modo inſuper per omnia dolorifero: quæro quid erit? & quantus erit ille amor? cui impenderetur res animâ & vitâ pretioſior? Si rectè ratiocinamur, dicemus, amorem illum, fore tantò majorem charitate Martyrum, quantò majorem impendit, vel impenſam habet ſibi, quam ſolet impendere, impenſamve habere, aut requirere charitas Martyrum. His poſitis: apud me duo ſunt certa. 1. MARIÆ Matri Chriſti, pretioſiorem, & chariorem fuiſſe Chriſtum filium ſuum: animâ, & vitâ propriâ. 2. MARIAM, Amori, quo, dilexit Deum, & Genus Humanum, & Chriſtum Filium: impendiſſe, & mactandū obtuliſſe, illum ipſum filium ſuum: impendiſſe autem modo per omnia difficillimo, & doloroſiſſimo, tam ſibi ipſi, quàm (quod magis Mater ſentiebat) ſuo Filio. Igitur MARIÆ amor, quo & cui impendit Filium ſuum, major fuit quàm Martyrum: Igitur etiam MARIA, in Paſſione & jacturâ Filii, magis fuit Martyr, quàm ullus Martyr; vel fuit aliquid amplius, & majus, quàm omnis Martyr. Majorem enim charitatem nemo habet, quàm ut quis rem animâ, & vitâ ſibi majorem, & chariorem ponat pro amicis ſuis: quemadmodum fecit Mater Chriſti MARIA. Id quod adhuc exaggerari luculentius poteſt, ſi advertamus MARIÆ fuiſſe pretioſiorem unum Chriſtum Filium ſuum quàm vel fuiſſent omnes Martyrum, (imò omnium hominum) animæ, ſi illas habuiſſet, vel fuerunt omnibus Martyribus animæ ipſorum, quas pro Chriſto poſuerunt: itaq; MARIÆ amor major fuit, & majorem rem impendit, quàm, ſi vel ſuam animam, vel omnes Martyrum Hominumve animas, tanquam ſuas impendiſſet, vel omnes Martyres, quando animas ſuas impenderunt. Accedit, quod
Martyres,

Digitized by Google

Martyres, quando impendunt id, quod maximum habent, & poſſunt, impendunt animam Chriſto.: at MARIA impendit ipſummet Chriſtum, qui unus quantò eſt pretioſior, & major omnibus animabus Martyrum, tantò majori charitate, tantò majori difficultate, dolore, & jacturâ, impenſus eſt à MARIA: ex quo ſequitur, omnibus Martyribus majorem, & magìs Martyrem eſſe MARIAM: ſequitur, omnibus martyriis, majus eſſe martyrium MARIÆ, ſequitur inſuper quod ſi MARIA ſuam propriam animã, vitamq; pro Chriſto poſuiſſet: pretioſiorem quidem illa rem, quàm ſunt vel omnium Martyrum, vel etiam Hominum animæ ac vitæ impendiſſet, nequaquam tamen, tantam rem impendiſſet, quantam impendit, quando Chriſtum ipſum impendit: ſequitur deniq;, quòd quoniam MARIA, ſi propriam animam, pro charitate & Chriſto poſuiſſet, majus aliquid martyrio, vel Martyribus præſtitiſſet, omnibuſq; Martyribus major Martyr fuiſſet: jam quando aliquid longè pretioſius animâ propriâ, longèq; difficilius, & doloroſius charitati impendit, nempe ipſum Chriſtum, ſequitur quòd ejus charitas, & ex charitate ſuſcepta jactura, dolorq; perpeſſus, major & eminentior ſit, quàm Martyrum, & quàm ipſum Martyrium: ſequitur quod ejus Martyrium ſit, vel amplius aliquid, quàm Martyrium, vel ſit altioris cujuſdam ordinis martyrium, quàm omne ſimplex Martyrium: perinde ut amor Matris in Chriſtum altioris ordinis fuit quàm amor aliorum hominum, vel Martyrum: illi enim amant Chriſtum ut ſervi, & Creaturæ Dominum, MARIA autem amabat, & amat ut Mater Filium & illi, impenderunt amori ſuo, ſeipſos, hoc eſt rem creatam. MARIA autem impendit plus quàm ſe ipſam, plus quàm ullam creaturam, impendit enim DEum Hominem? MARIA ergo in Paſſione Chriſti ſui Filii, fuit & Martyr, & major omnibus Martyribus Martyr, & ſuperioris ordinis Martyr, & plus quiddam quàm Martyr. Ad eum modum quo Sacerdotes Levitici erant quidem Sacerdotes immolando agnos, vitulos, & hircos Deo: ſed tamen altioris ordinis, Sacerdotes ſunt ii, qui in novo teſtamento, immolant ipſum Chriſtum DEum-Hominem, in Sacrificium Præpotenti Deo &c. Addamus verò aliqua adhuc, ſtrictim ſaltem, de MARIÆ Matris Martyrio, vel etiam plus quàm Martyrio. Qui ſubmittit corpus gladio, Martyr eſt, ut notum eſt. *Porro anima plus eſt quàm corpus,* ut veritatis teſtimonium affirmat: Matt: 6. 25.
ergo ſubmittere animam gladio, majus Martyrium eſt. MARIAM ſubmiſiſſe a-
A nimam gladio, Simeon atteſtatur. MARIA ergo plus quàm Martyr, & magìs Martyr eſt, quàm qui gladio martyrium fecerunt. Quare illud Anſelmi verum eſt. *Quidquid crudelitatis inflictum eſt corporibus Martyrum leve fuit, aut potiùs nihil cõparatione tuæ Paſſionis: quæ nimirum ſuâ immenſitate transfixit cuncta penetralia tua, tuiq; benigniſsimi cordis intima.* Et illud apud Sanctum Hieronymum Sophronii, vel alterius. *Quia mente Paſſa eſt, plus quàm Martyr fuit. Nimirum & ejus dilectio amplius fortis, quàm mors fuit, quia mortem Chriſti ſuam fecit.* Quibus verbis tres egregias cauſas affert, ob quas MARIA plus quàm Martyr fuit. 1. eſt, Major eſt Dolor mentis quàm corporis: ſed
B qui corpore patitur, martyr eſt: ergo qui mente patitur (proùt MARIA) magìs martyr, ſeu, plus quàm Martyr eſt. 2. Violentior eſt dilectio, quàm mors. Sed mors facit Martyrem, ergo dilectio facit plus quàm Martyrem. 3. MARIA mortem Chriſti ſuam fecit: & mors Chriſti longè crudelior, doloroſiorque fuit quàm ullius Martyris mors ipſi Martyri. ergo MARIA à morte Chriſti crudelius, doloroſiuſq; Martyrium ſubiit, quam ullus Martyr in ſuâ morte ſubiit, vel quàm ipſa MARIA ſubiiſſet, ſi ſuam mortem propriam ſuſtinuiſſet. In quem ſenſum planè ipſa Virgo Sanctæ Brigittæ, Martyrii ſui cauſam, & enormitatem expreſſit dicens. *Dolor Filii, erat Dolor meus: quia cor ejus erat, cor meum.* Beatus 4. Reu:c. 70.
C Ildephonſus ſic loqui non dubitat. *Plus quàm Martyr fuit, quia in animo, non minùs amoris, quàm mœroris fuit.* & poſt pauca. *Beata Dei genitrix jure plus quàm Martyr Mater eſt: quæ nimio amore vulnerata teſtis extitit Salvatoris: & pro mœrore, in animo cruciatum ſuſtinuit Paſſionis.* Beatum *Felicitatem ſeptem filiorum Martyrum Matrem* Gregorius, *plus quàm Martyrem vocat. Machabæorum fratrum ſeptem item Matrem*, Auguſtinus *ſepties Martyrem appellat: quantò id de Matre Domini juſtius veriuſq; dicemus. quæ Filium omnibus filiis pretioſiorem atq; chariorem, morte omnium Martyrum acerbiore pereuntem vidit? Nunquid non verè, nunquid non* pulchrè Martyrium Deo præbuit, virtute oculorum ſuorum: quod præbu-
D it ipſe Filius ejus tormentis & Paſſione membrorum. Æquum itaq; eſt. *Vt plus quàm Martyrem meritò MARIAM prædicemus, in qua nimirum corporeæ Paſſionis ſenſum ex-*

Anſel:lib. de Excell: Virg.c.5.
Hier:Ser: de Aſſum. Virg.
Ildeph. Serm: 2. Aſs: B.V.
Greg: hô. 3 Evang.
Aug. Ser: 109. de diver:c. 6.
Sunt verba Cypriani de Matre Machab.
Bern:Ser. in ſignum magnũ.

ceſsit compaſsionis affectus. Atq; hunc Mariani Martyrii modum ſive exceſſum voluit Ioannes declarare, cum dixit. Stabat autem juxta Crucem IESU Mater ejus: veré ſupra modum mirabilis, & bonorum memoriâ, piorumq; compaſſione digna, quæ percuntem in cruce unicum Filium conſpicens, *bono, erecto, & forti animo ferebat*, quemadmodum *de Machabea Matre* loquitur ſacer textus. [2. Mach. 7. 21.]

6. Videtur autem mihi adhuc Ioannes, hac Matris ſub cruce Filii ſtantis, deſcriptione effingere, & exprimere voluiſſe. Matris pro Filio, vel cum Filio pati volentis & paratæ, atq; adeò avidæ, promptitudinem. Nam ſi natura indidit eum, parentibus, etiam brutis, in prolem, affectum: ut omnia pericula ſubeant pro incolumitate, & in periculo prolis ſuæ. Si etiam gratia eò uſq; ſublevat infirmitatem humanam: ut mille cruciatus morteſq; ſubeat, imò & provocet rideatq; pro veritate & virtute, & Honore Dei, quidni idem imò longè aliquid hiſce perfectius credimus feciſſe, in MARIA tam naturam quàm gratiam ex omni parte perfectiſſimam, & elevatiſſimam? Irruunt in venabula feræ pro catulis: involant aviculæ ſpōtè in manus pro pullis: eligebat *David*, pro improbo & *parricidâ Filio mori*: quidni eligeret, quidni ſe offerret MARIA Mater pro filio, vel cum Filio, in omnia tormenta in omnes mortes, ire? Stabat ergo juxta Crucem JESU, Mater ejus. [2. Reg. 18. 33.]

7. Videtur præterea Ioannes voluiſſe enarrare, quod MARIA Virgo impleverit in ſe ſtando ſub cruce Filii, prophetiam Simeonis: quia enim videbat jam impletam eſſe illam ejus prædictionis partem, quæ Filium concernebat: quia inquam videbat Filium ſuum jam propoſitum in ſignum, cui contradiceretur; reſtabat ut & illa compleretur, quæ ipſa reſpiciebat Matrem: ut nimirum animam ejus gladius pertranſiret. Ergo poſito Filio in ſignum contradictionis extremæ coram populo non credente, ſed contradicente, & inſuper crucifigente, atq; blaſphemante; ſtabat & ipſa juxta crucem, gladium totâ animæ latitudine hauriens: & nihil dolorum, proprorumque Filii pertranſire ſinens, ſed totam eorum vim vehementiamq;, in animam, & cor ſuum congregans, & convertens; ita ut quæ fuerant mala ſparſa in Chriſti corpore, hæc fuerint collecta, & coadunata in Matris corde, ut obſervat Seraphicus Doctor: qui eTiam ait. *MARIAM non tantùm excepiſſe, ſed etiam converſam fuiſſe in vulnera, atque ſtimulo vulnerum inſtrumenta. Quæro inquit Matrem Dei, & invenio ſpinas, quæro MARIAM & invenio vulnera, & flagella, quia tota eſt converſa in iſta.* [Bonavin: Stimulo Amoris c. de Planc: Virg: aliàs c. 3.] Quomodo converſa in iſta: niſi quia in ſe unam collegit omnia iſta: & omnium eorum crudelitatem, à Filio reſultantem recipiens, & cohibens in ſe ipsâ. Non ſecus ac univerſi ſolis radii ab objecto ſpeculo coguntur & repræſentantur cum ipsâ vivâ ſolis imagine: ita MARIA juxta crucem JESU ſtans, tanquàm ſpeculum ſoli, id eſt, Filio, radiis vulnerum, undiq; rutilitanti, oppoſita. omnes ejus pœnas in ſe colligit, omnes repræſentat, *ut meritò clariſsimū, & vivaciſsimum totius Paſsionis Chriſti ſpeculum dici poſsit, imò dicta ſit MARIA*, ab Iuſtiniano Patriarchâ. [Laur: Iuſtin: de Agone Chr: c. 2. & 17.] Quocirca ideò ſtabat juxta crucem ut in eam immediatè, & directè radii dolorum Filii inciderent, in eâq; omnibus apparerent: utq; in eâ omnes pii, totam Paſſionis Filii ſui, totamq; charitatis ejus œconomiam legerent: ut in eam omnes, ſive Patris irati, ſive Filii dolentis, ſive inimici ſævientis, ſagittæ, tanquam in ſcopum inciderent, defigerenturq;, ita ut poſſet Virgo Mater meritò uſurpare verba illa. *Tetendit arcum ſuum.* (Pater Æternus vindicans, Filius unicus Patiens, hoſtis crudelis ſæviens) & poſuit me *quaſi ſignum ad ſagittam, miſit in renibus meis filias pharetræ ſuæ.* [Thren: 3. 12.]

8. Altè Chriſtus pendebat de cruce: de quâ trahebat ad ſe omnia acceſſit Mater, juxta crucem ſtetit: quaſi ſcalas & gradus aſcenſionis, ad Filium ſe omnibus fecit, ut facilè trahi, commodè elevari ad Filium poſſent. Et revera Chriſto crucifixo omnia trahente: poſſent non paucæ, earum, quæ trahuntur, rerum, horrere crucifixi, & crucis ſpeciem, atq; altitudinem, niſi MARIA tanquam in medio poſita, horrorem mitiget, & altitudinem veluti dividat, & diminuat. Quis ergo horreat crucis vel acceſſum, vel etiam aſcenſum, mediante, molliente, ſublevante, confortante animos, & gradus faciente Matre? Trahit Filius, ſublevat Mater, ne formides prægravantia peccata: tantis manibus, tam fortibus brachiis cedent omnia onera, dabuntq; ut velociter aſcendas in palmam, & apprehendas fructus ejus, & tanquam columba in foraminibus petræ nidifices.

9. Dum ſtantem juxta Crucem Filii Matrem intueor: venit in mentem Evæ

olim in

olim in Paradyſo ad arborem ſcientiæ boni & mali conſiſtentis: & cum ſerpente forſitan, in illâ ipsâ arbore penduli confabulantis, & noxialis pomi morſu, ſe & univerſum genus ſuum, in mortem præcipitantis. Hanc Matris ſuæ labem, hanc infelicem, & omnium lapſuum cauſam, ſtationem, MARIA hodie abolet, ſtat juxta crucem pendentis in eâ Filii: *ſtat juxta lignum ſcientiæ boni, & mali, cum ſerpentis contritore*, non quidem colloquens, ſed condolens: nec in mortem poſteros ſuos præcipitans, ſed potiùs præcipitatos ab eâ, ad vitam ſublevans.

10. *Stabat juxta Crucem JESU MARIA.* quia tunc Filius mundum Paſſione redimebat non ſine MARIA. *Omnino tunc erat una Chriſti & MARIÆ voluntas, unumq́; holocauſtum ambo pariter offerebant Deo: hæc in ſanguine cordis, hic in ſanguine carnis.* Et quemadmodum in Paradyſo *Adam cum Evâ*, pro uno pomo vendebant, imò perdebant mundum: ita in Calvario monte, *JESUS cum MARIA*, velut uno corde redimebant & ſalvabant mundũ, Non quod Redemptoris dignitas non propria ſit Chriſti, in qua non habeat conſortem, ne ipſum quidem Patrem Æternum vel Spiritum Sanctum, ſed quia quod agebat pro ſalute mundi Filius, hoc volebat agi etiam Mater, conſorsq́; ac communis voluntas fuit: deinde quia quod offerebat pro mundi Redemptione hoc Matri debebat, & Matris erat Filius: deniq; quia quod Mater, in tota Spiritûs ſui, Animæq́; ſuæ, amoriſq́; ſui ſubſtantiâ compatiebatur patienti Filio, totum id tanquam ſuum (Maternum enim) reputabat, & Patri Æterno offerebat Filius.

Arnold. Carn: Tr: de laude Virg.

B

11. *Stabat juxta Crucem JESU Mater.* Succeſſura Filio in crucem: per totam enim Paſſionem, veluti comes tantùm ac ſocia fuit dolorum Filii: at illo jam perfuncto doloribus, jam vitâ functo in tormentis, jam tradito Spiritu, in manus Patris, jam paſſionum incapaci: remanebat ut quidquid injuriarum, vulnerum, contumeliarumq;, ab inimicis inferretur Filio jam mortuo, id totum exciperetur, ſentiretur, toleraretur à Matre ſuperſtite: & ſuperſtite in hoc unum; ut quod ſentire Filius ultra non poſſet, hoc Matri in dolorem cederet: in hoc perpetiendum Mater ſuccederet.

12. *Stabat juxta Crucem JESU Mater ejus.* Cùm ſcilicet implebat in eâ, ante omnes, Filius illud, quod, quondam dixerat. Et *Ego ſi exaltatus fuero à terrà, omnia traham ad me ipſum.* Si enim tracturus erat; quidni, ante omnia Matrem traheret? traxit ergo, & ideò juxta crucem ſtabat.

Ioan: 12. 32.

13. *Stabat juxta Crucem JESU Mater.*

A futura nimirum omnium, deinceps pro JESU, crucifigendorum, vel crucifixorum Mater. Nam ſi meruit eſſe Mater Chriſti crucifixi: quidni & aliorum omnium pro ipſo crucifixorum? imò per hoc quod Matrem ſe Chriſti Crucifixi gerebat ut eſſet omnium pro illo crucifixorum Mater apud Filium obtinebat. Itaq́; quotquot ſunt ſive Carne & Spiritu, ſive ſolo Spiritu cruci Chriſti confixi, eorum eſt Mater MARIA. Non jam ergo metuamus crucem: quando & cũ Chriſto crucifigimur, & Matrem MARIAM vel propter ſolam crucifixi ſimilitudinem ſocietatemq́; habemus.

14. *Stabat juxta crucem JESU Mater ejus.* Credo vel fugitivos à Cruce revocans, ad crucem; vel certè convocans milites Crucifixi ad crucem Chriſti; ſimulque eis oſtendens, jam nihil eſſe, quod formidarent, in crûce Filio ſuo pendente in cruce: eſſe potiùs totum quod appeti & amari poſſit: ipſe nimirum JESUS: qui *eſt omnia bona, & virtus crucis in ſalutem omni credenti.* Rom: 1. 16.

15 *Stabat juxta Crucem JESU Mater ejus.* Spectatrix miratrix, & æmulatrix ſupereminentis charitatis, & exinanientiſq́; Humanitatis, utriuſq́; autem de Chriſto omnimodè deſpoticè, ne dicam tyrannicè triumphantis, deq́; illo quæcunq́; vellent facientis.

16. *Stabat juxta crucem JESU Mater* expectans poſſeſſionem, teſtamentariamq́; voluntatem Chriſti Filii, crucem ſuam

C ſibi in hæreditatem legaturi: quam illa deinde Eccleſiæ, dolorum & mortis Chriſti Filiæ ejuſdemq́; ſanguinum Spõſæ, tanquam hæredi transmitteret.

17. *Stabat juxta Crucem JESU Mater ejus.* Primitias hauſtura virtutis, efficaciæq́; crucis, ac Redemptionis, in cruce peractæ.

18. *Stabat juxta Crucem* veluti venalem ſine pretio tamen auri, vel argenti, exponens Filium Crucifixum: ſi fortè emeret quis Crucifixum in ſuam ſalutem: quemadmodum emerant multi, eundem, ſanum in ſuam perditionem.

19. *Stabat juxta Crucem JESU* cujus ſanguinem vendiderat Iudas: nomen & notitiam abnegârat Petrus, quem de-

D ſerverat totus diſcipulorum cœtus: cõtempſerat Herodes, condemnaverat Pilatus, ſuper ſe, & ſuper filios ſuos acceperat infelix Iudæorum Populus, illa ni-

hilominus ſola complexa, ſola profeſſa, ſola venerata eſt, ſola non tantùm ſibi notum, ſed & ſibi dilectum inſuper & ſuum Filium quantumvis inter latrones medium confitebatur.

20. *Stabat juxta Crucem JESU.* & ſola ſtabat: certè ita ſola ſtabat: quæ ſcilicet ſola, JESU in Cruce poſiti gloriam reconditam & veram noverat: ſola crucifixionis myſterium ſciebat, ſola crucis ignominiam, inter Filii ſui, ſuaq; decora, inter ſuas divitias, inter corrupti mundi ſalutaria medicamenta, inter juſtorum delicias, inter infernarum acierum ſtrages ruinasq; inter peccatorum omnium exitia numerabat.

21. *Stabat juxta Crucem JESU* quæ in ſummo ſuo dolore, in ſummâ ſuâ ignominiâ, in ſummo ſuo damno, in ſummâ ſuâ injuriâ, in ſummâ ſuâ deſolatione, & orbitate ſtetit corpore, ſtetit animo, ſtetit fide, ſtetit prudentiâ, ſtetit patientiâ, ſtetit modeſtia, ſtetit magnanimitate, ſtetit proximi charitate, ſtetit ad Dei voluntatem ſubjectione, ſtetit fiduciâ, ſtetit fortitudine, ſtetit æquanimitate.

22. *Stabat juxta Crucem JESU* oſtendens ſe virtutem ſtandi omnem habuiſſe, & adhuc haurire à cruce JESU, omnibuſq; qui ſtare ſemper, nunquam cadere à facie, gratiâq; Dei vellent, ad crucem ſtandum & ex eâ virtutem roburq; hauriendum, cruciq; ſemper totaliter adſcribendum eſſe.

23. *Stabat juxta Crucem JESU Mater:* oſtendens quo & ipſa cor ſuum directū, immerſum, defixumq; haberet; & reliqui Chriſti fideles, quò corda ſua dirigere, ubi defigere, ubi demergere, ubi, & unde armare deberent; ubi exercere, ubi emundare, ubi ditare, ubi calefacere ac inflammare, ubi ſervare poſſent.

24. *Stabat juxta Crucem JESU Mater.* veluti mundum ab irâ & indignatione, vindictâq; Patris Æterni, aut etiam Filii, ejuſq; Angelorum, imò & aliarum creaturarum, ſemet ipſâ tanquam ſcuto protegens, primamq; ſe ictui, & furori Divino feriendam objicens. Quidni enim & illa, æterno Patri in cædem indignam Unigeniti vindicandam jam jam ſe accingenti diceret quod Moyſes: aut *parce populo, aut me dele:* quidni diceret jam illa, quod poſtea Paulus dicebat. *Optabam ego anathema eſſe pro fratribus meis.*

Vide infra hic num:28.

Exodi 32. 32.

Rom. 9 3

25. *Stabat juxta Crucem JESU* tanquam crucifixoribus Filii, paratam veniam, & miſericordiam apud Filium, ſi pœniteant appromittens, ad eamq; invitans.

26. *Stabat juxta Crucem JESU Mater.* ut labantibus propter ignominiam crucis, procellamq; Paſſionis omnibus Eccleſiæ Chriſti columnis, ipſa pro omnibus, ſaltem præ omnibus, Eccleſiam ſuſtentaret, ac Chriſto Sponſo ſervaret. Itaque ſtetit illa, ut Eccleſia ſtaret tunc poſt mortem Filii, in illâ, in illius fide, in illius ſpe, in illius charitate, in illius juſtitiâ, in illius merito & gratiâ.

27. *Stabat juxta Crucem JESU* quidni ſtaret juxta Crucem Filii, quæ ſemper juxta Filium ſtabat, juxta illum ſtabat in æternâ prædeſtinatione, quàm immediatè poſt illum, propter illumq; ac in illo, tanquam in fine medium ſortita eſt. Iuxta Filium ſtetit in Conceptione ſuâ, quia meritis & dignitate illius, à peccati labe lapſuq; immunis exſtitit. Iuxta illum ſtetit in Virginitatis prærogativâ, juxta in omnis vitæ, virtutumq; ſimilitudine. Cur ergo non ſtaret etiam, juxta crucem ejus in Paſſione?

28. *Stabat juxta Crucem.* Fundens una cum Filii ſanguineâ oblatione lacrymabiles orationes ſuas, ad Deum Patrem pro univerſo genere Humano, pro crucifixoribus Filii, pro Eccleſiâ & fidelibus futuris, pro electis omnibus, unde ſimul cum Filio ſuo, etiam ipſa uſurpare voces illas potuit, atq; poteſt ad Deum: *Recordare Domine quod ſteterim in conſpectu tuo, ut loquerer pro eis bonum, & averterem indignationem tuam ab eis.* Loquebatur Patri Filius in cruce pendens. Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt. Loquebatur & Filio Mater ſub cruce ſtans. Fili ignoſce illis. Nec dubium quin & nunc tam Filius Patri, quam Mater Filio id ipſum in cœlo revocet, ac renovet aſſiſtens vultui Dei pro nobis: Hoc namq; niſi, tam Filius quàm Mater facerent, pridem nullus fuiſſet peccatis in mundo exundantibus relictus miſericordiæ locus: ſed diluvio iræ juſtiſſimi Dei ſepulta omnia, infernalibuſq; abyſſis devorata fuiſſent.

Ierem: 18. 20.

29. *Stabat juxta Crucem JESU Mater.* Iſta MARIÆ juxta crucem Chriſti ſtatio, non tantùm declarat indiſſolubilem MARIÆ cum Chriſto connexionem cōjunctionemq; tam dilectionis quàm compaſſionis: ſed multò magis oſtendit, arcanum quoddam ſolique MARIÆ præ omnibus hominibus proprium, ac à Deo collatum officium, & munus maximè honorificum. Quod eſt per ſe unam & ſolam repræſentare omnem reliquam humanam naturam, & Eccleſiam: ſeq; unam ac ſolam pro eâ ſubſtituere, &

Digitized by Google

tuere, & Chriſto exhibere. Id ut intelligatur: advertendum eſt, multiplicem MARIÆ ſtationem, juxta Dei, ſuumq; Filium Chriſtum JESUM aſſignari, in quibus omnibus ſtationibus MARIA, non ſuam tantùm individuam, ſed etiam naturæ, Eccleſiæq; totius humanæ, perſonam repræſentârit, vicemq; tenuerit.

Prima ſtatio MARIÆ juxta Chriſtum fuit in Chriſti & ſua prædeſtinatione. Etenim Chriſtus Dominus non eſt prædeſtinatus ſine MARIA, ſed ſtatim in ejus prædeſtinatione, adſtitit etiam illa, prædeſtinataq; eſt cum ipſo. Quoniam enim Chriſtus prædeſtinatus eſt, tanquam ex ipſâ: neceſſariò etiam illa prædeſtinata fuit, tanquam propter ipſum: tanquam ea ex quâ ille, tanquam Mater illius, illeq; Filius. In quâ ſtatione non repræſentavit ſe MARIA ſolam, tanquam individuam perſonam: ſed repræſentavit ſimul ſecum, & in ſe unâ, omnem reliquam naturam humanam: quod ex eo patet. Quia MARIA in illa ſtatione juxta Filium: repræſentavit ſe Filio tanquam Filio, & tanquam Matrem: repræſentavit ergo ſecum etiam illam individuam naturam humanam, ex ſanguine ſuo ſumendam formadam Verbo hypoſtaticè uniendam: quæ una natura individua, vicem erat obtentura totius humanæ naturæ, cum quâ mediante hac unâ Verbum Divinum erat uniendum: quando MARIA hanc unam individuam ex ſe deſumendam naturam, in ſe repræſentavit Verbo, conſequenter repræſentavit & omnem naturam reliquam humanam, quæ mediante ſe & illâ, humanitate ſumendâ ex ſe unienda erat æterno Verbo, deſponſandaq; cum illo. Conſtat enim ex facto, Verbum aſſumendo unam individuam humanitatem ex Virgine Matre, aſſumpſiſſe ſimul, mediante illâ totam naturam humanam: quod ergo videmus, & fatemur factum in executione, id fateamur etiam factum in primâ prædeſtinatione.

Altera Statio MARIÆ juxta Filium fuit in Annunciatione & Incarnatione verbi. Verbum enim in ſuâ Incarnatione, duo præſtabat ſimul opera. 1. Concipiebatur, & naſcebatur ex Matre Virgine. 2. Deſponſabatur naturæ humanæ. Vni naturæ individuæ hypoſtaticè uniebatur, quam ex Matris ſanguine ſumebat: alteri autem, id eſt toti reliquæ naturæ humanæ deſponſabatur illâ unâ ex Matre ſumptâ humanitate mediante. Simul tunc Verbum & fiebat Homo, & fiebat Sponſus, ad hoc ut fieret Verbum Homo concurrebat MARIA tanquam Mater: ad hoc ut Verbum jam Homo factum fieret Sponſus, requirebatur utiq; præſentia etiam Sponſæ, ut mutuo A conſenſu abſolveretur myſticum & Spirituale matrimonium, inter Deum Hominē, & inter Sponſam Dei Hominis. Hæc Sponſa debuit eſſe, & fuit revera tota humana natura: non fuit autem (ut manifeſtum eſt) in ſe totâ, nec fuit in ullo alio ſui individuo præterquam in MARIA. MARIA ergo tunc vicem totius naturæ (ſimulq; à fortiori totius Eccleſiæ) ſubiit, & pro totâ naturâ, ipſa ſola ſubſtituta fuit, inq; ſuâ perſonâ, totam naturam humanam repræſentavit; & in ſuo conſenſu, quem dedit nuncianti Angelo, totam humanam naturam conſentire in deſponſationem fecit. Atq; ita in Incarnatione Verbi MARIA duplicem perſonam geſſit: unam Matris, alteram naturæ humanæ, ſeu Sponſæ du- B plicemq; conſenſum præbuit: unum ad concipiendum Deum-Hominem: alterum ad deſponſandam naturam humanam Eccleſiamq; Deo Homini. Do pro hac veritate D. Thomam: dicentem. *Congruum fuit Beatæ Virgini nunciari, quod eſſet Chriſtum conceptura: ut oſtenderetur, eſſe quoddam ſpirituale matrimonium inter Filium DEi. & humanam naturam: & ideò per Annunciationem expectabatur conſenſus Virginis loco totius humanæ naturæ.* [D Th: 3. P. Q. 30. 1.] Una ergo Virginis perſona in illo paſſu, totius naturæ humanæ & Eccleſiæ fuit Perſona. unus ejus animus, totius naturæ & Eccleſiæ fuit animus. Unus ejus conſenſus, totius naturæ & Eccleſiæ fuit conſenſus: una ejus authoritas, totius naturæ & Eccle- C ſiæ fuit authoritas: una ejus dignitas totius naturæ & Eccleſiæ fuit dignitas: unius ejus per gratias virtutes, dona, merita, perfectionesq; ornatus, totius naturæ & Eccleſiæ fuit ornatus: ita ut ſi tota in ſemet ipſâ natura, totaque Eccleſia, tunc adſtitiſſet nihilo pulchrius, nihilo ditius, nihilo dignius Sponſo ſuo adſtitiſſet, aut complacuiſſet, quàm in unius MARIÆ Perſona adſtitit, atq; complacuit. ut ex vero dixerit Propheta, hoc ipſum Arcanum matrimonium intuens. *Adſtitit Regina à dextris tuis* [Pſ: 44. 10.] Mater ſimul & Sponſa, & ex utroq; capite Regina. *in veſtitu deaurato, circumdata varietate donorum*, & gratiarum, & pretiorum, munerumq;, in omni natura & Ec- D cleſiâ reperibilium. Adducentur Regi [Ibid. ℣. 15.] Virgines poſt eam mediante ſcilicet illâ, reliquæ portiones naturæ & Eccleſiæ deſponſabuntur, & ejus conſenſu marita-

buntur, ejus pretio & ornatu exornabuntur.

Tertia Statio MARIÆ juxta Filium fuit. Patiente Filio & in cruce pendente: & hic MARIA, non tantùm per modum perſonæ propriæ, ſingulariſq; adſtitit, ſed in unâ ſe totam Eccleſiam Chriſto repræſentavit, ſeq; pro eâ ſubſtituit. Quia enim in articulo illo patientis Domini, ad aliquantum ſaltem tempus, in omnibus Chriſti diſcipulis atq; fidelibus vacillaverat fides, in pleriſq; etiam defecerat: præterquam in unâ ſolâque Virgine Matre Chriſti: dubitari non poteſt, per illud tempus, in ſolâ unâque MARIA, Eccleſiam Dei manſiſſe. Vnâq; illam ac ſolam totam Eccleſiam Chriſto ſuiſſe, & inſtar totius Chriſto, tam corporis, quàm fidei conſtantiâ adſtitiſſe. Repræſentavit ergo tunc, ſola licet & una MARIA, Chriſto Eccleſiam totam, etſi non numero, at pulchritudine, ac perfectione, at dignitate, & merito, & gratiarum, virtutum, donorumq; varietate, & plenitudine: quando & nomine Eccleſiæ: ac tanquam tota Eccleſia, dotem ſponſalem ſanguinis, meritorum, redemptioniſq; à Chriſto accepit, Eccleſiæq; conſervavit. Huic igitur myſterio deſerviens MARIA, ſtabat juxta crucem JESU.

Quarta Statio MARIÆ juxta Filium poſt ejus Aſcenſionem in cœlum: tunc enim remanſit Virgo MARIA in mundo, ac nominatim in Eccleſiâ vice-Filii, & quaſi juxta Filium, & ad inſtar Filii, Magiſtra Eccleſiæ, Princeps gregis Chriſti, & Patrona Orphanorum. donec indueretur puſillus ille grex virtute ex alto. Neq; omnino tunc non juxta crucem Filii ſtabat. nam & Filius abjens in cœlum, elevatis manibus, tanquam in crucis formam paſſis ferebatur, & timor ille, quo paupercula, & exigua diſcipulorum Chriſti turba poſt diſceſſum Filii tenebatur, non abs re crucifixum Filium repræſentabat Matri: cujus illa tunc officio, ſola fungebatur.

Quinta MARIÆ Statio, juxta Filium eſt in cœlo: cui proxima eſt gloriâ. & aſſidet vel aſſiſtit dexteræ illius: & totam lætificat cœleſtem Hieruſalem, totam protegens militantem Eccleſiam, utrobiq; una ſola præ omnibus, & pro omnibus Electis Dei, plus authoritatis apud Deum obtinens, pluſq; prævalens, quàm univerſus reliquus Electorum cœtus. Sicut unus Sol præſtat omnibus aſtris, unumq; cœlum Empyreum majus eſt, omnibus cœleſtibus & elementaribus ſphæris. Ita MARIA præ omnibus eſt & pro omnibus Electis, & ipſa una omnium inſtar eſt, omneſq; Filio repræſentat: atq; ita etiam modò ſic ſtat, juxta Filium ſuum, ut tota Electorum, imò tota hominum natio in illâ ſuâ ſolâque conſiſtat, ipſa autem vicem illius repræſentet.

PARAGRAPHVS CLIII.

JESVS Matri diſcipulum dat in Filium. Ioan. 19. 26.

STROMATA

1. INter mutuos illos doloris amoriſque plenos aſpectus, quibus è vicino poſiti Filius & Mater, mutuò ſe, & ſauciabant, & ſaginabant: quàm imminentis ſuæ mortis certus; tam orbitatis maternæ non dubius: fungitur Piiſſimus Filius officio debitæ Pietatis & Genitricem: eiq; quantumlibet inæquale, attamen pro illo rerum ſtatu, optimum ſubſidium providet: dicens Matri. *Mulier ecce Filius tuus, venit hora*, quâ non amplius nos viſuri ſumus in hac vitâ, venit hora, quâ relinquo mundum, & te in mundo. Venit hora, quâ jam tranſeo ad Patrem. deinceps ego, tuo non egebo miniſterio: tu meo non foveberis ſolito ſubſidio, & ſolatio. Nolo te remanere orphanam, & per omnia deſolatam in terris: habebis ſolatium orbitatis tuæ hunc qui ponè adſtat meus hactenus diſcipulus, tuus deinceps abhinc loco mei filius. Me jam mors facit eſſe nec filium, nec tuum; ac per hoc te quoq; nec Matrem, nec meam eſſe ſinit, propterea cape & habe hunc in filium, ille ſit Filius poſtmodum loco mei tuus, tu illi eſto pro me deinceps Mater. Ioan. 19. 26.

2. Hæc Chriſti circa Matrem providentia oſtendit Ioſephum Sponſum, jam, interea ſuperſtitem non fuiſſe. Nam neq; abſuiſſet Ioſeph à Paſſione Chriſti, & comitatu Sponſæ, in tam difficili tempore (quale erat mors Unigeniti Filii) conſtitutæ: & Chriſtus non tuliſſet facere divortium Matris ſuæ à Sponſo ſuperſtite, Patreq; putatitio: ſed ſervaſſet legem ſuam, quam olim dixerat Quod Deus conjunxit homo non ſeparet.

Quia ergo

Matt: 14, 6. Quia ergo jam Ioſeph ſuperſtes non erat: & ipſe jam jam futurus non erat: ideò illi pietate filiali urgente, per ſubſtitutionem alterius filii pro ſe ipſo providebat, ideò etiam illam non Matrem A ſed Mulierem in præſenti vocare volebat, quia jam quodammodo Mater ſua, ſe moriente eſſe deſinebat: & ſic quando & Sponſo & Filio orba erat, mulierem commodè vocari poſſe indicabat, poteſtque hæc eſſe, prima cauſa ejus cõpellationis, in ſpeciem, durioris. *Altera* ejuſdem compellationis cauſa eſſe poterat: quia materni nominis uſurpatione, cor ejus, ſine dubio, novo & ſummo dolore concuſſiſſet: quod declinans JESUS, non Matris, ſed Mulieris nomine appellavit. *Tertia* inſuper cauſa nominis hujus eſſe videtur: quia cum ſtante juxta crucem Matre, ſine dubio adeſſent hoſtium omnis generis plurimi, perinde cruci ſuæ proximi: alloquendam Matrem Chriſtus cenſuit non Matris, ſed Mulieris nomine: ne ſi fortè aliqui improbi, & efferati, eam Matrem ſuam cognoſcerent, in eam injurioſi, ſeu verbo, ſeu manu, eſſe inciperent: quod Filius ſine dubio, non minùs in Matre quàm nuper in diſcipulis cavere voluit. Quarta præterea ejuſdem appellationis cauſa eſt. uſus & mos Chriſti in appellandâ publicè Matre ſuâ, quem, quatenus ex Evangelio habemus, talem fuiſſe conſtat, ut eam mulierem ſæpius, Matrem nunquam compellârit: cujus moris cauſam, quàm potiſſimùm æterna ſapientia habuerit difficile eſt divinare: mortalem tamen aliquam aſſignare poſſumus, quam pono pro Quintâ causâ hujus cõpellationis: C quia ſcilicet Chriſtus Dominus fidelibus ſuis omnibus quidem & præcipuè perfectionis ſtudioſis, Religioſum autem ſtatum inprimis profitentibus maximè autem perfectis, & mundo, ſibi carniq; crucifixis exemplum dare voluit: quâ moderatione, abnegatione, abſtractione, parcitate, quin ût ita dicam, cruditate, debeant ſuſcipere curam etiam Parentum in neceſſitate poſitorum. Propter quam etiam cauſam, videtur Chriſtus, nihil prorſus in particulari, nihil minutius Ioanni circa Matris curam præcepiſſe, ſed totum illo verbo. *Ioan: 19. 27.* *Ecce Mater tua* comprehendiſſe: ne affeclæ Chriſti, putarent ſibi, aut licitum, aut decorum, diligentius ſeſe curis ſuorum ſæcularibus, temporalibuſq; implicare, D diutius in eis hærere, ad minutiora particulariaq; deſcendere, & ſollicitudinẽ illam ſibi propriam, familiarem perpetuamque facere.

Mulier cur à Chriſto Mater vocata.

Non patitur hoc perfectionis profeſſio, ſtatus crucifixi, hoc non fert: profeſſio hominis, mundo, & ſanguini, & ſibi præmortui, hoc excludit. Iubet illa ut; *mortui mortuos ſuos ſepeliant.* *Matt: 8. 22.* Sexta ſit cauſa hujus nominis: Quia Chriſto perſpecta fuit optimè firmitudo Matris ſuæ, atq; in Paſſione ſuâ conſtantia: idcirco non eam tenero, & molliculo Matris, ſed robuſtæ, ac fortis mulieris nomine, forti & ipſe robuſtoq; ſpiritu appellavit, atq; per hoc certamen forte ut vinceret ille dedit. Septima. Noverat Chriſtus bene perſpectam eſſe Matri ſuæ temporis præſentis, quod agebat opus: noverat Matrem ſcire: quod tunc Chriſtum vel maximè ea occupabant, quæ Patris Æterni erant. Noverat Matrem ſcire, quod tunc Chriſtus non haberet *colluctationem cum carne & ſanguine: ſed adverſus Principes & poteſtates,* *Eph: 6. 12.* B *adverſus ſpirituali[a] nequitiæ, adverſus mundi rectores, & tenebrarum*: propterea nihil etiam tenerum, nihil ſanguinem redolens, eam tunc à ſe expectare ſciens, appellat mulierem: reſpiciens fortè, imò ſine fortè, ad illam Mulierem fortem, quondam à Salomone quæſitam: *Prov: 31. 10.* *cujus pretium ille quidem à finibus terræ putabat expectandum*: ſed Chriſtus plus quàm Salomon, juxta crucem ſuam, quærendum, inveniendumq; eſſe monſtrabat. Octava addatur ejuſdem nominis cauſa MARIA ſtans juxta crucem Filii pendentis, ac dolentis, morientiſq;, etſi abſq; omni controverſiâ tantùm dolebat de malis ejus, quantùm amabat & cupiebat integritatem ejus: ex alterâ tamen parte: attendens illa voluntatem Æterni Patris propoſitumq; Filii in Paſſione illâ, nec non gloriam Dei, ſalutemq; generis humani erupturam ex morte ipſius, uſq; adeò contenta erat, de omni Paſſione atque morte Filii: ut etiam ſi data fuiſſet divinitus facultas, Filium ab omnibus malis, vel conſervandi, vel eliberandi: illa tamen plus dilexiſſet, voluntatem & gloriam Dei, ſalutemq; generis humani, quàm carnem, vitam, integritatemque Filii. Proinde datâ licet illâ poteſtate, non tantùm illâ uſa non fuiſſet: ſed potiùs ipſa manibus ſuis Filium immolare, & omni dolore paſſionis afficere, cruciq; affigere non dubitaſſet. Hanc Matris ſuæ animi celſitudinem, atq; præparationem, omni utiq; Abrahamiticâ celſiorem atq; certiorem cognoſcens Chriſtus: & ex hoc concludens, quàm longè abforet tunc temporis Mater ſua, à maternarum affectionum teneritudini-

bus, quamq; eſſet ſupra omne id quod Matrem ſapit, per ſublimiſſimam ſolidiſſimamq; cum Dei placito conformitatem ſublimata & ſublevata. Non eam Matrem ſed Mulierem, tanquam pro tunc, & eatenus materni affectus debitè nihil habentem, nihil certè illi indulgentem, inde ait, Mulier ecce Filius tuus: quaſi diceret: quandoquidem omnem Maternum affectum, quem aliqui ſupremum, ſcio erga me, vel depoſuiſti, vel ſopiviſti in te, idq; ut me in his, quæ Patris mei & voluntatis, & honoris ſunt, quæq; ſalutem mundi operantur eſſe permittas: mihi quidem, magnâ meâ voluptate nunc non es Mater, ſed veluti pura duntaxat mulier: ſed tamen nolo ut vacet in te affectus Matris à me abſtractus: volo ut convertatur ad meos, quorum unum, quem in promptu habeo: quem ſcis quantum & quare diligo: en tibi in Filium: ecce iſte eſt Filius tuus. Ecce ſis Mater ejus.

3. *Mulier ecce Filius tuus.* Cur Matri hoc dicat Dominus, quæri poteſt. Nam dubitaverit quis Matrine proſpiciat aſſignando illi filium novum pro ſe: Ioannine, dando illi talem Matrem: à quâ diligeretur pro ſe. utrumq; non videtur habere locum. Nam & Matri bene fuit cum Ioannis auxilio: & Ioanni bene fuit ſimiliter, cum tantæ Matris ſolatio. Videor dicere poſſe in quadruplices, aut quintuplices perſonas redundaſſe hoc Chriſti de Matre, & Ioanne factum. 1. Redundavit hoc in ipſum Chriſtum: qui moriens eliberavit ſe obligatione, debitoq; pietatis in Matrem, abſolvitq; ſe à ſollicitudine de illâ, commendans illam in manus ei, quem & ipſe amabat, & à quo viciſſim amabatur, præ aliis: & qui erat tum præſens quiq; ad curam & obſequium, Matris ſuæ erat, propter ſingulares dotes prærogativaſq; accommodatiſſimus: ſimiliter etiam, aliâ ex parte hoc ſuo facto Chriſtus, ſuo in Ioannem amori ſatisfecit: ſeque ab ejus curâ abſolvit, ejus curandi in Matrem cura & obligatione tranſlata. 2. Redundavit hoc Chriſti factum ſeu coſilium in Matrem Chriſti: cui à Filio ſuo, revera ita proviſum eſt, prout in eo rerum curſu, provideri commodiſſimè potuit: ſiquidem data eſt in curam diſcipulo, chariſſimo, dilecto, & diligenti, appoſito, per ætatem, ad obſequium, ut curam Matri impendendam, utpote qui Chriſto ipſi coætaneus, vel anno minor uno eſſet: quiq; per hoc ad ſerviendum Matri per ætatem, valde idoneus foret, qui propterea Virginitatis illibatæ poſſeſſor & cultor, eoq; nomine, tam Chriſti, quàm ejus Matri maximè ſimilis, ſingulariterque charus eſſet. 3. Redundavit hoc

A Chriſti factum in Ioannem; qui iſtâ ratione in hæreditatem Chriſti, opimam ingreſſus. Matrem Domini ſui accepit, in Matrem ſuam, & ipſe acceptus eſt ab eâ in filium, ita ut jam ex hac hora, & ipſe acceperit illam in ſua: & ipsa acceperit illum in filium, peculiumq;, ac proviſorem ſuum, ſitq; factus filius Matris Dei, & ſuſceperit perſonam officiumq; Filii Dei. 4. Redundavit hoc Chriſti Domini factum, in omnes fideles Chriſti: ex hac enim horâ, omnes facti ſunt Filii MARIÆ, & illa viciſſim facta eſt, Mater omnium in Chriſtum credentium, uſq; ad finem mundi. Neque enim putandum eſt quod ſolus Ioannes omnino traditus ſit Matri, à Chriſto,

B in filium, aut ſoli Ioanni MARIA in Matrem: abſit ut tam arcta fuerit Chriſti donatio, & ordinatio: ſed ad omnes fideles ſuos eam extendit: unde quod fecit Ioannes, ut ex illâ hora acceperit Matrem Domini ſui in ſua, fecit hoc, non tantùm ratione perſonæ propriæ: verùm etiam ratione; & in perſona totius Eccleſiæ: ob quod uſq; hodie, Eccleſia Chriſti habet, peculiariter Matrem Domini, acceptam in ſua & viciſſim habetur à Matre Domini inter ſua. Quid enim tam curat Chriſti Mater, quàm Eccleſiam Chriſti? aut quid tam colit, amat, extollit, invocat Chriſti Eccleſia, quàm Matrem Chriſti? 5. Redundavit hoc Chriſti factum, ſpeciali quadam ra-

MARIAM ſpecialiter electi in terra, & in cælo.

C tione in diſcipulos, quos diligit JESUS, quiq; diligunt JESUM, in peculiares inquam electos Dei, & amatores, imitatoresq; Chriſti: Chriſti inquam Virginis, Chriſti pauperis, Chriſti uſq; ad crucis mortem Patri obedientis; Chriſti pro ſalute animarum, & pro Patris gloriâ, uſq; ad defatigationem, defectionem, & mortem laborantis, & in opere ipſo morientis: tales quippe diſcipulos JESUS diligit peculiariter, tales Matri commendat ſpecialiter, tales Matri in Filios pro ſe, vel potiùs tanquam ſe, tradit ſingulariter: talium quoque illa viciſſim & eſt vera Mater, & a talibus habetur, colitur, exaltatur, tanquam vera Mater, tranſeunte utrinque quodam modo, ſive gratiâ in affectationem naturæ, ſive naturâ,

D in affectionem gratiæ: ut non facilè diſcernas naturalius an ſpiritualius Matrē Domini ament, vel amentur ab ea. Quod exemplis tam plurimis, quàm illuſtriſſimis pro-

mis probare poſſem, ſi id nunc ad agen-
dum propoſitum haberem, aut ſi non id
apud omnes Eccleſiæ Catholicæ ſcri-
ptores frequentatiſſimum ſcirem? Hoc
dico interim, nullum in Chriſti Eccleſia A
peculiariter extitiſſe, coram Deo, & Ec-
cleſiâ ipsâ inſignem, qui non inſignis
fuerit ſpecialiter in dilectione tam acti-
vâ quàm paſſivâ MARIÆ: hoc eſt qui
non inſigni quâdam ratione, & dilige-
ret MARIAM, & diligeretur à MARIA:
dico præterea, datum eſſe MARIÆ à
Deo Filio, peculiarem numerum, cætúq;
Redemptorum, & Electorum ſuorum,
quaſi in Filium, quaſi in peculium, quaſi
in hæreditatem ſpecialem: cujus cætus,
hæc ſit indoles, hæcq; inſignis nota, tam
in militante, quam etiam in triumphan-
te Eccleſiâ: eximius quidam, & ſingu-
lariter excellens, diſcernendusq; affe-
ctus & MARIÆ Matris in eos, & in MA-
RIAM Matrem, eorum, qui, hoc beatô B
numero, ab altiſſimâ Dei Sapientiâ com-
prehenſi, & Matri Dei collati ſunt: quem
cætum nunc quidem in cruce, ſub per-
ſona Ioannis Matri deſignavit, & ex par-
te contulit: at verò in Aſſumptione &
glorificatione Matris ſuæ nominatim &
plenè tradidit, Maternæq; charitati, &
curæ tranſcripſit, ut quemadmodum in
Eccleſia Chriſti, ſunt alii Patriarchæ, a-
lii Prophetæ, alii Apoſtoli, Martyres;
Virgineſq; alii, & aliis Divinis donis in-
ſignes, alii præ aliis; ita etiam cultores,
amatoreſq; Matris Dei, hoc ſtudio reci-
proco Matris in ſe, ſuo in Matrem, emi-
neant inter reliquos Sanctorum, & Ele-
ctorum cætus, hic quidem obſcurius in
militante, at illuſtrius in triumphante C
Eccleſiâ. Nec laboro quò potiſſimum
nomine appellaverim ſervorumne, an
Mancipiorum, an Filiorum, an Sodali-
um, an dilectorum, an deſponſatorum;
an hæreditatis, an alio quopiam inſigni.
Novit Dei Filius, novit & Mater ipſius
omnes eos, qui ſunt ejus. Trahor in
hanc ſententiam. 1. Quia quemadmo-
dum delectat Chriſtum, naturalem Æter-
ni Patris Filium, habere multos ejuſdem
Patris filios, ſuos verò fratres, ut ſit ipſe
primogenitus, in multis fratribus; ita
etiam, ſine dubio delectat, eundem na-
turalem Virginis MARIÆ filium habe-
re quoq; multos delectos ejuſdem Matris
filios adoptivos: in quibus ſit ipſe pri-
matum tenens. 2. Sicut Chriſtus pro D
eo, quod poſuit pro peccatoribus ani-
mam ſuam in mortem, videt ſemen lon-
gævum, ſibi à Patre datum in præmi-
um, ita pro eo quod MARIA, in Paſſione
Filii tradidit eundem Filium, cum plenâ
mentis reſignatione, in omnem Patris
Æterni ipſiusq; Filii voluntatem, & in
humani generis Redemptionē: orbans
ſe ſe Unigenito Filio, propter dilectio-
nem & gloriam Dei, pro eo inquam ac-
cepit ſeriem certam Filiorum, ſibi à Fi-
lio electorum, atq; in Ioanne, & cum Io-
anne ſibi ex tunc traditorum. 3. Neq;
etiam ideò, quare miſeratio in pauperes,
vel eruditio aliorum ad juſtitiam, vel
humilitatis peculiare ſtudium, vel certa
aliqua vivendi hic in mortali vitâ, ſer-
vata ratio, conſtituere idonea ſit, pecu-
liares in gloria cœleſti cætus, ſuis notis
& prœmiis inſignes. Inſignis autem
Amor Virginis MARIÆ Dei Matris ad
ſimile quid conſtituendum in cœlo non
ſit idoneus? credat hoc ille qui credit
Dei Filium non honorare Matrem ſuam,
nec delectari honore Matris ſuæ. 4. At-
qui mihi videtur inter maximas, præci-
puas, gratasq; Chriſto virtutes, quas ille
ſpecialiter cupiat gaudeatq; hominibus
eſſe cordi, ac imitationi, quarumq; inſi-
gnem adeptionem, peculiari prœmio, li-
beraliter afficiat, tam in hac, quàm in al-
terâ vitâ: eſſe potiſſimam præcipuamq;,
ſingularem & eximiam affectionem, ad
amorem, cultum, imitationemq;, ſuæ
prædilectæ Matris. Legimus certè in
Evangelio ſæpiſſimè Chriſtum ſe filium
hominis, hoc eſt Matris Virginis, voci-
taſſe, & quidem non abſq; cordis intimo
quodam ſenſu, à Chriſto, id factitatum;
certus ſum. Cur non ſit peculiariter hoc
ipſum, perquam gratum Chriſto, pecu-
liariſq; & gratiæ loco collatum & dein-
de prœmio notâq; in cœlo dignum: ſi
qui de ſuis fidelibus, ſpeciali affectione
adlaborent eſſe Filii ejuſdem Hominis:
hoc eſt ejuſdem ſuæ Matris? Imitari
Chriſtum in Paupertate, quâ, omnia re-
linquantur pro ipſo, habet peculiare prœ-
mium, & in hac, & in alterâ vitâ: idem-
que ſentiendum eſſe de aliis quibuſdam
Chriſti virtutibus, & conſiliis, ex Evan-
gelio certum habemus: imitari eundem
Chriſtum in amore ſuæ Matris, inſigni-
terq; ad eam affici, eſt credibile alicui,
quod non habeat peculiarem apud Chri-
ſtum locum, & favorem, & prœmium?
Atqui nemo ſanus negabit, amorem, præ-
ſertim peculiariter inſignem, Beatæ Vir-
ginis eumq; reciprocum, eſſe longè ma-
jus, excellentius, fœcundius, Dei donū,
quàm donum, vel paupertatis, vel caſti-
moniæ, vel manſuetudinis, vel alicujus
ſimilis virtutis. 5. Quid quod defacto,
cum guſtu & congratulatione, videmus

In Chriſti Eccleſia militante cœtus peculiariter ſacratos; variiſq́; obſequiis magnum Dei Matrem demerentes: cur non idem credamus, in cœleſti Patriâ futurum? imò verò, cur non aſſeramus, hos cœtus militantis Eccleſiæ, cultui Divinæ Matris ſacros, hos illos eſſe, hos in ſe, magnâ ſaltem ex parte continere, quos dicimus peculiariter Matri à Filio, in honorem donatos, in cultum & amorem aſſignatos, ſpecialis gloriæ notâ, in cœlo, hoc nomine inſigniendos, atq́; dignoſcendos. 6. Differre juſtos in Reſurrectione aſſerit Paulus: *ſicut ſtellam à* [1. Cor: 15.41.] *ſtella* in charitate: hujus differentiæ fons eſt, diverſitas gratiarum, & meritorum apud Deum. faciet hanc differentiam gratiæ & gratiæ, merita & merita: faciet ſine dubio eandem, eximius aliquorum in Matrem Dei, & in aliquos Matris Dei amoris affectus, quoniam & iſte, eſt fons certiſſimus, fœcundiſſimusq́; maximarum gratiarum, maximorumq́; meritorum. Delectaret huic argumento amplius immorari, ſed præſens opus, hoc non poſcit, proinde unum tantùm attuliſſe adhuc firmamentum ſufficiet. 7. Eſt autem illud quod ex ſententia Eccleſiæ, uſurpat juſtè Divina Mater, ex verbis Incarnatæ, ac Increatæ Sapientiæ & ipſa Mater ejuſdem Sapientiæ. [Eccl: 24. 12.] *Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo & dixit mihi; in Iacob inhabita, & in electis meis mitte radices* quibus verbis nihil ſanè repugnat, quo minùs Dei Mater, glorietur de hoc ſuo privilegio, de hoc inquam electorum ſibi peculiariter à Filio ſuo donatorum cœtu, quem illa peculiariter habeat, poſſideat, excolat, inhabitet, exornet, optimis quibuſq́; cœleſtium ſeminum radicibus, & fruticibus, & fructibus, impleat, tanquam dilectam, & dilectam ſibi hæreditatem. In quâ hæreditate, utinam complaceat Divinæ Matri, & meam quoq́; pauperculam animã connumerare, in eâq́; Filii ſui, & ſuæ dilectionis eximiæ, perennantiſq́; radices mittere: ut & ego ſim unus, ex electis, unus ex dilectis ejus, unus ex datis illi, in Hæreditatem, & ſortem, & in peculium, ut in me cadat benedictum, Filii [Eccl: 24. 27] Dei, teſtamentum. *Ecce Filius tuus, ecce Mater tua. Hæreditas enim iſta, ſuper mel, & favum, & ſuper aurum, & topazion: Et anima mea, dilexit illam vehementer.*

4 *Mulier ecce Filius tuus.* Chriſtus in Cruce parturiebat novum quendã mundum, tanquam Filium, regenerans illum in ſalutem, & vitam æternam: ex Filio iræ, faciens filium gratiæ. Huic filio infantulo adhuc tenello, & needum ſatis coalito, atq́; valido, nutrice opus erat, tanquam alterâ Matre: id officium Chriſtus in Matrem ſuam transfert, & dicit illi. *Mulier ecce Filius tuus*: & illa, id muneris non tantùm non gravatè ſuſcepit, ſed etiam libentiſſimè omnes moleſtias hujus officii ſuſtinuit & exhauſit, omnibus reliquis annis, quibus Chriſto, etiam jam in cœlum aſcendenti, in mundo ſuperſtes fuit. Illa enim novellam Chriſti Eccleſiam planè nutrivit, Matris & nutricis inſtar, illa Apoſtolos, & alios fideles, in perſecutionibus ſolata eſt, illa animavit, illa docuit. illa adoleſcentulum & tenellum hunc Filii ſui partum, ſedulo ſtudio fovit. Serviunt proinde Deiparæ illa verba, quæ etiam aliàs eidem Eccleſia attribuit, eamq́; uſurpare facit. *Quando præparabat cœlos* [Prov: 8. 27. &c.] *aderam*: quando certâ lege, & gyro vallabat abyſſos, quando æthera firmabat ſurſum, *& librabat fontes aquarum*: quando appendebat fundamenta terræ. *Cum eo eram cuncta componens*: vel juxta Hebræum. *Ego eram propè ipſum nutrix.* Chri- [Iſaia 65. 17.] ſtus in Paſſionis negotio, & in crucis ſolio exiſtens, *præparabat cœlos, creans illos novos, & terram novam, & aperiens portas æternales, reparanſq́; ruinas veteres cœli*, & patefaciens illud juſtis ſuis, ipſoſq́; juſtos etiam, cœlo aptans, & mundans, & ditans, in ſanguine ſuo. Idem Chriſtus in cruce, certâ lege, & gyro vallabat abyſſos: partim iræ Dei, uſq́; huc exundanti terminos ponens, & feſtinanti in vindictam, juſtitiæ Paternæ, ſeipſum quaſi ſepem, imò murum objiciens, reconcilianſq́; ima ſummis: partim poteſtatem dœmonum coercens & armatum alligans: partim Patres Sanctos è ſinu Abrahæ jam jam educens, locumq́; illum evaſtans. Idem Chriſtus in cruce æthera firmabat ſurſum, partim repræſentans Patri, ea merita, quibus Angeli in gratiâ ſteterant; & ob quæ ille, caput Angelorum, conſtitutus fuerat: partim deſcribens prædeſtinatos ſuos, in cœlo, paranſq́; inibi locum electis ſuis: partim virtutes cœlorum, ne in ſuâ morte commoverentur obfirmans. Præterea Chriſtus librabat fontes aquarum in cruce: partim cum lacrymis & clamore valido Patrem orans: & crucifixores ſuos excuſans, & Latroni pœnitentiam, veniamq́; elargiens: partim vulnerum ſuorum fontibus ſcaturigines, in univerſam terram, hoc eſt, in univerſi generis noſtri maſſam diffundens: partim Sacramentorum canales atq́; tubos, aquam

gratiæ

Digitized by Google

gratiæ ſanctificantis, in ablutionem peccatoris, & menſtruatæ, derivaturos, ad libellam menſoriam diſtinguens: partim deniq; irriguum ſuperius, nec non inferius Eccleſiæ ſuæ, aliiſq; ipſius proficientibus, & incipientibus providens, ac in hæreditatem conſignans. Appendebat etiam Chriſtus in cruce pendens fundamenta terræ. Synagogam quidē vetuſtate fatiſcentem, in egenis elementis, & in littera occidente, fundamenta deſolans, & convellens. Mittens autem lapidem in Sion: lapidem grandem, lapidem angularem, in quo committerentur ambo parietes, & ædificium novæ Eccleſiæ conſurgeret, qui lapis, primùm quidem eſt ipſe Chriſtus JESUS, præ quo nemo aliud fundamentum poteſt ponere: deinde Petrus, cui dictum eſt

Matt: 16 18 à Domino: *tu es Petrus, & ſuper hanc petram, ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam: expetivit*

B

Lucæ 22. 31. *quidem ſathanas cribrare vos, ſed ego oravi pro te, ut non deficiat fides tua. & tu converſus confirma fratres tuos.* Et tremuit quidem aliquando fundamentum hoc, in nega-

Lucæ 22. 61. tione & fuga: ſed mox quievit, *quia Dominus reſpexit Petrum: & ille flevit amarè*, accepitq; ſoliditatem petræ. Porro totius hujus negotii veluti partus, recenter effuſi, adhucq; teneri, MARIA prope ipſum Chriſtum adſtans cruci, erat quaſi nutrix: fovens in omnibus his gratiam Chriſti: neq; diſſipari à violentia, adverſantium poteſtatum permittens: Matremq; omnium Electorum, imò rerum omnium ſeſe fideliter exhibens, omnibuſq; lac protectionis, & meritorum ſuorum exhibens, & virtute Filii univer-

C

ſa componens, corroborans, confirmans, & ad debitum firmitatis ſtatum deducens, in eoq; conſervans. Ergo non immeritò MARIAM Eccleſia nutricem ſuam agnoſcit, appellat, veneraturq;: ſēperq; ejus nutritionis ſalutaris lac ſuggens, educat filios Sponſo ſuo Chriſto, uſq; dum perveniant in menſuram ætatis plenitudinis ejus, fiantq; conformes ipſius imagini per omnia: quo in opere, nullius alterius eſſe poteſt tam præſtans cura, tamq; efficax induſtria, tam vitalis influxus: quàm MARIÆ. Nam cum hæc ſit ipſius Chriſti genitrix: fieri non poteſt, ut quis ad effingendos, in ſimilitudinem Chriſti, Eccleſiæ filios felicior ſit, quàm ipſa eadem MARIA. Itaq;

D

hanc ob cauſam, mundi à ſe in cruce regenerati, Chriſtus nutricem delegit, inſtituitq; MARIAM: dicens illi, Mulier ecce Filius tuus.

5. Quod Chriſtus adſtanti Matri, ad ſuam crucem, dicat: Ecce Filius tuus: arbitror cauſam hanc eſſe. Chriſtus ut eſſet Filius, habebat partim ab Æterno

A

Patre, partim à Virgine Matre: à Patre quidem æternam, à Matre vero temporalem filiationem ſortitus: beneficium hoc filiationis ſecundæ cumulatè volens reddere Matri ſuæ Chriſtus, non contentus quod eam fecerat Matrem ſuam temporalem & naturalem: quando ex ea naſci dignatus eſt: confert illi inſuper, aliam Maternitatem æternam, & ſpiritualem, atq; ſupernaturalem: faciens illam omnium fidelium, ac præcipuè electorum ſuorum, tam in hoc, quàm in futuro ſæculo Matrem: quapropter ait ad illam. Ecce Filius tuus. omnis nimirum qui in me credent diſcipulorum mihi dilectorum cætus.

B

6. MARIA agnoſcebat Chriſtum in Cruce Redemptorem & quaſi Genitorem eſſe, interq; illos extremæ mortis dolores, veluti enitentem, & in vitam gratiæ, inq; lucem ſalutis mundum parturientem. Optabat ergo ipſa quoque particeps hujus parturitionis cum ipſo fieri, itaq; acceſſit ad crucem, ſtetit juxta, ſuam operam obtulit, nec repudiavit Filius, ſed liberaliter ad conſortium, laboris tam glorioſi Chriſto, tam ſalutaris mundo, admittens, ait Matri. Mulier ecce Filius tuus: tolle illum in ulnas tuas, lacta illum, involve faſciis, educa, efforma illum, donec formetur imago mea, donec efformer ego ipſe in eo. O felicem mundum! ô fortunatum genus humanum ſua ſi bona nòrit: ha-

C

bet Patrem habet & Matrem, à quorum utroq; in filium adoptionis Divinæ gignitur: adeoq; *jam omnis Chriſtianus ſicut eſt filius Chriſti, ita eſt etiam Filius MARIÆ. debet enim eſſe efficax Verbum Verbi dicentis ad Matrem. Ecce Filius tuus* Orig: in 2. Ioan.

7. Moribundus ac moriturus in cruce Chriſtus, ſciebat remanſurum Matris ſuæ affectum maternum quodammodo ſterilem, & Chriſto ipſi nullatenus proficuum, aut neceſſarium: quid enim mortuo prodeſſet, quid reſurgenti neceſſarius foret? ex altera tamen parte noverat: quantum boni, quantumq; efficaciæ latebat in Materno Matris ſuæ affectu. Et quia nihil omnino rerum ſuarum volebat penes ſe remanere, ſed omnia ſtatuerat diſtribuere in alios, vel

D

in ipſos carnifices, ideò amorem maternum Matris ſuæ, dat Ioanni, & cum Ioanne dat omni diſcipulo in ſe credenti, ut quemadmodum fecerat nos partici-

Digitized by Google

pes amoris Patris Æterni, faciens nos filios, & hæredes ejus: ita quoq; communicaret, imò totum in hæreditatem nobis daret, affectum maternum: ideò dicit: Mulier ecce Filius tuus. Hactenus ſcilicet impendiſti amorem tuum, tanquam Filio Mater, jam ex tunc eundem amorem impende fidelium meorum gregi: ama illum & ſis ejus Mater. O beatam ſortem noſtram! ô præclaram noſtram hæreditatem! quâ Chriſtus nullam ex creaturis pretioſiorem habuit in hac vitâ. Hanc nobis conſignat totam, & morte ſuâ confirmat tabulas teſtamenti hujus. Gratiæ tibi Domine pro hac pretiosa hæreditate ad nos transmiſſa. Et non poſſumus quidem dubitare, quod nos plenitudine affectûs Materni complexa ſit Mater tua: ſed appone ô JESU alteram quoq; gratiam: ut & nos filiali, id eſt, tuo affectu, amplectamur hanc Matrem: dic nobis efficaci verbo tuo. Ecce Mater tua.

8. *Fecit Deus mundi conditor luminare ma-*
Gen: 1. 16. *jus, nempe ſolem, ut præeſſet diei, & luminare minus, nempe lunam, ut præeſſet nocti.* Sive ut præeſſet mundo occumbente ſole, & ingruente nocte. Occumbebat jam Sol juſtitiæ, magnaq; nox, ex ejus orbitate mundo univerſo incumbebat: igitur volente Filio, luna ſuccedit, ut præſit huic nocti: curæ & patrocinio MARIÆ committitur Eccleſia, & mundus univerſus, diciturq; illi. *Ecce Filius tuus.*

9. Non, ait Chriſtus Matri ecce ſervus tuus, vel hæreditas tua. Etenim ex horâ illâ, quâ MARIA cæpit, vel in mundo inter creaturas, vel Mater Dei exiſtere: jam totus mundus ſervus ejus, & hæreditas ejus erat. Ait ergo Filius ad illam. *Ecce Filius tuus.* quia uſq; adhuc nō erat mundus MARIÆ filius: ex tunc autem & ille cæpit filius eſſe MARIÆ, & MARIA cæpit eſſe viciſſim mundi Ma-
Eccl: 24. 24. ter: *Mater inquam pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & ſanctæ ſpei.*

PARAGRAPHVS CXIV.

JESVS diſcipulo MARIAM dat in matrem: & ille accipit eam in ſua.

Gen:48.22. *En ego morior, do tibi partem unam extra fratres tuos: quam acquiſivi.*

STROMATA

A 1. CHRISTUS poſtquam tradidit Matri ſuæ Ioannem in Filium: eumq; Maternæ illius charitati commendavit: ſimulq; orbitati ejus ab omnibus ſubſidiis deſtitutæ proſpexit, ac demum etiam filiali pietati ſuæ erga Matrem ſatisfecit: converſo vultu, & obtutu, & ſermone ad diſcipulum Ioannem. Matrem illi ſuam viciſſim commendat: & eo quidem tum cordis affectu, tum verborum apparatu, ut magis efficacem cōmendationem videatur non potuiſſe reperire Incarnata Sapientia. Quid enim addi poteſt ad Ioannem permovendum efficaciùs, ut toto cordis affectu, in obſequium, & amorem MARIÆ incumbat: quàm hoc quod defacto audit à
B Chriſto dictum. Ecce Mater tua. Eſt quidem hiſce verbis ita honoratus, ita ditatus, ita communitus, ita dilectus Ioannes à Chriſto: ut pro eo tempore amplius non potuerit, quippe qui id quod Chriſtus pretioſiſſimum in mundo habuit, Matrem ſcilicet, Maternumquè affectum, ab eo jure teſtamentario, & hæreditario acceperit: tamen etiam ſimul eſt à Chriſto ad obſequium, amorem, curamq; Virginis Matris ita obſtrictus & obligatus, ut magis obſtringi non potuerit. Filialem enim fidem, pietatem, reverentiam, dilectionem, quâ ipſe Chriſtus obligatus Matri erat, in Ioannem extunc transtulit ac transfudit: non aliter omnino, quàm ſi ipſe Ioan-
C nes, naturâ Filius Virginis MARIÆ, alterq; veluti Chriſtus JESUS eſſet. Ad quod, neſcio an non aliquis attendens eruditorum, auſus eſt affirmare, his Chriſti Domini ad Matrem Ioannemq; verbis: phyſicè Ioannem effectum eſſe Filium Virginis, concurrentibus ad hunc effectum inſtrumentaliter verbis Chriſti prout fit in Sacramentis: ita ut realis etiam relatio Matris ac Filii reſultarit inter MARIAM & Ioannem. Quem quidem ſenſum aliis expendendum relinquo, ad meum propoſitum revertor, & dico: Ioanni ſummam à Chriſto Domino ſicut exhibitam gratiam, ita & inductam neceſſitatem amandi, obſequendiq; MARIÆ, in Matrem ſibi datæ. Quid enim obligationis non accepit, quando
D filius MARIÆ factus eſt? quando MARIAM in Matrem accepit? Sanè hunc obligationis omnimodæ cumulum, ipſe Ioannes expreſſiſſe videtur: quando mox rela-

Digitized by Google

mox relatis Chriſti ad ſe verbis de ſemetipſo, deq; ſui erga MARIAM ſpeciali & inſolitâ immutatione ſubjecit dicens. *Et ex illâ horâ accepit eam diſcipulus in ſua*: quod certé non dixiſſet, niſi inſignem, magnam, extraordinariam ſibi inductam obligationem, & inditam affectionem, agnoviſſet. Quamvis enim per hæc verba poſſet promptum ſtudium, obediendi, & ſatisfaciendi, ultimæ Domini ac Magiſtri ſui, voluntati, Ioannes videri explicare voluiſſe: hæc tamen explicatiò non explet omnem hujus dicti amplitudinem, ſed aliquid amplius præterea in eò deliteſcere, ab Ioanneq; indicatum eſſe, cuilibet expendenti diligentiùs manifeſtum eſſe puto.

Ioan: 19 27.

A

2. *Ecce Mater tua.* Hæc verba non ſine juſtiſſimis cauſis, Chriſtùs Ioanni dixit, per eaq; Matrem ſuam, illi non tantùm commendavit, ſed etiam in Matrem tradidit. *Primum* enim: ſuum illum peculiarem affectum, quem erga Ioannem cum ſemper alias, tum jam ingruente, & currente Paſſione ſuâ habebat: ultimò & finaliter teſtatus eſt. Quem enim nuper ſuum ſupra pectus recumbentem habere & voluit Mater ac nutrix tenerum infantem, Materno planè affectu ſuſtinere; lacteq; pietatis ſuâ, ac Sapientiæ, præ omnibus Apoſtolis inebriare voluit: nihil ſanè ſupererat aliud, quàm ut eundem Matri ſuæ in Filium, eamq; illi in Matrem attribueret, ſuiq; in eum amoris continuationem MARIÆ Matri conſignaret, & veluti de manu in manum traderet?

B

Deinde: rependit fidei, conſtantiæ, amoriq; Ioannis erga ſe, per totam Paſſionem, ac inprimis nunc in monte Calvario, per tantam cruci ſuæ approximationem ſatis teſtatum; rependit inquam condignum præmium; dando illi Matrem pro ſeipſo: cui tunc non poterat dare ſemet ipſum, licet aliter pro eo impenderet etiam ſe ipſum?

C

Tertio. Ioannes unus erat ſoluſq; qui MARIÆ Matri ſuæ comes adeſſe non timuit nec erubuit, filium in crucis ignominiâ & dolore habenti amittentique: hoc Chriſtus pietati Ioannis obſequioq; erga Matrem ſuam imputans, non aliter remunerandum putavit, quàm illius ipſius Matris in Matrem donatione atq; ceſſione: ut qui cum ſuâ Matre cruci ſuæ adſtare, dolorumq; & probrorum ejus propter ſe, & ex ſe, in eam redundantium, particeps & comes eſſe non dubitavit: acciperet in præmium Matrem à Filio, efficereturq; ex diſcipulò Filii, ipſe filius, & ex ſervo ac comite Matris Domini ſui evaderet poſſeſſor & hæres, & filius Matris ejuſdem Domini ſui.

D

Quarto. Solus in illâ tam acerbâ horâ Domini, ſolus inquam Ioannes ſe profitebatur diſcipulum, & ſectatorem Domini ſui; nihil intereà metuens, ne ad judices, pontificeſq;, tanquam complex ſupplicio affecti Chriſti raperetur: eapropter etiam Dominus ſolius illius ſollicitum ſe oſtendit, eumq; eo munere dotavit & vallavit, & communivit, (MARIÆ ſcilicet Matris amore, curâ, poſſeſſione, meritis) quo non tantùm ditiſſimus ac feliciſſimus, ſed etiam ſecuriſſimus eſſet. Præpoſitus inſuper omnibus aliis, qui tunc erant, fidelibus atq; diſcipulis.

Quinto. Aderat Ioannes crucifixo Chriſto: ſtabat cum MARIA, Matre Domini juxta crucem: neq; poterat aut Chriſtum ipſum, aut ejus Matrem ullo ampliori obſequio amoris, fidelitatisve ſuæ indice mereri: ideò à Chriſto Domino, etiam tali eſt honorario de cruce decoratus: præ quo nullum inſignius optare; aut ſperare, aut accipere potuit. Quid enim aliud crucifixus JESUS, crucis ſuæ teſti, crucis amico, crucis participi offerret in præmium, quàm Matrē crucifixi? quid item ipſa Mater Ioanni amplius offerret: quàm ut ipſa in ejus Matrem cederet, Ioannemq; ipſum in filium aſſumeret? quid deniq; Ioannes ipſe à Chriſto crucifixò, ab ejuſq; Matre vel ſperaret, vel referret ſingularius, quàm ipſam crucifixi Matrem? Dignum certè & unicum, adhærentium Chriſto crucifixo præmium. Mater ipſius crucifixi.

Sexto. Dat Matrem ſuam Ioanni Chriſtus in Matrem ipſius. non tantùm in ſolatium & ſubſidium Matris: nam hoc potuiſſet MARIA habere, ab Ioanne, etſi tantùm in Dominam & heram illi fuiſſet tradita, tanquam ſervo & ſubdito: ſed illam dat prorſus in Matrem, cum jure, obligatione, proprietateq; poſſidendi, curandi, honorandi, diligendi; ita ut Ioannes quidem totum ſuum affectum, etiam Chriſto debitum conferret in MARIAM, viciſſimq; MARIA in Ioannem transportaret totum affectum, Filio alioqui (ni mortuus eſſet) debitum: eſſetque MARIA, apud Ioannem quaſi Chriſtus, & Ioannes apud MARIAM ſimiliter, ſicque neuter Chriſto careret.

Septimo. Dat Chriſtus Joanni MARIAM in Matrem tanquam Virgini Virginem: quia enim nullum in mundo JE-

Digitized by Google

SUS habebat locum, vel hominem magìs idoneum: cui MARIÆ Virginis ſimulq; Matris ſuæ, theſaurum & pignus committeret, præter Ioannem, qui ipſe ſpeciali Virginitatis prærogativâ (forſan poſt Chriſtum & MARIAM maximâ) fuit inſignitus: idcirco unus ſoluſq; ille delectus fuit à Chriſto, qui theſaurum hunc cuſtodiret, & poſſideret, ejuſque poſſeſſione cum in omni alio bono, tum potiſſimùm in Virginitatis puritatiſq; dote ac excellentiâ proficeret. Deniq; Virginem JESUM Filium, nemo melius, plenius, integrius, MARIÆ Virgini Matri referebat & repræſentabat quàm Virgo Ioannes diſcipulus dilectus JESU. ideò condigniſſimè accepit MARIAM in Matrem ſuam, ab ipſo Domino JESU. Revera enim etſi omnibus in virtutibus debemus imitari JESUM & MARIAM: in nullâ tamen plus, quam in imitatione puritatis Virgineæ poſſumus, tam JESU, quam MARIÆ, referreq; tam JESUM quàm MARIAM.

Octavo. JESUS Joannem videbat, dum ſuæ cruci adſtaret, per omnia deſolatiſſimum: nec ullum in hac vitâ, poſt mortem ſuam, habiturum ſolatium: niſi ipſi à ſe aliquo modo fuiſſet proviſum: quod ita videtur poſſe demonſtrari Pendente enim in cruce Chriſto, nullus illi adfuit, præter quatuor perſonas: ſcilicet, *præter Matrem, Magdalenam, MARIAM Cleophæ, & Ioannem.* harum perſonarum duæ mediæ, etiam ſi Chriſto per mortem, privatæ eſſent, habituræ tamen erant ſuum in hac vitâ ſolatium: Habebat enim *Magdalena præter opes ſuas,* & caſtella, *Lazarum fratrem,* ſororem *Martham. MARIA Cleophæ* habebat virum, & filios, & facultates ſeu opes ſuas: proinde his mori Chriſtum, non erat extrema calamitas: at verò extremæ duæ perſonæ Mater ſcilicet JESU, & Ioannes diſcipulus, ita erant conſtitutæ, ut mortuo ipſis JESU: nihil illis reliquum eſſet ſuper terram, vel poſſeſſionis, vel ſolatii, vel ſubſidii. Nam Mater præter filium, poſſidebat nihil: & Ioannes relictis omnibus, ſecutus erat Dominum: quem morientem, erat perinde ac Mater amiſſurus. Huic tam extremæ orbitati, atq; ab omnibus rebus hujus mundi nuditati: ita providit moriens JESUS, ut MARIÆ Ioannem in Filium: Ioanni MARIAM in Matrem traderet; ſicq; uterq; & deſolatus non eſſet: & quod à Chriſto amantiſſimum habere poterat obtineret.

Nono. Quia Ioannes tunc temporis erat Filius dolorum JESU: dedit illi etiam Matrem ſuam, Matrem ſcilicet dolorum: ut etiam Filius dolorum ejus eſſet. vel certè. Ioannes jam erat Chriſto patienti Filius doloris: & Bennoni: dat illum Matri, illiq; Matrem ſuam; ut ſit eidem *Beniamin*: ſeu filius dexteræ, filius conſolationis, obſequii, miniſterii, curæ.

3. *Dicit Ioanni juxta crucem ſuam ſtanti JESUS ecce Mater tua.* Dans illi Matrem ſuam in Matrem ejus. Tria video concurriſſe ad hanc felicitatem Ioannis. 1. Diſcipulus erat quem diligebat JESUS. 2. Virgo erat. 3. Iuxta crucem ſtabat: & tam Chriſto, quàm Matri comes aderat. Sanè vix alia ratio eſt commodior à Chriſto MARIAM in Matrem obtinendi: quàm iſta triplex. Nemini JESUS Matrem ſuam largitur, quam quem ſpeciali amore complectitur, qui puritatem mentis integritatemq; corporis ſectatur: & qui crucem Domini profitetur. Fruſtra aliæ ad exambiendum Virginis MARIÆ Maternum affectum ineuntur viæ: ſi fuerint ab his ſeparatæ.

4. *JESUS de Cruce, Ioanni ſtanti ſub cruce, MARIAM in Matrem largitur.* Aſſumebat ſcilicet Ioannes onus, viribus ſuis majus, opus habebat ad ſupportandum auxilio: & erat in promptu Mater; & ipſa ſub cruce: ad hoc utiq;, ut ſi quis crucis Filii particeps, bajulus, profeſſor eſſe vellet, ad auxilium ipſi ferendum, in promptu eſſet: itaq; ne fatiſcat Ioannes, MARIA illi in ſubſidium datur. O verè crux Chriſti ſine ſubſidio MARIÆ importabilis eſt: cum ejus ope, onus leve, jugum ſuave eſt.

5. Quondam Ioannes cum fratre ambiens dexteram, & ſiniſtram in Regno Chriſti, adhibuerat Matris ſuæ preces ad Chriſtum, quæſiverat autem Dominus *utrum poſſent bibere calicem, quem ipſe bibiturus eſſet*: atq; illi reſponderant ſe *poſſe.* Matt. 20. 22. Præſtitit Ioannes in præſenti quod dixerat, & adſtitit cruci JESU: minimè tergiverſaturus crucis calicem, non tantùm compaſſione, ſed etiam Paſſione ipſâ ebibere. Si ita tunc Domino aſſociari in eo bibendo placuiſſet. Promptitudinem hanc Ioannis ad calicem crucis ſorbendum, condire voluit Dominus, Matris ſuæ propriæ ſocietate. Ut qui per ſuam Matrem regni ſocietatem, apud Chriſtum ambiverat, is per Domini Matrem crucis conſortium obtineret, calicemq; Paſſionis, materno illius affectu dulcoratum haberet, ſuaviuſq; biberet.

6. Dat Do-

6. *Dat Dominus Ioanni Virginem MARIAM in Matrem, & in Ioanne omnibus ſuis fidelibus.* Omnibus nobis dictum eſt, quod unus pro omnibus Ioannes audivit. Ecce mater tua: omnibus tunc jus illud collatum eſt, quod Ioannes pro omnibus adiit, & manu tenuit: ſed ſunt aliqua requiſita: ac primum ut prope crucem ſimus, deinde ut juxta crucem ſtemus: non ſomnolenter jaceamus, non pigrè & otiosè ſedeamus, ſed viriliter, robuſtè, conſtanter ſtemus: deniq; ut ex hac horâ MARIAM Domini Matrem in noſtra accipiamus. Quomodo Ioannes ex illâ horâ, accepit eam in ſua. Quid eſt accepiſſe *MARIAM in ſua?* quid accipere illam in noſtra? Breviter quantum aſſequi poſſum dico Se & ſua omnia, Matris facere. Matrem & ejus omnia ſua, ſeu noſtra facere. Nihil ſit noſtrum nihil ſit in nobis, quod MARIÆ non ſit, nihil in MARIA, nihil MARIÆ quod noſtrum non ſit: Quidquid MARIA eſt, quidquid habet, noſtrum eſto amore, æſtimatione, poſſeſſione, imitatione, hæreditate, gratulatione, prædicatione, communicatione, invocatione, fiduciâ, adhæſione, gratiarum actione. Noſtra ſit ejus Virginitas, ejus humilitas, ejus modeſtia, ejus patientia, ejus reſignatio, ejus merita, ejus dignitas, ejus gloria, ejus Filius, ejus maternitas, ejus poteſtas, ejus miſericordia, ejus bonitas, ejus liberalitas, ejus protectio, ejus charitas. Et viciſſim quidquid unuſquiſque noſtrûm eſt habet, poteſt, debet, vult, totum ſit MARIÆ: totum accipiat MARIA in ſua, in omnia accipiatur, in omnia jus habeat MARIA, jus detur MARIÆ, tanquam in ſua. MARIA ſit Hera nos mancipia. MARIA ſit Mater nos Filii, MARIA ſit hæres, nos hæreditas. MARIA ſit hæreditas, nos hæredes. MARIA ſit Sponſa, nos ſponſi. Noſtra Anima, Corpus, perſona, vires corporis, & animæ, memoria, intellectus, voluntas, judicium, phantaſia, ſenſus, affectus, labores, cogitatus, locutiones, actiones, paſſiones, poſſeſſiones, bona animi, corporis, & fortunæ, neceſſitates, miſeriæ, pericula, tentationes, vita, ſanguis, valetudo, curæ, ſtudia, ſcientiæ, conſilia, ſtatus, munia, & officia, virtutes, dona, profectus, merita, beatitudo: Atomi deniq; omnes noſtri. Sint MARIÆ proprietas, ſint MARIÆ poſſeſſio, ſint MARIÆ peculium, & hæreditas. Poſt Deum, illa primum, illa plenum, illa totum jus, ad nos, & in nos, & in noſtra omnia, ac ſingula, plenè, immutatè, æternaliter poſſideat, radiceſq; in nobis mittat, quæ nunquam emoriantur, areſcant nunquam, eradicentur nunquam. Ad hoc propoſitum A faciunt ſeptem devotæ, nec minùs proficuæ conſiderationes, quas piiſſimus author, teſtatiſſimusq; Virginis Dei Matris amator, in ſuo molis quidem, minimæ, ſed utilitatis maximæ hortulo Mariano conſevit: quibus præſentem hanc meam ſcriptionis partem, & illuſtriorem, & dulciorem reddi ex animo cupio, proinde illas ad verbum inſero. Ille igitur quotidianam renovationem amoris, ac devotionis in Deiparam ſuadens, hæc tria capita proponit. *Primo* ſepoſitis tantiſper aliis negotiis: & ad te reflexus contemplaberis Sanctum Ioannem ſtantem, cum Beatâ Virgine, ad crucem Domini, & auditis his Chriſti verbis. (Ecce Mater tua) adimplentem id, B quod de ipſo ſcriptum eſt. (Et ex illâ horâ, accepit eam diſcipulus in ſua) *Secundo*: urge te ipſum ad imitationem Sancti Ioannis, & ad renovandum ex hac horâ affectum tuum in Virginem, aliquantum expendens hæc verba. (Ex hac horâ) juxta ſequentes ſeptem conſiderationes, quarum primam diei Dominicæ: reliquas aliis diebus, ordine aſſignabis.

Franc: de La Croix Hortul: Mariano cap. 3. articula 2.

Die Dominico. Ex hac horâ. quâ tam multi ſeſe filiali affectu ipſi devovent, tum in cœlo, tum in terrâ ejus laudes concinunt, vel aliquod ipſi obſequium præſtant. Ingere te in mediam illorum turbam: & mirum eſt ſi glacies tuæ tepiditatis non reſolvatur ab iſtis ignibus. C O ardores Seraphicos! ô affectus omnium Sanctorum erga MARIAM? ubi ubi eſtis? cur vel unam ſcintillam, non immittitis in nos, qui tam frigidi, tam tepidi, tam negligentes ſumus in Virgine colendâ.

Feria ſecunda. Ex hac horâ. ante quam horam nunquam fortè ſerviviſti Beatæ Virgini ſicut debuiſti. DEUS Bone: tali Reginæ, tantæ benefactrici, tot acceptis ab eâ per ſingula momenta beneficiis, nihil hactenus rependiſſe? è tot horis, quibus vixiſti, ne unam, ne unicam horulam perfectè, in obſequium tam dilectæ Matris impendiſſe? quid torpes? quid differs? quin ſaltem modo? quin hanc ipſam horam, illi offers, & conſecras.

D *Feria Tertia.* Ex hac horâ. Quâ tam multi pereunt, defectu amoris & recurſûs ad ipſam. Mille & mille forſan, in agone extremo conſtituti: hoc ipſo momento

Digitized by Google

mento ſiſtendi ſunt Chriſto judici, & ab eo in æternum damnandi: qui ſi vel ſemel, cum ſincero affectu Virginem inclamarent, ejus auxilio ſalvarentur. A Quantum hoc eſt, æternum perire, æternum uri? & quantulum eſt, MARIAM implorare, amare, colere? Hoc nunc præſta, ut illud evites.

Feria Quarta. Ex hac horâ. Quâ te inermem & nudum, hinc potentiſſimi hoſtes Diabolus, Mundus, Caro perſequuntur: illinc juſtitia Divina ad ſupplicium peccatis debitum depoſcit: tentationi ſuccumbes, fies præda; niſi tibi Beata Virgo ſuppetias ferat, niſi pro te intercedat. Quisquis hæc legis, ſi lethali peccato oneratam geris conſcientiam attende precor hunc miſerum ſtatum tuum. Ejectus è Paterno Dei adjutorio, in quo, ante peccatum cum eſſes in ſtatu gratiæ, velut Rex degebas, B omnium virtutum & meritorum, ornamentis ſpoliatus, beſtiæ ſimilior quàm homini, alter Nabuchodonoſor, in deſertò peccatorum, inter immaniſſimas belluas continuò pavens deplorantibus calamitatem tuam Angelis, & præſertim tuo cuſtode (ejus conſiliis auſcultaſſes non jam tot in miſeriis gemeres infelix) continuis conſcientiæ flagellis atrociter cæſus, ſolus derelictus ab omnibus, judici terribiliſſimo fortè cras, fortè hodie, fortè hac horâ ſiſtendus vivis, & potes vivere? Ecce tibi MARIA aſylum miſerorum expanſis ulnis, immunitatem, ſecuritatem, pacem offert. quin ad eam confugis?

Feria Quinta. Ex hac horâ. Quâ tam multi Idololatræ Hæretici, Blaſphemi, C ſacrilegi, innumeris modis, Beatæ Virginis nomen proſcindunt, imagines conculcant, cultum abominantur, Tu Matri tuæ, tot illatas injurias negligens nô compenſabis eò ferventius hac ipſâ horâ eam amando, honorando, colendo; præſertim cum & Angelus tuus Cuſtos, & Angeli Cuſtodes illorum blaſphemorum, id à te depoſcant, & expectent.

Feria Sexta. Ex hac horâ. Quâ Chriſtus tantopere deſiderat, ut colas Matrem ſuam. Petenti Chriſto in mediis tormentis unum hoc à te ſolatium, ut Matrem ſuam, tu deinceps haberes, in Matrem, eamq; coleres, procul dubio annuiſſes: quod tunc petiit à Ioanne, & à te petiit, & modo hac ipſâ horâ petit, & non annuis? D quàm ultro maximè deberes, nunc non coles perfectiſſimè ab ipſo tali tempore, iſtis verbis rogatus?

Die Sabbathi. Ex hac horâ. Quâ ipſamet Beata Virgo tui peramanter meminit: rerum tuarum ſatagens, de te loquitur cum Angelo tuo cuſtode, & cum aliis Patronis pro te Filium interpellat: beneficia tibi confert innumera: & talis Matris affectus, tam provida, tam ſedula, tam conſtans tui cura, non transfiget cor tuum, ſaluberrimo & ſuaviſſimo amoris vulnere, ut langueat & liquefiat anima tua illi placendi, & ſerviendi deſiderio. *Tertio* unâ ex his conſiderationibus mente pertractatâ, ſpatio duntaxat (miſerere) cum fervore & propoſito diligentius deinceps Deiparam colendi, recita ſemel Angelicam ſalutationem. vel hanc orationem. Sancta MARIA Mater Dei & Virgo: ego Te ex hac horâ, & in perpetuum, in Dominam, & in Advocatam adſciſcò, & in Matrem, ac in omnia mea accipio. Tu viciſſim me ſuſcipe in clientem perpetuùm, & in filium immeritum: adſis mihi in actionibus meis: nec me deſeras in horâ mortis. Amen. Hucuſq; devotiſſimus ille Virginis Cultor.

7. *Ait ad diſcipulum in Cruce pendens Dominus. Ecce Mater tua.* Inquiri poteſt cur Dominus Ioanni potiùs Matrem commendaverit: quàm Patri ſuo Æterno? certè pro affectu illo, quo matrem proſequebatur: pro illâ curâ, quâ Matri proſpectum cupiebat, pro dignitate Matris ſuæ, quam utiq; nec ignotam, vel vilem habebat: pro indigentiâ, quâ Mater laboratura erat, imò jam laborabat: tam dicebat eam Æterno Patri commendare: quàm ſatis erat eam Ioanni committere: tunc utiq; condignè Mater Dei pro Filio Deo: Deum Patrem accepiſſet: quæ Filium Zebedæi accipiens, nihil condignum recepit. Neq; ſufficit dicere: Matrem ſatis fuiſſe commendatam per ſe ſe Patri æterno, ideoq; commendatione aliâ non eguiſſe: nam opponi poteſt, etiam ſpiritum Chriſti, ſeu animam ſatis bene Patri Æterno commendatam fuiſſe: & tamen certum eſt eandem à Chriſto, in manus Patris conſignatam eſſe. Arbitror Dominum noſtrum, ſine dubio Matrem ſuam, æterno Patri, ſicut commendaſſe corde; ita & commendaturum fuiſſe ore: niſi eam commendari Ioanni expediviſſet: tum Patris Æterni in Virginem liberalitati; tum filii ipſius affectui; tum ipſiusmet Matris dignitati, tum Ioannis merito, tum deniq; omnium noſtrûm indigentiæ. Ac Patris quidem Æterni in Virginem MARIAM liberalitati conſulebatur hac

Digitized by Google

tur hac commendatione: quia enim ille unicum ſuum Filium, ſibi conſubſtantialem communicârat cum Virgine, faciens illam ſimiliter conſubſtantialem ei Matrem ſecumq; illius comparentem: ita ut cujus ille eſſet Pater ab æterno, ſine Matre ſecundùm dignitatem: ſic illa ejuſdem fieret Mater in tempore, ſine Patre ſecundùm humanitatem: pertinebat ad liberalitatem Æterni Patris in Virginem complendam: ut alteram quoq; cum eâ partiretur Paternitatem ſuam: myſticam nempe: admittendo eam ad participationem conſortiumque aliorum Filiorum, hoc eſt creaturarum omnium: quæ illi potiſſimùm dicunt

Matt:6. 9. aſſiduè *Pater noſter qui es in cœlis.* & eædem etiam illi perpetuò dicant. Ave MARIA gratiâ plena: vel Mater noſtra. Jam verò Filii quoq; ipſius affectui, hæc MARIÆ in Matrem traditio competebat. Nam cum Filius omnia prorſus effudiſſet propter nos, & in nos, etiam ipſam animam, vitam, ſanguinem, corpus, adeò ut nihil illi reliquum fuerit, præter MARIAM fontem Humanitatis, vitæ, corporis, & ſanguinis ſui: ne quid ſuo in nos amori non eſſet indultum, ac impenſum ne qua vel particula, vel origo ipſa Humanitatis, ſanguinis, vitæq; ſuæ, ad noſtram Redemptionem, ad ſuam verò charitatem, deſideraretur: dedit MARIAM nobis in Matrem: ut non tantùm affectus ſed etiam ipſa ſubſtantia Matris ab illo in nos, juſq; noſtrum tranſiret. *Maximè quòd* eadem Mater peculiari quodam, id eſt materno ſuo jure, erat prima præcipuaq; hæres, non tantùm redemptionis ſuæ, & meritorum, quòad affectum, ſed etiam dolorum & Paſſionum ſuarum quòad cauſalitatem; & perceptionem: in nulla enim creatura tantum doloris redundavit, ex Paſſione Chriſti, quantum in MARIAM: ut ergo etiam illa tota noſtra eſſet, dedit nobis in Ioanne Matrem, & cum eâ omnem illius compaſſionem, & veluti alteram ſuam Paſſionem. Ad quod indicandum uſus eſt voce Matris ad Ioannẽ: non autem MARIÆ, vel mulieris, ut radicem originemq; doni & donationis ſuæ indicaret, ipſam ſcilicet Maternitatem. Præterea intererat MARIÆ dignitatis: niſi enim MARIA data & facta fuiſſet, nobis in Matrem, quodam modo non fuiſſet perfecta, & plena Dei Filii Mater. Cum enim Chriſtus ſit Filius Dei, non tantùm ratione Humanitatis ſuæ ut unitæ Divinitati, perſonæque Filii Dei, ſed etiam ratione corporis myſtici (omnium ſcilicet noſtrûm) cujus corporis ille eſt caput. Caput verò ipſius eſt Deus: à quo & adoptamur per Chriſtum in filios: ſi MARIA tantùm

A ſecundùm Corpus Chriſti reale & Phyſicum, Mater ejus fuiſſet, ſecundùm corpus verò myſticum & morale non fuiſſet, imperfecta Mater Chriſti Filii Dei fuiſſet: & non modica portio Maternitatis & conſequenter Dignitatis illi defuiſſet. Par igitur erat dici ad nos de illa ecce Mater tua: ut illa utriuſq; corporis Chriſti ratione Mater ejus eſſet. Maximè quando illa priorem Maternitatem videtur aſſecuta; non merè propter ipſam ſolam: ſed etiam peculiari (imò forſitan principali) reſpectu, propter hanc poſteriorem: ſi nimirum Chriſtus non veniſſet in carne, niſi Adam peccâſſet, ita ut illa ſuo modo peccatoribus ſeu peccatorum Maternitati

B debeat Maternitatem Dei: propter quod illi occinitur, tam piè, quàm verè: Peccatores non abhorres. Sine quibus nunquam fores: vocatur etiam Mater & refugium peccatorum &c. Inſuper & merito Ioannis congruebat MARIAM Matrem habere ſeu accipere: non tantùm quia ſpecialis prærogativa Virginitatis eum faciebat hoc munere dignum: ſed etiam quia, in tam difficili periculoſoq; tempore, adhæſit conſtanter, ac planè filialiter tum Chriſto patienti, tum Matri ejus compatienti: itaq; merebatur ut moriente Chriſto, ille locum & vicem ejus obtineret, ac ſuppleret: non jam famuli aut ſubditi, aut amici affectu, ſed prorſus filii munere ac jure:

C qui enim omnes amicos & notos ſuperabat in fidelitatis conſtantiâ, meritò debeat omnes etiam excellere in filialis amoris & juris præſtantiâ & prærogativâ. Deniq; noſtrûm omnium indigentiæ, ſolatio, commodo, ornamento id neceſſarium erat: ut MARIA Mater noſtra eſſet, noſtra inquam: & qui in cœlis, & qui in terris, & qui in inferis: Noſtra, qui fuimus, & qui ſumus, & qui futuri ſumus. Etſi enim abundanter potuit nobis prodeſſe MARIÆ patrocinium atq; præſidium, ſi vel nos ad illam confugeremus, tanquam ad Dei, Dominiq; noſtri Matrem, tanquam mancipia ad Dominam noſtram: tanquam clientes ad Patronam; tanquam ſubditi ad

D Reginam &c. vel illa nos protegeret proq; nobis intercederet ad filium, tanquam ejus quidem Mater, noſtra autem Domina. tamen longè amplius ineſt ponderis, & efficacitatis, tum in noſtro

Digitized by Google

ad MARIAM recurſu; tum in ejus pro nobis, ad Deum Filium interceſſu: ſi & recurrimus nos ad illam, tanquam filii ad Matrem noſtram: & illa adeſt nobis, protegitq; nos, tanquam Mater filios ſuos. Iam nunc illi, etiam pro peſſimis, ingratiſſimis, indigniſſimis nobis, intercedenti obſtrepere, nemo quidquam poteſt, nemo dignitatem ejus in obſtaculum adducere, quo minùs pro nobis abjectiſſimis licet, improbiſſimisq; ſatagat: quia unico Matris nomine & illa defenditur, & nos excuſamur: quoniam illo unico noſtræ Matris nomine, illo unico, illius nobis in Matrem datæ jure, & ipſa quodam modo adigitur protegere nos: alioqui peccatura in jus ſuum maternum: affectumq; nobis quantumlibet indignis, attamen etiam ſic filiis debitum, & nos audire atq; adeò præſumere jubemur: quia Matrem habemus: quia filiorum apud Matrem jure utimur: quod neq; Mater exuere poteſt; neq; filii eodem carere poſſunt: adeoq; neq; nos repellere Mater poteſt, quia Mater eſt, neq; nos repelli poſſumus, quia filii ſumus: ſed neque illa pro nobis laborans repelli poteſt: quia pro filiis Mater, & quia apud filium Mater, laborat. Gaudeat itaq; univerſitas rerum, quando audit à Chriſto dictum. Ecce Mater tua. atq; ex illâ horâ accipiat illam unusquisq; in ſua:

8. *Dixit Dominus Ioanni. Ecce Mater tua: & ex illa hora, accepit eam diſcipulus in ſua.* In his & Domini ad Ioannem, & Ioannis de ſe ipſo verbis, plus latet, quàm patet: verborum contextus planus, ſimplex eſt, ſed ſenſus profundus, & multiplex. Satisfacit Dominus ſuæ, in Matrē filiali pietati: providet illius ſolatio & ſubſidio: rependit vicem gratitudinis, impendenti beneficium compaſſionis: afflictam ſuo ſupplicio, recreat, dato in filium diſcipulo: vera ſunt hæc, & plana omnia: rurſus diſcipulus dilectus, Virginitate aſſimſlatus, experimento cō-paſſionis in tempore paſſionis probatus: chariſſimo & pretioſiſſimo pignore donatur, Matri in filium planè ac ſi quoq; vel ipſe, vel alter Chriſtus eſſet conſignatur, Matreq; tanquam ſuâ, imò jam ſuâ gaudere, & frui jubetur: ad amorem, ad curam, ad miniſterium, ad venerationem Matris, imperio Domini & Magiſtri, ſimul munere Filii adſtringitur: neque deeſt officio Ioannes: non differt in moras: non cauſatur difficultates: non objicit pauperiem; non indignitatem prætendit, non excutit onus curarum, ſibi minimè uſu cognitarum: illico ex illâ horâ accipit eam in ſua: quid his quoq; vel certius vel apertius? Ecquid eſt quod in profundo latet? Hoc A ni fallor. Dominus Ioanni affectum filialem in Matrem ſuam impertitur: & Ioannes eundem ſtatim ex illâ horâ perceptum exequitur. Quid hic (dicet aliquis) arcani? Dico, Ioannem ex illâ horâ, magis factum filium MARIÆ, quàm fuit filius Matris ſuæ propriæ. dico iterum: Ioannem magis filiali proſecutum, & affectu, & obſequio, Matrem jam ſuam MARIAM, quàm ſit proſecutus Matrem ſuam: vel quàm proſecutus fuiſſet, ſi naturali ordine Matrem ſortitus fuiſſet MARIAM: dico præterea: præſtantiori & ſublimiori genere modoque, & Ioannem fuiſſe filium MARIÆ, MARIAM Matrem Ioannis: affectumq; excelſioris ordinis inter utrumq; fuiſſe B mutuum, quàm inter Matrem & filium naturaliter genitum, eſſe aut poteſt, aut ſolet. Totum hoc ita declarare, poſſe videor. Certum eſt MARIAM, datam in Matrem Ioanni, & Ioannem MARIÆ in filium: & MARIAM acceptam ab Ioanne in ſua: & Ioannem acceptum à MARIA in ſua: neq; enim minus obedivit MARIA voci filii, quàm obedivit Ioannes, voci ejuſdem in illâ horâ. Certum etiam eſt, in hac Maternitate, & filiatione, voce poteſtateq; Chriſti tranſactâ nihil naturale interceſſiſſe: & tamen certum eſt aliquid interceſſiſſe: quo & illa Mater Ioannis: & Ioannes Filius MARIÆ efficeretur: neq; enim arbitrari debemus vocem Chriſti Domini, C ſemper alias efficacem, imò omnipotentem, tunc ſterilem fuiſſe. Omnino qui dixit: & facta ſunt, qui mandavit, & creata ſunt omnia: idem etiam dixit: Ecce filius tuus. Ecce Mater tua: fieri debuerunt, *Pſ. 148. 5.* imò facta ſunt omnia & ille ſcilicet filius hujus, & iſta Mater illius. Facta autem ſunt, non miniſterio naturæ, ſed efficacitate gratiæ: potentiâ creatoris, non adminiculo ſanguinis. Gratia fecit ut MARIA eſſet Mater Ioannis: Gratia fecit, ut Ioannes eſſet filius MARIÆ: niſi quis dubitet, tunc, quando JESUS dicebat Matri, *Ecce Filius tuus* deinde diſcipulo. *Ecce Mater tua*: neutrum illorum dilexiſſe, neutri hæc ex amore, atq; gratiâ in utrumq; dixiſſe: de hoc ſi quis dubitat, aſſignet jam quo D ſpiritu quoq; affectu hæc dixerit Dominus: ſed enim confingi nihil poteſt, excludi hinc gratia nullo modo poteſt. Certum igitur erit MARIAM factam Matrem Io-

trem Io-

trem Ioannis, operante & mediante gratiâ. Ioannem quoq; factum Filium MARIÆ adminiſtrante, & obſtetricante gratiâ. Hic jam ſupereſt indagandum: qualis, cujus ordinis, cujus præſtantiæ, cujus efficaciæ fuerit, & Maternitas hæc in MARIA reſpectu Ioannis: & filiatio iſta in Ioanne reſpectu MARIÆ? Rotundè dicam: fuiſſe tam Maternitatem, quàm filiationem ordinis ſupernaturalis, quia effectionis gratiæ. Atqui ſine omni dubio gratia infinitis modis præſtat naturæ, & ordo ſupernaturalis incomparabiliter excellit ordinem naturalem. Igitur ſequitur evidenter, & MARIAM fuiſſe Matrem Ioannis, & Ioannem filium MARIÆ, præſtantiori ſublimioriq; modo, ac ordine, quàm fuiſſent ſi ordine naturæ id fuiſſent: ſequitur quoq; & MARIAM in Ioannem, & Ioannem in MARIAM ſublimiori, præſtantiori, pretioſiori, illa quidem Maternitatis in Ioannẽ, hic verò filiationis affectu in MARIAM fuiſſe, quàm ullà naturalis Mater, in filium, aut filius in Matrem: iſte enim affectus ordinarius eſt, & hominibus cum brutis communis: at ille ſupernaturalis fuit, & ordine gratiæ manavit. Sequitur præterea, majori & ſtrictiori obligatione debuiſſe amare ſeſe invicem MARIAM & Ioannem, quàm ſi naturali ordine Matris filiiq; inter ſe conjuncti fuiſſent. Sequitur adhuc magìs meritoriè, magiſq; fructuosè, amorem mutuum exercitum fuiſſe in ſeſe à MARIA & Ioanne: quàm ab ullis Matribus in Filios, ac à filiis in Matres; unquam exerceri poteſt, quantumlibet ſanctè exerceatur. Sequitur inſuper amorem MARIÆ in Ioannem, & viciſſim ejus in illam, etiam in ordine ſupernaturali, altiorem fuiſſe quodam modo, quàm eſſe ſolet filii Matriſq; piè ſe & ſupernaturali amore amantium: hic enim amor ab intentione tantùm ſupernaturali dignitatem ſupernaturalitatis ſumit: at ille ex radice ipsâ ſupernaturali affectionis ſuæ ſupernaturalitatem ſumebat: quomodo ex dulci fonte dulcis rivus, ex fructiferâ radice, fructuoſus palmes erumpit. Sequitur præterea, quod MARIA Ioannem, ex illâ horâ dilexerit, non præcisè, & non ſolùm tanquam Ioannẽ: ſed ſublimatius, aliquo modo, id eſt, tanquam vice Dei ſuumq; filium, tanquam vice Chriſtum: & viciſſim Ioannes MARIAM non dilexit ſolùm tanquam Domini & Dei ſui Matrem: ſed tanquam ſubſtitutus Chriſti Dei-Hominis: & tanquam ipſe Chriſtus: ita ut

utrinq; videatur fuiſſe amor ſaltem Hyperdulicus vel quòd ei proportionatur: quandoquidem & MARIA amabat Ioannem, plus quàm Ioannem, plus quàm
A filium purum: id eſt tanquam ſupernaturalem filium, & tanquam JESU Chriſti in filiatione ſubſtitutum: & Ioannes MARIAM ſimiliter amavit plus quàm MARIAM ſeu naturalem hominem, plus quàm Matrem ſuam naturalẽ: ſed tanquam Matrem Filii Dei, cujus ipſe hac in parte, ſcilicet, tam in eſſendo, quàm in amando eſſet ſubſtitutus. Ita ergo & MARIA Ioannem, & Ioannes MARIAM ex illâ horâ accepit in ſua. Quodſi ſapientibus hæc mea cogitatio, nec in profundo, nec in verò ſuſtinere videtur: eam & ego inter abjectas eſſe volo: & Arnoldi Carnotenſis pro eâ verba ſubſtituo, ita loquentis. *Vices filii* Tract. de
naturalis, filius accepit adoptivus, & transfun 7. verbis.
B *ditur in miniſterium filialis affectus, formaturq; & firmatur, in ambobus pietatis unica gratus concorsq; complexus: non ex traduce natura, ſed ex munere gratiæ.* addo & Laurentii Iuſtiniani *Ecce Mater tua, ait ad diſcipu-* Triumph.
lum converſus Dominus, hoc eſt, indiſſolubilis Chri: ago-
charitatis fœdere, te illi, & ipſam copulabo tibi nis c. 8.
Ecce Mater tua: illi famulare. illam honora; quidquid exhibebis illi, ſive obſequii, ſive reverentiæ, ſeu injuriæ, adſcribam mihi.

9. *Ecce Mater tua* ait Dominus Ioanni, cui olim dixerat unà cum fratre, calicem meum bibetis. Correxit Dominus ordinem præpoſterum, & reduxit ad debitum. Volebat Ioannes mediante ſuâ Matre conſeſſum dexteræ in Regno: at pro Regni conſortio, accepit conſorti-
C um Crucis in Paſſionis poculo. Ecce jam adſtat cruci, & traditur in filium Matri: & qui aſſidere tantùm Chriſto cupiebat, jam locum & vicem, occupat ipſius Chriſti; accipit Matrem pro cruce, efficitur filius pro Regno. Agnoſcamus Divinæ Sapientiæ arcanæ, qui Regnum cupiit, ad crucem ablegatur: qui cruci adſtitit, Matri, & Matre donatur: efficitur filius & alter Chriſtus: quid hoc Regno majus? aut quod regnum non hac donatione beatius? Adhuc verò advertamus quo progrediendum ſit ordine? 1. ad MARIAM accedendum eſt: deinde cum eâ ad crucem ſtandum: tum demum Regni conſortium expectandum. Quos MARIA ſuſcipit, liberum ad crucem ducit: & in conſpectu
D crucifixi conſtituit, & ad conſortium Paſſionis admitti facit: ac tum demum velut per Regiam portam, ad Regni cœleſtis felicitatem intromittit. Nec il-

 lud omit-

lud omittendum, quin ſæpius inculcandum eſt. Dominus Regnum ſomnianti, crucem occinit. Crucem ambienti, Matrem largitur: & ſimul alterum ſe facit. Tanti intereſt crucis Chriſti vel ipſum votum, quid faciet conſortium?

10. Oblatâ ſibi à Domino Matre: ex illâ horâ accepit illam diſcipulus in ſua. Apparet Ioannem, cum heri ſuper pectus Domini recubuiſſet in cœnâ, inter alia fluenta ſapientiæ cœleſtis, ex arcano Dominici pectoris fonte, potâſſe etiam pretium, & dignitatem Matris Domini: ſive notitiam ejus intimè hauſiſſe. Nam valde hiantem cordis faucem, valde paratam famem poſſidendæ tam pretioſæ poſſeſſionis, ſi modo ſe occaſio daret aliquando. Oblata eſt, & vix Dominus de cruce dixerat. Ecce Mater tua, & mox ex illâ horâ, accepit eam diſcipulus in ſua: accuſari poſſet Ioannes feſtinationis, irreverentiæ, immodeſtiæ: diceret quis recuſare debuiſſe per modeſtiam: indignum ſe dicere, ſufficere ſi ſibi miniſterium Dominæ tantæ concederetur. Matrem eam habere, filium ejus eſſe id verò ſupra meritum ſupra votum, ſupra captum ſuum. Nihil horum Ioannes agitat, nihil intercidere datæ occaſionis, nihil intercedere temporis, aut moræ patitur. Ecce illâ horâ accipit illam in ſua. O deſiderata occaſio! o felix hora! Hæc eſt hora ad votum meum: nihil moror, ex hac horâ occupo quod offertur, accipio quod datur. Vnde tibi id animi mi diſcipule? tam citò excidit tibi fortunæ præteritæ? itane illotis manibus, in fortunam præſentem involas? Vnde hic animus tam animoſus? Vnde fames tam exerta? In pectoris Dominici fonte hoc fluentum hauſi, ibi vidi, ibi imbibi, ibi didici, quàm ſit ambitioſa, quàm ambienda res MARIA. Ab initio & ante ſæcula comparuit in mente Dei: & ecce ex illâ horâ accepit illam Deus in ſua: poſſeditq; eam in initio viarum ſuarum, antequam quidquam faceret. Creata eſt humana natura: vidit eam omnia creans Sapientia: & cognovit etiam in eâ latentem MARIAM: & ex illâ horâ accepit eam Æterna Sapientia in ſua. Lapſus eſt Adam, & totam generis ſui maſſam infelix perdidit: ſed tamen Verbum Æternum, ex illâ horâ, accepit MARIAM in ſua: & labi non permiſit: ſed in teſtamento ſuo ſtare fecit. Concepta eſt in utero Matris ſuæ MARIA: *& ex illâ horâ* accepit eam Dominus in ſua: deſignans eam in Hæreditatem, eligensq; in Matrem ſibi. Aſcendit Dominus meus & Magiſter meus crucem: & ex illâ horâ ſtetit juxta crucem ejus MARIA: accepitq; illam in ſua: inſtituens eam primitias & primogenitam Redemptionis ſuæ. Dicitur mihi à Domino, ecce Mater tua, quidni ergo tantis eruditus exemplis, & ego ex iſtâ horâ accipiam illam in mea? Diſcite & vos filii quotquot eſtis, ſive juſti ſive peccatores, *ex hac horâ* accipere illam in veſtra. Iuſtus eſt quis, accipiat illam ex hac horâ, in ſua. Peccator eſt quis, accipiat illam ex hac horâ in ſua. Tentatur quis, accipiat illam ex hac horâ, in ſua. ubi ubi eſt quicunq; eſt: ex hac horâ accipiat Matrem Domini in ſua. O ſi omnibus quotquot nati ſunt, naſcenturve, liceat ex illâ horâ, quâ veniunt in hunc mundum accipere MARIAM in ſua. Saltem ex hac horâ accipiant illam in ſua: ut inter mortis & judicii decretorii agones ac pericula, in illa inquam ſuper omnes horas timenda hora, inveniant omnes MARIAM inter ſua: inter ſua patrocinia & præſidia: inter ſalutis ſuæ ſpes & vias, inter victoriæ de dæmonibus auſpicia, inter deductrices ad conſpectum gloriæ dexteras.

PARAGRAPHVS CLV.

JESV pendente in Cruce, tenebræ fiunt, per univerſam terram. Matt: 27. 45. Lucæ 23. 44.

In die illâ occidet eis ſol in meridie, & tenebreſcere faciam terram in die luminis. Amos 8.9. *hoc eſt in tempore meridiano, quando præcipuè dies lumine pollet.*

Palpabunt ſicut cæci parietem: & ambulabunt in meridie, ſicut in medio noctis. Iob 5. 14.

Induam cælos tenebris. Iſaiæ 50. 3.

Subijt Sol cum adhuc medius dies eſſet. Hier: 15.9.

Omnia luminaria cæli mærere faciam: & dabo tenebras ſuper terram. Ezech: 32. 8.

STROMATA

1. Pendente in cruce Domino: & jam meridie (hæc eſt enim hora ſexta) decurrente factæ ſunt tenebræ, tribus integris horis: per univerſum mundum, ſeu terram: obſcurato ſole prorſus,

prorſus, non tantùm per lunæ ſubingreſſum, ut fit in Ecclypſi, ſed prorſus per privationem concurſus Divini, qui eſt negatus tunc ſoli, ne luceret etiam iis ſui partibus, quibus à lunâ ſubjectâ impediri radii ejus non poterant: ideoq; non tantùm Ecclypſis ſolis tunc fuit; ſed prorſus ut jam Evangeliſta, *obſcuratus eſt Sol*, & tenebræ Ægyptiacæ, toti mundo incubuerunt, per horas tres. quod non contingit in Ecclypſi ſolis: neq; enim luna, tantum temporis inſumit dum pertranſit ſolem à ſe ecclypſatum, quamobrem etiam ſtellæ apparuerunt illo temporæ. ſicut in ordinariâ nocte ſolent. Hoc prodigium factum eſt adhuc vivente Chriſto, in Cruce: nam alia mortem ejus ſecuta ſunt.

2. In hoc tenebrarum prodigio complura ſimul facta ſunt prodigia naturæ vim curſumq; evincentia 1. Factæ ſunt hæ tenebræ in meridie. 2. Factæ ſunt in plenilunio, quando ſcilicet luna eſt à ſole remotiſſima, & illi per diametrum oppoſita: unde non potuit tunc ſubintrare ſolem: medii namq; cœli ſpatium decurrere ſubitò debuiſſet: quod factum quidem eſt, ſed non naturali vi; verùm extraordinariè ſtupendâ motûs acceleratione. 3. Factæ ſunt tenebræ illæ obſcurato ſole toto: quod per ſolius lunæ interpoſitionem fieri non potuit: ac proinde per negationem miraculoſam, concurſûs Divini, factam ſoli, ne illuminaret mundum. 4. Quia per tres horas duraverunt tenebræ illæ: ad quod luna curſu ſuo non ſuffecit, ut ſupra dixi: proinde ſubſiſtere debuit illo ſpatio, immota. 5. Quia luna contra morem ſuum ſubingreſſa eſt ſolem: non ſcilicet ab Occidente, verſus Orientem pergens, ſolemq; ſubintrans, ſed ab Oriente verſus occidentem, ſeu meridiem. 6. Quia hæc eadem luna non perrexit à meridie in occidentem uti debuerat naturaliter; ſed retrò rediit, unde venerat, ad orientem: ut occidente ſole: ipſa in oriente eſſet, & ſic plenitudinem luminis haberet. 7. Quia hæ tenebræ totum orbem occuparunt ſimul & ſemel, propter rationem dictam, in tertio prodigio, proinde non in ſola Iudæa fuit nox illa, ſed prout loquitur Evangelium per univerſam terram: additq; Lucas adæquatam cauſam, quia ſcilicet obſcuratus eſt Sol. 8. Miraculum ex ſuperioribus naſcens ſtellarum apparitio in meridie. Ex quibus patet, hoc tenebrarum; pendente in cruce Domino, prodigium majus longè fuiſſe, quàm illud Ioſue tempore: *in quo Sol & luna tantùm ſteterunt ſine motu*: nullo alio prodigio facto. [Ioſue 10. 13.] Majus etiam quàm illud Ezechiæ tempore factum, quando *Sol retroceſſit decem lineis*. [Iſaiæ 38. 8.] In hoc enim miraculo præſenti, utrumq; horum reperitur quoniam & luna tribus horis ſub ſole immota ſtetit: & eadem; toto hemiſphærio, iterum à ſole ad locum ſuum, velocitate, quâ venerat ad ſolem denuò retroceſſit. Patet etiam hoc prodigium fuiſſe, efficaciſſimum, & ad demonſtrandam Chriſti Divinitatem ac innocentiam: & ad crucifixorum ejus; malitioſiſſimam confutandam iniquitatem, & ad perſuadendam illis pro tanto Deicidii ſcelere pœnitentiam &c. Sicut de facto hoc prodigio conſpecto Dionyſius Areopagita tunc juvenis, jam tamen eſt extunc diſpoſitus ad Chriſti fidem amplectendam, divinitatemq; agnoſcendam, uti revera deinceps, ad Pauli Apoſtoli prædicationem inſtructus fecit. quod ipſum, (de Dionyſio relatum) oſtendit tenebras has extra Iudæam fuiſſe: atq; ideò ab Areopagitâ Heliopoli in Ægypto conſpectas fuiſſe. Cujus etiam meminit Phlegon Olympiadum ſupputator, in quarto anno Olympiadis 202. relatus ab Euſebio ad annum Chriſti 33. hoc eſt mortis. Qui Phlegon, etiam ſcribit, nunquàm anteà ſimilem ſolis defectionem eveniſſe: ſtellas horâ ſextâ diei, id eſt meridianâ viſas, deniq; terræ motum extitiſſe tunc, nominatim in Bithiniâ, quo motu Nicæna urbs concuſſa ſit: quanquàm hoc de terræ motu referri poſſet, ad eum terræ motum, qui mortem Chiſti ſecutus eſt, de quo Phlegon nihil nôrat, & non multò poſt tenebras accidit. De hoc prodigio Oroſius Hiſtoricus Chriſtianus refert à quodam etiam Anonymo gentili Poeta ſcriptum, & recenſet ejus carmen. Impiaq;; æternam, timuerunt ſæcula, noctem. Et Tertullianus Romanos hortatur ad legendum hoc prodigium in annalibus ſuis. Quæ omnia probant, per univerſum mundum extitiſſe, & notatum fuiſſe, hoc tenebrarum portentum: ac proinde evincunt illud fuiſſe maximum.

3. *Ab horà ſextà uſq; in horam nonam, tenebræ factæ ſunt, per univerſam terram.* Quid ſibi vult hoc tam inſolens ſpectaculum. 1. *An Sol erubuit*; & noluit, & timuit, & horruit; & nequiit ultra ſpectare; tam immane abſurdumq; Deicidii ſcelus: morientem Filium Dei, nudum, cruciq; affixum, & in omnem injuriam, hominum, an ferarum: ſed melius dixerô efferatorum hominum proſtitutum? 2.

ſole, imò mundo Chriſti, mortem deflexi, ſuumq́; ſcelus in deteſtationem vocari, & à naturâ rerum, nec ſpectari, nec ſuſtineri poſſe: tamen minimè oculos aperuerunt ad iſta: ſed in peccato ſuo permanentes, etiam mortui ſunt. Simile exemplum ſpectamus quotidie in Hæreticis omnibus omnium ſectarum: palpant enim quaſi cæci parietem Eccleſiæ Catholicæ, ambulant in meridie lucis, acſi eſſent in medio noctis. Maluntque ſuas tenebras, non tantùm Evangelio, ſed etiam rationi repugnantes: quàm fidei Catholicæ, tum quoad dogmata fidei ſinceritatem; tum quoad perfectionem morum, & virtutum, conſiliorumq́; Evangelicorum, perfectum cultum, teſtatiſſimam ſanctitatem, quâ ſe illi utrâq; deſtitutos vident, & non poſſunt non videre, præ tantâ ejus luce: & tamen ita vivunt, ita errant, ac ſi eſſent in medio noctis. Simile eſt exemplum, B & in Catholicis malis: quibus tanta lux doctrinæ, tanta ejus intimandæ aſſiduitas, tanta exemplorum ſanctitatis copia in oculis poſita: ad videndum, imò ad uniendum rectè, & piè, & juſtè, & ſobriè nihil proficit: ſed ambulant in meridie fidei, & inſtitutionis Chriſtianæ, quaſi eſſent in medio noctis Turcarum, gentiliorumq́; aliorum nati, educati, adulti inſtructi.

10 Nato Chriſto mediâ nocte lux facta eſt. Moriente eodem in meridie, nox facta eſt: nimirum veniente ad Animam Chriſto, lux veritatis & juſtitiæ ſanctificatiſq́; ſimul introit: at verò deſerente Animam Chriſto, poteſtas tenebrarum eam ingreditur; & habitat ibi. C Præſente Chriſto: tenebræ non *obſcurabuntur: & nox ſicut dies illuminabitur*: abſente Chriſto: *Palpabunt ſicut cæci parietem: & ambulabunt in meridie ſicut in medio noctis.* Vnde illi ſapienter Dominum detinebant dicentes. *Mane nobiſcum Domine: quoniam adveſperaſcit, & inclinata eſt dies.* Etenim vix Chriſtus diſceſſum cogitat, & illico tenebræ ad noſtra corda appropinquant: imò ex cordibus noſtris continuò erumpunt. Quid enim ſibi homo eſt ſine Chriſto, niſi dux intenebras, & in præceps, & in mortem?

Pſal: 138. 12. *Iob. 5. 14.* *Luca 24. 29.*

PARAGRAPHVS CLVI.

Matt: 27. 46. Marci 15. 34.

JESVS derelictum ſe á Deo inclamat.

Deus Deus meus, reſpice in me: quare me dereliquiſti. Pſal: 21. 2.

Qui in diebus carnis ſuæ, preces ſupplicationesq́; , ad eum, qui poſſit illum ſalvum facere Hebr: 5. 7. A *à morte, cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus eſt pro ſua reverentia.*

STROMATA

1. INter trium horarum tenebras, Dominus JESUS in Cruce pendens orabat partim in magno ſilentio, partim ſub finem, cum lacrymis, & clamore valido, ad Deum Patrem: & nominatim recitavit Pſalmum vigeſimum primum: qui totus eſt de Chriſto, & clariſſimas plurimaſq́; partes Dominicæ Paſſionis complectitur opportunèq́; illum tunc Patri Dominus recitavit clarâ voce: tum ut affectum orantis in extremâ calamitate, doloreq́; carnis exprimeret; tum ut improbitati Iudaicæ blaſphemanti, & impotentiam Chriſto, ad ſe liberandum, fruſtraneamque in Deum fiduciam exprobranti; hujus Pſalmi recitatione & ad ſuum præſentem ſtatum accuratè ſervientis, accommodatione, prophetiarumque in eo contentarum manifeſtâ, in ſeſe, per ipſorummet miniſterium, adimpletione, os impium obtunderet. Oraſſe his tribus horis Dominum, patet ex his verbis, Pſalmi prædicti, initialibus: quæ à Domino recitata voce magnâ affirmat expreſſè Matthæus & Marcus. Patet & ex Pauli Apoſtoli verbis ad Hæbræos; quæ ſupra attuli. quæ licet poſſint, de oratione in horto factâ, intelligi: tamen de hac in Cruce oratione melius intelliguntur. Nam in illâ in horto oratione, clamor validus non videtur fuiſſe, imò videtur, nec eſſe debuiſſe: & ibi non eſt exauditus Chriſtus: imò & petiit ipſe non exaudiri ſe, Paulus autem teſtatur exauditum eſſe pro ſuâ reverentiâ. Conſtat verò ex Evangeliſtis, ab eo verba Pſalmi prædicti, dicta & cum clamore magno, quod Apoſtolus etiam exprimit: & hoc tempus maximè fuit oportunum ad orandum, negotiumq́; ſalutis humanæ, jam jam ad finem ſuum vergens, cum Patre tranſigendum, nec non ad veniam ſceleratis, in horrendo Deicidii peccato pergentibus à Patre implorandam: & deniq; ad D completas prophetias in ſe quæ à Pſalmo prædicebantur conteſtandum. Accedit quod ſi ante in horto nondum premente, ſed tantùm inſtante, & per cogitatum

 præſente

Digitized by Google

præſente Paſſione atq; morte oravit, & non tantùm oculis lacrymas, ſed etiam toto corpore, omnibuſq; membris ſanguineum fletum fudit, id certè juſtiùs fecit in his horis: Paſſione ad exitum veniente, mortiſq; agone revera accedente, fine graviſſimi operis, hoc eſt noſtræ Redemptionis appropinquante. Quocirca non tantùm oraſſe, ſed etiam inſtantiſſimè oraſſe, cum lacrymarum imbre, cùm *clamore valido*, cum gemitu cordis, cum mugitu (Græca vox id ſonat) pectoris, paſſis manibus, extenſiſq; brachiis. Probat hoc etiam opus ipſum Chriſti, quod tunc peragebat, ſacrificium ſcilicet cruentum, quod ex ſe ipſo, idem Sacerdos, & victima, ſuper aram crucis, gladio, & igne, tam charitatis, quàm Paſſionis immolabat. Hæc enim actio, Oratio eſt, ac proinde percommodè, imo debitè, illi, vocalis etiam oratio à Domino meritò adjungenda erat. B Deniq; nihil aliud vel Evangeliſtæ dicunt vel excogitari poteſt à Domino, per trihorium illud, tractatum eſſe. reſtat ergo ut orationem ad Patrem fudiſſe aſſeramus. *Porro* tam diuturna, tam inſtanter, & contentè facta precatio: magnum eſt judicium, & dolorum Domini noſtri immenſorum; & ſtudii ſollicitudiniſq; ipſius pro ſalute noſtrâ: & difficultatis, magnitudiniſq; ſalutis, ac Redemptionis noſtræ. Quaſi enim parum hactenus actum eſſet pro ſalute noſtrâ à Domino, quaſi nec ſudor ſanguineus, agoniaq;, nec crudeliſſima flagellatio totius corporis, neq; tormentum exquiſitiſſimum in ſpineâ coronatione, neque tot calumniæ contumeliæ, injuriæ, blaſphemiæ, neq; bajulatio gravis, non minùs pondere, quàm probro ſuo, patibuli, neq; affixio in cruce, totiuſq; corporis in eâ, ſemper in immenſum creſcens cruciatus, neq; tantus, tot per vulnera profuſus ſanguis; quaſi inquam hæc omnia ſatis non eſſent: adjungenda præterea erat humillimæ, longiſſimæ, ſtudioſiſſimæ, lacrymoſiſſimæ precationis, & ſupplicationis exhibitio; quâ, totum jam perſolutum ſalutis noſtræ pretium condiretur, & quâ mors jam imminens pretioſior redderetur. Et non eſt mirandum: oraſſe tunc Dominum noſtrum voce, qui tunc orabat toto ſe, ſacrificium Patri faciens totum ſe, non mirandum tunc fudiſſe lacrymas: qui toto corpore ſtillabat ſanguinem, non mirandum tunc clamaſſe ore, qui clamabat tam multiplici vulnere. *Ex hoc ſolùm* magnifico exemplo inſtruere noſmet ipſos poſſumus, unicum & præcipuum debere eſſe noſtrum in omni calamitate præſidium, orationi noſmet ipſos totos immergere: adeò ut quantum ingruit ſuper nos de A malis, & miſeriis, tantùm accedat de ſtudio, & contentione, ad Deum ſupplicationis. Magna enim calamitas à Deo immiſſa: magnitudine ipsâ ſua oſtendit quòd magnam quoq; exigat à nobis ad Deum ſubjectionem, humiliationem, orationis, & fiduciæ ad ipſum contentionem. Contrà tamen noſtra infirmitas, & ſtultitia facit: etenim quo in majoribus malis, nos eſſe putamus: hoc amplius de Deo diffidimus, orationiſq; ſubſidia relinquimus. Atqui Deus adjutor eſt in opportunitatibus; nulla autem eſt oportunitas, auxilii ferendi, major, quàm quando eſt calamitas premens major. Tunc enim habet Deus campum exercendæ miſericordiæ, tunc potentiæ, tunc ſapientiæ, tunc providentiæ, tunc bonitatis, tunc fidelitatis, tunc dulcedinis; quando nihil reſtat in homine, vel in creaturis, ſubſidii & opis. Quare qui magnitudine mali preſſus deſperat, vel Deum invocare ceſſat, aut non curat, is Deo gloriam invidet: is ſe demum in mali barathrum, id eſt, in derelictionem Dei præcipitat: is Deum pauperem & infirmum (qui revera eſt adjutor fortis, & dives in miſerationibus) ad ſubveniendum facit. Vnde apud Iſaiam dicitur *aporiatus eſt Dominus, quia non eſt qui occurrat.* vel ut aliæ lectiones habent. Contriſtatus, infirmatus, depauperatus ſine poris eſt Dominus, quia non eſt qui oret. qui occurrat irato, ſcutum orationis opponat punienti &c. Quocirca exemplo Domini, tum maximè oremus, cum maximè vel affligimur, vel tentamur, vel ab humanis auxiliis deſerimur, vel cauſa videtur tota peſſundata: hæc eſt enim propria, & exquiſita & Deo ipſi exoptata hora, ſubſidiiq;, ut nobis poſcendi, ita Deo exhibendi. Iſaia 59 16

2. *Deus, Deus meus: ut quid me dereliquiſti.* Verba hæc Domini non tantum diverſis interpretationibus, verum etiam erroneis ſuſpectiſve expoſitionibus, occaſionem præbuêre. Errores afferre, aut refellere, inſtituti mei non eſt, ſanos & pios ſenſus adducam. ſit unus. Objectabant Domino pendenti de cruce, Iudæi, inter alia injurioſa: hoc etiam genus blaſphemiæ, Chriſto intolerabiliſſimæ, quia in Patris Æterni contumeliam excogitatæ plenum: *Confidit in Deo: liberet nunc ſi vult eum: dixit enim quia filius Dei ſum*: hæc blaſphemia momordit & confixit Matt: 27. 43.

confixit Chriſtum acerbiùs, quàm omnia alia, corporis, animæve tormenta: ad hanc Chriſtus diluendam, & retundendam uſurpat hæc verba. *Deus meus: Deus meus: ut quid me dereliquiſti?* Vſurpat A inquam, ut olim à Prophetâ prædictam, & modò ab Iudæis impletam blaſphemiam oſtendat: perinde ſicut & alia, quæ in eodem Pſalmo de aliis pluribus paſſionis articulis, tunc per Iudæos, alioſq; crucifixores ad unguem impletis, uſurpavit, & ipſis, ſi attendere, & advertere voluiſſent, recitavit. Itaq; veluti ſenſu blaſphemiæ, á Iudæis, in ſe, Patremq; ſuum jactatæ commotus, ad Patremq; oratione couverſus ait. Deus meus, Deus meus ut quid me dereliquiſti? ergone Paſſio mea, in qua eſt voluntas tua: erit his ſignum, erit his argumentum, meæ à te derelictionis, & fruſtraneæ in tuo auxilio, patrocinioq; fiduciæ? Itane ſentient, itane blaſphemabunt iſti, B me à Te derelictum, me in Te fruſtra ſpem collocaſſe, me à Te liberari non poſſe, te ad liberandum me nolle? quia dicunt. *Confidit in Deo liberet nunc, ſi vult eum?* Itaq; ſenſu Iudæorum, non ſuo, Dominus noſter, dicit ſe derelictum: & non de derelictione ſuâ, quàm potiùs de opinione derelictionis, deq; blaſphemiâ illius, ab Iudæis jactatâ ſeu quærit, ſeu queritur Dominus: juxta hanc interpretationem: quæ habet fundamentum in Iudaicis blaſphemiis, hanc derelictionem exprobrantibus: habet & in Propheticâ prædictione Pſalmi citati 21. tum in his à Domino recitatis verbis, tum in ſequentibus ibidem verſu nono

Pſ:21.9. relatis. *Speravit in Domino: eripiat eum, ſalvum faciat eum, quoniam vult eum.* C habet & in eo quod Dominus hunc Pſalmum totum in Cruce tunc recitaverit: ut ſentit Hieronymus. fateor tamen me hanc interpretationem, in authoribus quos legerim non advertiſſe: proinde á me ſolo authoritatem illi non poſco: eſto omnes difficultates interpretandi quas alia ratio ſentiendi patitur, levi modo declinet.

3. Hæc Domini vox, non eſt deſperantis ac diffidentis: ſic enim Iudaicaſſet Chriſtus: non eſt etiam ex vehementiâ dolorum, tam internorum, quàm externorum, in impatientiam erumpentis. nec eſt etiam derelicti á Divinitate: quia hujus unio hypoſtatica, cum tota Humanitate quidem perſeveravit D uſq; ad mortem: cum corpore autem in ſepulchro; & cum animâ in limbo ſeparatim: uſq; dum iterum uniretur anima corpori, & conſtitueretur totus DEus-Homo. Non eſt etiam vox ignorantis, & exquirentis cauſam derelictionis: nam & nulla fuit: aut ſi quæ fuit? ignota A Chriſto non fuit: ſciebat enim Chriſtus optimè tam quomodo, quàm quare deſertus fuit á Patre. Non eſt etiam vox queritantis, aut abjectè & indignè, & impotenter, turbatèq; lamentantis ſuam derelictionem. Eſt igitur vox partim modeſtè dolentis, doloremq; exprimentis, quòd in tantam malorum molem deveniſſet ex voluntate Patriâ, & ex obedientiâ, reverentiaq;, in Patrem, ſuâ Vt videatur, vel videri poſſit, vel ſit etiam aliquatenus derelictus à Patre. Neque huic obſtat ſenſui particula interrogantis. *Quare*, vel, *ut quid*. nam Phraſi ſcripturæ, non eſt infrequens, has quærendi particulas, pro interiectione heu vel ah uſurpare. Quomodo Moyſes ad Dominum loquens. *Quare iraſceris Domine* Exod: 32.

populo tuo? Norat ſatis juſtam iræ cauſam eſſe Deò: non ergo quærit cauſam: 11.

ſed deplorat, & queritur. *Ah Domine. heu Domine, iraſceris populo tuo.* Ita & Iob queritur, non quærit. *Cur faciem tuam abſcondis?* Ita David. *Quare me repuliſti,* Iob: 13.

& quare triſtis incedo? id eſt Heu me repuliſti. 24.

Ita ergo etiam Chriſtus: *Deus* Pſ:42.2.

meus (ait) *Deus meus: ut dereliquiſti me.*

4. Quæritur quomodo & quatenus Chriſtus fuerit, ſeq; dicat, & doleat á Patre derelictum? Triplex Chriſti derelictio à Deo cogitari poteſt. Vna per diſſolutionem unionis hypoſtaticæ: quæ derelictio jam exploſa eſt: etſi unio adoptionis ac gratiæ juſtificantis non ſolvitur unquam inter Deum & Hominem: ſine culpa hominis præviâ, quantò minùs unio hypoſtatica ſolvi potuit in Chriſto patiente: in quo ſtatu, non tantùm non peccavit in Patrem Chriſtus: eſto per impoſſibile peccare potuiſſet: qui abſolutè impeccabilis fuit; ſed potiùs ſummè tunc merebatur, & Patris gratiam, ſalutemq; nobis demerebatur. Altera derelictio, quoad culpam, ſeu per permiſſionem culpæ in Chriſtum: quæ derelictio jam etiam exploſa eſt: tum impoſſibilitate peccandi; tum excellentiâ actus meritorii, tunc à Chriſto peracti. Tertia derelictio quoád pœnam peccati, ſeu per impoſitionem inflictionemq; pœnæ, pro peccato, maximè alieno. Et talis derelictio in Chriſto fuit: dereliquit enim Chriſtum Pater in pœnis peccatorum noſtrorum: hoc eſt: exigendo ab illo pœnas peccatorum noſtrorum rigoroſiſſimè: pœnas (inquam)

ſummas, & per omnia exaggeratas in ſe ipſis: pœnas etiam pro omnibus, & ſingulis, etiam minimis peccatis: pœnas præterea puras, & nulli ſolatio, ad levius ferendum, tam interno, quàm externò, permiſſas: ſed abſq; ullo temperamento inflictas. Etenim Chriſtus, ut notum eſt Divinitatis præſentiâ, & unione, non eſt uſus in Paſſione ad ſolatium, ita ut eam minùs, vel mitiùs ſentiret: ſed tantùm ad confortationem: ut in omnibus doloribus, integris animi, corporiſque viribus duraret: quod ſubſidium non tantùm nihil imminuit de vehementiâ dolorum, ſed etiam fecit, ut omnes dolores Chriſti vivaciùs Chriſtum affligerent, & uſq; ad mortis articulum in eo permanerent. Hæc igitur fuit Chriſti derelictio in pœnis, ac doloribus, & immiſſis innocenti pro alienis noxis, & nullo ſolatio per omne Paſſionis tempus temperatis; ac diminutis. Quanta autem hæc derelictio fuerit ex hoc aliquantulum intelligere poſſumus. 1. *Si metimur* cumulum omnium totius generis humani peccatorum: maximè originalis noxæ, cujus ſolius quanta fuerit malitia, ruina omnium noſtrûm, & infectio demonſtrat, & peccata omnia actualia, quæ ex illo originem trahunt, & omnia mala corporis, animæ, temporalia, & æterna, quæ illius pœna ſunt. *Item 2.* Si metimur pœnam omnem omnibus peccatis debitam. *Item 3.* Si metimur infinitam Dei dignitatem cui læſæ, tot ſceleribus oportebat ſatisfieri, ad rigorem juſtitiæ. *Item 4.* Si metimur dignitatem Chriſti, locumq; quem habebat apud Patrem, ſcilicet Filii, Unigeniti, conſubſtantialis &c. *Item 5.* Si metimur viſitatem hominum, pro quibus, & à quibus inſuper patiebatur. *Item 6.* Si metimur charitatem Patris, atq; Filii mutuam. *Item 7.* Si eandem erga nos metimur, quam Apoſtolus vocat: *nimiam charitatem* & alter *uſq; in finem* appellat. Hæc ſi metimur omnia & advertimus, his omnibus Paſſionem Chriſti adæquatè, imò & ſupra hæc, reſpondere debuiſſe: eorumq; omnium menſuram ſupereffluenter explere: utcunq; poterimus & menſuram Dolorum Chriſti, & dolorem ejuſdem, ex ſuâ in eis derelictione jam explicatâ cognoſcere. Sed ad hæc quis idoneus? Ad hoc explicandum, & ad vim derelictionis hujus cognoſcendam breviter annoto quædam, apud contemplatores Paſſionis Chriſti certa. 1. Paſſionem Domini acerbiorem Domino noſtro fuiſſe omnibus Martyrum, imò omnibus hujus vitæ tormentis. 2. Neq; totam Paſſionem ſimul ſumptam, ſed quamlibet ejus etiam partem, graviorem fuiſſe Chriſto quàm ullum Creaturæ in hac vitâ cruciatum. 3. Inter dolores Chriſti omnes hunc maximum, & Chriſto graviſſimum fuiſſe: quod in his ſuis doloribus animi & corporis, fuerit à Patre derelictus, ita, ut benignitatem Patris experiretur nullam, in eis, ſicut erat par, Filium talem experiri: contrà autem experiretur ſeveritatem, juſtitiam, & (ut ſic loquar) in clementiam omnem: experiretur etiam Patrem iratum quodam modo ſibi, non propter peccatum aliquod ſuum: ſed propter tot, tantaq; peccata hominum ſibi impoſita ad expiandum, & veluti imputata ad reatum: ita ut ſi Chriſtus per impoſſibile omnia illa peccata aliena commiſiſſet per ſe: & à Patre ad ea expianda admiſſus fuiſſet: non potuiſſet ad ſeveriorem rigidioremque ſatisfactionem adigi, nec debuiſſet alienatum magis, infenſumq; Patrem ſibi experiri: quantus ergo dolor Chriſti fuiſſet, ſi per impoſſibile, & ſe peccatorum omnium reum, & propter ea Patrem ſibi iratum, & debitis, hoc eſt, omnibus Paſſionis pœnis ſubjectum ac in eis ab irato Patre deſertum vidiſſet: tantus dolor nunc fuit Chriſti, cùm ſe deſertum ſenſit. Imò verò etiam aliquomodo nunc major fuit, quám in illo impoſſibili caſu fuiſſet: quia tunc pro ſuis, nunc autem pro alienis peccatis ſe in pœnis demerſum, derelictumq; ſenſiſſet: quamvis hæc reflexio etiam in oppoſitum reflecti poteſt. Hæc oſtendunt, quanta quàmque gravis fuerit derelictio Chriſti, & cur eam Chriſtus tam dolenter, clamore valido præ omnibus aliis ſuis doloribus teſtari voluerit.

Eph:2 4. Ioan:13. 1.

5. Præter hanc explicationem derelictionis Chriſti dicere poſſumus derelictum fuiſſe Chriſtum, non in propriâ perſonâ, ſed in perſonâ humani generis, cujus totius peccata in ſe habebat: quæque ſanguine, ac morte ſuâ expiabat. quod, & quandiu factum non eſt: & niſi factum aliquando à Chriſto fuiſſet, in æternum humanum genus deſertum à ſpe ſalutis, derelictumque à Deo in irâ manſiſſet. quia ergo Chriſtus, tanquam Humani generis portio: Adæq; ſecundùm naturam (non ſecundùm corruptelam) filius: derelictionis hujus particeps factus fuit, & eam, derelictione inprimis in pœnis, ac etiam ipſis pœnis luit: derelictum ſe aſſeruit.

6. Derelictus fuit Chriſtus; quia etſi

tantus

tantus fuerit labor valorque Paſſionis ejus, ac mortis, ut abundanter ad omnium omnino hominum ſalutem efficaciter obtinendam ſufficere potuerit: tamen fructum Paſſionis ſuæ efficacem: ſeu efficaciter, infallibiliterq; applicandum, & conſequendum: ad paucos electos, & comparatione reproborum quaſi nullos, reſtrictum à Patre ex inſcrutabili ejuſdem Sapientiâ, judiciorumq; abyſſo videbat: ideo ſeſe veluti in Paſſione illâ derelictum dicebat.

de Origen: Tr: 35. in Matt:

Vide ſupra par: de JESU in Cruce pendente num.

7. Derelictus fuit Chriſtus ex opinione inimicorum, & omnium intuentium, qui humano oculo metientes, quæ circa Chriſtum fiebant, veluti oblivioni traditum à Deo judicabant, judicareq; poterant. Ad eum modum quo Iob in ſuis calamitatibus, à Deo relictus videbatur, ſuis amicis, ac domeſticis. Itemq; Thobias.

8. Derelictus fuit à Deo Chriſtus: quia ſi comparatio fiat ſtatus Chriſti primi, quem habuit ab æterno apud Patrē, quemq; habuit in creatione rerum omnium, quem habuit etiam in ortu, conceptu, natali, & reliquâ vitâ ſuâ: in quâ tot teſtimoniis Patris eſt celebratus: tot miraculis inſignis redditus: & conferantur hi ſtatus omnes cum ſtatu præſenti Chriſti, in tot malis veluti in medio ſævientis pelagi deprehenſi, & tanquam ſine ſpe evadendi, in ſummo dolorum, & perditionis poſiti: non temerè dici, & cenſeri poteſt à Deo derelictus, & à corde Patris mortuus, & tanquam morticinum abjectus.

9. Derelictus etiam fuit Chriſtus, quia propter aliena peccata diræ morti traditus: juxta illud: *Propter ſcelus populi mei percuſſi eum.* atq; ita hoc fuit dereliquiſſe Patri, quod Filio mori. Mortuus namq; filius à Patre derelictus fuit: quia filius in rerum naturâ non fuit: & quamvis Chriſtus adhuc vivens iſta dicebat: tamen jam moribundus erat. & certò certiùs moriturus, atq; ab æterno morti deſtinatus erat: ideoq; jam tunc quoq; derelictus erat. Et certè, ſi Agnus ab origine mundi occiſus eſt, & ſi idem in morte derelictus eſt: igitur ab origine mundi derelictus: quid ergo mirum, quod ſe licet adhuc moribundum, & moriturum, jam tamen derelictum dicit?

Iſaiæ 53. 8.

10. Derelictus eſt Chriſtus à Patre in pœnis noſtris, ſicut captus eſt in peccatis noſtris. Induerat Chriſtus peccata noſtra: & juſtitia Dei ea quærebat puniendam: invenit ea in Chriſto, punivit in Chriſto: peccatorum, inter alias, pœna eſt derelictio à Deo: eam quoq; inflixit Chriſto: ſed inflixit non dereliquendo ad peccatum: verùm inflixit abſq; miſericordiæ lenimento, cum omni acerbitatis experimento caſtigando peccatum: adeò ut videatur juſtitia Dei dixiſſe Chriſto in peccatis noſtris deprehenſo, & pœnis illorum rigorosè ſubjecto. *Non exies inde, donec ſolvas ad noviſſimum quadrantem.*

Matt: 5. 26.

11. Derelictus eſt Chriſtus à Patre, vel etiam à ſuâ Divinitate, non quod Divinitas eum deſeruerit: & ab eo abſceſſerit: ſed quod Divinitas Humanitati, partique paſſibili, & mortali, & præceptum ut mori deberet impoſuerit & protectionem, ne mori non poſſet ſubtraxerit. Quia ergo Divinitas Chriſti nihil eum in paſſione juvabat, niſi ut mori deberet, & poſſet ſecundùm Humanitatem: rectè, & ſanè deſertus dicitur: imò rectè, & juſtè ſe deſertam Humanitas clamat: quia illam ſuis conſolationibus Divinitas non adjuvat: etſi præſentiæ, unioniſq; ſuæ confortationibus ad patiendum obarmat. Et ſervit Chriſto Homini illud, quod olim Iob dicebat Chriſto Deo. *Clamo ad te, & non exaudis:* ſto & non reſpicis. Mutatus es mihi in crudelem, & in duritiâ manus tuæ adverſaris mihi. Etſi enim manus tua robuſta eſt, quia me ad patiendum, & moriendum confortat, dura tamen ſimul eſt: quia in patiendo ſolatiis ſupernis non recreat. Etſi namq; Anima Chriſti ſecundùm ſupremam ſui portionem, viſione beatificâ, deliciiſq; æternis fruebatur, in ipſo toto Paſſionis decurſu: neq; eo bono unquam, vel ad punctum erat privata, ideò quoad hoc, nec fuit, nec dici potuit à Divinitate relicta: attamen non obſtante viſione beatificâ prædictâ: eadem Anima ſecundùm portionem inferioris, & infirmioris adhuc hominis, tota erat Paſſioni, & idonea; & immerſa: neque à portione viſionis Beatificæ ſolatio fruente, ad eam defluebat ſolatii vel guttâ. Imò verò tota illa Divinæ fruitionis gloria, quæ in ſupremâ parte animæ florebat, inferiori infirmæq; parti militabat ad pœnam: partim quia impediendo defluxum ſuæ in eam beatitudinis, eam patibilem, ſubjectamq; doloribus internis, externiſq; relinquebat: partim quia in eo ipſo, quod eam horrere, ſentire, deprecariq; ac refugere, & perpeti pœnas ſinebat: in eo inquam ipſo, illi abſolutè contradicebat: oppoſitumq; à Patris voluntate, plenâ ſubjectione expetebat, & recipiebat. Ita

Iob: 30. 20.

in horto. infirmâ parte tœdente, timente, pavente, contriſtante, mœrente, ut tranſeat calix obnixè totis infirmitatis viribus ſupplicante: Robuſta interim, ac firma, & beata portio, ſecurè, & animosè dicebat Patri. *Verumtamen non mea ſed tua voluntas fiat. Non quod ego volo, ſed quod tu.* Ita & hic, quæ pars ſe queritur derelictam, inferior eſt; quæ gaudet deſertam, ſuperior eſt. & Divinæ ſemper non tantùm hypoſtaſi, ſed etiam voluntati unita manet: quanquam neq; inferior portio, voluntati unquam Divinæ contravenit: ſed tantùm ſub conditione, & ſalvâ ad Dei placitum, rationiſque imperium ſubjectione, pro ſui integritate ſupplicavit.

Luca 22. 42. Mar: 14 36.

12. Vidimus modos derelictionis Chriſti: videamus jam cauſas. 1. Sit. Derelinqui debuit Chriſtus à Patre: ut exules, & derelictos homines reſtitueret, reduceretq; Patri. 2. Vt nobis derelictis à Deo exhiberet exemplum, documentum, ſolatium, auxilium; exemplum, ut non repugnemus derelinquenti nos Deo. documentum, ut ſciamus, in derelictione Divinâ, adhærere tamen Deo. Solatium ut gaudeamus nos in derelictione aſſimilari Chriſto. Auxilium, ut confidamus in merito derelictionis Chriſti. 3. Voluit derelictionis acerbitatem experiri Chriſtus, ut ex eâ animaretur ad moriendum pro nobis, atq; nos à derelictione Dei (in quâ eramus quòad culpam, ſimul & pœnam) liberandum. Doctus enim experimento, quàm durum eſſet deſeri á Deo, etiam tantùm quòad pœnam: majori commiſeratione laboravit pro nobis redimendis à derelictione quòad culpam & pœnam. 4. Derelictus eſt Chriſtus, ut tentatus per omnia compati poſſet, ſciretq;, à ſe, à ſuâ gratiâ, à ſuis ſolatiis, derelictis. In vitâ quippe Divinâ & ſpirituali, nihil eſt acerbius, nihil difficilius, nihil periculoſius, ad ſenſum, ad victoriam, ad caſum, quàm exilium cordis & derelictio animæ: etiam ſine culpâ. Quod David agnoſcens, ita ad Deum loquitur. *Poſuiſti tenebras, & facta eſt nox: in ipsâ pertranſibunt omnes beſtiæ ſylvæ.* Quando enim animæ abſcondit ſe Deus: ita ut neq; luceat per gratiam, neque ardeat per fervorem, nec leniat per dulcedinem, tunc ingruit animæ horrenda nox adeo, ut dicat: *tædet animam meam vitæ meæ.* Nox ſcilicet ignorantiæ, dubiorum, perplexitatum, timorum. Nox gravedinis, torporis, triſtitiæ. Nox puſillanimitatis, diffidentiæ, deſperationis.

Pſ: 103. 20.

Iob:10.1.

Nox cæcitatis, in intellectu, ariditatis in affectu, tœdii in oratione, impatientiæ in afflictione, querelæ de Deo in ſermone, inconſtantiæ in operatione. In A his & ſimilibus noctibus, quando deprehenditur anima: tunc eſt poteſtas tenebrarum: tunc hora dœmonum, tunc clamant *Deus dereliquit eum: euge, euge, devorabimus eum*: in ipsâ nocte pertranſeunt omnes beſtiæ ſylvæ: tunc enim vires diabolus per amaritudinem rodens, tunc mundus per vaniſſimas bonorum umbras captans, tunc caro & ſenſus, per voluptatem oblatam, rigorem animæ molliens, & in limum defigere ſatagens: tunc beſtiæ affectuum, quæ viſitationis Divinæ tempore ligatæ, imò domitæ aut etiam mortuæ videbantur, quaſi dato ſigno ſimul omnes efferaſcunt: animæq; dicunt. *Incurvare, ut tranſeamus.* quid multa? tam periculoſum eſt deſeri à Deo: B ut vita talis inferno appropinquare, imò & infernus eſſe videatur: & niſi breviarentur noctes iſtiuſmodi: *non eſſet ſalva omnis caro. Sed breviantur propter electos*: atq; ad hanc miſerationem voluit Chriſtus experimento proprio erudiri: ad ejuſq; abbreviationem induci. 5. Videtur etiam Chriſtus derelictus à Deo, ut eſſet completa vel copioſa redemptio. In Paſſione ſuâ omnia terrena bona Chriſtus partim amiſerat, partim impenderat pro nobis: ipſam quoq; animam, corpus, ſanguinem, famam: ſed iſtis omnibus quantumlibet impenſis, ſi Deum ſolum plenè habuiſſet: nequaquam magnas res pro nobis impendiſſe, imò quaſi nihil pro nobis impendiſſe, paſſusque C eſſe videri potuiſſet: unus enim Deus: imò una Divina conſolatio, pro omnibus Chriſto fuiſſet: omnia tormenta ejus abſorbuiſſet: pròut in Martyribus fiebat communiter: at verò derelinqui à Deo Chriſtum: & pati derelictionem hanc: hoc demum erat pretium, hoc ſummum pretii, pro nobis impendiſſe. Ergo derelictus eſt. 6. Neq; ſolum pretii: ſed etiam amoris ſui erga nos, & erga Patrem in hac derelictione ſummam omnem Chriſtus exercuit: calicem enim iræ Dei, in hoc maximè derelictionis hauſtu ebibit, in hoc maximè miſerationis in nos, & exinanitionis pro nobis affectui indulſit: in hoc maximè Patrem amavit, quia ſe propter Patrem Patre ſpoliavit; Derelictio namq; iſta, D erat quædam veluti ſpecies irati Patris ipſi filio: erat quædam gratiæ non quidem ſanctificantis, ac multo minùs Hypoſtaticæ, ſed tamen delectantis & in Deum

Pſal:34. 2.

Iſaiæ 51. 23.

Matt:24. 22.

Digitized by Google

Deum abſorbentis privatio: proinde non poterat derelictio hæc non eſſe acerbiſſima Chriſto, & repugnantiſſima, violentiſſimaq; ſtatui, & dignitati Chriſti: quam quia nihilominùs amore & reverentiâ Patris exſorbuit: ſummum amoris in Patrem teſtatus, & executus eſt: plus enim tunc amori Patris dedit, quàm ſi mille mundos cum omnibus ſuis bonis, & gaudiis, ſolatiiſq; Patris libâſſet. 7. Atq; ex his deduci poteſt, quanti conſtiterit Chriſto noſtra ſalus: propter quam nimirùm Deo Patre ſuo modo privari debuit: ejuſq; derelictionem perpeti. 8. Poteſt etiam deduci quanti æſtimanda ſit unicuiq; ſua anima; & proximorum ſalutis, quibus ea potiſſimum incumbit cura. Nam ſi Chriſtum oportuit derelinqui à Patre, ſi inquam Chriſtum carere Patre æterno oportuit, ejusque ſolatiis omnibus deſtitutum, in puris cruciatibus derelinqui: quid quæſo nos ſolatiorum, bonorum, voluptatum, voluntatum & libertatum, & honorum, deliciarum non convenit deſerere? ut animas & proprias noſtras, & alienas nobis charitate, vel juſtitiâ creditas, lucremur Chriſto, & Deo? Si Chriſtus ſe ipſo & Patre æterno carere ſuſtinuit propter noſtras animas: Nos quisquiliis & ſordibus etiam ſpurciſſimis carere non debebimus, non valebimus, propter animas noſtras? Sanè, qui hæc attendit, Deum propter Deum in animarum ſalutis paſſu deſerendum eſſe intelligit. facilè patietur jacturam privatæ cum Deo, vel ex Deo conſolationis: ut eo detrimento poſſit mercari, gemmam ſuæ, vel alienæ ſalutis. 9. Non moror in deducendo etiam ex dicta Chriſti derelictione pretio Divinæ gratiæ & amicitiæ, cujus immenſitatem pretii, acquirendi difficultatem, poſſidendi neceſſitatem, fruendi utilitatem, jam dicta ſatis declarant. Certè totum hoc ſalutis noſtræ negotium, toti iſti tanti Deitatis profuſi ſumptus; uni huic rei deſerviunt, ut nobis gratiâ Divinâ frui liceret: ut reconciliati Deo, per ipſiusmet ſanguinem, vitam, & amicitiam, & beatitudinem haberemus cum ipſo. Et tamen: heu mortalium ſtuporem! in nullius rei æſtimatione, tam ſunt ſtulti & ſtupidi noſtrûm omnium (omnium inquam, nam neque juſtorum gregem excipio; etſi aliquos excipi poſſe ſpero) ſed dico ut cæpi, omnium ſenſus & animi: ut nullius ſit apud nos vilior, faciliorq; jactura, quàm gratiæ Dei, ſalutis animæ, ac tandem & ipſius Dei: docent hoc abundè, me tacente: ſcelera impiorum, quibus amittere curant, laborant, gaudent, honori, & operæ pretio ſibi ducunt, gratiam, Animam, Deum: docent idem abundè, aſſiduæ, & invincibiles negligentiæ, tepiditates, inconſtantiæ, dilationeſq, juſtorum: quibus & augmentum gratiæ, & profectum animæ, & incrementum Divinæ gloriæ, beatitudiniſque ſuæ, tam aſſiduè deperdunt, quàm inſenſibiliter, incorrigibiliterq; deperdidiſſe, & deperdere ſe contemnunt 10. Plures derelictionis Chriſti cauſas recenſet auctor tractatûs de paſſione Domini, qui tribuitur Cypriano, quas ita, ut ille, compendio refero, *Derelictus eſt Dominus ne nos derelinqueremur. Derelictus eſt, ut à peccatis, & æterna morte liberaremur. Derelictus eſt, ut amorem ſuum erga nos oſtenderet. ut juſtitiam, miſericordiamq; ſuam nobis patefaceret. ut amorem noſtrum ad ſe raperet. Deniq; , ut exemplum nobis patiendi exhiberet.*

13. Pater Æternus unigenitum conſubſtantialemq; ſuum propter aliena peccata derelinquere in tormentis æquum duxit. O homo! te propter tua peccata quid manet? quid fiet? at dicis pœnitentiam egi: num talem qualem Chriſtus? & tamen ille poſt omnem fere Paſſionem, adhuc demum derelictus eſt: tu putabis te tam delicatâ pœnitudine jam evaſiſſe? Evaſeris tamen æternas pœnas: temporales nunquid, & purgatorias? nunquid evaſiſti ſpirituales? quarum una eſt derelictio à Deo, cæcitas, privatio gratiarum congruarũ, illuminantium, inflammantium delectantium, in tentatione, & à tentatione protegentium: in bono adjuvantium: ad perfectiora ſtimulantium: dæmonum vires & fraudes reprimentium, in perſeverantiâ detinentium, occaſiones mali amoventium, vel in occaſionibus ſenſum & mentem avocantium. Sed hujus pœnæ peccatorum, à Deo vix unquam peccatis etiam leviſſimis, etiam condonatis infligi non ſolitæ, uſq; adeò homines, etiam non mali, ſecuri, & neglectores ſunt: ut, ne quid nominis ſit hæc pœna noverint, aut ſcire velint.

14. Queritur JESUS ſeſe à Patre derelictum. O mi JESU! etiam ab ipſo te derelictus es: ſi à te non eſſes, neq; à Patre fores? Te à Te derelictum teſtatur Paulus, dum nos hortatur ut *recogitemus te qui talem adverſus temet ipſum ſuſtinuiſti contradictionem*, non à peccatoribus tantùm, verùm etiam à temet ipſo. Sed nemo ejus rei teſtis luculentior te ipſo? Oraſti ut ſi poſſibile eſſet tranſiret à te Hebr: 12. 3.

Digitized by Google

Paſſionis calix: & ſubitò quaſi alter, ſed contradicens tibi, ipſe tu: oras, ut non tua, ſed Patris voluntas fiat: oras, ut non quod tu vis, ſed quod Pater vult fiat: quid hoc eſt aliud niſi ſibimet contradicere? quid aliud niſi ſe ipſum derelinquere? A

15. Non quærit ut ignarus quare derelictus ſit à Patre JESUS. neq; conqueritur, quaſi injuriam paſſus. Vox iſta, doctrina eſt, non querela: docet nos, ut ſciamus in omnibus vitæ hujus caſibus, & eventibus, nihil magis ſentire, nihil magìs cavere, quàm ne à Deo deſeri mereamur: docet etiam ut non murmuremus, non impatientes ſimus, in divinis derelictionibus: ſed JESUM derelictum intueamur, & ejus exemplo manſuetam patientiam, humilem ſubjectionem, potentem orationem, in derelictione diſcamus.

16. Si dolori eſt, ſi admirationi Chriſto, derelictum eſſe à Patre: non erit dolori, non admirationi, ſi fuerit derelictus à te ô homo! Si inclamet tibi Chriſtus (& tutè judicia, an non poſſit, an non inclamet etiam) ſed inquam ſi inclamet tibi: ut quid me dereliquiſti? tu homo, meus creatione, meus redemptione, meus omni jurè: ut quid me dereliquiſti? quare me deſeruiſti? Ego in Cruce fixus ſum clavis potentibus ne diſcedam à te: tu quare me dereliquiſti? Heu quid dicam? quid dices ô homo? conſcius ſatis quare Chriſtum dereliquiſti, propter honorem illum, propter pecuniam illam, propter voluptatem illam, propter injuriolam illam, propter damnum illud, propter amicum illum: propter illam & illam nugarum nugam nugaciſſimam, & ſpurciſſimam, Chriſtum crucifixum dereliquiſti. Satin idoneam cauſam derelinquendi ejus putas? ſatin te excuſatum credis? Ah quid reſpondebis quærenti & expoſtulanti cur me dereliquiſti? Ah quotidie id obſtrepit Chriſtus: ſed in præſenti audire pigreſcimus, & jam obſurduimus: at veniet tempus, quo, & ille exquiret, & nos audiemus, & in reſponſo obmuteſcemus: & dicetur nobis. *Nemo virorum illorum guſtabit cænam meam.* qui propter villam, propter boves, propter uxorem derelinquendum me putaverunt: quantò magìs iſti qui ne has quidem cauſas prætexere poterimus. (Luca 14 24.)

17 Minimè prætereundum eſt, quod Inimici Chriſti, audientes ab eo dici *Eloi Eloi lamazabathani*; ſtatim affinxerint Chriſto. *Eliam vocat iſte: ſine videamus an veniat Elias ad deponendum eum.* Solemne hoc eſt enormiter injurioſis in proximum ut etiam ludant in miſeriis ejus, quibus illum affecerunt. Solemne etiam convitiatoribus & calumniatoribus: ut ex vicinâ quapiam facti, vel verbi, vel ſoni ſimilitudine nectant calumniam, & adornent accuſationem. Solemne eſt ſcurris & illuſoribus, ut ex nominibus paronomaſias faciant. Solemne eſt ignaris ſed ſapientes videri volentibus, ut quorum, etiam nomina neſciunt, eorum tamen ſenſum, & myſteria perſpecta ſibi eſſe affirmare non erubeſcant. Omnem hanc conſuetudinem expreſsêre inimici Chriſti dum ex Eloi Eloi Eliam affirmârunt, à Chriſto, & quidem in auxilium advocari. (Mar: 15 36.)

PARAGRAPHVS CLVII.

JESVS clamat: Sitio.

In ſiti meâ potaverunt me aceto. Pſal: 68.22.

Sitienti afferte aquam: qui habitatis in terrâ Auſtri. Iſaiæ 21. 14.

Da mihi paululum aquæ: quia ſitio valde. Iud: 4. 19.

Tenebitur planta ejus laqueo: Clavorum: *& exardeſcet contra eum ſitis.* Iob: 18.9.

Tu dediſti in manu ſervi tui ſalutem hanc maximam, atq; victoriam: & en ſiti morior. Iud: 15.18.

Verumtamen pretium meum cogitaverunt repellere: cucurri in ſiti. Pſal: 61. 5.

STROMATA

1. INgruente jam horâ nonâ: ſeu veſpertino: ac proinde tempore mortis Chriſti: quod & in immolatione Agni Paſchalis ad veſperam, ab omni populo faciendæ fuerat præfiguratum: exclamavit Dominus JESUS *Sitio* quod habemus quintum ejus in cruce verbum, ab Evangeliſtis recenſitum: aſſignat hujus verbi Dominici cauſam Ioannes dicens. *Sciens JESUS quia jam omnia conſummata ſunt* (quæ nimirum de ejus Paſſione vel figurata, vel prophetata erant: *ut impleretur ſcriptura: dixit Sitio.* Erat autem in Pſalmo 68. 22. inprimis ſcriptum: ex ipſius Domini perſonâ. *dederunt in eſcam meam fel*: & hoc jam impletum fuit ante crucifixionem: quando datum eſt Chriſto *vinum myrrhatum cum felle miſtum.* Et in ſiti meâ potaverunt (Ioan 19. 28.) (Pſal. 68. 22.)

me aceto.

me aceto. atq; hoc adhuc reſtabat implendum. Erat & alia ejuſdem Prophetæ prædictio. *Adhæſit lingva mea faucibus meis.* utiq; ex ſiti, atq; ſiccitate tam faucium, quàm viſcerum. Poteſt adhuc & tertia Prophetia ejuſdem Prophetæ adiici. Verumtamen (ait) *pretium meum* (quo eos redimebam: vel pretium quo me ab Iudâ emerant) *cogitaverunt repellere: cucurri in ſiti.* Has ergo Prophetias ſcripturæ volens impleri Dominus: clamavit Sitio. & impletæ ſunt ad unguem, potiſſimum prima: nam mox ſpongia aceto plena oblata erat ori ejus: de quo poſtea videbimus. Nihilominùs etſi hæc cauſa ab Ioanne poſita ſit dilectionis Chriſti: cur nimirum dixerit vocem hanc. Non eſt tamen cauſa ipſius ſitis, quare illam, & quantam paſſus ſit. Sine dubio enim & verè ſitivit, & graviſſimè ſitivit Dominus JESUS, niſi enim hæc fuiſſet ſingularis pœna: non eam prædixiſſet Spiritus Sanctus: & Dominus etiam eam potiſſimùm acerbitatem, aliarum quaſi oblitus aut vacuus, in Cruce ſibi moleſtam ſignificavit. Alia ergo fuit cauſa dictionis Sitio: alia ipſiuſmet ſitis. Ab æterno præordinatum fuit ut in ſiti ſuâ acetum biberet: eaq; præordinatio in ſcripturâ prædicta fuit. Non propterea tamen ſitivit, quia præordinatum & prædictum fuit: ſed potiùs ideo prædictum & præordinatum, quia ſitim paſſurus fuit: reſtat ergo quærendum unde & quanta Domini ſitis fuit?

Pſal. 21. 16.

2. Sitivit Dominus verè & Phyſicè, ex naturalibus cauſis: quas non eſt difficilè coniicere cuivis, cum ſint manifeſtæ. Ab oratione in horto uſq; ad hoc tempus nonæ horæ, per viginti circiter horas Dominus conquievit corpore nunquam: ſed vel ſtetit vel tractus eſt per vias, vel cruciatus: illa ipſa ſola & una tragædia in horto peracta quando *cœpit pavere, tædere, contriſtari, mœſtus eſſe.* triſtari uſq; ad mortem: quando oravit longiſſimè, & contentiſſimè tribus vicibus: quando agonizavit præ anguſtiâ cordis: quando ſanguinem toto corpore ſudavit, decurrentibus glomis ſanguineis in terram: tota inquam hæc tragædia ſufficiens fuit ad ſitim veram & magnam, in viſceribus & faucibus Domini excitandam. Deinde captivitas & violentia militum captivantium, ligantium, trahentium, retrahentiumque, raptantium cum furore & impetu, ab horto uſq; ad Annam, dein uſque ad Caipham: etiam hæc malorum portio: ſatis fuit ad ſitim in Domino acuendam. Iam illæ injuriæ apud Caipham: examen, falſi teſtes, adjuratio, blaſphemiæ, clamores, percuſſiones, conſputationes, alapæ, colaphi, totus noctis labor: vincula & catenæ: & ſervulorum nequam, injuriæ cuſtodientium Chriſtum, totâ nocte reliquâ, in quo non excitaſſent ſitim? Iam deinde ſtatuitio illa matutina coram ſynedrio: Examen, condemnatio, vincula innovata, vel aucta, furioſa ad Pilatum ductio, ad Herodem tractio, apud Herodem illuſio, accuſatio, vexatio, ad Pilatum reductio ſine dubio violentiæ, percuſſionum, raptationum, aliarumq; fatigationum plena: quomodo non poterant frangere & laſſare vires corporis tenerrimi in Chriſto: jam prioribus malis ſatis exhauſti. Quid de amarâ illâ crudeliq; flagellatione dicam: quæ tam dira fuit, ut eam Propheta totius diei flagellationi compararet: propter ipſum dolorem vehementem, propterq; ſanguinis copiam magnam violenter effuſam: proprer plurima vulnera corpori inflicta, qualem ſitim excitare apta fuit? Idem dico de coronatione ſpineâ, deq; ludibriis crudelibus in eâ, de alapis. Dico idem de tam diuturnâ variâq; diſputatione cum Pilato, & Pilati, vel cum ipſo, vel cum Iudæis de ipſo: nihil intermittentibus doloribus, & coronæ, & flagellorum, & vinculorum, cum ſtatione, aut inceſſione perpetuâ: ſatis enim erant hæc ad ſitim excitandam, & acuendam. Porrò crucis tam longa, tam gravis, tam ſaucio, & exhauſto corpore, in montem bajulatio. Sicut frangere fatigareq; Chriſtum, ita ſitim excitare ſufficientiſſima fuit. Ipſa ſollicitudo, & expectatio certæ ac imminentis mortis, videre ſolemus quomodo in maleficis ad eam damnatis ſoleat ſitim provocare: atq; neque hac re vacavit Chriſtus. Demum affixio ad crucem, ſanguiniſq; tanta profuſio: tum manſio in cruce, extenſioq; omnium partium, & nervorum: amara illa hoſtium exprobratio, & inſultatio: immobilitas ſitus, cum immenſo dolore totius corporis: quantæ ſitis cauſam darè ſufficiebat? Omnia hæc etiam ſeorſim ſumpta ſitim cauſare poterant. Conjuncta & continuatè quidem conjuncta in Chriſto: qualem & quantam neceſſariò excitarunt? Sitis eſt appetitus humidi & frigidi: hæc verò omnia recenſui apta erant ſiccare & calefacere, atque per hoc arefacere, & accendere, & exteriores & interiores partes ſenſuſque in

que in Chriſti corpore: conſequenter vehementem & planè ardentem ſitim provocare. Quare eam ſitim paſſus eſt Dominus, quæ maxima cogitatione concipi poteſt: ac proinde hoc tormentum fuit etiam unum ex graviſſimis, longiſſimis, acerbiſſimis, ac lethalibus. Et hoc eſt illud tormentum quod ex Pſalmo 21. 6. recenſuit Dominus. Aruit tanquam teſta virtus mea (ab exinanitione ac laſſitudine, à ſudore & ſanguinis fuſione, à dolorum acrimoniâ, à fame & inediâ) & lingua mea adhæſit faucibus meis, præ ſiti & ſiccitate viſcerum, ac membrorum, & faucium.

3. Voluit Dominus notam facere ſitim ſuam: ex eâq; quam ſuſtinebat moleſtiam: ut veritatem ſicut carnis, ita & Paſſionis ſuæ demonſtraret: ut etiam illas corporis partes, fauces nimirum, palatum, linguam, guttur, viſcera, quæ non videbantur obnoxiæ, hoſtium manibus, & injuriis, nequaquam tamen tormento ſuo vacare, & eo quidem gravi: præterea aliarum partium corporis ſui tormenta erant in aperto & oculis: tormentum ſitis non item: quanquam conſiderare ſi voluiſſent Chriſti Domini mala tam diu, & tam dira, tamq; varia & multa tolerata, facillimè ſitim ejus vehementem conjicere potuiſſent: ſed ad hoc miſerationis opus vel cogitandum obſtruxerat viam invidia, odium, livor, quo ardebant: & gaudium, quo de malis Chriſti fruebantur. Vnde neque auditâ ejus ſiti clementiores facti ſunt: ut ex aceto porrecto patet: de quo infra.

4. Non una hæc fuit ſitis Domini noſtri de quâ diximus: erat & alia, imò erant aliæ. 1. Erat ſitis in Chriſto Paternæ gloriæ: in cujus incrementum, paratus fuit vel jam exhauſtas repetere: vel novas ordiri pœnas; ideò ait Sitio. Neq; hoc mirum dictu videbitur cuiquam, ſi conſideraverit jura, quæ inter Patrem æternum & Chriſtum intercedebant. Solum certè beneficium unionis Hypoſtaticæ, quod Chriſtus debebat, & ſine dubio debitè æſtimabat: ad omnia poſſibilia tormenta, propter gloriam Patris ſuſtinenda facilè adegiſſet ſi voluntas Patris cancellos certos non poſuiſſet. Quare omnia & ſingula ſunt Chriſto partim præſcripta, partim prænuntiata in ſcripturis: ut nihil præter, nihil extra ea ageret, vel pateretur: eſto illa omnia liberrimè ageret ac pateretur. 2. Erat præterea ſitis in Chriſto animarum ſalutis, quas ita ardenter ſitiebat: ut totâ vitâ ſuâ antegreſsâ, eâ ſiti arderet: coarctareturque quod hora Paſſioni ac Redemptioni animarum præfixa ſuo deſiderio non reſponderet accelerando: nec adeſſe feſtinarent tempora ipſi deſideratiſſima. Inde & Petrum ipſum à cogitationibus Paſſionis avocantem, ſathanam ſuum & adverſarium vocavit. Et Iudæ in cænâ, neſcio quas moras trahenti: quod facis, ait, fac citiùs, & rurſus in horto Petrum Paſſioni ſuæ, jam exordium habenti moras nectentem repreſſit, & moleſtè tulit, ab eo ſibi veluti è manibus jam porrectum calicem ſubtrahi. *Calicem*, (ait) *quem dedit mihi Pater non vis ut bibam*, atqui ego *deſiderio deſideravi* illum hactenus. *Ioan: 18. 11.* Quando ergo venit hora illa: & apparuit ei ſubeunda Paſſio: videns deſiderio ſuo nequaquam parem, vocavit illam calicem. tanquam quid modicum, & citò, facilè, unoque velut hauſtu ſorbendum. ac per hoc fami, ſitiq; ſuæ ad patiendum minimè ſuffecturum: Et quando jam in cruce ad finem Paſſionis tanquam ad fundum calicis perveniſſet: exclamavit *Sitio*. Pater mi quod propinaſti modicum fuit valde, exhauſi jam: & opus quod dediſti mihi ut facerem conſummavi: ſed non eſt expleta adhuc cupiditas & alacritas charitatis meæ, ad patiendum, ad obediendum, adhuc *Sitio*: adhuc quod bibam porrige. Si adhuc pro animarum mihi dilectarum ſalute, aliquod pretium requiris: innue: paratum invenis. *Sitio* 3. Erat adhuc alia ſitis, animarum in Chriſto, alia inquam, id eſt aliarum, ſeu plurium: nam ut ſupra ex Origene attuli modicus Chriſto Electorum numerus à Patre aſſignatus videri poterat: proinde ut copioſior is eſſet: idq; fortè à Patre nova quæpiam ſua Paſſio requireretur, alacer ſeſe offert: & ait *Sitio*. & plures electas animas, & plures pro eis pœnas. Legimus in hiſtoriis Chriſtum jam glorioſum, obtuliſſe aliquando, ad repetendam crucifixionem vel paſſionem pro animabus, imò & pro unicâ. Vnde non poſſumus dubitare Chriſtum in Cruce ad id ipſum paratum fuiſſe, ſi ita opus, vel voluntas Patris fuiſſet. 4. Erat adhuc alia ſitis in Chriſto. Animarum quoq; quâ ab eis ſitiebat, & ſperabat & videbat ſe ſitiri, ſe debere ſitiri. Verè ſitit ſitiri JESUS, nondum tunc ab ullo, ante vix à Latrone uno ſitiebatur JESUS: at ſitiebat ſe ſitiri JESUS. Videbat ex illa crucis magìs autem divinæ lucis ſpeculâ, quantis omnium electorum deſideriis

votisq;

votiſq; ſitiendus olim eſſet: hanc ſitim ſitiebat, & citò adeſſe cupiebat, & ideò dicit *Sitio.* Videbat etiam quàm languidis, quàm feris, quàm frigidis votis eſſet olim à pleriſq; fidelibus ſitiendus: A ideo ampliorem in eis ſui ſitim ſitiens, clamat. *Sitio.* Videbat præterea infinitos fore, qui JESUM nunquam ſyncerà, nunquam conſtanter, nunquam abſolutè eſſent ſitituri, ideò tactus dolore cordis intrinſecus, ait. *Sitio* O homines juſti evigilate & ſitim veſtram ardentem Chriſto propinate. Amat & clamat ſitiri Deus. O homines peccatores ut quid ſitim veſtram conſumitis in vanitate & perditione: ut quid eam negatis Chriſto, totâ gratitudinis lege debitam: totâ Paſſionis ſuæ virtute emeritam: amat & clamat ſitiri JESUS: ſitit ſitiri Deus. Explete ergo explete hanc Dei ſitim, convertite ad eum ſites veſtras. Avari: ſititis divitias? De- B us & dives, & divitiæ eſt. Superbi: ſititis honores & laudes? Deus honor & laus eſt. Voluptuoſi: ſititis Delicias? Deus voluptas eſt. Irreconciliabiles & iracundi ſititis vindictam? *Deus ait mihi vindictam & ego retribuam?* Vno Ioan: 7. 37. verbo clamat JESUS. *Si quis ſitit veniat ad me*, ſitim ejus ego ſitio, ſitim ejus ego expleo. O utinam ita ſitiamus Deum, ſicut nos ſitit DEUS. Sicut ſitiri à nobis ſitit DEus. Etiam enim hodie: etiam Beatus & glorioſus per omnia in cœl o JESUS hac ſiti laborat, & perpetuò inclamat ſitio. Sitio animas. Sitio pœnitentiam, ſitio emendationem, ſitio profectum, ſitio fervorem, ſitio fugam peccatorum. Sitio amorem virtu- C tum, ſitio obedientiam mandatorum. At quanti ſunt qui ſitim hanc debitè reſtinguunt Deo? quantò plures qui eam acuunt malitiâ, negligentiâ, ingratitudine, inconſtantiâ, contemptu, dilatione? §. Erat adhuc alia ſitis in Chriſto: ſitis nimirum zeli animarum, & propriarum noſtrarum, & proximorum noſtrorum: Quidni ſitiat JESUS ut ſitiamus & nos ſalutem animarum, quas tam pretioſo ſanguine ſuo ſitivit, quæſivit, emit? Hac ſiti preſſus inclamat omnibus quod inclamavit quondam Samaritanæ. Da mihi bibere. & Ioan: 4. 7. dedit illa, non aquam fontis, ſed aquam animarum ſalutis: etenim relictâ hydriâ ſuâ ad civitatem abiit: Chriſtum D vicinis ſuis prædicavit: & eos ad Chriſtum adduxit, & Chriſti ſitim ſedavit. Hac ſiti preſſus inclamat de cruce omnibus crucifixis ſecum in Cruce, omnibus profeſſoribus crucis ſuæ: Sitio. Sitim veſtram: ſitio ut ſitiatis animas veſtras: ut ſitiatis animas proximorum veſtrorum: *videte regiones quoniam albæ ſunt ad* Ioan: 4. 36. *meſſem*: videte animas, quoniam deſiderant, quoniam poſitæ ſunt extra ſalutem, quoniam indigent ut propinetis eis ſalutem. *Aquæ multæ populi* multi dicitur Apoc: 17. 15. Ioanni, & Iſaiæ ſimiliter. *Aquæ quas vidiſti populi ſunt.* Si ergo aquæ populi ſunt: Iſaia 45. lucrari certè populos Chriſto, eſt propinare ſalutis earum aquam Chriſto? *Si* Ier: 15. 19. *eduxeris pretioſum à vili, quaſi os meum eris.* dicitur Prophetæ ut accendatur ad ſitiendam proximorum ſalutem. Si proximos lucraberis non tantùm meum os in ſiti recreabis: ſed etiam zelo tuo veluti os mihi dabis, & ego per te, tanquam per os meum ſalutem hominum bibam: teq; & tuum zelum tanquam os meum & diligam, & divinarum deliciarum abundanti dulcedine in æternum reficiam.

§. Clamat Dominus ſitio: contraponens ſitim ſuam, ſiti Iudæorum: & majorem eſſe ſuam oſtendens ſiti ipſorum: illi jam expleverant ſitim ſuam, Dominus necdum recreaverat ſuam: illi ſiti odii ſui, ac invidiæ finem impoſuerunt, neq; quomodo ultra ſævirent facultatem ſibi reliquerunt: JESUS quod adhuc ſitiret habuit. Quid adhuc ſitivit Dominus? explicat Auguſtinus dicens. *Fidem incredulæ gentis concupiſcit.* Serm: ... Do: Pal: ergo in ipſis Iudæis invenit Chriſtus quod ſitiret. utroſq; ſitientes mirabiliter expreſſit Spiritus Sanctus in Pſalmo dicens. *Pretium meum cogitaverunt repellere, cucurri in* Pſal: 61. 5. *ſiti. Cucurrerunt in ſiti*: una eademq; vox: & cucurri & cucurrerunt: ſonat: & utroq; modo à Patribus legitur. Ac ſanè non abſq; myſterio. Chriſtus pretium Redemptionis offerebat in ſalutem omnium, etiam Iudæorum: Iudæi pretium ſanguinis ejus repudiantes, converterunt in agrum figuli: & ſanguinem ipſum ejus, ſuper ſe, ſuperq; filios ſuos receperunt non ſalutem ex eo quærentes, ſed vindictæ illius ſe ſuoſq; poſteros ſubjicientes. Diverſa igitur erant ſtudia Chriſti, & Iudæorum, & utrique currebant in ſiti. Cucurri ait Chriſtus in ſiti: quantumvis Iudæi repellant pretium meum: quantumvis me eſſe, & agnoſcere nolint redemptorem: ego tamen cucurri in ſiti meâ, cucurri in ſalutem omnium, cucurri Paſſionis viam, ut omnes reducam ad cœleſtem Patriam. Cucurrerunt etiam in ſiti Iudæi, inſtantes vocibus magnis Crucifige, Crucifige,

Tolle, Tolle: cucurrerunt in ſiti dicentes. *Sanguis ejus ſuper nos & ſuper filios noſtros.* Sed enim acceſſit homo ad cor altum: elevatus eſt Chriſtus in monte, & in Cruce, alto & abſcondito cordis cõſilio, per malitiam conſummans redemptionem: & ſic eſt exaltatus Deus ſalutis noſtræ: at verò defecerunt ſcrutantes ſcrutinio Iudæi: defecerunt in ſiti ſuâ, quia & Paſſionem ad finem deduxerunt: & ſalutem quam Dominus operatus eſt, nequaquam impediverunt. Imò eorum manus dum proprio incumbunt ſceleri, famulatæ ſunt Salvatori.

Pſal: 63. 8.

6. Dulcedinem ſalutis & converſionis animarum guſtârat JESUS in converſione boni latronis: amaritiem contrà hauſerat in obduratione, tum latronis, tum Iudæ diſcipuli, tum omnium crucifixorum: utroq; hoc hauſtu exaſperatæ ſunt fauces cordis, exaſperata eſt ſitis zeli ejus: clamat ergo ſitio: ſalutem animarum: quia & quàm dulce eſt illas ſalvari; & quàm amarum illas damnari, experior.

7. Clamat JESUS ſitio. itane fons aquæ vivæ ſitit: qui creavit aquas ſitit, qui de petrâ eduxit tanquam flumina aquas largiſſimas ſitit. qui ex aſini mandibulâ Samſoni aquam ſubminiſtravit ſitit, qui terram & imbribus, & fontibus, fluminibuſq; inebriat, ſitit? *Sed enim ô Domine recordare, quia olim aquis mundum obruiſti*: agnoſce vindictam mundi, guttam aquæ negat tibi, in tuâ ſiti.

Gen: 7. 23.

8. Cùm placatus Deus mundo aquas diluvii abſtuliſſet de terrâ ait ad Noë. *Apparebit arcus meus in nubibus & recordabor fœderis mei vobiſcum*: & non erunt ultra aquæ, ad delendam univerſam carnem: peccavit rurſum mundus peccatũ grande, quale non fuit nec erit amplius, & ſine dubio dignum erat ut iterum è cœleſtibus cataractis, & ex terreſtribus abyſſis erumpentes aquæ inundarent delerentq; omnem carnem: ſed apparuit arcus Domini in nubibus; apparuit crucifixus JESUS in alto: repreſſa in diluvii pœna ſervante fidem, & fœdus Deo: & ideò remanſit ſitis Chriſto: propter quam clamat ſitio.

Gen: 9. 15.

9. In hac Domini noſtri ſiti: multas inſignes ac noſtræ imitationi utiles ſcrutari poſſumus virtutes. 1. Ac jam ſupra charitatem Dei proximiq; vidimus. 2. Eluceſcit autem hic inſignis Domini temperantia & abſtinentia, & conſtantia quâ ſitim & admiſit, & ſuſtinuit, tam diuturno tempore, tam ardentem, tam multis ex cauſis aſſiduò creſcentibus, & ſitim creſcere facientibus, patientiſſimè, conſtantiſſimè, abſq; ullo refocillamento, cum omni diſſimulatione ſilentioq; ſuſtinuit: nec eam niſi extremâ jam vitæ horâ, ad noſtram inſtitutionem, & ſcripturæ adimpletionem manifeſtavit.

A

3. *Eluceſcit etiam* ſingularis quædam modeſtia, & Reſignatio, atq; indifferentia, & animi manſuetudo. Ardens enim ſiti tam longâ, tamque potenti, ut eâ ſolâ extingui potuiſſet: & emori: tamen unico ſolo verbulo contentus eſt eam indicaſſe: non urget potum, non feſtinationem, aut quantitatem, aut qualitatem poſcit præſcribitve: in omnium pleno arbitrio relinquit ut ſi volent quando, & quomodo volent, ſuæ neceſſitati ſubveniant: paratus perinde negari, ac offerri potum quemcunque. Quòd virtutis genus perrarum eſt in hominibus: quia ordinariè ſubſiduum neceſſitatum noſtrarum, impatienter expectamus, impotenter non dico negari, ſed differri, aut non promptè offerri ſuſtinemus: evolari ad noſtra ſolatia volumus: & omnes morulas longa tempora cenſemus: copioſaſq; ac juſtas murmurandi, queritandi, ſegnitiem, cruditatem, indiſcretionem, negligentiamq; accuſandi, alienam, nos habere putamus. At nihil horum Chriſtus. *Eluceſcit præterea* in hoc verbo Domini, admirabilis quidam amor ſtudiumq; ſingulare obedientiæ, nec non puræ intentionis in operibus, & deſideriis, votiſq; omnibus etiam naturâ ſuâ indifferentibus, & naturæ ductu erumpentibus: quale deſiderium eſſe potuit hoc bibendi, ſitimq; acerbiſſimam reſtinguendi: & tamen Dominus noſter non propterea dixit ſitio, quia graviſſimè ſitiit, & potũ natura ejus eguit; non ideò quia dolor tam multiplex urebat, non quia & cum ſanguine in tantâ copiâ fuſo, & aliis occaſionibus fatigationibuſq; humor omnis interiorum exteriorumq; partium defecerat, non quia aruerant fauces, & guttur, & lingua, & venæ, & palatum: non ideò quia totius corporis gravabat languor & laſſitudo: ſed ideò dixit ſitio: quia ſcripturas impleri oportebat: quia ſe in ſiti aceto potandum prædictum fuerat, ab æternoq; Pater præordinaverat: quod ut exactè perficeretur in ſe, & à ſe. Sitim ſuam profiteri volebat. Vnde nec potum petiit: ſed ſolùm ſitim manifeſtavit: atq; implendæ ſcripturæ, hoc eſt explendæ obedientiæ occaſionem præbuit. Admiranda certè hæc obediendi ad unguem in minutiſſimis cura & ſollicitudo: ad-

B

C

D

Digitized by Google

miranda frenandæ impotentiæ cupiditatisq; naturalis, ac in altiorem intentionem ſublimandæ erigendæq; diligentiâ atq; prudentia.

10. Clamat Dominus JESUS ſitio: non dubito quin ad accendendam ſitim noſtram. Multiplex eſt ſitis, quam Dominus in nobis eſſe, creſcere, manere, ardere appetit: ideoq; ſitim ſuam nobis tanquam in exemplum, imò tanquam in irritamentum exponit & proponit. Perſtringam tantùm haſce ſites, quas in nobis Dominus ſitit. Iam dixi ſupra ex Nazianzeno quia ſitit ſitiri Deus: ſitim hanc ſitit in nobis Chriſtus. Sitit ut noſcamus Deum, ut credamus in ipſum, ut ſperemus. Sitit ut eum toto corde, totâ animâ, totis viribus, totâ fortitudine amemus. Heu quantam ſitim vult ſui amoris in nobis Deus? Sitit obedientiam voluntati & præceptis ejus: ut ſit cibus, ſit potus, ſit delectatio, ſit vita noſtra, facere voluntatem ejus. Sitit noſtram converſionem ad Deum: conſurrectionem à peccatis: emendationem vitæ, profectum in virtutibus, perſeverantiam in bono, modeſtiam in proſperis, patientiam in adverſis. Sitit Chriſtus noſtram ſitim & quidem inexplebilem ad placendum Deo, ad exaltandum nomen ejus quàm maximé, quàm latiſſimè in nobis, in aliis. Sitit Chriſtus noſtram ſitim ſalutis animarum, de qua jam aliàs dictum. Sitit Chriſtus miſericordiam in pauperes vivos, & mortuos: pauperes corpore, pauperes animâ. Sitit Chriſtus ſitim juſtitiæ, beatosq; vocat qui ſitiunt ac eſuriunt eam: ſive ſint privati, ſive in magiſtratu, & officio politi. Sitit Chriſtus ſitim noſtram, in amandis ex corde inimicis, condonandis injuriis, in benefaciendo malefactoribus, in orando pro perſequentibus, in benedicendo maledicentibus. Sitit Chriſtus ſitim crucis ſuæ in nobis. Sitim paupertatis, contemptuum, dolorum, ingratitudinum, detractionum, accuſationum, oblivionum, propter juſtitiam, propter virtutem, propter Dei gloriam, & voluntatem. Vno verbo ſitit in nobis Chriſtus ſitim majorem malorum hujus vitæ; quàm bonorum: hic nos vult Dominus dicere bonum malum, & malum bonum: amarum dulce, & dulce amarum: vile honorificum, honorificum vile: ſtultum prudens, prudens ſtultum &c. & ratio eſt, quia utilius eſt hic nobis mala aſſiduò perpeti, quàm bonis ſemper abundare: mala enim dum nos premunt, ad Deum nos ire compellunt: proſpera autem in Dei & noſtri oblivionem nos mittunt. Sitit Chriſtus in nobis, ſitim vitæ æternæ, ſitim beatitudinis & gloriæ meritis cumulandæ. Sitit

A Chriſtus ſitim gratiæ, & amicitiæ ſuæ. Sitim imitationis ſuæ. Sitit Chriſtus ſitim in nobis orationis & cum Deo familiaritatis, præſentiæ ejuſdem, invocationis, laudationis, deguſtationis ejuſdem. Non enim facilè eſt invenire quid Chriſtus ambitioſius ſitire poſſit, velit, ſoleat, apud nos: quàm frequentiam noſtræ cum illo, illiusq; nobiſcum converſationis per orationem. Hæ ſunt deliciæ quibus captus amat eſſe cum filiis hominum.

11. Clamat Dominus *Sitio*: ut extinguat in nobis multiplicem ſitim: quâ infeliciſſimè laboramus plurimi. Ah quàm multiplex eſt noſtra ſitis ſedanda neceſſariò; ni volumus in illam æter-

B nam ſitim devolvi: in quâ gutta aquæ petitur fruſtra in æternum, ſedanda autem Chriſti ſiti, Chriſti ſanguine, Chriſti morte. Enumeravi ſupra ſitis noſtræ aliquot genera. Sed ſunt innumeræ: quotquot ſunt deſideria peccatorum, tot ſunt ſites noſtræ miſerabiles, & extinguendæ. Sed ſuper omnia extinguenda eſt ſitis ipſa peccandi: præparatio mentis & voluntatis ad peccandum, ad peccata ſeu committenda, ſeu multiplicanda, ſeu proroganda, repetenda. Omnia peccata mortalia complent infernum: ſed ſitis hæc, ſed præparatio hæc ad peccandum, infernum facit æternum. Etenim ſi tamdiu peccare parati ſumus, quamdiu vivimus, etſi in æternum vive-

C remus: jam igitur quantum ex nobis eſt, & quantum ad hanc præparationem cordis noſtri, æterni peccatores ſumus, & quid miramur ſi à Deo, qui præparationes cordis magis, quam manuum operationes ponderat, in æternum, pro uno etiam mortali peccato caſtigamur. Non eſt hæc injuria ſed juſtitia, neq; eſt crudelitas, ſed æquitas, ſeu æqualitas. Maximè quando peccator voluntariè mortale peccatum committens, hoc ipſo quia committit, voluntarié ſe in talem ſtatum immittit, ex quo egredi ſuis viribus illi impoſſibile ſit: & ratione cujus æternus Dei inimicus evadit. Pſalmiſta canit Deo de juſtis: *Præparationem cordis eorum audivit auris tua*: (Pſal. 10. 17.) ſed hoc ipſum & de impiis occini poteſt: quia Dei auris

D præparationem cordis eorum, ad malû patrandum, innovandum, continuandumq; audit; & conſequenter punit. Hanc ſitim ſi extinguamus: fons pecca-

Digitized by Google

torum extinguitur: & omnis ſitis peccati excluditur. Hanc ſitim extinguere tam rari ſolent, ut dixerit audacter, ſed omnino veraciter Ambroſius. Plures à ſe vivos qui innocentiam ſervaverunt, A quàm qui pœnitentiam poſt lapſum debitam egerunt. Nimirum peccatum facilè eſt extinguere, ſed peccandi ſitim non eſt facilè tollere: uti ex tot recidivis malitioſè licet colligere. Non intelligo autem per hanc ſitim peccandi fomitem, vel concupiſcentiam peccati: nec defectibilitatem naturalem in genere moris. Nam hæc naturæ, illa originalis noxæ hæreditas in nobis eſt: ſed intelligo: malignæ voluntatis pondus & guſtum quo præparata eſt latenter indulgere vel ſibi, vel ſenſui, neglectâ voluntate Dei: quam ſitim rariſſimi pœnitentium tollunt: aſſueti autem peccare vix unquam de eâ abolendâ curam ſuſcipiunt: & licet fortè aliquando ſuſcipiunt: B quâvis occaſione illam reaccendunt: atq; ita ſemper peccare ſemper parati ſunt. Hanc ergo ſitim ſitit extingui in nobis JESUS.

12. Chriſtus moribundus ſitit. Hæc nimirum clauſula eſt vitæ hujus omnibus omnino communis: ſive enim juſti ſint, ſive peccatores, qui moriuntur, cum ſiti moriuntur. Nam ut omittam quod rari ſint qui non velint diutius vivere, etſi debeant miſerrimè vivere. Omnis juſtus ſi juſtus eſt, moritur cum ſiti Dei, cum ſiti vitæ æternæ, cum ſiti abrumpendæ vitæ præſentis miſeriæ, cum ſiti evolandi procul & plenè ab omni peccandi occaſione, cum ſiti melius vivendi & Deo ſerviendi, quàm ſervitum eſt C in præterito vitæ tempore: etſi fortè daretur diutius vivere: cum ſiti amplius laborandi, & patiendi, pro augmento Divinæ gloriæ. Omnis peccator contra ſitit diutius vivere: ſitit bonis hujus mundi frui, ſitit cupiditatibus ſuis paſci, ſitit inter peccandi occaſiones & illecebras eſſe: quas tamen minimè reputat perditionis ſuæ ſegetem eſſe. Sitit creſcere opibus, attolli honoribus, ex-
Lucæ 16. 24. pleri voluptatibus. Cum hac ſiti *deſcendit ad inferos*: & in æternum ſitit, vel unam aquæ guttam, quam tamen non accipit. Elige homo quam ſitim ſitire vis, elige quam ſitim deferre ad mortem, & in morte experiri vis: prima ſitis juſtorum clauditur æternæ beatitudinis & voluptatis flumine: quia ita ſi- D
Cant:5.1 tientibus dicitur: *Comedite amici & bibite & inebriamini chariſſimi.* illis dicitur. *Tor-*
Pſ:35.9. *rente voluptatis tuæ potabis eos.* illis dicitur. *Ducet eos ad vitæ fontes aquarum.* Apoc:7. 17. Secunda ſitis peccatorum, hic incipit, in inferno autem reaccenditur, & in æternitate ſemper creſcens conſervatur.

13. Clamat Dominus ſitio. Eccleſiam ſitiens, & ab ejus fructibus recreari cupiens. Iudæa enim nunquam ejus ſi- Iſaiæ 5. 2.
tim explevit. Quantum laborârat, ut ab eâ ſitis ſuæ remedium impetraret, Matt:21. 33.
explicatè ſumptû, laboremq; ſuum enarrat apud Prophetam: explicatius etiam Ierem:2. 21.
& per ſe in Evangelio, nec tamen obtinuit ut faceret uvas ſed tantùm illi pro- Matt:21. 43.
poſuit labruſcas. amariſſimas, quarum vinum fel draconum merum. Ergo ſitim ſuam ad Eccleſiam convertit: dicens: *auferetur à vobis Regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus*: perdidit-
que homicidas illos, & malos agricolas Cant:7. 9.
malè perdidit: ac vineam ſuam, aliis locavit agricolis; qui reddunt fructum ei in tempore ſuo: vinum ſcilicet optimum, dignum dilecto ad potandum, labiiſq; & dentibus illius ad ruminandum.
Hoc ergo vinum ſitiebat: hujus ſiti ſe Iudic:1. 15.
ardere profitebatur & fere illud quod Axa ad Caleb Patrem ſuum, hoc ille ad Patrem æternum dicebat. Terram arentem (ſterilem ſynagogam, nihil præter ſpinas, tribulos, labruſcas, proferentem) dediſti mihi Pater: da & irriguam quæ ſitim meam levet: da Eccleſiam ex gentibus & populis conflatam, quoniam aquæ multæ, populi multi.

14. Clamat Dominus Sitio: ut vincat diabolum gulâ quondam victorem, & ille quidem comeſtione tantùm impulerat hominem in ruinam: quando pomi noxialis morſu in mortem ruit Adam: JESUS autem, & cibi & potûs tormento, gulæ culpam expiat, diabolumq; expugnat: audi triumphantem ſimul ac pugnantem Dominum: dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti meâ potaverunt me aceto. Non dubium enim Dominum & fame, & ſiti, cruciatum in Paſſione: cum utriuſq; eaſdem cauſas habuerit patiens: ſed in utrâq; victus eſt Sathan: tum quia famem comeſtioni oppoſitam ſenſit, tum quia famem felle cruciatam horruit: tum quia ſitis Dominicæ ardore aduſtus eſt: tum quia remedio crudeli & novercali ſitis aceti ſcilicet à Domino accepti poculo ipſe inebriatus, & in tartara detruſus eſt.

15. Pendens in Cruce Dominus ſitit. Gen: 9. 21.
Noë guſtato vino vineæ quam poſt diluvium plantaverat, inebriatus & in tabernaculo ſuo nudatus jacuit. Chriſtus exhauſto Paſſionis calice ſibi à Synagogâ propinato,

propinato, in crucis tabernaculo nudatus jacens ſitit: ambo illuduntur à filio nequam: ita & ſitire, & inebriari populo nequam, ſemini ſcelerato perinde eſt. Expungit tamen Chriſti ſitis Nócticam ebrietatem: & ſapientiùs agit Redemptor mundi à peccato, quàm conſervator mundi in diluvio.

PARAGRAPHUS CLVIII.

Matt: 27. 48.

JESUS in ſiti aceto potatur.

Pſal: 68.22. *In ſiti meâ potaverunt me aceto.*

STROMATA

1. INimici Chriſti audientes eum de ſiti ſua ſignificantem: ſpongiam ad arundinem longiuſculam hyſopo circumligantes, eamq; aceto, quod erat in promptu implentes ori Dominico admovent: nec reſpuit oblatum acetum JESUS ſed de illo aliquid accepit. Ex vaſe pleno aceti in promptu poſito ſatis apparet, morem hunc fuiſſe ut crucifixis adhiberetur acetum: tum ad ſiſtendum ejus acrimoniâ fluxum ſanguinis conſtrictâ carne: tum ut ſitientibus ex dolore, & defectione propinaretur ſenſuſq; à deliquio revocarentur: tum ut mors iiſdem acceleraretur: tradunt enim lethaliter ſauciis vel agonizantibus propinatum vinum vel acetum mortem maturare: quod ſi ita eſt contrarios affectus habebit ſimul acetum in talibus: nam & deliquium patientes revocabit ad ſe ſe, vegetabitq; ſenſus fatiſcentes: proinde vitale erit: maximè ſi ſucco hyſſopi miſceatur, qui etiam ſenſibus vegetandis prodeſſe traditur: & nihilominus ad mortem accelerandam juvabit: quæ concordent, ut volunt, naturæ ſcrutatores, ego id interim non ago: oblatum Chriſto acetum, & ab eo ſumptam expendere contentus.

2. *Acetum Chriſto propinatur ſitienti, & moribundo.* Necdum expleta erat hoſtilis rabies contra Dominum: lætatur oblatam rationem affligendi occaſionemq;: cognovit, dicente ipſo, illum ſitire: non negligit occaſionem: acetum offert, propinat, eoq; potat ſitientem: ità etietiam tunc ludebatur in malis Domini: & ad interiorum ejus afflictionem, palati, faucium, linguæ, gutturis, viſcerum; cum riſu, & cachinnis penetrabatur. Prô? malitia quando tandem finem habebis? *Iabel Siſaræ fatigato, aquam petenti, lac dedit:* Iudic: 4. 19. licet mortem ejus cuperet. Inimici Chriſti crudeliores; ſitienti extremè neq; laç, neq; aquam ſed acetum propinant: bene Auguſtinus alloquens Iudæos acetum propinantes. *Hoc minus feciſtis, date quod eſtis.* hoc nedum inſtrumento Chriſtum afflixiſtis, illum ejus ſenſum, illas interiores corporis partes rabies veſtra necdum cruciavit: porrigite acetum, acetoſi ipſi, acres, acerbi, ex bonâ Patriarcharum ſanctorum progenie, tanquam ex generoſo vino in nequiſſimos homicidas, & ſanguinarios, tanquam in mordaciſſimum acetum corrupti, & traducti: date quod eſtis, ut ex poculo conſtet de animo: ex acrimoniâ calicis, conſtet de felle mentis.

3. *In ſiti mea potaverunt me aceto.* Non hoc diceret Dominus niſi in hoc malitiam hoſtium, & injuriam ſuam eamque gravem expertus fuiſſet: gravis fuit: ideò & prædicenda tanto ante, & implenda poſteriori tempore, & ad notitiam ſæculorum ſequentium deducenda fuit. Exercuit hic nimirum hoſtis implacabilis odium ſuum: nam non tantùm cruciavit, ſed etiam irriſit, etiam morti celeriori cauſam dedit. Non tantùm cruce homicida, ſed etiam poculo; nec tantùm crudelitate hoſtis, ſed etiam humanitate: nec tantùm affligit, ſed etiam affligendo illudit: ridet, & cruciat, cruciat, ut rideat.

4. Damus acetum Chriſto moribundo omnes, quotquot peccatum cumulamus peccato. Sitit Chriſtus pœnitentiam noſtram: nos ſi culpam aggerimus ſuper culpam, ſi pro pœnitentiâ exhibemus impœnitentiam, ſi impœnitentiæ adjungimus excuſationem, defenſionem, conſuetudinem; quid aliud agimus niſi porrecto aceto acceleramus Chriſto mortem.

5. Epulo ille ſepultus in inferno, guttam aquæ poſtulavit: non impetravit quidem aquam: ſed tamen non accepit etiam obtruſam aceti acrimoniam. Infelicior in cruce ſitiens Chriſtus: ſitivit: at hoſtis ejus, & aquam negavit; & aceto miſerum potavit? Et quid jam Iudæos iſtos comparem mandibulæ aſini, aut petræ deſerti? *illa Samſoni & ad* Iudic: 15. 19. *victoriam ſervivit*, & ſiti deficienti, aquam miniſtravit: *hæc ſitientibus aquas, largiſſimas*, Num: 20. 11. eaſque etiam dulciſſimas, & quaſi melleas, tanquam favus mellis eſſet ſuppeditavit:

peditavit: at inimici Chriſti, ſitienti acetum porrexerunt: non tam ſuâ naturâ acerbum, quàm ſuâ rabie crudeli, & ſimul illuſoriâ felleum. Verè Domine *vinea tua converſa tibi eſt in pravum.* Verè vinea iſta, *vinea Sodomorum, & de ſuburbanis Gomorrhæ, uva ejus, uva fellis, & botri amariſſimi, fel draconum vinum eorum, venenum aſpidum inſanabile*

Jerem:2. 21. Deut:32: 32.

6. Porrectum acetum accepit JESUS: ne defugeret patiendi adhuc amplius occaſionem: & charitatis pati volentis exſatiaret ſitim, & nobis commendaret patiendi aſſiduam famem, & deniq; noſtrum vitæ præſentis, quod perpetuò nolentes, volentes, boni, ac mali, potamus acetum, converteret ſi cum gratiâ ejus id curemus, in conſolationis, & meriti, & profectus, & ſatisfactionis, & ſanctificationis, & glorificationis vinum.

7. Bibit JESUS moriens porrectum ſibi acetum: quid mirum quod biberet? totâ ſuâ inter mortales vitâ nihil biberat aliud: felle vixit, aceto potatus eſt: auſus etiam lapides porrigere diabolus: ſed ab ortu ad mortem uſq; ſemper acetum bibiſſe illum agnoſcit, quiſquis vitam ejus noſcit: quomodo ergo mutaret convivandi, & potandi rationem in morte: qui totâ in vitâ ſaginatus eſt alio nullo præterquam patientiâ? An non acetum? non habere locum in diverſorio, ad naſcendum? in propria venire, & à ſuis non recipi? in ſtabulo naſci, pannis involvi? an non acetum circumcidi? an non acetum ad necem quæri, in Ægyptum intempeſtâ nocte fugere, exulem eſſe? &c.

8. Moriebatur ſiti à deſperante etiam abjectus Matre Iſraël puer: *adfuit verò Angelus Domini qui aquam monſtraret, & puero vitam daret abjecto ſubter unam arborum.* O mi Æterne Pater: nonne iſte JESUS, ſuper unâ arbore pendens, à Matre ſynagogâ affixus: nonne & ille eſt ſemen Abrahæ? imò nonne filius tuus? nonne & ipſe exauditio Dei, ſive Iſraël: nonne & ipſe ſiti moritur? ubi tamen Angelus aquam monſtrans vel portans? Et Eliæ quidem etiam dormienti ſcyphus aquæ ad caput apponitur per Angelum: Chriſto ſitienti nec aqua per Angelum propinatur, & acetum per Iudæos porrigitur. Itane Angeli pretioſiores vobis filii hominum filio Dei, aut major erat ſitis eorum ſiti Chriſti? Sed non miror deſertum ab Angelis in ſiti, qui derelictus ſit ab ipſo Æterno Patre in morte?

Gen:21. 19.

9. Extraxerunt inimici Chriſti ſanguinem totum Chriſto: neq; tamen ſitientem dignati ſunt aquæ poculo. Saltem tantum aquæ exhibuiſſent, quantum cruoris ejus fuderant vel pedibus calcarant? Sed digna non fuit ſynagoga, neq; Chriſtus voluit recipere hanc mercedem, ſeu compenſationem ab ipſâ: ſervatum eſt hoc obſequium Eccleſiæ: quæ ſitim Chriſti ex ſudore, & Paſſione, & fuſo ſanguine natam, ſedabit Martyrum ſuorum ſanguine, & Confeſſorum ſudore.

10. Bibit acetum JESUS: non quia ab Iudæis inimicis, irriſoribusq; porrectum, ſed quia à Patris voluntate ordinatum, & veluti manu in manus datum. JESUS ut impleretur ſcriptura dixit ſitio &c. Ita ita diſcamus amara quælibet potare: quia á providentiſſimâ voluntatis Divinæ ſuavitate ordinata, præparata, condita, porrecta, infuſa. infuderit illa diabolus, infuderit homo inimicus, infuderit caſus, infuderit iratus Deus nihil refert: voluntas Dei pro omnibus, & præ omnibus condimentis eſto. dicamus cum Chriſto. *Calicem quem dedit mihi Pater,* optimus Pater, Deus Pater: *non vis ut bibam illum?* ô bibam certè, & ſuaviter bibam, & totum clambam: quia voluntatis Divinæ ſuavitate conditus eſt: quia Divinæ providentiæ manu benedictus, & ab omni alienâ infectione abſterſus, & mihi in ſalutem, in medelam, in meritum, in vitam porrectus eſt. Sacramentum eſt calix tribulationis, aliud foris patet, aliud intus latet, ſigna ſunt foris: gratia intus: ne abhorre ſigna, ut potiaris, ut augearis, ut ſanctificeris gratiâ.

11. Sitit JESUS, & acetum bibit: tam ſumus parci, tam duri, tam ingrati, tam ſordidi in Deum: nobis vina, acetum Deo: á quo habemus vina. Nobis bona prima, quiſquilias bonorum Deo, á quo habemus omnia bona: audite mortales, quàm acerbum hoc acetum ſit guſtui Divino. *Si offeratis cæcum ad immolandum nonne malum eſt? & ſi offeratis claudum & languidum nonne malum eſt? Offer illud Duci tuo ſi placuerit ei. aut ſi ſuſceperit faciem tuam dixit Dominus exercituum &c.* Et iterum. *Nunquid tempus vobis eſt, ut habitetis in domibus laqueatis: & domus iſta deſerta.* Ita acetoſi in Deum ſumus: ita optimam ætatis, & vitæ, & ſtudiorum, & laborum, & dierum, horarumq; partem, nobis & noſtris rebus impendimus: quod reliquum eſt Deo concedimus: ſerii, accurati, mundi, exquiſiti, pretioſi, ſuperflui, delicati, in noſtris commodis: at

Malach: 1. 8. Agg: 1. 4.

dis: at in Divinis uſibus planè perfunctorii, ſteriles, parci, ſordidi. Heu quàm nitent Palatia, quàm ſordent altaria: nitidiores calcei pedum noſtrorum, quàm calices Sacramentorum, caligæ prætioſiores ac mundiores, quàm paramenta ſacrificiorum: purgatoria equorum ſtabula quàm Dei templa: vino madent, marmore nitent pavimenta aularum: teſta interim perpluunt & perfluunt Eccleſiarum: alea pernox abſumit millia: & ſervis Dei, & cultui Divino & pauperibus Chriſti vix eſt quem offerre dignemur, obulus. O acetum quantum propinaris Deo ſitienti? Quàm attentè, comptè, eleganter, modeſtè, compoſitè, ad ceremoniarum artem colloquimur, confidemus, conferimus, poſtulata, & reſponſa damus inter nos: quàm cauti ſumus, ne verbum moroſius, ne motus inutilis, ne hæſitatio rudior loquentibus obrepat: quæſo hæccine cura urbanitatis, & honeſtatis dum in templo ſumus, dum ſacrificio adſumus, dum oramus, dum verbum Dei audimus? pro quantum, & hic aceti, quantum hic moroſitatis, inurbanitatis, barbarici? nuſquam magìs ad normam Galatei culti, quàm quando cum Deo, & divina tractamus: ita ita acetum ſemper Deo: ſemper acetum Chriſto propinamus. Et miramur ſi acetoſa nobis ſunt omnia. Corpus, Anima, conſcientia, uxor, filii, amici, famuli, negotia, officia, poſſeſſiones, ratio ſtatus tam privati, quàm publici, vita, & deniq;, maximè autem ipſa mors: omnia aceto plena, omnia felle mixta: ac inprimis hora vivendi ultima: quare hoc? potaſti Deum aceto tuo: potat te Deus aceto ſuo: *quantum glorificaſti te in deliciis tuis, tantùm datur tibi tormenti, & luctûs*: imò duplicantur tibi duplicia. Hæc eſt juſtiſſima retributio ejus, qui ſibi theſauriſat & non eſt in Deum dives.

Apoc. 18. 7. 6.

Luce 12. 21.

12. Acetum propinat ſitienti Chriſto, omnis, qui eleemoſynam quidem tribuit indigenti pauperi, ſed animo moroſo, & paupere prius verbis ſuis confuſo, vel exaſperato. Etenim quod uni ex his minimis fratribus Chriſti datur: hoc Chriſto datur, etiam ſcilicet confuſio, etiam exaſperatio.

13. Inter verbum Domini: Deus meus Deus meus, ut quid dereliquiſti me: ac inter verbum ſitio, apparet modicum temporis interceſſiſſe: etenim ii qui cruci adſtabant ſervantes ac illudentes ad hunc Chriſtum: occaſione vocis Eli Eli, ſive in errorem, ſive in riſum ducti, cœperunt putare, certè dicere quod Eliam vocaret: hocq; illis dicentibus ac opinantibus, ſubintulit Dominus; Sitio: atq; hic aliqui audientium, ad acetum ſitienti porrigendum acceſsêre: alii autem vel non dandum acetum cenſuere: ſed dicebant ei qui ſpongiam aceto madidam porrigebat ſine, quaſi abſiſte ab hac porrectione: videamus an veniat Elias liberans eum: porrigens verò acetum in contra dicebat. Sinite, quaſi, tantiſper à me illi acetum dari, eiq; illud permittite: ut eo refectus duret, & nos videamus ſi veniat Elias ad deponendum eum. Et priores quidem qui dicebant, ſine. Videntur illâ potatione noluiſſe mortem accelerari Chriſto, ut ita Elias veniens inveniat vivum, aut certè nolebant Eliam ab adventu impediri, quaſi non eſſet venturus, niſi is receſſiſſet à Chriſto. Hic verò aceti porrector, videtur per oppoſitum voluiſſe aceto refocillare Chriſtum ne ſiti moreretur prius quàm Elias adeſſet ad ponendum eum. Ita utriſq; horum vacabat, & lubebat ludere in Chriſtum, malaq; illius ſarcaſmis exacuêre &c. Advertendum etiam diverſitatem quæ in narratione Matthæi eſt, Marci hac ratione conciliari poſſe, quæ dicta eſt.

PARAGRAPHVS CLIX.

JESVS dicit conſummatum eſt. Ioan: 19. 30.

Complevit Deus die ſeptimo opus ſuum quod fecerat. Gen: 2. 2.

Conſummatus (Dei Filius) factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ. Hebr: 5. 9.

Obtulit (Moyſes) & arietem ſecundum in conſecrationem. alia lectio. Arietem conſummationis. Arietem plenitudinem. Arietem explicationis Levit: 8. 22.

Omnis conſummationis vidi finem Pſal: 118. 96.

Zorobabel manus fundaverunt eam (Domum Domini) & conſummabunt eam. Zach: 4. 9.

Finitus eſt pulvis & conſummatus miſer. Iſaiæ 16. 4.

Opus conſummavi. Pater quod dediſti mihi ut faciam. Ioan: 17. 4.

Conſumatio abbreviata inundabit juſtitiam. Conſummationem enim, & abbreviationem faciet Dominus Deus exercituum, in medio terræ: Iſaiæ 10. 22. 23.

Etenim ea quæ ſunt de me finem habent. Luce 22. 37.

STROMATA

1. Accepto novercalis poculi hauſtu JESUS: ſicque completo quod reſiduum ſibi viventi erat Paterno mandato, & ſcripturæ præſagio: Conſummatum eſt; ait: planè acſi diceret Pater opus conſummavi quod dediſti mihi ut faciam: & dixit hoc meliùs, pleniùs,
2.Tim:4 7. juſtiùs quàm Paulus poſtmodum. *Curſum conſummavi, fidem.* (obedientiam, charitatem) *ſervavi* Quidni diceret? quando nec jota, nec apicem unum præterire ſivit, quem non impleret? Ergo quia omnis conſummationis videt finem, dicit conſummatum eſt.

2. *Conſummatum eſt.* O verè conſummatum. 1. Conſummata hominum malitia 2 DEI miſericordia. 3. Chriſti obedientia. 4. Mundi Redemptio. 5 Scripturarum oracula. 6. Sanctorū deſideria. 7. Tyrannis diaboli 8. Synagogæ ritus. 9. Ortus Eccleſiæ.

3. *Conſummatum eſt.* Opus æternæ Redemptionis, quod ſapientia invenit. Omnipotentia peregit, juſtitia acceptavit, miſericordia voluit, charitas dedit, opus plenum gratia, & veritate, obedientiâ, & humilitate, patientiâ & manſuetudine, conſtantiâ, & fortitudine prudentiâ, & charitate.

4. *Conſummatum eſt*: verè conſummatum, quia finitus eſt pulvis corporeæ infirmitatis, in Chriſto: & conſummatus miſer pendens, patiens, moriens in Cruce. Ex tunc autem non dabit ſanctum ſuum, videre corruptionem.

5. Finitus eſt pulvis ille cui dictum fuerat olim. Terra es, & in terram ibis: Pulvis es, & in pulverem reverteris: conſummatus eſt miſer. Adam vetus, qui in ſudore vultus veſcebatur pane ſuo, jam conſummatus eſt; jam invenit Redemptorem: qui & illi, & omnibus cum eo vinctis, dicet. Exite.

Levit: 8. 22. 6. *Conſummatum eſt.* Moyſes in conſecratione ſummi Sacerdotis, & ſociorū ejus, obtulit & ſecundum arietem. Quis iſte eſt aries ſecundus: niſi ipſe Chriſtus: qui autem ſe ipſum obtulerat velut Agnum in cænâ, ſecundò ſe offert velut arietem plenitudinum, & expletionis, & conſummationis, & ideò ait. Conſummatum eſt.

7. *Conſummatum eſt.* In molitione machinæ mundialis DEUS cùm omnia condidiſſent quæ placuerant, complevit ea die ſeptimo, & requievit: ita & in reſtauratione ejuſdem, cum DEus-Homo perfectè abſolviſſet Redemptionis opus, ait conſummatum eſt: & ſabbatizavit die craſtino, id eſt ſeptimo.

8. *Conſummatum eſt.* Conſummata enim eſt ſumma ſapientia, ſumma patientia, ſumma charitas. Sapientia per ſtultitiam. Potentia per infirmitatem. Charitas per malitiam. Victus eſt victor, victor eſt victus. Captus eſt captivator. Infirmatus eſt qui prævaluit. Mors per mortem mortua eſt. Peccatum peccato deletum. Inimicitiæ odio deletæ. Rei occiſo judice ſuo abſoluti ſunt. Vita moriendo vivificavit mortuos. Vulneratus ſanavit ſaucios. Omnia conſummata ſunt: ipſa æternitas finem accepit: & finis finem amiſit.

9. *Conſummatum eſt.* Mundi ægroti medicamentum ſed ipſius medici infirmitate, & morte. O miram conſummationem! miram medendi artem! Medicus ægrotum ſi quem ſanandum ſuſcipit: 1. Exercet abſtinentiâ. 2. Quæ ſi non vincit morbum adhibet ſudorifera, & elicit ſudores. 3. His non conducentibus, ſecat venam ſanguinem mittit. 4. Si morbus nihilominus contumax eſt, acriora, & extrema adhibet, urit, ſecat, mortificat partem ut ſervet totum corpus. Hæc facit medicus ſed ægroto ipſi, non ſibi. Medicatio mundi ægroti non fuit ſic: omnia quidem hæc adhibuit medicus, ſed non ægroto, verum ipſi ſibi. Medicus noſter eſuriit, medicus noſter ſudavit, medicus noſter ſanguinem ſuum miſit, medicus noſter morte ſe ipſum conſummavit: & ſic infirmum ſanavit. O mira circa nos Divinæ Pietatis dignatio, *ut ſervum redi-* Gen: 22
meret Pater filium tradidit, filium occidit. Et 13.
Abraham quidem ſacrificium inchoavit in filio, conſummavit tamen in ariete: cœleſtis autem Pater pepercit ſervo, pepercit peccatori: pepercit hirco: conſummavit pœnas ſervi, & rigorem juſtitiæ ſuæ in ſanguine, & morte filii.

10. *Conſummatum eſt.* Dixerat non ſemel Dominus: *qui perſeveraverit in finem* Matt:10.
hic ſalvus erit. Et iterum. *In patientiâ* 22.
veſtrâ poſſidebitis animas veſtras. Et adhuc Luca 21.
Semen quod cadit in terram bonam fert fru- 19.
ctum multum in patientiâ. ita qui de mille Luca 8.
nobis occinuit: ſed in ſe ipſo veritatis 15.
exemplum habet. de illo dicitur. *Qui perſeveraverit uſq; in finem hic Salvator erit. In patientiâ ſuâ poſſidebit animas multas*: hoc eſt *redimet omnes. Granum frumenti cadens in terram crucis, & mortuum factum fecit fructum multum in patientiâ conſummatâ Paſſionis.*

11. *Conſummatum eſt.* Hoc eſt enim verò verbum vitæ, verbum ſalutis, verbum conſolationis. Quidquid aliud dixeris, vel

Digitized by Google

xeris, vel feceris, vel ſuaſeris, vel oſtenderis boni: niſi conſummatum eſt, non placet quia non prodeſt. In hoc verbo conſummatum eſt omnia inſtaurantur, omnia ſubſiſtunt, omnia conſtant. In hoc verbo conſummatum eſt, vita æterna eſt. Sine hoc non eſt. Hoc verbum conſummatum eſt, Chriſtus eſt. Si hoc non eſt Chriſtus non eſt. Omnino nolo Chriſtum authorem, niſi habeam & conſummatorem. Sed neq; Chriſtus recipit Chriſtianum inchoantem, niſi habeat eundem conſummatorem. Inchoaſti at non perfeciſti, nihil feciſti: voluit aliquis ædificare turrim, cæpit fundamentum ponere: ſed deficiente ſumptu non potuit conſummare: ergo homines, imo ergo Chriſtus, ergo Deus, ergo omnes, qui viderunt cæperunt illu-
Lucæ 14. 30. dere ei dicentes: *hic homo cæpit ædificare, ſed non potuit conſummare.* Ita omne opus bonum, ſi conſummationis non habet terminum, vertitur authori in ludibrium. Non quæruntur in Chriſtianis initia ſed fines: non approbantur in virtutibus exordia ſed perſeverantia: inchoare omnes poſſunt: conſummare
1. Cor 9. 24. paucorum eſt. *Nonne multi in ſtadio currunt & omnes quidem currunt, ſed unus accipit bravium.* Vnus non numero perſonæ, ſed unus conſummatione perſeverantia. Ille
Lucæ 9. 62. non fuit unus qui mittens *manum ad aratrum reſpexit retrò*: & ideò bravium non accepit: ideò non fuit aptus regno cœlorum: quia unus ad aratrum non manſit: inchoavit aſpiciens ante, & poſteà reſpexit retrò & jam alius factus eſt, à bravio, à regno excluſus eſt. Heu quàm facilè eſt unum non eſſe? tam ſcilicet quàm retrò reſpexiſſe. Non eſt prœmium in inchoatione ſed in conſummatione. Non acceperunt denarium *qui primâ horâ venerunt*, ſed qui *ad veſperam laborarunt, etſi noviſſimi, & unâ tantùm horâ ſecerunt.*

12. *Conſummatum eſt.* Diſcamus omnes filii Chriſti, diſcamus medullitus hoc verbum *Conſummatum eſt.* Nulla noſtra actio ſine hoc verbo ſit, nam ſi conſummata non eſt. Deô placere, nobis prodeſſe non poteſt. Hoc verbum & perfectionis, & perſeverantiæ eſt; omni ergo operi clauſulam hanc apponamus ſemper, conſummatum eſt. & jam neq; perfectio, neq; perſeverantia, conſequenter neq; prœmium & corona deeſt. Quidquid ergo facere diſponis, ita fac ut conſummationis clauſulam ante omnia proponas: poſt omnia apponas: quidquid agis perfectè age, perſeveranter age; & non confunderis cum loqueris inimicis tuis in portâ. Hoc eſt quod odit in nobis diabolus perfectionem & conſummationem boni, quod inchoaſti, nec perfeciſti, nec conſummaſti, præda ejus ludi-
A brium ejus eſt, tuum verò damnum, confuſio tua.

13. *Conſummatum eſt.* Si jam omnia conſummata ſunt, ſi omnia finem habent, quæ de Chriſto ſcripta ſunt in lege, Pſalmis, Prophetis; ergo jam Chriſtus Iudex vivorum, & mortuorum non venit: ergo jam Chriſtus: qui adhuc eſt in cruce, reſurrexit, & aſcendit? utilis dubitatio, ſed ad animam profundè demittenda ſolutio. In ſcripturis quædam de Chriſto prædicta ſunt, ut Redemptore, quædam ut de remuneratore. Ea quæ ad Redemptorem Chriſtum pertinent, omnia impleta ſunt, omnia finem habent, omnia conſummata ſunt: & idcirco dicit Dominus *Conſummatum eſt*:
B quæ de Chriſto remuneratore prædicta ſunt, nondum omnia completa, imò non niſi in fine mundi complenda ſunt: De quò ne fortè dubites: confirment te ea quæ de Redemptore prædicta ſunt, & impleta vides: Sic enim ea quoq; quæ de remuneratore prænunciata ſunt, implenda certus eſſe debes. Venturus erat in carne patibili humilis Dominus, in eâdem erat paſſurus, & in crucis ſtipite moriturus: impleta ſunt ſicut prædicta ſunt omnia; & lugemus mortem Chriſti, & deteſtamur perfidiam Iudæ, malitiam Pontificum, injuſtitiam Pilati, crudelitatem mortis: deteſtamur quia facta credimus, imò ſcimus, quæ prædicta, quomodo prædicta tantò ante legimus,
C & novimus. Sed ecce de remuneratore quoque Chriſto in eâdem ſcripturâ cognoſcimus, quia veniet diſcernere populum ſuum; veniet non jam humilis, ſed ſublimis, non judicandus, ſed judicaturus; non moriturus, ſed vivis, mortuis; bonis, & malis, agnis & hædis, prœmia & ſupplicia, vitam & mortem æternam, prout merebuntur daturus: hæc futura legimus, hæc futura tam certi ſumus; tam eſſe ſaltem debemus, quàm certi ſumus facta eſſe, quæ de Redemptore Chriſto prædicta cognoſcimus. Et cur quæſo remuneratorem bonorum, & malorum Chriſtum credentes ac ſcientes venturum, non timemus? cur inquam ita ſecuri, ita nihil ſolliciti, ita in peccatis aſſidui vivimus & annos trahimus?
D Nunquid ideo quia etſi fortè credimus; ipſi tamen noſtræ fidei fidem negamus: & quod ore nos credere dicimus, hoc cepere falſum eſſe, nec unquam aut prædi-

ctum aut futurum eſſe affirmamus. Sed enim ſciat utinam ſtultitia noſtra: quia qui in Redemptionis fine dixit *Conſummatum eſt*: idem etiam in remunerationis tremendo diſcrimine dicet iterum *Conſummatum eſt*: & ibunt hi impii *in ſupplicium æternum*, juſti autem *in vitam æternam*.

14. *Conſummatum eſt*. Hoc verbum & Chriſti patientia atq; obedientia, & diaboli Iudæorumq; ſævitia ac malitia dixit. Sed Chriſti veritas manet in æternum. & diabolo & Iudæis mentita eſt iniquitas ſua. Ecce enim quod conſummavit Dominus conſummatum eſt: nec ſolvi potuerunt, aut poſſunt ſignacula o-
Deut:32. 4. peris ejus. *Dei enim perfecta ſunt opera*: & nemo poteſt ſcire, nedum mutare aut impedire conſilium Dei: at verò malitia Diaboli & Iudæorum aliorumque omnium ejus hoſtium tota eſt converſa in capita ipſorum: neq; habet finem pœna
Pſal:111. 10. ipſorum. Ecce *peccator videt & tabeſcit*. Ecce *deſiderium peccatorum perit*: & in æternum peribit. O nemo ex ſuâ malitiâ e-
Iob:8.13. xultet: quia *gloria impiorum ſicut ſtercus*
Iob.20.5. *& ſpes hypocritæ peribit*: *gaudiumq; ejus inſtar puncti*. nemo ſcandalizetur, ſi videt vitam impiorum proſperari: proſperitas illa perdet eos: è contrà vero, nemo deficiat in tribulatione ſuâ: neq; contriſtetur humilis in humilitate ſuâ: quoniam patientia pauperum non peribit in finem: ſed ubi probationem fuerit ope-
Rom:5 4. & 5. rata, hæc autem ſpem: *ſpes non confundet*: ſed conſummationem adducet vitæ æternæ.

15. *Conſummatum eſt*. Supplere poſſumus ſacrificium ſacrificiorum omnium Sacratiſſimum, omnium ſaluberrimum omnium aliorum conſummativum, omnium aliorum vita, anima, nucleus, finis. Et nos quotquot in Chriſtum credimus, perhibente Petro Apoſtolo Sacerdotes, etſi myſtici, hoſtiasq; ſpirituales bonorum operum, orationum, mortificationum, eleëmoſynarum, jejuniorum, deſideriorum, intentionum offerentes: ſed opus eſt ut in omnibus his ſacrificiis hoſtiisq; noſtris, reperiatur ſacrificium iſtud Chriſti conſummativum: ut ſit tam Chriſto, quàm ſacrificio ejus unitum: ac per illius efficaciam, pretium, dignitatem conſummatū.

16. *Conſummatum eſt*. Non vacat ideò nec prætereundum eſt ubi Chriſtus hoc dixerit: Dixit autem in Cruce. O bene: nuſquam eſt huic verbo locus nuſquam, nuſquam, niſi in Cruce: quantum quidem ad hanc vitam: nam quantum ad alteram, in cœlo unus, in inferno ſecundus, quàm feliciter in priore, tam miſerabiliter in poſteriore uſurpatur: quid conſummatius æternitate?

A quàm ergo felix conſummatio in cœlo vitæ æternæ, tam infelix conſummatio in inferno mortis æternæ: ſed ad crucē redeamus, in cruce ſolâ hæc vita conſummationem habere poteſt, in illa ſola quærere debet. Inſipientiſſimi nos ubique terrarum & locorum conſummationem quærimus ſperamus, promittimus, jactamus: quin ſæpe dicimus conſummatum eſt: adeptus ſum quod cupii: venit in manum fortuna: non effugit caſſes præda: potimur honore & magiſtratu illo conſummatum eſt. Epulati ſumus ſplendidiſſimè, lautiſſimè, conſummatum eſt. In amicis, in deliciis principi meo ſum: conſummatum eſt. Hæreditas in ſinum venit, conſummatum

B eſt. Calcavi inimicum, æmulum, conſummatum eſt. O ſtulti hoc eſt exordium calamitatum, non conſummatio felicitatum. Vidi impium (fideliſſimus ſpectator dicit & teſtatur) *vidi impium* Pſ: 36. 35.
exaltatum ſicut cedros libani: *tranſivi & ecce non erat*. Hæc ſi eſt conſummatio: fateor talium plenus eſt mundus: ſed quid eſt perditio ſi hæc conſummatio? Non eſt non eſt conſummatio vera, niſi in cruce Chriſti. illa initiorum, illa progreſſuum, illa conſummationum feliciſſimus, feraciſſimus, propriiſſimus locus, fons, nidus. teſtem habeo Chriſtum, & voce & opere: voce. 1. Dicebat autem ad omnes. *Si quis vult venire poſt me, abneget ſemet ipſum, & tollat crucem ſuam quotidie,* Lucæ 9. 23.

C *& ſequatur me*: *qui enim voluerit animam ſuam ſalvam facere perdet eam. Nam qui perdiderit animam ſuam propter me, ſalvam faciet illam.* Marci 8: 35. Quid enim proficit homo. *Si lucretur univerſum mundum ſe autem ipſum perdat, & detrimentum ſui faciat.* Matt:16. 26. Et iterum. *In patientiâ veſtrâ poſſidebitis animas veſtras.* Lucæ 21. 19. quod eſt dicere, in cruce invenietis conſummationem ſalutis. Opere quid multa probem. Chriſtus in Cruce pendens dixit, & nuſquam alibi dixit niſi in Cruce conſummatum eſt: & cauſa in promptu: quia nuſquam conſummavit alibi opus, quod dedit illi Pater in manus ut faceret: niſi quando *factus eſt obediens uſq; ad mortem mortem autem crucis.* Philip:2. 8. In Cruce igitur Chriſtiane in Cruce

D quære initium, quære profectum, quære & poſſide conſummationem ſalutis.

PARA-

PARAGRAPHVS CLX.

Luc:23.46. *JESVS clamat voce magnâ.*

STROMATA

1. CLamor JESUS jam jam morituri: & clamor magnus, atq́; ut
Hebr: 5. 7. Apoſtolus loquitur *validus*, ſineq́; dubio lacrymis permiſtus: pleniſſimus fuit miraculi: adeo ut *militum centurio id a-*
Luca 23. 26 *nimadvertens*, quod ſcilicet JESUS, *emiſſa voce* adeo magnâ exſpiraſſet glorificaverit Deum, & Chriſtum non ſolùm hominem juſtum, ſed & Dei filium confeſſus ſit. Miraculoſus fuit clamor iſte, quia cum omnes morientes deficiantur B viribus & ſpiritu, conſequenter firmitate ad clamandum voce magnâ: in Chriſto quantumvis tot laboribus, fatigationibus, ſanguinis effuſionibus, verberibus, vulneribus, doloribus, aliiſq́; ærumnis exhauſto; tanta nihilominus firmitas, & virium integritas in ipſo puncto mortis exituq́; animæ de corpore apparuit; ut voce magnâ clamare poſſet, hoc ſine dubio vel miraculosè conſervatis, vel pro illo puncto divinum per miraculum inditis viribus tribuendum eſt. Et revera alterutrum, imò ſi prius, tum & poſterius ſimul fuit: docet nam-
D. Th:3. P. Q.47. 1. 2. que Doctor Angelicus *Chriſtum Dominum toto ſuæ Paſſionis tempore integras in ſe vires corporis conſervaſſe uſq; ad mortem*: alioqui C naturaliter debuiſſet ſæpe viribus inter dolores verberum, vulnerum, aliarumq́; acerbitatum deſtitui, imò & emori, propter intenſionem dolorum ſuorum intolerabilem, propterq́; complexionis tenerrimam ſubtilitatem. Non decebat autem Dominum ita in languores deliquiave collabi inter tormenta ergo neceſſe erat vires miraculosè conſervari: uſq́; in finem Paſſionis complendæ: quocirca ſicut in reliquis paſſionis temporibus, per miraculum vires habuit ad ſuſtinendum, ita & in puncto mortis ad magnâ voce clamandum. Neq́, huic Sancti Doctoris aſſerto derogat: ſi quis objiciat: inde ſequi Chriſtum. 1. Non magnopere paſſum eſſe; ſiquidem ſemper integris viribus fuit. 2. Chriſtum non ab hoſtibus, ſed à ſe ipſo occiſum. 3: Chriſtum non naturali, ſed violentâ morte mortuum, ideoq́; nihil meritum, nihil pro peccatis noſtris ſatisfeciſſe. Non inquam hæc derogant ſenſui Divi Thomæ Nam 1 integrarum virium conſervatio: auxit potiùs dolores Chri-
A ſti ſemper quàm minuit: defectus namque virium in infirmis, vel dolentibus obtundit ſenſum doloris: integritas autem vivacitatem ſenſibus & membris confert: ac per hoc ad acrius dolorem ſentiendum apta facit: potiùs ergo hæc integritas virium contulit ad incrementum, quàm ad lenimentum dolorum in Chriſto. 2 Iam verò cum conſtet à Chriſto Domino prædictum quod nemo *tollat animam* ejus ab eo, ſed ipſe ponat, Ioan: 10. 18.
& iterum ſumat eam pro ſuâ poteſtate & voluntate: non eſt dubium ullum Chriſtum mortuum eſſe ſuâ propriâ voluntate deinde etiam hoc indubitatum eſt, Chriſtum poſt exantlatos omnes paſſionis labores doloreſq́; potuiſſe ad-
B huc non mori uti mortuus eſt: ſed potuiſſe vitam continuare & in dies, & in menſes, & in annos plures: ſive de cruce depoſitus eſſet, ſive non eſſet Si ergo potuit non mori, igitur ſponte mortuus eſt, quod ſi ſponte, inferam, ergo à ſe ipſo, & non ab hoſtibus occiſus eſt: proinde ad hoc etiam hi qui Divo Thomæ contradicunt reſpondere ad ſuam objectionem debent: & quod reſpondebunt illi, hoc & Divus Thomas illis reſpondebit. Vtrumq́; igitur verum eſt, nempe & Chriſtum ſponte ſuâ mortuum: & tamen ab hoſtibus occiſum: ſponte mortuus eſt, quia mortem quam hoſtes intulerunt; non tunc quando illi voluerunt, ſed quando ipſi libitum
C eſt in ſe admiſit: ab hoſtibus autem occiſus eſt, quia mortem quam ab ipſis propinatam ſeu illatam ſponte ſuâ Chriſtus excipiebat, & admittebat, illi malitiosè & ex odio crudelitateque intulerunt. Quod enim Chriſtus ex poteſtate faciebat, hoc nihil hoſtes ad non occidendum eum adjuvabat, ſed ille pro ſuâ poteſtate malitiam eorum acceptabat, illi pro ſuâ malitiâ, poteſtatem occiſionis in eum exercebant. Quomodo in horto cum eſſet comprehendendus Dominus & illi comprehendere Dominum ſtatim ad conſpectum primum volebant, & Dominus capi ab eis pro tunc nolebat, ideoq́; non eum comprehendebant: poſtea tamen quando jam venit
D hora Domini, quâ capi vellet: ait hoſtibus. *Hæc eſt hora veſtra & poteſtas tenebrarum*: tum ab hoſtibus comprehenſus Luca 22. 53.
eſt: hic dicimus: ab hoſtibus Chriſtus captus eſt volens: dicamus ergo & in-

præſenti, Chriſtus ab hoſtibus occiſus eſt volens. quod volens comprehenſus eſt non excuſat comprehenſores, neque poteſt dici ab eis non comprehenſus: ita ergo etiam, quod volens occiſus eſt, A non excuſat occiſores, neq; poteſt dici, non ab eis occiſus. Neq; Chriſtus poteſt, aut debet dici occiſor ſui. Si hoc dictum ſonat directam mortis ſuæ cauſam à Chriſto datam: ſed tantùm dici poteſt, quia ſuis hoſtibus, cauſas mortis efficaces applicantibus, licet poſſet, non obſtitit, ſed quando voluit earum effectum realem, ſcilicet mortem ſponte admiſit. Atq; ex dictis etiam ad tertium objectum D. Thomæ patet: quia Chriſtus nimirum: dicendus eſt potiùs violentiam paſſus eſſe à ſe ipſo, quod non fuerit mortuus: efficaciſſimas quippe habuit mortis cauſas actu applicatas, quarum tamen effectum (ipſam mortem) ille in ſe impediebat, poteſtate B ſuâ vires conſervando quandiu voluit, & ad patiendum omne quod ex ordinatione Divinâ pati debuit, neceſſarium fuit: proinde tam violentum Chriſto fuit non mori, quàm violentum & miraculoſum erat viribus non deſtitui: & mortem impedire & ulterius ſi violentum fuit Chriſto non deſtitui viribus & mori: naturale fuit applicatis tantis cauſis Chriſto viribus deſtitui & mori. Atq; ita tantùm abeſt ut Chriſtus dicendus ſit occiſor violentus ſui, ut potiùs dicendus ſit violentus ſui non occiſor: quod enim mortuus eſt, hoſtilis cauſæ & malitiæ fuit: quòd verò non quando illi volebant, cauſaſve mortis neceſſarias aut ſufficientes applicabant, ſed C quando ipſi libebat, placebatque mortuus eſt, hoc poteſtatis Chriſti, & violentiæ cauſis neceſſariis illatæ à Chriſtò fuit. Ex quibus etiam reſpondetur ad illud, quod Chriſtus ſi ad punctum mortis pro ſuo arbitrio integras vires habuit miraculosè mortuus ſit, non miraculosè autem clamore magno uſus ſit. Nam & miraculoſiſſimè clamavit: quia miraculoſiſſimè ad illud uſq; punctum temporis conſervatis viribus clamavit: & non eſt miraculosè mortuus, quia cauſæ ob quas eſt mortuus, & quas hoſtes malitiosè applicaverunt, non miraculosè, ſed naturæ ſuæ neceſſariâ efficacitate, illi vitam ademerunt & mortem intulerunt. Si tamen quis miraculum dicat D vires miraculosè ſervatas ad id temporis, miraculoſèq; ex voluntate Chriſti amotas, miraculoſam Chriſti mortem feciſſe: nihil impediet dicere Chriſtum in hoc ſenſu miraculosè mortuum. Sicuti & miraculosè dicimus captum, quia tunc captus eſt quando permiſit: non captus quamdiu non permiſit: & frenâſſe enim eorum manus miraculi ac poteſtatis fuit: & frenatas etiam remiſiſſe, ac libidini voluntatum ſervire permiſiſſe, miraculo etiam adſcribi poterit, quâ tamen remiſſione vitium factâ naturaliter & violenter ab hoſtibus captus dicendus erit. Confirmat dicta: admiratio centurionis & converſio, Divinitatiſq; Chriſti cognitio, ex clamore magno in morte a Chriſtò edito nata. Nam centurio ideò miratus eſt clamorem Chriſti in morte: quia ex ejus magnitudine collegit magnas Chriſtum vires præter morem omnium morientium habuiſſe in morte vires porro Chriſti magnas mirabatur: quia cauſas efficaciſſimas ad tollendas omnes Chriſti vires in Chriſto præceſſiſſe intuebatur: Mirabatur ergo vires non tantùm non debilitatas, ſed etiam in ipſo puncto mortis, clamoris magnitudine, quàm magnæ & integræ eſſent manifeſtatas: hoc mirabatur, hoc ſupra humanas vires eſſe argumentabatur, hoc à Deo tributum Chriſti innocentiæ & juſtitiæ concludebat: ex hoc Chriſtum Filium Dei verè eſſe profitebatur, videns nimirum quia ſic clamans exſpiràſſet. Nec intulit centurio ex hoc, occiſorem ſui fuiſſe: ſed intulit Divinæ poteſtatis eſſe ſic mori potuiſſe. propterea Deum glorificavit non occiſores excuſavit: imò occiſores accuſavit: quia furor eorum & iniquitas in tantæ poteſtatis, innocentiæ, ac majeſtatis perſonam tàm furiosè peccavit. Sed enim diſputationi præter morem noſtrum indultum: ad ſtyli noſtri rationem accedendum eſt.

2. *JESUS moriturus voce magnâ clamat.* Clamore indicans idem Iudæis quod aliquando Pilato reſpondit, non haberes (o Iudæe) in me poteſtatem ullam niſi datum tibi eſſet deſuper: à meâ nimirum poteſtate ac ſpontaneâ voluntate: quâ crudelitati tuæ jam permitto, ut mihi mortem inferre poſſit. Scito ergo, & ex clamore hoc cognoſcito, quod neque tua crudelitas, neq; tua crux, neque tui clavi, & alius. *Nemo tollat animam meam à me ſed ego pono eam à me ipſo. Poteſtatem habeo ponendi eam: & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam.* Ioan:10. 21.

3. *Clamat moriens JESUS.* Declarans ſe non infirmitate mori ſed poteſtate: poteſtate dico non tantùm voluntatis, & arbitrii, ſed etiam ſuarum virium: tanquam

tanquam Dominum vitæ ac mortis ſuæ: ac proinde ſe aliquid homine majus. Et licet hominis eſſet quod moreretur, Divinitatis tamen, quòd quando & quomodo vellet moreretur: Fuiſſe hunc Domini in clamore ſenſum, converſio centurionis oſtendit: qui ex eo Divinitatem Chriſti agnovit Deumq́; glorificavit.

4. *Clamat moriens JESUS.* Mirabatur credo ſe Deus mori & ideò ad tantum miraculum creata convocabat omnia.

5. *Clamat moriens JESUS.* Quaſi mortem ſuam omni creaturæ prædicans: ſuamq́; charitatem in aures omnis creaturæ, & totius univerſi intimans.

6 *Clamat moriens.* Omnem creaturam ad ſuas exequias mortiſq́; planctum convocans, & ſenſum mortis ſuæ etiam inanimatis impertiens

7. *Clamat moriens.* Victoriam inclamans, victum eſſe dæmonem, mundum, carnem, peccatum, mortem, inclamans; in fugamq́; dæmones avertens, & fugientes clamore inſequens, victoriamque ac fugam urgens.

8. *Clamat moriens.* Hærebat ſcilicet mors & hæſitabat, timebatq́, accedere: advocata ergo eſt clamore illo.

9. *Clamat moriens.* Quia morte ſuâ, mortuum genus humanum, veluti Lazarum ſuſcitabat: Non erat quatriduanus: ſed quatuor millia annorum in monumento & fœtore habebat: juſtius ergo ſuper iſtum, quàm ſuper illum excitandum clamat. quamvis apud Deum mille anni ſicut dies una: etiam ita Lazarus iſte quatriduanus fuit.

10. *Clamat moriens JESUS.* Condebat tunc teſtamentum novum & morte illud, tanquam teſtator conſignaturus erat. teſtes invocat & clamat; clamoreque obſignat, & valituram ſuam voluntatem demonſtrat.

11. *Clamat moriens.* Deflens fortè damnum univerſitatis: quod in morte ejus ſubituræ erant omnes rerum claſſes. Ab orbe condito: imò ab æterno nunquam tantum damnum, tam pretioſæ rei atque dilectæ ſubjerat, nec ſubitura erat omnis natura, quàm quantum in Chriſti morte ſubibat: clamat ergo & vicem totius univerſitatis flendo ſupplet. Non poterat Pater Æternus, neque angeli flere. Inanimata & irrationabilia non ſentiebant. Homines vel ignari, vel ingrati erant: ille ergo ipſe omnium vices ſupplet.

12. *Clamat moriens.* Nuntium mortis ſuæ atq; fidem: in omnes mundi partes deferendum eſſe prænuntians: & jam ad recipiendum hoc nuntium, mundum diſponens, & purgans: & ad prædicationem Apoſtolicam aures auraſq́; purificans.

13. *Clamat moriens.* Periturum vel pereuntem ſine dubio ob ſcelus, & damnũ ſuæ mortis mundum, vehementiâ clamoris confortans & conſolans. Tacito & ſolius æternæ mentis verbo condiderat olim mundum: voce nunc ſonorâ mortuum vel moribundum ab interitu ſervat & ſalvat.

14. *Clamat moriens* Intuebatur quàm pauci ex ejus morte finaliter efficaciterque victuri eſſent: quàm multi ſomnum peccatorum & damnationis æternæ dormituri ſuâ culpâ: clamat ergo & hos etiam quod in ſe eſt excitare contendens: & ad uſum redemptionis à ſe procuratæ advocans.

15. *Clamat moriens.* Vivus clamabat JESUS quondam Iudæis in medio ſolemnitatis eorum. *Si quis ſitit veniat ad me, & bibat, & flumina de ventre ejus fluent.* Repetit hunc clamorem moriens, hoc eſt, ſalutis illius, & aquæ fontem, plenis ſeu ruptis cataractis aperiens: dicit ergo. *Si quis ſitit veniat ad me & bibat.* *Ioan. 7. 37. & 38.*

16. *Clamat moriens.* Oraverat Chriſtus multis cum lacrymis & clamore valido Patrem: obtulerat ſacrificium veſpertinum, cujus jàm ultima ſolùm (ſcilicet mortis) clauſula reſtabat: acceptam Patri orationem oblationemq́; ſuam videbat. Clamat ergo exultans & gratias agens.

17. *Clamat moriens.* Vt à ſurdis peccatoribus audiatur pro quibus moriebatur: utq́; ab eis pœnitentiam, & dolorem, & emendationem impetret: & impetravit quidem à centurione: ab aliiſq́; paucis, *qui pectora ſua percutientes revertebantur.* *Lucæ 23. 48.*

18. *Clamat moriens.* Non languidam neq́; mortuam eſſe mortem ſuam (uti aliorum eſſe ſolet) conteſtans, ſed validam, robuſtam, vitalem, efficacem, in quâ vita ſit omnium recondita: à quâ ſalus ſit omnium ſperanda & haurienda. Adami mors fuerat lethalis, omnium poſterorum infectiva uſq́; ad mortem: ſed Chriſti mors non ejus ſortis eſt: propterea Dominus moriens clamat: fortitudinem efficaciſſimam in ſuâ morte latere conteſtans, & certè multò verius de Chriſti, quam de Samſonis morte dicitur: *Multò plures occidit moriens quàm occiderat vivus.* *Iud. 16. 30.* Nam Chriſtus omnes mortuos omneſq́; eorum mortes morte ſuâ occidit: vitam autem omnibus donavit. Vel

vit. Vel certè dicatur de Samſone quod dicitur: de Chriſto oppoſitum dicatur: *Multò plures vivificavit moriens, quam vivificaverat vivus.*

19. *Clamat moriens.* Impiis de ſuâ A morte gaviſuris, ne gaudeant indicens: mortem ſuam non gaudii ſed mœroris illis cauſam fore conteſtans. imò ſe in morte poteſtatem eorum accepturum: judicemq́; futurum impietatis eorum denuntians: adeò ut etiam nunc dicere videatur, quod & heri, & hodie manè dixerat in concilio Iudæorum. Dico vobis à modò videbitis filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute & majeſtate, & poteſtate magnâ. Hanc virtutem & poteſtatem & majeſtatem jam clamor morientis indicat, imò inchoat: & ex tunc jam *inimici ejus mentiuntur ei* (Pſ. 65. 3.) in ſuis gaudiis & inſultationibus quaſi eſſent victores, cum victi ſint, cum ceciderint ſub pedibus ejus, etiam in B cruce adhuc pendentis; *cum terram lingant: & ſint ſcabellum pedum illius.* (Pſal: 109 1.)

20. *Clamat moriens.* Quaſi jam finem horæ poteſtatisq́; inimicorum ſuorum eſſe denuntians. In horto incipere deſignarat horam dicens: *Hæc eſt hora veſtra.* In cruce finem ejus horæ oſtendit, & jam ſuam horam incipere dicit. Quando adeſt diei finis & horæ ultimæ: horologium amplius & diutius pulſat: in exitu erat dies horaq́; Iudaica: clamat JESUS, horæ finem tanquam horologium ſonans.

21. *Clamat moriens.* Omnes morientes inſtante morte clamare docens, & magnâ voce clamare: voce cordis & contritæ voluntatis: quia certè multò C tempore expedit homines magis contentâ ad Deum voce clamare, quàm in articulo mortis: quisquis tunc non clamat, deſperatus aut præſumptuoſus eſt. Moritur quis peccator? clamet per pœnitentiam, invocet miſericordiam; confidat in Chriſti mortem. Moritur quis juſtus: etiam hic clamet per pœnitentiam; laudet Dei miſericordiam: exaltet Dei gratiam; expetat Dei gloriam: confidat non in ſe, ſed in Chriſti mortem.

22. *Clamat moriens.* Nundinas miſericordiæ, portaſq́; ſalutis, & pleniſſimam indulgentiam peccatorum omnium ampliſſimumq́; Iubilæum, ſeculari & aureâ portâ patefactâ adeſſe proſtareq́; in uſum omnium, ſuâ, tanquam præconis D ſonorâ voce, ſuæ vocis tanquam tubæ, vel campanæ ſono denuntians: accurrant omnes igitur, non corpore, ſed corde, non pedibus, ſed affectibus, non mutatione locorum, ſed emendatione morum.

23. *Clamat moriens.* Quaſi fortè dicat, & Iudaico populo, & tot peccatorum generi: *Quid potui ultra facere vineæ meæ & non feci &c.* (Iſaie 5. 4.) Vel illud. *Hæc feciſti mihi & tacui: tanquam parturiens deinceps loquar.* (Pſal: 49. 21. Iſaia 42. 14.)

24. *Clamat moriens JESUS ne olim clamet moriens mundus.* In die Iudicii, quando omnis impiorum cœtus damnationis ſuæ ſententiam, ab JESU judicante audiet, pro? quantus tunc clamor erit dicentium: *Montes cadite ſuper nos &c.* Sed clamor ille ad aures Domini non perveniet. Sicut modo clamor Domini de cruce ad aures impiorum non pertingit. Surdi ſunt homines ad clamorem mortis & morientis Chriſti: ſurdus erit DEUS, in judicii die ad clamorem in inferna deſcendentis mundi. Audite modò dum clamat moriens JESUS, ſi vultis audiri ab eo dum judicabit, dum damnabit impios omnes JESUS.

25. *Clamat moriens.* Occumbente ſole horologia ultimùm ſonant. Moriente Domino vox ejus ultimum clamat.

26. *Clamat moriens.* Morte enim ſuâ (Ioſue 6. 20.) evertebat Hiericho & ideò tubâ Sacerdotali inſonat; ut *muri ejus corruant*: Omnis peccator Hiericho eſt mutatur ut luna ſed ſemper in deterius: ad vocem tubæ concidit Hiericho: ad vocem Chriſti concidat peccator: ſed heu quàm multi peccatores ſtant, vivunt, & confirmati in nequitiâ durant, licet Chriſtus moriens clamet.

27. *Clamat moriens.* Concionabatur Chriſtus in Cruce tot oribus quot vulneribus atq́; doloribus: nec erat tamen, aut unus aliquis vix erat, *qui attenderet aut recogitaret corde* (Iſaie 57. 1.) Tollit ergo vocem & clamat voce magnâ, ut ad inſolentem vocis tonum aures attentas faciat. *Attendite & videte ſi eſt dolor ſicut dolor meus.* (Thren: 1. 12.) Vel *Obſtupeſcite cœli ſuper hoc.* Vel *Popule meus quid feci tibi aut in quo contriſtavi te.* (Ierem: 2. 12.) Sed nos nihilominus dormimus in hac concione, etiam inter hos clamores paſſim.

28. *Clamat moriens JESUS.* Quoties innocenter occiditur opprimitur, calumniam patitur juſtus: quoties veritas & æquitas poteſtate, falſitateq́; obruitur, quoties pauper, qui eſt Chriſti minimus licet, attamen frater in ſuâ neceſſitate hærere & torqueri permittitur, neq́; miſeratione ditiorum ſublevatur: quoties jura DEI, & Eccleſiæ, poteſtate Pſeudopoliticâ convelluntur. Et nos ſi Chriſtum coram in cruce moribundum claman-

Digitized by Google

clamantem haberemus: nos inquam dicimus: quod ad tale ſpectaculum cordibus noſtris præ dolore, commiſeratione, & luctu tabeſceremus: at quando in prædictis omnibus occaſionibus, robuſtiùs & miſerabiliùs clamat coram nobis JESUS: Pharaonica & ſaxis duriora corda exhibemus clamanti Chriſto. Nunquid conſtamus nobis? imò nunquid mentimur & illudimus morienti Chriſto?

29. *Clamat moriens.* Fortè in illâ horâ *venit Princeps hujus mundi diabolus*: quærens ſi fortè in Chriſto, haberet ſuum quidquam. Sed Chriſtus inclamat robuſtius & juſtius quàm olim Beatus Martinus. *Quid hic adſtas cruenta beſtia: nihil in me tuum funeſte reperies.* Non ad te pertinet quod in me eſt. *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum.* Potuiſſe in morte Chriſti dœmonem adeſſe nihil eſt inconvenientiæ: cum in totâ paſſione poteſtas ejus fuerit: & ille hac poteſtate per omnia diligenter eſt uſus, ut Chriſtum in ruinam non ſolum corporis, ſed multò etiam magis animæ ac mentis impelleret. Nam ſi commodam ſe nactum putabat occaſionem ejus tentandi in ſolitudine: proculdubio longè commodiorem eſſe credebat, imò videbat in Paſſione, ac maximè imminente jàm jàm morte. adfuit ergo cum ſuis innumeris & aſſeclis & tentationibus per Iudæos crucians foris per ſeſe tentans intus. Et ſane tunc oportebat adeſſe dœmonem præſentem, ac tanquam *armatum fortem cuſtodire atrium ſuum*, rapinaſq; ſuas, quando fortior ſuperveniebat, & expugnabat omnem munitionem ejus, vincebatq; & debellabat omnem exercitum ejus. & auferebat, ac diripiebat ſpolia ejus: extorquebat chyrographum mortis noſtræ de Tyrannicâ manu ejus: tunc inquam adeſſe illum oportebat: quando Chriſtus extremam vim & perniciem effundebat in caput ejus: fuit ergo & victus fractuſq; per omnia; ſuccubuit, ac fugit. Quod etiam probari poteſt ex illis Evangelii verbis quibus Lucas hiſtoriam tentationis trinæ à diabolo in Chriſtum jejunum exertæ concludit dicens. *Receſſit ab eo diabolus uſq; ad tempus*: quaſi deinceps nec ſemel, ac dubio procul in Paſſione ac morte maximè rediturus & oppugnaturus.

Lucæ 23. 46. — *Lucæ 11. 21.*

30. *Clamat moriens.* Patribus in limbo morantibus, adventus ſui, jam jam inſtantis bonum nuntium voce vivâ deportans: ut enim adventantibus amicis ad amicos: etſi adhuc à longiuſculè poſitis inclamari ſolet, in adventûs læti ſignum: ita jam jam venturus ſecundùm animam Divinitati unitam, à corpore autem ſejunctam ad Sanctos Patres Dominus: adhuc in carne ſitus voce inclamat lætum & beatificum adventus ſui nuntium.

31. *Clamat moriens.* Affectu devotionis, reverentiæ, ſubjectionis, obedientiæ, reſignationis, fiduciæ pleniſſimo, Patrem, ultimùm pro ultimâ hujus vitæ gratiâ deprecans: de quo infra plenius cum ipſa deprecatio expendetur.

32. *Clamat moriens.* Adamum fugitivum à facie Dei tandem revocans, & ad DEum ſecurè accedere poſſe jam denuntians.

33. *Clamat moriens.* Ovibus ſuis diſperſis ut ſecuræ ſint, ut ad eum conveniant, lupum eſſe victum, & abactum inclamans. *Oves meæ vocem meam audiunt, non cognoſcunt vocem alienorum.* *Ioan: 10. 27. Ibid: V. 5.*

34. *Clamat moriens.* Qui aliquod grave pondus è profundo extrahentes ſurſum tollunt, clamorem tollere ſolent: & neſcio quomodo laborem levant. Levabat JESUS totam generis noſtri maſſam ex limo profundi in crucis trochleâ ipſe chorda exiſtens, ſentiens pondus clamat.

PARAGRAPHUS CLXI.

JESVS Spiritum ſuum Patri commendat. *Lucæ 23. 46.*

In manus tuas Domine commendo Spiritum meum. *Pſal: 30. 6.*

STROMATA

1. NOn eſt dubium Animam Chriſti Domini ab initio creationis, cumq; corpore unitionis fuiſſe unitam hypoſtaticè Divinitati, ſeu Divinæ verbi Perſonæ: eamq; unionem ſtatim etiam contuliſſe hoc animæ illi ut beata eſſet, hoc eſt beatificâ Dei viſione frueretur. Non etiam dubium eſt eandem Chriſti Domini animam modo dicto Deitati unitam, eandemq; beatam: nunquam neq; ad momentum à Divinitatis ſive unione, ſive viſione, ac fruitione fuiſſe ſeparatam: ſed licet ſeparata

eſſet per mortem à corpore ſuo: non tamen ſeparata fuit à Dei hypoſtaticâ unione & beatificâ fruitione. His duobus fundamentis ſolidè poſitis ſequitur Chriſtum Dominum, quando animam ſeu ſpiritum in manus Patris commendabat: non hoc voluiſſe: ut anima ejus apud Patrem eſſet, ejuſve viſione frueretur, id enim re ipſâ, anima illius & habebat in corpore, & habitura erat relicto corpore: ſecuruſq; hac de re omnino fuit: ut qui beatam animam ſuam, unitamque hypoſtaticè ſcivit. Naſcitur ergo difficultas non levis, quo ſenſu Dominus ſpiritum ſuum Patri commendet: intelligatne Spiritûs nomine animam, an effectum animæ vivificantis adhuc corpus? tum quo ſenſu ſpiritum commendet, & quid à Patre velit, quando ſpiritum ſuum illi commendat? quid tradidit Patri, quando tradidit ſpiritum? Quod ut explicetur: eſt adhuc adferendum, quod etiam certum eſt: ſicut priora: Chriſtum Dominum verè realiterq; ac propriiſſimè mortuum eſſe, quomodo omnes homines moriuntur, per ſeparationem animæ à corpore: cujus ſeparationis hic eſt formalis neceſſariuſq; effectus diſſolvere compoſitum, quod erat conflatum ex animâ & corpore, ſimul unitis informativè. Itaq; & Chriſtus morte diſſolutus eſt ita; ut quamvis Divinitas erat unita tam corpori quàm Animæ: quia tamen nec anima corpori, neq; corpus fuit connaturali unione unitum animæ, non conſtituebatur Chriſtus per illam unionem Deitatis cum corpore & anima ita ut verè dici potuerit & debuerit Chriſtum non fuiſſe in mundo: neq; exſtitiſſe: perinde ſicut Petro mortuo, non eſt Petrus, licet ſit tam corpus, quàm anima Petri in rerum naturâ, ſed non ſibi unita. Hanc ſui per mortem diſſolutionē, ſuiq; compoſiti (quod dicimus quando nominamus Chriſtum) ex naturâ rerum oblationem, & abolitionem ſciebat bene Chriſtus ſecuturam ex ſeparatione animæ ſuæ à corpore ſuo: ſciebat etiam optimè ſe Chriſtum non futurum aliter Chriſtum, neq; in rerum naturam rediturum compariturumq; unquam, niſi ſublatâ abſentiâ animæ à corpore, hoc eſt niſi reductâ animâ & unitâ corpori ſuo: quæ reductio in manibus & poteſtate Patris ſeu Deitatis erat: & differri per tempus longius aut brevius pro arbitrio Patris poterat, jam Chriſtus moriturus, à Patre ſuo petit: ut ſuam animam quæ adhuc quidem in corpore ſuo ſit, ſeq; ſpirare, & vivere, & eſſe Chriſtum faciat, poſteaquam propter imperium Patris, & ſuam voluntariam erga Patrem obedientiam corpus reli-

A querit, ſuumq; compoſitum diſſolverit: iterum tamen ad corpus redire jubeat ſeu faciat; neq; hunc ejus reditum in longum tempus differat: ſed ſecundùm præfinitum à ſe tempus, Animam corpori, corpus animæ uniat, uniens verò ſe iterum redivivum rerum naturæ, quoad ſuum compoſitum reſtituat. Atq; hæc eſt facilis, vera, & genuina verborum Chriſti Domini ſpiritum ſuum Patri cōmendantis explicatio: & in eam omnes aliæ hujus poſtulationis ſeu commendationis animæ Chriſti quæ veræ ſunt recidunt. Neq; obſtat Chriſtum fuiſſe certum ac ſecurum de ſuâ reſuſcitatione: certum etiam de eâdem ultra tertium diem non differendam: quin imò ipſe

B Chriſtus hoc habuit in poteſtate ſuâ, quoad animam Deitati unitam: proinde non erat quod id à Patre peteret: quodq; quoad hanc reunitionem, & reunitionis accelerationem Patri ſupplicaret: ut qui hujus rei ſecurus eſſet. Non inquam hoc obſtat: nam Chriſtus omnium rerum ſuarum, & potiſſimùm miraculorum à ſe patratorum certiſſimus erat, ea fuiſſe in ſua poteſtate: & à Deo Patre ordinata fuiſſe, ut certiſſimò fierent: & tamen omnia Chriſtus poſtulabat à Patre ac ſi in poteſtate ſuâ non eſſent: Non poteſtatem ignorans quâ etiam utebatur, ſed Patri deferens à quo ſecundum hominem poteſtatem habebat: in quo actu, Chriſtus non tantùm Patri, ſed etiam ipſi ſibi atq; ſpiritui ſan-

C cto deferebat & ſupplicabat. Sicut & hic non tantùm Patri, etiam ſibi, hoc eſt indiviſæ Deitati ſpiritum in manus commendabat, atq; tradebat: reſtituiq; ſe in naturam rerum, & in hanc lucem, per Animæ ac Spiritûs in corpus reverſionem, quod alias dicimus ex mortuis reſurrectionem, poſtulabat. Et hoc eſt illud quod ſcriptura nunc affirmat Chriſtum à Patre ex mortuis reſuſcitatum, nunc ſe ipſum reſuſcitaſſe ex morte. Eſt enim reſuſcitatus à Patre hoc eſt à Divinitate Patris: quæ quia illius etiam erat, & ipſius corpori animæq; hypoſtaticè unita manebat, à ſe ipſo reſuſcitatus dicitur. Hoc etiam eſt, quod Chriſtus per Pſalmiſtam dicebat: *Non dabis* Pſal. 15. 10.

D *ſanctum tuum videre corruptionem*: quia his verbis à Patre non differri ſui corporis reſuſcitationem petebat: petebat inquam non permitti in ſuum corpus cor-

ruptelam

receptelam mortuis corporibus uſitatam: ſed integrè uſq; ad reditum animæ conſervari: reditumq; ipſum quantum fides ſcripturarum de triduo reſurrectionis ſineret accelerari. Dicat quis aut quærat. Si Spiritus iſte Chriſti intelligitur eſſe unio & vivificatio Animæ cum corpore Chriſti: quomodo potuit commendari, vel eſſe in manibus Patris: cum eſſet diſſolvenda, & in nihilum reditura per vim mortis: ſeu per disjunctionem animæ & corporis? Hæc quæſtio videtur ignorare, quæ ſint illæ manus Patris, quibus Chriſtus Spiritum ſuum commendavit, aut etiam tradidit? aut certè videtur craſſè manus Deo attribuere. Manus Patris ſunt voluntas & omnipotentia Patris: perquam ſicut creare vivos, ita reſuſcitare mortuos ſolâ voluntate, ſolius ſcilicet voluntatis imperio poteſt. Sicut ergo quando Iob

Iob: 10. 8. dicebat DEo: *manus tuæ fecerunt me*, non intelligimus manus DEi tanquam alicujus figuli Iobum formantis, ſed intelligimus voluntatem & potentiam creatoris: ita quando Chriſtus in manus Patris Spiritum commendat, vel tradit, intelligendus eſt tradiſſe eum voluntati & poteſtati ejus, creativæ ſeu reſuſcitativæ, & animam cum corpore unitivæ; cui tam eſſet facilè eundem ſpiritum Chriſto in reſurrectione reſtituere, quàm fuerat in conceptione dare. Etenim in manibus ſeu voluntate poteſtateq; Dei, tam ſunt ea quæ nunquam fuerunt ut ſint: quàm quæ eſſe deſierunt ut iterum exiſtant. Vivunt enim omnia Deo

Lucæ 20. 38. ſemper: *& non eſt DEUS mortuorum ſed vivorum.* Et ita non commendavit Chriſtus Patri unionem ſuarum partium, quaſi poſt diſceſſum animæ à corpore nihilominus remanentem, eo modo, quo corpus & anima exiſtere debebant. hoc enim in terminis repugnat: ſed commendavit, Animæ apud ipſum non tantùm per exiſtentiam, ſed etiam per hypoſtaticàm unionem manſuræ ad corpus reductionem: corporiſq; cum eâ reunitionem, ac per hoc unionis ſuæ, ſuique ipſius ſcilicet compoſiti, & deniq; ſpiritûs ſeu actualis vitæ reſtitutionem reproductionem, reſuſcitationem.

2. *Pater in manus tuas &c.* Offerebat Chriſtus in cruce ſacrificium cruentum de ſe ipſo ut notum eſt. Sacrificii hujus ultima & completiva pars eſſe debebat mors: ſine eâ enim ſacrificium, maximè holocauſtum eſſe non poteſt: neceſſe ſiquidem eſt in reali, & verò proprioq; ſacrificio intercedere corruptionem rei ſacrificatæ & quidem in honorem Dei, inq; recognitionem ipſius ſupremæ poteſtatis, tanquam authoris omnium datoris vitæ &c. ob quod etiam ſacrificium propriè dictum, nulli niſi DEo ſoli debetur. Et quia mors non poterat eſſe niſi per diſceſſum animæ à corpore extinctionemq; conſequenter ſpiritûs & vitæ, quem dat homini anima præſens corpori: ideò Dominus completurus tandem ſacrificium ſuum, atq; Patri Æterno extremum placationis: & ſupremum opus redemptionis, pretiumque noſtræ ſalutis repræſentaturus: ait Patri. *In manus tuas commendo ſpiritum meum.* Pſal: 30. 6. Suſcipe illum ut victimam & ſacrificium & holocauſtum completum: ſuſcipe ut terminum ſummum Redemptionis: ſuſcipe ut ultimum actum officii mei, obedientiæq; in te meæ: ſuſcipe extremum exinanitionis & humiliationis meæ coram te: ſuſcipe ultimum ac ſummum adæquatum, imo ſuperefluens ſuperq; excedens pretium ſalutis humanæ. Suſcipe præterea extremum maximumq; pignus amoris in te, & in homines propter te mei: Suſcipe munus maximum quod habui á te, & modo amitto propter te, nempe ipſum me. Sed ſimul etiam ſuſcipe tanquam in depoſitum: abs te mihi ex tuâ clementiâ, pro tuâ voluntate, & potentiâ reſtituendum: proinde etſi hoc quod offero, tibi dono & commendo, tamen etiam cum ſpe, cum deſiderio mihi abs te, per reſuſcitationem reſtituendo commendo: & veluti depoſitum mihi optatiſſimum, pretioſiſſimumq; fideliſſimis voluntatis tuæ manibus conſigno, quem ſenſum verborum Domini innuit vox græca; traditionem depoſiti ſignificans &c.

3. *Pater in manus tuas.* Hac ſuæ animæ in Patris manus commendatione: aperuit Dominus animabus fidelium ſuorum, ut jam deinceps à corpore in morte exeuntes: non ad inferos, nec ad limbum, ſeu ſinum Abrahæ deſcendant: ſed in manus Patris Æterni rectâ tendant.

4. Non tantùm ſuam ſed omnium noſtrûm qui in Chriſtum credimus depoſuit ſimul animas in manus Patris: utinam verò hoc depoſitum à Chriſto, manibus Paternis concreditum nos non avellamus & ſuffuremur, & diabolo prædoni animarum tradamus? Sed heu! quàm multa hujuſmodi depoſita, cruentæ illæ, cruentæ inquam Chriſti ſanguine, quia animarum Chriſti ſanguine redemptarum cruentæ fauces devorârunt,

ſi animæ in morte bene ſit: non poterit eſſe malè corpori: ſi verò animæ in morte malè ſit: bene eſſe corpori nihil proderit, niſi ad majus tormentum animæ & poſtmodum etiam ipſi corpori. A Quare ſolum ſpiritum Chriſtus commendavit, de corpore ſiluit: quia curam corporis providentiæ Patris commiſit: at animæ ſaluti neceſſariò quàm optimè providendum à nobis eſſe exemplo nos docuit: etſi ipſe pro ſe eâ curâ opus non habuit.

9. *Pater in manus tuas.* Commendant multi animas ſuas ſed non Æterno Patri. Commendant enim illas ultimis ſuis voluntatibus, ſeu teſtamentorum legatis in pias cauſas. Commendant fidei & amori uxorum, filiorum, executorum, hæredum. Commendant alienis orationibus, jejuniis, ſacrificiis, eleemoſynis diſtribuendis fundationibus piis futuris: commendant ſepulturarum & ſepulchrorum ſplendoribus, pompis, marmoribus, conventui amicorum, conviviis, loculis pretioſis. Commendant alii concionatoribus & laudatoribus funebribus: commendant deniq; aliis & aliis, aliorum aliorumq; manibus: ſed hi omnes ſtultiſſimè faciunt: quia illas infideliſſimis, infirmiſſimisq; manibus cōmendant. Fideles manus fortes, diligentes ſecuras manus, qui vult animæ ſuæ reperire, apud Deum quærat, ad Divinas manus eam deponat, deponat autem non alienis (niſi Sanctorum Patronorum) manibus ſed ſuis propriis. Propriis inquam à ſe in vitâ ſuâ re ipſâ præſtitis operibus, virtutibus, pœnitentiis, eleemoſynis, jejuniis, ſacrificiis, & aliis his ſimilibus: nam aliorum manus faciles ſed non fideles, ſed non fideles ſunt. Ideò Chriſtus ait: Pater in manus tuas commendo ego ipſe ſpiritum meum.

10. *Pater in manus.* Hæc vox ultimaque precatio Domini, non eſt tantùm moriendi inſtructio: ego arbitror eſſe totius omnino vitæ, ac etiam mortis diſciplinam in hiſce verbis. Et ideò à Chriſto Domino, ad hunc uſq; actum ultimū vitæ ſuæ reſervatam: ut eſſet nobis pretioſiſſima, & ultimi ab amantiſſimo Patre pignoris, utiliſſimi à Sapientiſſimo magiſtro documenti, ſaluberrimi & in omnis vitæ tuendæ ſanitatem efficaciſſimi medicamenti, firmiſſimi à peritiſſimo belli duce munimenti loco relicta teſtamentoque legata. In omni vitâ noſtrâ, D in omni vitæ actu & puncto: nihil ſalubriùs cogitamus, dicimuſq;, facimuſq; quàm hoc quod fecit moriens Chriſtus. *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum.* Es in adverſis, in proſperis: es in honore, in contemptu: es in periculoſo, in ſecuro, es in peccato, in gratiâ, es in tentatione, in pace, es in vitâ, in morte, es ſolus, inter alios, es domi, foris, es vigilans, dormiens, es in opere, in otio, es in oratione, in colloquio, in ſilentio, es in perplexo, in expedito: es ſanus, æger: es fœlix miſer: ubi ubi es, qualis qualis es, hoc tibi ſemper in corde, hoc ſemper in ore, ſemper in opere, ſemper in cogitatione, ſemper in affectione, ſemper & in omnibus, & pro omnibus, & præ omnibus hæreat & obverſetur. *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum.* Quæcunque tandem fiant, eveniant, timeantur, expectentur, fugiantur, intententur: in omnibus hoc unum, hoc ſemper ſpiremus. *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum.* Hæc doctrina ſummarium B doctrinarum eſt: ſumma vitæ, ſumma virtutis, ſumma perfectionis, ſumma charitatis, ſumma humilitatis, ſumma obedientiæ, patientiæ, modeſtiæ, manſuetudinis, prudentiæ, juſtitiæ, fortitudinis, temperantiæ, mortificationis, religionis, devotionis, deniq; ſumma perſeverantiæ & beatitudinis eſt. Hæc doctrina eſt nucleus Evangelii, medulla Dominicæ orationis, compendium præceptorum; altitudo conſiliorum, ſignaculum prædeſtinatorum, minera gratiarum; beatitudinis calix, vinculum cum Deo, vitæ Chriſti corona, & Chriſtianorum.

11. *Pater in manus tuas commendo.* Laurentius Iuſtinianus: his verbis alium C ſenſum ineſſe docet, dicens in perſona Chriſti ad Patrem. *Spiritum utrūq; meum in tuas manus commendo, non tantùm quem gero ut homo, ſed quem ut mediator, & redemptor acquiſivi mihi.* Meum planè dixerim ſpiritum membra mea, Eccleſiam meam ſponſam meam, quàm, patiendo pro eâ, meam facio: Hanc ſpiritum meum nuncupo: quia adhærendo mihi, unus ſpiritus fit, & corpus unum. Hoc teſtatur Apoſtolus dicens: *Qui adhæret Deo unus ſpiritus eſt.* hujuſmodi ſententiam non à ſe ipſo locutus eſt Paulus, ſed revelante Patre, docente ſpiritu, & in illo loquente Chriſto, ſciebat quantùm diligebatur à Chriſto, & quanti Eccleſiæ corpus æſtimabatur ab ipſo. Ipſum meminerat dixiſſe. In manus tuas commendo ſpiritum meum. Se electoſque omnes ſub hac voce expreſſos certiſſimè intelligebat.

De triumph: agone Chr: cap. 20. ante medium.

1. Cor. 6. 17.

Digitized by Google

PARAGRAPHVS CLXII.

Ioann.19.30. *JESVS caput inclinat.*

STROMATA

1. DUm moriturus inclinat caput Dominus, ex hoc ipſo colligitur illum elevatis oculis & capite ad Patrem, ſuffuſis etiam manantibus oculis, ac gemitibus ex pectore erumpentibus hactenus fuiſſe: jam quando exauditus eſt in ſuâ oratione quam fuderat pro ſuâ reſurrectione: donatus hoc ultimo in vitâ pignore à Patre, quod etſi in manu ſua habuerat, tamen à Patre humiliter inſtanterq; petierat, accepitq; illud, pro ſuâ iſtâ in Patrem finali perſeverantiâ; reverentiâ: gratias agens Patri pro hoc, & pro omnibus beneficiis caput inclinat.

2. *Inclinat caput.* Patri ſine dubio, poſtulans ab ipſo benedictionem pro ultimi & graviſſimi mandati (quod erat mori) executione.

3. *Inclinat caput.* Nam DEitatis ſuæ dignitatem, altitudinemq; quantum fas erat humiliabat uſq; ad mortem; uſque ad cadaveris unionem: uſq; ad mortui cognomen, & mortuis communicationem. Verè hic JESUS caput inclinavit & nunquam ſe inferius majeſtas DEI inclinavit.

4 *Inclinat caput*: nam niſi inclinaſſet nunquam certè imperium, & vis, juſque mortis ad eum pertigiſſet: inclinare ergo caput debuit: & de jure debitoq; ſuo ad immortalitatem remittere, ut ad illius verticem, aut cervicem mortis gladius manuſq; poſſet pertingere. Et jam non miror, quòd verticem ſuum inclinarit quondam Ioanni quando video inclinaſſe morti.

5. *Inclinat caput.* Morti accedere trepidanti veluti annuens, aut blandiens, ut tandem ad ſe accedat, ſeq; extremo ictu holocauſtum Patri: ac per omnia uſq; ad exinanitionem ſubjectiſſimum faciat.

6. *Inclinat caput.* quia gravabant illud nimis jam guttæ noctium, ſarcinæ potiùs infinitorum peccatorum noſtrorum: ergo ſubmittit caput, & oneri ſuccumbit, excutiens illud in abyſſum copioſæ Redemptionis ſuæ, & reconciliationis Divinæ.

7. *Inclinat caput.* erant enim in bilance, ſalus noſtra, & peccata noſtra; prævalere volebat juſtitia peccatis inſiſtens; A miſericordia pro ſalutis lance ſatagebat: in ancipiti erat negotium: ſed JESUS litem diremit, caput in partem miſericordiæ inclinans ſalutem prægravare fecit. Iuſtitiæ per mortem ſatisfecit peccata delevit. Salvatoris nomen invenit.

8. *Inclinat caput.* Impoſuerat mors univerſo humano generi jugum ſuum: hoc confringendum fuit aut computreſcere faciendum ei, qui ſalvator liberatorq; eſſe vellet hominum. Obtulit operam JESUS: & ita fecit ut mortis jugum ſubiret quo ſuſcepto illud frangeret, illud à miſericordiæ ſuæ oleo putidum fragile, & nullius terroris roboriſque faceret: ſed quomodo tantus Gigas B potuiſſet jugum mortis ſubire, niſi inclinato capite. Inclinavit ille, mors jugum impoſuit, ſed computruit.

9. *Inclinat caput.* Oſculum humano generi nihilominus præbiturus, ſynagogamq; adhuc in gratiam ſuſcepturus, ſi non abnuiſſet venire.

10. *Inclinat caput.* Theſaurum habebat in pectore: reconditum utiq; & eum qui jam non ſupereſſe ſperabatur. Nimirum ſanguis aqua & cor: nolebat nos carere his bonis: annuit ergo & caput inclinat, ad quærendum & fodiendum invitans, factum id poſt mortem: lanceâ latus foſſum eſt, & exivit ex vulnere ſanguis & aqua, patuit ad cor omnibus via.

C 11. *Inclinat caput.* Redemptionem ſuam nobis admovens: noſq; à terrâ & deſperatione erigens: ac veluti dicens, jam non concidat facies veſtra, jam *levate capita veſtra*: quia jam *appropinquavit*, jam perfecta, jam effuſa, eſt in vos, *redemptio veſtra*. Et revera niſi Chriſtus caput proprium inclinaſſet: nemo ſuum elevare potuiſſet: inclinavit ille, ut nos elevaremus, elevaremus dico, non in ſuperbiam, ſed in fiduciam. Ergo jam modo ſurſum corda homines, ſurſum corda, ſed ad Dominum. Nam ſurſum corda non ad Dominum ſuperbia vocatur, ſurſum corda ad Dominum, refugium computatur. Lucæ 21. 28.

D 12. *Inclinat caput etiam moriens.* Quià humilis uſq; ad mortem, uſq; etiam moriens debet eſſe humilis: Semper hoc dicebat Dominus. *Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde*: Nec moriens hoc docere ceſſavit: ideò *caput inclinavit*. Matt. 11. 29.

13. *Inclinat*

Digitized by Google

13. *Inclinat caput.* Veluti tam animæ, quàm corpori valedicens, locumq; ambobus deſignans. Animæ limbum, corpori ſepulchrum.

14. *Inclinat caput.* Matri & aliis notis longiuſculè jam poſitis valedicens, gratias agens; & veluti ultimum pacis, dilectionisq; oſculum porrigens. A

15. *Inclinat caput ab Oriente in Occidentem*: nam averſus ab Oriente, versùs Occidentem pependit in Cruce Dominus ut ſupra dixi: in occidente locum & ſedem capiti, & fidei, & Eccleſiæ ſuæ deſignans.

16. *Inclinat caput*: quaſi dormiturìens & tantiſper in dulcem declinat lumina ſomnum: mortem enim ſuam ſomnum vocare ſolebat Dominus. *Ego dormivi & exurrexi.* Pſ: 3. 6.

17. *Inclinat caput.* à Regis titulo illud forſan amovens, ac faſtus mundi titulosq; declinandos eſſe tunc etiam edocens. B

18. *Inclinat caput.* Ingreſſus enim in Regnum ſuum, ad quod januam anguſtam, ac humilem eſſe non ignorabat, inclinare caput debuit: erudiens nos, nequaquam erecto collo, elevatoq; capite, poſt illum eundum eſſe ad cœlum: inclinandum eſt caput, ad jugum Domini, ad obedientiam, patientiam, humilitatem, obſequia fratrum, & quidem usq; ad mortem.

19. *Inclinat caput.* Fortè Regni titulo jam ſibi ex tunc debito: inclinat autem non ambitione, ſed humiliatione, oſtendens ad honores etiam omnimodè debitos, cum humili & inclinato capite, cum debitâ ad DEum ſubjectione ſuique nihili cognitione accedendum eſſe: C ipſosq; honores, in humilitatis materiam verti debere, juxta illud. *Quantò major es, humilia te in omnibus.* Eccl: 3. 20. Magnitudine tuâ utens in demiſſionis occaſionem: quomodo arbor fructifera ſuis fructibus deorſum inclinatur.

20. *Inclinat caput.* Eodem ritu è mundo egrediens quo olim mundum ingreſſus fuerat, eâdem inquam cum Patris Æterni reverentiâ, àd ejuſq; voluntatem ſubmiſſione & promptitudine. Ingrediens in mundum caput Patri inclinavit atteſtante idem Apoſtolo. *Ingrediens mundum* (Chriſtus) *dicit Patri. Hoſtiam & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi. Holocauſta pro peccato non tibi placuerunt.* Hebr: 10. 5. Pſ: 39. 7. Tunc dixi ecce venio. In capite libri ſcriptum eſt de me ut faciam Deus voluntatem tuam. In quâ voluntate ſanctificati ſumus per oblationem corporis JESU Chriſti ſemel. Egrediens etiam de mundo, pari utitur ritu: inclinat ſe ſuumq; caput, ſuum ſpiritum, ſuam voluntatem Patri, manibus ejus commendat, & tradit ſpiritum. Egregiè cohærent extrema primis. Exivi à Patre & veni in mundum: & iterum relinquo mundum: & vado ad Patrem.

21. *Inclinat caput.* & ſimul tandem impedimentū quod ſe mori nō ſinebat, antequam omnia compleret amovet: cauſisque mortem cauſantibus efficaciam ſuam permittit: & ſic ad mortem vadit.

22. *Inclinat caput.* Forſan prævidens mundum ruiturum ob mortis ſuæ vel odium, vel luctum, vel ſupplicium: ergo inclinat caput, ut ſuffulciat, ut à ruina inhibeat. Vix dubitari poteſt diſſolvendam fuiſſe mundi machinam ob Chriſti necem indignam: niſi merita Chriſti ipſam ſuffulſiſſent. O quoties rueret vel mundus, vel mundi pars, aliquod Regnum, aliqua familia, aliqua anima, niſi Chriſtus caput inclinaret, niſi Patris iram juſtam, meritis, & ſanguine ſuo, ad miſerationem emolliret, atq; ad indulgentiam & ad tempus pœnitentiæ, locumq; veniæ dandum inclinaret?

PARAGRAPHUS CLXIII.

JESUS moritur. Ioan. 19. 30.

STROMATA

1. FActâ Spiritûs ſui commendatione, factâ Patri Æterno, cujus manibus ſpiritum commendaverat, & tanquam depoſitum conſignaturus erat, inclinatione capitis, reverentiâ, emiſit ſpiritum, atq; in manus Patris tradidit: & ſic mortuus eſt Dominus noſter, DEUS noſter, Salvator ac Redemptor noſter JESUS Chriſtus? Hæc eſt illa requies Domini, quâ requievit ab omnibus operibus ſuis quæ patrarat; hoc eſt Sabbatum Domini, quod ingreſſus eſt & peragit, confectâ omni molitione, apparatu, & ornatu univerſi?

D 2. *Mortuus eſt JESUS* & morte teſtatoris ipſius jam eſt validatum teſtamentum gratiæ legis: ac noſtræ Redemptionis: quod proinde tenebit, & pactum ſtabit, & nos deinceps jus habemus ad

gratiam adoptionis filiorum, reſciſſis antiquis decretis de noſtrâ æternâ damnatione.

3. *Mortuus eſt JESUS ad veſperam*: ſicuti & Adam peccaverat ad veſperam in A Paradyſo illâ quidem ipſâ die: ut quo die intraverat per lignum mors in mundum, hoc eodem die mors peccati, & conſequenter corporum expelleretur e mundo per novum Adam.

4. *Mortuus eſt JESUS.* Emiſit Nòé columbam ex Arcâ: quæ deinde reverſa eſt ad eum ferens in ore ramum virentem olivæ. Emiſit & JESUS puriſſimam ſpiritûs columbam de Arcâ Divini corporis ſui: quæ deinde in reſurrectione rediit ad Arcam illamq; glorioſis dotibus ſerenavit: & pacem orbi intulit, unde reſurgentis Chriſti ſolemnis
Ioan:20. fuit ſalutatio. *Pax vobis, Pax vobis.*

21. 5. *Mortuus eſt JESUS.* Catulus Leonis Iuda ad prædam in limbo detentam a-
Gen:49. ſcendit: accubuit ut leo requieſcens
9. à morte: nequaquam conniventibus, aut
Matt:27. clauſis Divinitatis ſuæ oculis. *Quis ſu-*
63.64. *ſcitabit eum?* Suſcitabit ipſe cui ſpiritum commendavit: ſuſcitabit ipſe ſe: dixit enim (& inimici ipſi teſtes ſunt) dixit, *poſt tres dies reſurgam. Eritq; noviſſimus error Iudæorum*: Stultè reſurrectionem negare ſatagentium, *pejor priore*: quo illum negarunt ante faciem Pilati, judicante ipſo dimitti tanquam innocentem & juſtum.

6. *Mortuus eſt JESUS.* Dormivit Samſon inter Philiſteos *uſq; ad medium noctis*: uſq; ad tempus reſurrectionis: & inde conſurgens apprehendit ambas fores portæ mortis & corruptionis: & abiit C per viam vitæ glorificatæ uſq; ad montem aſcenſionis in cœlum?

Iona 2.4. 7. *Mortuus eſt JESUS.* Devoravit Ionam in mare Paſſionis miſſum ad ſedandam ſævientem in nos tempeſtatem Divinæ juſtitiæ: devoravitq; eum Cetus mortis: & per triduum tenuit, atque per trinoctium: tandem evomuit eum in littus immortalitatis.

Gen: 9. 8. *Mortuus eſt JESUS.* Nòé calicem
21. Paſſionis ab Æterno Patre oblatum de vineâ quam plantaverat ex Iudæis decerptum ac expreſſum, exhauſit totum, & obdormivit nudatus in tabernaculo crucis.

9. *Mortuus JESUS.* tradidit ſpiritum pro mundo, ſed non mundo: non enim erat eo dignus mundus: imò eum mundus accipere non poteſt niſi deſinat eſſe, id quod eſt: inimicus ſcilicet & perſecutor Chriſti.

10. *Mortuus eſt JESUS.* Quid unquam tam acerbum pertulit univerſitas rerum, quàm hoc verbum mortuus eſt JESUS? Threu:1. &c.
Evertit templum & urbem Hieroſolymorum Nabuchodonosor. Caſum hunc flevit Ieremias. Cecidit Saul & Ionatas in prælio. 2. Reg:1. 17. *Abſalon confixus pendens de quercu per comam ſuam. Abner occiſus occubuit. flevit ſuper eis David.* 2. Reg:18. 33. *Arca Domini capta eſt à Philiſtæis, luxit caſum* 2. Reg 3. 31. *Samuel. Quinq; civitates exfornicatæ, everſæ* 1. Reg:4. *ſunt pluente Domino ignem ſuper eas. Loth* Gen: 19. *deflevit caſum earum. Deleta eſt omnis anima vivens ſuper terram aquis diluvij: flevit eam* Gen: 7. *Nòé cum omni domo ſuà. Peccavit Adam cum* Gen: 5. *conjuge ſua in Paradyſo. Exul nongentis annis deploravit caſum ſuum.* Sed quid ſunt iſta ſeu ſingula ſeu etiam omnia ad hoc verbum mortuus eſt JESUS. Nullus Ieremias, nullus David, nullus Samuel, nullus Loth, nullus Nòé, nullus Adam: nullæ vel ipſius diluvii aquæ: nullæ ipſius B æternitatis lacrymæ ſufficiunt ad deflendum luctum hunc, mortuus eſt JESUS. *Mortuo Lazaro ac ſepulto: & lacry-* Ioan:11.
matus eſt JESUS. O felix Lazare, magnus 35.
lacrymator funus tuum lacrymis ſuis decoravit. Nemo mortalium tam pretioſas lacrymas funeri ſuo impenſas habuit. Eſt aliquid lacrymâſſe JESUM. Mortuus eſt JESUS quis lacrymabitur? non incuſo mundum non lacrymantem: non queror de ſynagogâ Iudæorum: incuſo Chriſtianum populum tam ſterilem parcumq; lacrymarum in Chriſti morte deflendâ: perditur pecunia, interit aſinus, canis perit, & lacrymatur dolore Chriſtianus. Mortuus eſt JESUS, & non lacrymatur Chriſtianus.

11. *Mortuus eſt JESUS.* Nulli unquam homini morienti tam fuit amara mors corporalis, quàm Chriſto: neq; ulla anima tam invita, tam repugnanter, corpuſculum deſeruit quàm Anima Chriſti. *Cauſa eſt prima.* Nullum unquam extitit corpus quod eſſet animæ ſuæ ita proportionatum, ita attemperatum eximiâ cōplexionis bonitate ac temperie, ſicut fuit corpus Chriſti animæ Chriſti. Ex hoc ſorgit *cauſa ſecunda*: qua nulli corpori nulla anima tam fuit amica & affecta, atq; informando illo tam intimè, amicè, connaturaliter conjuncta, ſicut anima Chriſti corpori Chriſti. Ex hac *ſequitur adhuc tertia cauſa.* Quia nulla unquam anima in ſuo corpore ſuavius habitabat libentiuſq; illud informabat, in D eoq; ac per illud operabatur: perfectioreſq; operationes ſuas omnis generis exercebat: ſibi ſubſerviens exactiſſimè ac obedientiſſimè corpus tam in toto, quàm in

Digitized by Google

quàm in ſingulis ejus partibus, reſpectu omnium & ſingularum potentiarum, imo & individuarum omnium actionum animæ habebat: ſicut habebat anima Chriſti corpus ſuum: & ſicut fuit corpus Chriſti animæ ſuæ. Nullam enim unquam non dico rebellionem ſed abſolutè nullam reſiſtentiam, nullam in obſequendo ac ſerviendo moram animæ illi corpus exhibuit, ad quodcunque ab ea imperatum opus. *Ejus autem rei radicalis cauſa fuit* partim unio Hypoſtatica, cum corpore animâq; Chriſti, partim conceptionis author Spiritus Sanctus: ordinatiſſimuſq; ac puriſſimus MARIÆ maternus ad conceptionem cum Spiritu Sancto concurſus. Quare ſuppoſitâ tali animæ Chriſti cum corpore ſuo conglutinatione pleniſſimâ concordiæ; pacis, amoris, delectationiſq; mutuæ & naturalis, qualis poteſt cogitari maxima & naturaliſſima: ſequitur ſeparationem harum partium in morte fuiſſe naturaliter ab utrinq; inviciſſimam, vehementiſſimâ, violentiſſimamq;, magis violentam omnino quàm dici poteſt, & quàm omnium aliarum animarum & corporum, fuit, eritq; ſeparatio. Ac tandem ultimò ſequitur: nulli hominum morientium fuiſſe, aut eſſe poſſe mortem diſſolutionemq; ſui tam acerbam, violentam, amaram, naturaliq; repugnantiâ, & obnitentiâ, & horrore plenam, quàm fuit Chriſto Domino. Et hinc fuit illa in Chriſto agonia, ille ſudor ſanguineus, illa deprecatio mortis, ille timor, ille pavor, illud tœdium, illa contriſtatio, morti æquivalens, in horto: repræſentatum enim tunc ad vivum Chriſtus habens omnem Paſſionis ſuæ atq; mortis laborem: connaturaliſſimè debuit tantum illum perpeti horrorem. Hinc etiam fuit illa Chriſti ſollicitudo humillima, quâ jam jam imminente mortis ac diſſolutionis animæ à corpore articulo: Spiritum Patri commendabat: hoc eſt reunitionem corporis cum anima, inſtaurationemq; ſui cõpoſiti quàm primum fieri poſtulabat. Vnde etſi Dominus noſter nihil aliud vel noſtræ redemptionis, vel Paternæ gloriæ cauſâ paſſus fuiſſet, quàm illum horrorem mortis ſuæ: etiam ſine morte ipſâ, graviſſimam rem, graviſſimum dolorem, & cum nullo hujus vitæ dolore conferendum ſuſtinuiſſet. Multoq; magìs quando etiam ipſam mortem actu ſuſtinuit: per eamque compoſitum ſuum diſſolvit: Majus hoc enim eſt & intolerabilius naturæ Chriſti: quàm fuiſſet perferre omnes hujus vitæ dolores ab origine mundi uſq; ad ejus finem, exceptâ ſuâ morte. Hinc colligamus licet (quantum quidem explicari, & intellectui ſubjici iſta à nobis poſſunt) quantum nos Chriſto pro ejus morte debeamus, quàm præter dicta tantis præterea calamitatibus præviis undique ſupra modum exaggeratam proque noſtrâ ſalute obitam ſcimus.

12. *Mortuus eſt JESUS.* & veluti granum ſynapis contritus & planè commolitus: ut fiat totius humani generis ad ſaporem condimentum; atq; purget cerebrum noſtrum, à proprii judicii, proprieq; voluntatis erroribus tanquam noxiis ſuperfluiſq; humoribus, ut item accendat corda noſtra terrenorum amoribus & ſollicitudinibus infrigidata. Quem enim JESUS mortuus non inflammat ad amorem? quem non liquefacit ad fletum? quem non fœcundat ad fructum? Minimum eſt granum ſynapis, minimus & JESUS mortuus: ſed granum ſynapi acceptum ab homine, & in agro ſeu horto ſuo ſeminatum creſcit & fit arbor. JESUS etiam in Nazareth conceptus velut in horto ſatus in horto olivarum ad mortem captus, in horto poſt mortem ſepultus, in eodem uſq; ad Reſurrectionis gloriam crevit; ex horto quoq; uſq; ad altitudinem cœlorum aſcendit.

PARAGRAPHUS CLXIV.

JESV mortuo velum templi ſcinditur. Matt. 27. 51.

STROMATA

1. QVia ad mortem Chriſti deflendam tardabat (cujus tamen maximè intererat) genus humanum, ac inprimis Iudæorum: univerſitati rerum omnium planctus indicitur ad confuſionem rationalis creaturæ. Mortuo igitur Domino, tota rerum univerſitas ſenſum mortis ejus in ſe oſtendit. *Et ad confuſionem* quidem Iudæorum maximè Pontificum & Sacerdotum ac legis peritorum: flevit templum ipſorum, imò ſacratiſſimus ipſe templi locus, ſancta ſcilicet ſanctorum: idq; per veli (quo ille locus velabatur: nec ullius ingreſ-

Levit. 16. ſui præterquam Sacerdotis ſummi, idq; non niſi in anno ſemel, in expiationis feſto patebat) reſciſſionem à ſummo uſque deorſum, & conſequenter per revelationem, ac ob hanc etiam per evacuationem exinanitionemq; eorum. *Deinde ad* confuſionem vivorum ratione ſenſuq; utentium: inanimata inprimis fleverunt: inprimis vero terra totius ſui quanta quanta eſt confuſione & commotione luctum edidit: ſecumq; omnia quæ in eâ ſunt lugere neceſſariò fecit. *Poſt terram fleverunt* mortem Chriſti Petræ & ſaxa: ſciſſa enim ſunt: non tantum in Iudæa: ſed etiam in aliis terræ & orbis partibus. *Poſtremo* fleverunt ipſi inferi & mortui: etenim mortuo Domino: aperta ſunt monumenta & corpora, ſeu potiùs corporum pulveres, qui adhuc in eis reſidui erant, revixerunt, & de monumentis progreſſa ſunt. *Iam ante hac* expediverat luctum ſuum ſol & luna & ſtellæ, & dies, & nox, quæ vivente adhuc in cruce Domino, per tres horas luctum ſuum continuarunt: Dominiq; morti ante mortem parentarunt. *Narrant hiſtoriæ* antiquæ etiam maria ſub horam Dominicæ mortis turbata fuiſſe: voceſq; magnas auditas lugentium ſpirituum: panem; id eſt Deum Magnum mori. Deum Magnum mortuum eſſe: *Sancta quoq; Brigitta* revelatum ſibi Divinitus ſcribit: quo tempore Chriſtus mortuus eſt in cruce: omnium qui tunc in mundo vivebant hominum corda occupata fuiſſe repletaque ſummo quodam dolore triſtitiâq;: quamvis cauſam tantæ interioris triſtitiæ ignorarent. Neque id non meretur fidem cum non minùs facilè fuerit potentiæ mortui creatoris corda hominum viventium mœrore afficere, quàm totam terram & ſaxa, rupeſq;, ac alia elementa concutere, aut mortuorum corpora ſepulchraque aperire, deinde verò par & dignum videbatur concuſſis ad ſenſum mortis Chriſti inanimatis & irrationalibus creaturis: rationales nequaquam præteriri; ut omnis creatura ſentiret etiam nolens, etiam neſciens mortem Creatoris ſui. Expendamus more noſtro hoſce omnes planctus, quos Evangelium commemorat: ac in præſenti ſciſſionem veli.

2. *Velum templi ſciſſum eſt.* Matthæus Evangeliſta qui hanc ſciſſionem veli narrat: cum dixiſſet JESUM iterum voce magnâ clamantem emiſiſſe ſpiritum: *Matt: 27. 51.* addit. *Et ecce velum templi ſciſſum eſt in duas partes à ſummo uſq; deorſum:* haud dubiè vocibus illis: Et ecce velum: hoc volens indicare: non caſu; non aliquâ aliâ de cauſâ ſciſſum fuiſſe velum, ſed merè, ac purè propter Chriſti mortem:
A concurrentibus in idem punctum temporis, & Domini morte, & veli ſciſſione: quo dubitare nemo poſſet morti Chriſti deflendæ, indignitatiq;, & iniquitati ejus demonſtrandæ, veli ſciſſionem in ipſis ſanctis ſanctorum fuiſſe factam.

3. Præceperat DEUS ut ſancta ſanctorum velo oppanſo ſemper eſſent tecta nec paterent ulli: niſi ſummo Pontifici, idq; in anno tantùm ſemel in expiationis feſto, ut ſupra dixi: hæc obſervatio, ut disertè interpretatur Paulus Apoſtolus: præfigurabat Chriſtum ſummum Sacerdotem, per mortem ſuam, pro peccatis mundi ſuſceptam, ac per hoc expiationis feſtum peragentem in- *Exodi 26. 31.* *Ad Hebræos plerisq; ſparſis locis à cap: 7. uſq; ad medium 10.*
B troiturum ſemel in ſancta: & quia habet ſempiternum ſacerdotium, nec prohibetur morte permanere; quoniam illi mors non dominatur: idcirco unico ſuo interitu, omnia complevit, & totum expiationis feſtum, hoc eſt Redemptionis negotium, ſemel pro ſemper confecit: nec ſecundò opus eſt aut unquam erit illud peragi, cum ergo nec ſucceſſore egeat Chriſtus, qui *eſt Sacerdos in æternum,* neq; expiationis repetitione, quia æternâ redemptione inventâ introivit ſemel (ut dixi) pro ſemper in ſancta per ſuam mortem, atq; per ſuum ſanguinem: ideo tanquam jam figuræ illi res ipſa figurata ſucceſſiſſet, ac proinde non eſſet jam unquam opus vel ingredi ad *Pſ: 109. 4.*
C ſancta, vel illa eſſe velata, quandoquidem jam fuiſſent expletione reali revelata, in morte Chriſti, tanquam in ingreſſu ſummi ſacerdotum ad Sancta velum illud ſciſſum eſt, & ab officio velationis amotum. Eſt autem ſciſſum non amotum tantum, quia ſcilicet tanquam inutile ac non neceſſarium amplius futurum, deſtructum eſt, & abjectum.

4. *Velum templi ſciſſum eſt:* tanquam Dominum DEumq; templi lugeret templum morte ſublatum. Erat mos Iudæis, ob indignitatem præſertim in Deum patratam, pro zelo honoris Divini ſcindere veſtimenta ſua; uti etiam Caiphas fecit, quando Chriſtum blaſphemum eſſe pronunciavit: Hoc igitur ritu Iudai-
D cum templum veluti ſentiens ac damnās ſuos Pontifices, Sacerdotes, leviteſq; ac miniſtros, pro eo, quod debuerant DEO ſuo gratiis actis, Chriſtum Meſſiam, ab eo ſibi miſſum recipere, & honorare, contrariè

Digitized by Google

contrariè potiùs DEo ingratos & rebelles extitiſſe, Chriſtumq; morte immani affeciſſe & abnegaſſe: per idq; Prophetias omnes, & ritus veteres neſciendo adimpleviſſe; tantâ DEi & Chriſti injuriâ commotum, zeloque honoris ac indignitate mortis Chriſti concitatum *ſcidit veſtimentum*, hoc eſt velum ſuum, & abjecit tanquam jam deinceps, nec ſibi nec ulli uſui futurum, ſeq; alteri jam nobiliori templo per Chriſtum æternum Sacerdotem inſtituto locum daturum: conſequenterq; & Sacerdotium Iudæorum in vanos & otioſos ritus, in verè ac merè lanionum ac puerorum opus abiturum: neq; eorum miniſterium, vel Deo amplius gratum, vel hominibus utile ſalutareve futurum.

Matt:26. 65.

5. *Velum templi ſciſſum.* docet omnem legem Moſaicam, cum literæ legalis corticem, omneſq; ritus: qui aliud nihil erant, quàm quoddam veritatis futuræ, perq; Chriſtum adducendæ velamen: jam tandem morte Chriſti & Redemptione ſacrificioq; illius eſſe expletos omnes; & veluti amoto velo revelatos omnium conſpectui expoſitos, terminoque impoſito, & adductâ veritate ipsâ penitus abolitos & ſublatos.

6. *Velum templi in morte Chriſti ſciſſum eſt.* Quia per mortem Chriſti, patet jam omnibus, poſt eum ire volentibus introitus ad ſancta ſanctorum, hoc eſt ad æternam beatitudinem: atq; hoc modo audivit, & re ipsâ impletum accepit, Latro illud à Domino dictum *Amen dico tibi hodie mecum eris in Paradyſo*: quaſi dicat hodie poſt me ingredieris in ſancta: hoc etiam modo idem velum amovit Anima Chriſti omnibus in limbo Sanctorum Patrum animabus, eiſq; beatitudinis ſancta reſeravit. Stephanus quoque hoc idem velamen amotum vidit, & ideo teſtatur *video cœlos apertos. Et ita* omnino eſt omnium ſanctorum propalata jam via.

Luca 23. 43.

Act:7.55
Hebr: 9. 8.

7. Evangelium Nazaræorum: quod aliquando à priſcis Patribus uſurpatur & Hieronymus illud latinitate donavit: ſcriptum habet in morte Domini noſtri ſuperliminare templi, quod erat immenſæ, ac ſtupendæ molis, ſciſſum ſeu fractũ eſſe à ſummo uſq; deorſum. Quod ſignum fuit ruentis ſynagogæ, cum ſuis omnibus ritibus, ſanctis, ſacerdotiis, hoſtiis, tabernaculis, templis, omniaque tranſire ad Eccleſiam Chriſti, & ad fideles ejus: qmomodo conſtructo verò ipſoq; palatio ſubſtructiones, & ædificantium adminicula, & modelli ſeu fabricæ ideæ diruuntur, & deſtruuntur amoventurq;. Neque ab hoc diſſentit quod Sanctus Ephrem narrat mortuo Domino non tantùm velum templi ſciſſum in duas partes, à ſummo uſq; deorſum: ſed etiam columbam, ſcilicet Spiritûs & præſentiæ Divinæ hactenus in templo & ſynagogâ morantis teſtem, è templo evolaſſe.

8. *Velum templi ſciſſum eſt.* Implevit ſcilicet vicem Domini Dei ſui, dolentis Chriſti ſui Unigeniti indigniſſimã mortem. Non poterat Pater Æternus dolere, neq; in ſe ipſo ſenſum doloris exprimere, in templo ſuo expreſſit, velum templi rupit & ſcidit.

9. *Velum templi ſciſſum eſt.* Meritò ſciſſum: quidni enim ſcinderetur: verò & plus quàm pretioſiſſimo Humanitatis Chriſti velo, quod Divinitati immanenti corporaliter & hypoſtaticè opponebatur, per indigniſſimam amariſſimamq; necem rupto? Pretioſiſſimum fuit illud templi velum: & velut omnium rerum (Ioſephus loquitur) imaginem præferens, cœliq; rationem perſcriptam habens, ſed quid hoc eſt, ad Theandricæ Humanitatis Chriſti dignitatem, ſymmetriam, perfectionem, pretium? Paulus Apoſtolus cum dixiſſet *in introitum ſanctorum initiatam nobis eſſe à Chriſto viam novam & viventem per velamen*: id velamen quod ſit explicat ſtatim addens: *id eſt carnem ſuam.* Caro ergo Chriſti ſive Humanitas, quoniam in morte ſciſſa & revelata fuit, velamen etiam figurantis & umbratilis templi, ſicut & ipſum umbratile fuerat ſcindi omnino debuit.

Ioſeph: de bello Iudaico lib. 6. c. 6.

10. *Velum templi ſciſſum eſt Chriſto in Cruce mortuo.* Nimirum patent omnia etiam Sancta Sanctorum, crucifixis, crucis amatoribus, crucis aſſeclis, & profeſſis. quid aliam vel optamus, vel quærimus, vel fingimus ad cœlum viam: crucis viâ neglectâ? Nulla eſt ſecura, omnis eſt à latronibus inſeſſa, horrida, lubrica, infamis; Regia via quâ Rex inceſſit, quam totus ejus comitatus trivit: non poteſt non eſſe ſecura, recta, certa, explorata. Quis iter facturus, non mallet cum Rege, cum comitatu Regio tutus pergere, aut quis periculum aliquod poſſit metuere, Regem ducem, comitem, præſidem habens viæ? Nos tamen ita inſanimus. Neglectâ Regiâ viâ, Regiſque ductu & comitatu: quærimus potiùs vias difficiles, ambiguas, inferno, non cœlo inveniendo natas. Crux eſt via, crux oſtium, crux clavis cœli, quid prædonum ſemitas ſaltusq; conquirimus?

11. *Mortuo Chriſto velum templi ſciſſum eſt.* Eſt ſcriptura Divina templum ſpirituale (ait Laurentius Juſtinianus) nobiliſſimum toto orbe celeberrimum, quod Sanctorum geſtis, probatiſſimorum virorum ſententiis, atq; Prophetarum oraculis, tanquam de vivis lapidibus conſtructum eſt, ſed ſub litteræ velo, ac figurarum cortice tectum. Nam ſicut legitur, tenebroſa aqua in nubibus aëris; videlicet obſcura ſcientia ſermonibus Prophetarum, adeo ut reperiretur rarus, qui ad ipſorum indaginem, & ſpiritualem latentem attingeret ſenſum. At ubi Dominus prædicavit, occubuit, reſurrexit, Sacramenta cœleſtia ex ipſis revelante deſuper ſapientiâ coruſcare cæperunt. Amotâ ſiquidem literâ quæ occidit, tanquam ſciſſo diruptoque velo, quod prius in latibulo erat manifeſtum eſt. Deniq; habes in Evangelio, quòd reſuſcitatus Dominus diſcipulis ſuis ſenſum aperuit ut intelligerent ſcripturas.

De triũphali agone Chriſti cap: 20. poſt medium. — *Pſal: 17. 12.* — *Luca 24. 45.*

PARAGRAPHVS CLXV.

JESV mortuo terra mota eſt.

Matt: 27. 51.

Iud: 16.18. *Montes à fundamentis movebuntur cum aquis: petra ſicut cera liqueſcent ante faciem tuam.*

Pſ: 45. 7. *Dedit vocem ſuam & mota eſt terra.*

Pſal: 67. 9. *Terra mota eſt etenim cœli diſtillaverunt à facie Dei.*

Pſal: 81.5. *Neſcierunt neq; intellexerunt (Iudæi Chriſtum & tempus viſitationis ſuæ) in tenebris ambulant: movebuntur omnia fundamenta terræ.*

Iſaiæ 13.13. *Super hoc cœlum turbabo, & movebitur terra de loco ſuo propter indignationem Domini exercituum, & propter diem iræ furoris ejus.*

Ioel: 2. 10. *A facie ejus contremuit terra, moti ſunt cœli: Sol & luna obtenebrati ſunt.*

Abac: 3.10. *Viderunt te & doluerunt montes.*

STROMATA

1. Altera eſt funebris pompæ, lugentiumq; Domini, ac Regis ſui mortem, famulorum portio. *Terra mota eſt.* meritò mota, quia fundamentum ejus concuſſum eſt: quia baſis ejus collapſa eſt.

2. *Et terra mota eſt* tanta moles ad necem Domini ſui commota eſt. & intremuit: cor unum tantilla carnis portio, cor unum tantilla voluntatis humanæ affectio commoveri non poteſt. Heu facilius eſt terram moveri lóco, quàm voluntatem hominis à peccato, & facilius ſentit terra efficaciam mortis Chriſti, quàm cor admittit peccatoris.

3. *Terra mota eſt,* inhorreſcens ad immanitatem ſceleris? an excutiens cum peccatoribus peccatum à gremio ſuo? an authores ſceleris ad horrorem ejus ſaltem poſteaquam jam patratum eſt, exemplo incitans, & vel invitos contremiſcere faciens?

4. *Terra mota eſt moriente ſeu mortuo Chriſto.* Mota eſt etiam reſurgente eodem ex mortuis, quid eſt quod in tam diverſâ licet Chriſti fortuna eoſdem tamen motus, & geſtus, affectuſq; terra exhibere videtur? An timet & luget, & horret, tremitq; mortuo Domino: congaudet autem & geſtit lætitiâ eodem reſurgente? Fuerit hoc olim: at quidſi nunc inverſus eſt ordo? Quidſi nunc moriente Domino gaudet terra: reſurgente verò luget? Dicamus ita. Olim etiam gaudebat terra moriente Domino, quia pro hominum ſalute moriebatur: quia terminabat Paſſionis & mortalitatis ſuæ miſerias, porro reſurgenti condolebat, quia Chriſtum etiamſi jam glorioſum, multa tamen ab ingratis, & incredulis paſſurum præſentiebat. An verò non etiam nunc congaudet terra paſſo & mortuo Chriſto, quia hoc tempore meliorem in vitam, meliorem ad mentem pœnitendo, jejunando, alia bona opera faciendo, redeunt homines: habetq; Chriſtus Paſſionis ſuæ fructum mortis ſolatium: vivit enim in pœnitentibus &c. contra verò condolet reſurgenti quoniam reſurgente Chriſto ad gloriam & immortalitatem, homines Chriſtiani redeunt, ad uſitatorum peccatorum mortem, glorioſumq; Chriſtum crucifigunt, immortalem occidunt. Vtinam hæc ingenioſe aut ſuſpicioſè timidèq; magis dicantur quàm verè, quàm experimento nimis docente. Quis enim non videt reſurgente Domino reſurgere in hominibus peccata? quàm multi hoc concionatores, quàm multi imò vetuſti Patres in Chriſtianis malum & verè peſſimum ingratitudiniſq; pleniſſimum malum deflent? nimirum hæc fieri poſſunt, emendari autem voto tantùm & non re ipsâ poſſunt.

5. *Terra mota eſt moriente Domino.* Hic nimirum eſſe debuit unus ex præcipuis fructibus mortis Chriſti, ut terra moveretur: homines ſcilicet terreni, animales, cor-

Digitized by Google

les, corpore, & corde, non tantùm ad terram, ſed etiam in terram verſi toti ſtudiis terrenis dediti, debebant gratiâ, meritis, & exemplis, doctriniſq; Chriſti excutere jugum terrenorum deſiderio-rum, nudiq; prorſus nudum Chriſtum, bajulantes crucem poſt ipſum ſequi. Hic effectus cernitur maximè & paſſim in cœtibus Religioſorum ibi eſt hæc conſolatio Domini: quia omnes ſunt ſine affectionibus & curis terreſtribus: habentes victum & amictum, & ne tunc quidem proprium, contenti ſunt: cœlum inhabitantes mentibus: omnia autem terrena tanquam ſtercora reputantes, ut Chriſtum pauperem lucrifaciant.

6. ***Terra mota eſt mortuo Domino,*** & corda Iudaica mota non ſunt: & mota ſunt quidem corda aliquorum de plebis fœce: at Principum, at Sacerdotum, & legisperitorum Phariſæorum Scribarumque nullus: planè ut etiam tunc uſurpare ſuum illud potuerit, nequam hæc progenies. Nunquid aliqui ex Principibus crediderunt in eum, aut ex Phariſæis, ſed turba hæc quæ non novit legem, maledicti ſunt. *Ioan: 7. 48.* Verè ita eſt, verè ita etiam hodie: qui enim hodieq; evangelizantur alii præter pauperes & ſimplices, poſterioriſq; notæ homines? Alii cæteri, qui ſibi ſupra alios ſapere, ſuprà alios poſſe, eminereq; plus videntur: his Chriſtus patiens, moriens, fabella quædam anilis aut nimis ad nauſeam aurium teretium detrita notaq;, nec jam digna auribus ſuis adeo politis judicatur. Non dignantur iſti, neque egent concionibus ad mores formandos; ad affectus movendos, ad veternum excutiendum, ad ſtimulum conſcientiæ acuendum, ad officii ſui quemq; commonendum elaboratis: aut ſi auſcultare, (adeſſe dicere debueram) dignantur: oportet ut invitati & ſuppliciter rogati faciant: ut gratiæ pro indulta præſentia reddantur: ut conciones ſint planè ad aulica ſua ingenia factæ, aut potiùs fictæ, ut ſint ingenioſo lepore fartæ, ut ſint ſale plenæ, ut inauditis fabellis, hiſtoriolis, conceptibus conſarcinatæ Vt vix ulli ſine conjecturis cognoſcendæ, ut nemini utiles. Hos auditores Divini verbi putas? hos credis etiam moriente Chriſto, etiam terrâ tremente mutandos in melius? pauperes, plebeculæ, ſimplices evangeliſentur. Principum iſtorum, Sapientum iſtorum, nunquid aliquis credet Evangelio vel Chriſto? abſit. præter decorum eſt moremq; præſentis ſæculi. Imò verò videas iſtos apud ſeſe magnos, hac potiſſimum tempora negotiis, litteris, ſalutationibus, controverſiis, ſomno, & id genus probris dare: A quibus cultus Deo debitus reddendus, quibus verbum Dei audiendum, quibus domus Dei adeunda, quibus ſacrificia Sacramentaq; uſurpanda eſſent. O homines terræ mole immobiliores? petris duriores? mortuis magis mortuos? O utinam iſti inter humana divinaq; legitimè diſcernant? Vtinam quamvis ſe hominibus cæteris majores aliquantò videant, Deo tamen inferiores, Dei mancipia & ſervos, Dei pulverem & ſcabellum pedum agnoſcant: & quæ ſunt Dei Deo reddere condiſcant. *Iuſtum eſt* (loquitur pullus hujus mundi) *juſtum eſt hominem ſubditum eſſe Deo: & mortalem non paria Deo ſentire.* *2. Mach: 9. 12.*

7. ***Terra mota eſt mortuo Domino.*** Senſum ergo & Divinitatis & mortalitatis Chriſti percepit. O mortales in noſtrū id vel documentum ſi ſequimur, vel probrum judiciumque ſi negligimus factum ſciamus. Sentit & movetur terra ad mortem Domini, & motu quo poteſt ſenſum tunc luctumq; & venerationem mortui teſtatur. Nos ſenſum patientis, & pro nobis quidem patientis Chriſti ore quidem ſtrepimus, ſed revera nec corde credimus, neque ſenſu percipimus. Imò verò Paſſionis Chriſti cruciſq; ac mortis conſortium tanquam quid Chriſtiano nomine indignum tanquam quid ſtultum fatuumq; cenſemus. O mortales ſi olim terram & ſaxa contra nos ſtatuerit Chriſtus tanquam mortis ſuæ ſenſu ad pietatem commota, nobis tunc quid animi quid frontis, quid timoris, pudoriſq; ſimul incurret? Saltem ergo à terrâ & ſaxis condiſcamus Chriſti Paſſionem ſentire, cum Chriſto ſaltem interdum, ſi non ſemper, aut ſæpe, quidpiam quod pium, quod gratum, quod memorem, quod imitatorem animum noſtrum teſtetur ſuſtinere. Nam quomodo ſperamus conformari Chriſto in beatitudine qui nolumus ei ullatenus conformari in Paſſione. Crucis nummo ille beatitudinem ſibi emit: nec niſi nummum crucis pro ea offerenti illam cuiquam vendit.

PARAGRAPHVS CLXVI.

addebat ipſe Chriſtus illud idem ſibi obſtepentibus, ſemen Abrahæ ſumus. *Si filij Abrahæ eſtis opera Abrahæ facite*, planè ad mentem Prophetæ olim eoſdem monentis. *Attendite ad petram unde exciſi eſtis.* Neglexerunt iſta Iudæi: ergo lapides clamant, ergo petræ ſciſſæ ſunt, ergo ſuſcitantur de lapidibus filii Abrahæ. *Auſertur regnum Dei ab eis & datur genti facienti fructus ejus.* Et nunquid non hoc ipſum in Chriſtiana videmus Eccleſia: quantæ gentes olim Chriſtianæ, obtritæ ſunt & abolitæ: ab gentibus ſupervenientibus: non ſolùm terram ſed etiam fidem virtutemq; illorum quam illi neglexerant, poſſidentibus? Videmus & hoc, palpamuſq; manibus creberrimè, prò uno in Deum ingrato ſerviente tepidiſſimè, conſurgere alium de quo minimè ſperaſſes optimum Dei ſervum; ita ſcilicet DEus *agricolas malos malè perdit: & vineam tamen ſuam aliis locat agricolis qui reddunt ei fructum in tempore ſuo.* Sancto Franciſco labem quandam ſuorum amariùs deflenti, ſolatium adhibens Dominus, promiſit ſe alios meliores pro perverſis ſubmiſſurum filios: quodſi inquit nec dum nati ſunt: naſci illos jubeo: quid verò hoc eſt aliud, niſi vineam locare aliis agricolis? niſi de lapidibus excitare Abrahæ filios? Ergo nemo glorietur. *Patrem habemus Abraham.* Sed potius ſequamur conſilium Domini. *Si filij Abrahæ ſumus opera Abrahæ faciamus.*

Iſaia 51. 1.

11. *Petræ ſciſſæ ſunt.* Forſitan ſepulchri novi locum Chriſti corpori præbituræ: quis credat? Sed eventu comprobatam acceptatamq; humanitatem rupium habemus: ſepeliri voluit Dominus non alibi, quàm in monumento novo, quod exciſſum erat ex petrâ: & cuſtodia ſacratiſſimi corporis Chriſti immediata atq; proxima, nulli alii credita eſt: ſed hoc munere donata exornataq; eſt Petra. Etenim Ioſeph Arimatheus depoſito in petrâ corpore, advoluit ſaxum magnum ad oſtium monumenti, & veluti fideliſſimo cuſtodi corpus crediſſet, ſecurus abiit.

12. *Petræ ſciſſæ ſunt.* Multi hoc ipſum faciunt: ſcindunt petras ſed non corda: at Ioël clamat ſcindite corda veſtra & non veſtimenta veſtra, addere poterat non ſaxa veſtra. Saxa & petras ſcindunt, qui ſua, & non ſe, corpus non corda Deo & ejus obſequio offerunt. Ne labora circa ſaxa iſta: aut ſi hæc etiam ſcindere vis: id quidem licet, ſed ante omnibus ſciſſuram cordis præmitte.

Ioël: 2. 13.

13. *Petræ ſciſſæ ſunt.* Ita petræ aliis quidem petræ: ſed Chriſto non erant petræ; at veluti molles quædam ceræ: ex quibus quidquid liberet effingeret. Tales Petras amat JESUS quæ peccati voluptati, quæ tentationibus, quæ ſenſuum illecebris, quæ timoribus vel favoribus humanis, quæ diabolo, carni, mundo, quæ omni creaturæ ſunt omnino ſaxa & petræ: *poſuerunt cor ſuum ut adamantem*, nullis hircini ſanguinis unctionibus, nullis malleorum ictibus, nullis ignibus ceſſurum, ſed quæ nihilominus Deo, & manibus ſeu mandatis voluntatibuſq; illius, molliculæ ceræ ſunt Chriſti ſanguinis tincturæ neſcientes obſiſtere, quæ ad tactum gratiæ Divinæ inſpirationiſq; illico cedunt: quæ imaginem formamq; virtutis, & inprimis Chriſti Paſſi ad vivum recipiunt: quæ obedientiæ Sanctæ nutu fingi, refingi, flecti reflectique poſſunt, ſciunt, ſolent, amant. Tales petras amat, tales adamantes, tales margaritas mercatur totius ſui pretio Chriſtus. Sed, ſed quid dicere volo? interdum, utinam non paſſim aliter fieri videas. Chriſto quidem ſumus petræ: at diabolo & carni & mundo ceris molliores. Nec beneficiis, nec flagellis edomamur ad arbitrium voluntatis Divinæ: diabolo verò ad nutum obſequimur, imò & nutus prævertimus, ipſiq; nobis ſæpe plus quàm dæmones ſumus: ultroq; diabolum ipſi provocamus: qui Chriſtum nos totius ſuæ charitatis æſtu, totius ſuæ Paſſionis mortiſque efficaciâ, ad ſeſe flectere, ad ſuique normam mollire volentem contumaciſſimè repellimus.

Zach: 7. 12.

PARAGRAPHVS CLXVII.

JESV mortuo reſurgunt mortui.

Matt: 27. 52.

STROMATA

1. HÆc tandem eſt ultima funebris in funere Chriſti pompa. Veniunt mortui, mortuum ſuum Deum ſepelire, & cui inter vivos, vident negatum locum, dant apud ſe inter mortuos. Surgunt ergo mortui, aperiunt ſua monumenta: & exeunt foras, nunquid ſpectaturi Deum? certè hoc ſpectaculum

Fffff etiam

Digitized by Google

etiam mortuis efficax eſt movere cupiditatem, ne dicam curioſitatem. Mortuorum regio & populus audiens DEum quoq; mortuum, imo jam apud ſe habens ejus benedictum (ſolum tantùm Spiritum) cucurrit ad cadaver ſpectandum mortui: ut hoc magis fieret credibile quod videbat: DEum ſcilicet eſſe mortuum. Niſi fortè ita dicamus, quod mortui illi, cùm viderent in ſuâ regione, mortuum verſari Deum: neq; id novitatis, aut indignitatis mortui eorum oculi videre ſuſtinerent, ad vivos redierunt: oculoſq; corporis reſumpſerunt: ut perinde ſicut vivi fecerant mortuum Deum videre ſuſtinerent. Ah monſtra naturæ. Mortui mortuum DEum videre non poſſunt, vivi homines Deum mori facere potuerunt. Sed hæc tamen prius ad veritatem dictionis Evangelicæ primùm examinanda ſunt.

2. Matthæe Evangeliſtæ referentis verba hæc ſunt. Et monumenta aperta ſunt: & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt & exeuntes de monumentis, poſt reſurrectionem ejus, venerunt in ſanctam civitatem & apparuerunt multis. Hæc verba primo intuitu videntur ſonare, quod in morte Chriſti, cum terræ motu, petrarumque ſciſſione monumenta quoq; aperta ſint. & mortui ſancti multi revixerint tunc ſtatim: ſicq; vivi in monumentis tempus reſurrectionis Dominicæ expectarint: quâ peractâ exierint ab eis, & in ſanctam civitatem venerint multiſque apparuerint. Cæterum hic ſenſus verborum conſiſtere non poteſt, etſi aliquando concionatoriè ad mortem Chriſti, mortuumq; Chriſtum videndum mortui ſurrexiſſe dicantur. Nam inprimis: ſi ante Chriſti reſurrectionem hæc corpora revixiſſent jam Chriſtus primitiæ reſurgentium non eſſet, quod tamen Apoſtolus disertè affirmatum vult. Deinde hi qui revixiſſent ante Chriſti reſurrectionem: cum ab Evangeliſta ſancti dicantur, debuiſſent reviviſcere glorioſi, atq; beati, tum quoad animas, quippe jam à Chriſti Animâ beatificatas; tum quoad corpora, à beatis quippe animabus informata: ac proinde ut modo dicebam Chriſtum præceſſiſſent in primitiis reſurgentium. Niſi dicere velimus, illas Sanctorum animas, informaſſe tantùm corpora ſua, non tamen beatitudinem communicâſſe, at hoc eſt fingere ſine fundamento miracula. Verus ergo ſenſus verborum eſt. Monumenta Sanctorum complura, inter motum terræ, ſciſſionemq; petrarum, ſtatim ſub mortem Chriſti, cujus & honori atq; deplorationi, ſimulq; etiam efficacitati, ac de morte victoriæ impendebatur, apertà eſſe, & ſic patuiſſe hiaſſeque uſq; ad horam illam beatam, glorioſæ Chriſti reſurrectionis. Hac verò factâ, tum etiam illas animas Sanctorum, quibus id Chriſtus glorioſus largiebatur, quarumq; patuerant ſepulchra, aſſumpſiſſe vivificaſſeque corpora ſua, & exiſſe de ſepulchris, eaq; inſtar Chriſti deſeruiſſe ac multis apparuiſſe, in civitate Hieroſolymorum, quæ adhuc Sancta erat, qui in ea ſanctus DEi veri cultus eſſet, quodq; etiam tunc aliquos Sanctos haberet, ac juſtos, præterea quòd ſanctos multos olim habuiſſet, & bene ſaltem ſepultos haberet, deniq; quod ſancti ſanctorum, laboribus ornata, veſtigiis preſſa, miraculis illuſtrata, Eccleſiæ novæ, myſteriiſq; Euchariſticis inſtitutis dignata exſtaret.

Matt. 27. 52. & 53.

2. *Monumenta aperta ſunt*: non tantùm ad reſurrectionem aliquorum Sanctorũ, unà cum Chriſto futuram præparata: ſed etiam honorem Paſſioni, atq; morti Dominicæ impendendum reſerata.

3. *Monumenta aperta.* quaſi ſepulturam Domini ambientia: vel quaſi mortuos ſuos in vivos tantò ſcelere Deicidii obſtrictos immiſſura.

4. *Monumenta aperta ſunt* fortaſſe impiis illis iram DEI meritis refugium aliquod à pœnâ præbitura.

5. *Monumenta apertà ſunt*: quia enim jam mors erat victa morte Chriſti: ſperabant illico reſurrectionem corporum ſuorum mox ſecuturam.

6. *Monumenta aperta ſunt.* Tanquam clamantia vivos illos Chriſticidas dignos morte, dignos ſepulturâ, dignos abolitione de terrâ, dignos quos aperiens os ſuum deglutiret terra.

7. *Monumenta aperta ſunt.* Hodieq; eum affectum, eum honorem habet *Paſſio* Chriſti ut in ejus commemoratione monumenta hominum in peccatis ſepultorum aperiantur, & pateant in confeſſionibus & pœnitentiæ Sacramento. Sed tamen pauci admodum de ſepulchris exeunt, ab iiſq; recedunt poſt Chriſti reſurrectionem: quin potius redeunt ad monumenta ſua canes ad vomitum. Facile namq; eſt monumenta aperiri, confiteri peccata, pectus tundere, flere, aſſignatam pœnitentiam implere: ſed exigere prorſus de monumento conſuetudinis malæ, & abire in ſanctam converſationis ac morum conſtanter in melius mutatorum

Digitized by Google

tatorum civitatem reſurgere & ſic ſemper cum Domino eſſe: appareretq; ac præbere exempla bona multis, hoc rarum, difficile, & proprium Sanctorum Electorumve eſt.

8. *Monumenta aperta ſunt.* Quotidie aperiuntur ſepulchra mortuis quotidianis: & nos videmus hæc, & deducimus mortuos ad illa conditoria eorum: ſed tamen nemo putat, nemo reputat, etiam ſibi quondam,& forſan citius ſpe ſuâ monumentum apertum iri. Efferimus mortuos noſtros perpetuò & nemo dicit, *emendemus in melius*, antequam ſic quoq; efferamur. Plane cadit in nos dictum Domini. *Mortui mortuos ſuos ſepeliunt.*

Lucæ 9. 60. Ioan: 5. 25.

9. Dixerat quondam Chriſtus. Venit hora & nunc eſt, quando mortui audient vocem Filii DEI, hæc hora præſens eſt Mors Chriſti, vox & quidem ſonora eſt audierunt vocem hanc & animæ mortuorum ſub terrâ, & corpora eorundem intra nonumenta, propterea monumenta aperta ſunt.

10. *Monumenta aperta ſunt.* Solemne hoc eſt, ut quoties Chriſtus in Cruce eſt, vel moritur, aperiantur monumenta. Explicat ænigma Paulus dicens. Et omnes qui piè vivere volunt in Chriſto: perſecutionem patientur. Explicat & ipſe Dominus dicens. Et *inimici hominis domeſtici ejus*: quin fuſius clariuſq; alibi: *Non eſt aut diſcipulus ſuper magiſtrum*, nec ſervus ſuper Dominum ſuum: ſufficit diſcipulo ut ſit ſicut magiſter ejus: & ſervo ſicut Dominus ejus: ſi Patremfamilias Beelzebub vocaverunt quantò magìs domeſticos ejus. Converſus ad Chriſtum,& ejus amplexus Crucem Paulus: illico aperta monumenta contra ſe habuit adeo ut prædixerit de eo Dominus. *Et ego oſtendam illi quanta oporteat illum pro nomine meo pati.* Incipit quiſpiam vel cogitare tantùm de mutatione in melius vitæ ſuæ, de Societate pravâ abrumpendâ, de ineundo ſecuriore ſalutis ſtatu, de amplectenda cruce Chriſti, hem quanta ſepulchreta mox patent, quantam mephytim halant: quàm aculeatis linguis colubri mortuales ſæviunt. *Apocalyptica mulier, necdum filium maſculum pepererat, & jam fauces magni draconis hiabant, ad devorandum eum.* Ita omnibus meliora ſanioraq; non dico jam agentibus, ſed adhuc cogitantibus ſæva & fœda monumenta patent, fœditiſſima quæque inhalant: doloſiſſima objectant: aculeatiſſima quæq; infigunt. Planè dentes eorum arma: ſed hi dentes habitant ſua ſepulchra de quibus David. *Sepulchrum patens guttur eorum linguis ſuis doloſè agebant*, acerbè ſæviebant in rectos corde. Sed claudentur aliquando hæc monumenta: & obſtruetur os loquentium iniqua: tunc ſcilicet quando præ anguſtiâ Spiritûs gementes clamabunt. *Nos inſenſati, vitam illorum æſtimabamus inſaniam: & finem ſine honore, & ecce quomodo computati ſunt inter filios DEI.*

Mich: 7. 6. Matt: 10. 25. Act. 9. 16. Apoc: 12. 5. Pſ. 5. Sap. 5.

11. *Monumenta aperta ſunt*, credo ſtillantem vel Chriſti ſanguinem, vel ejus gratiæ meritorumq; rorem ebibitura. Nam ſi ad mortui Abelis ſanguinem ebibendum terra aperuit os ſuum: quidni & ad Chriſti ſanguinem ſorbendum idem faceret?

12. *Monumenta aperta ſunt.* Monumenta mortuorum ſunt mortis carceres, clauſa verò monumenta perinde ſunt ac fores & ſeræ carcerum atq; vectes egreſſum mortuis obſtruentia, deſperatumq; facientia, vel ut brevius dicam, ſunt monumenta, ſuper mortuos erecta à morte trophæa: hæc trophæa victor mortis deiicit, has ſeras reſerat, & aperit monumenta: ut intelligat mors, jam ſe ſpoliatam viribus, jam jura in mortuos amiſiſſe: jam mortuos ſibi non eſſe mortuos ſed dormire ac vivere. Non eſt enim DEUS mortuorum ſed vivorum: ut qui ſit talis Rex cui omnia vivunt.

13. *Monumenta aperta ſunt mortuo Domino.* Experientia eſt quod mare mortuos non ferat, ſed ejiciat. Mundus iſte mortuo Domino totus in mare amarum converſus fuerat, aut certè totus impletus mari Paſſionis Dominicæ erat, juxta illud Hieremiæ dictum. *Magna eſt velut mare contritio tua.* propterea maris naturam imitatus mundus, ſic amaricatus, & in mare verſus mortuos ejicit.

Thren: 2. 13.

14. Symbolizat mundus judicans, Deum, & judicandus à Deo. Judicandus à Deo mundus, mortuos omnes de mari ejicit, ut habetur in Apocalypſi: judicans etiam DEum & damnans idem prorſus facit.

15. Qui glutit aliquem bolum,ſuæ naturæ repugnantem, atq; complexioni, non prius nauſeam, moleſtiamque ſtomachi deponit, quam inſalubrem inimicumq; bolum evomat. Voraciſſima mors cùm ingluviem ſuam, in Chriſtum Authorem vitæ,ipſamq; vitam convertiſſet, inimicum ſibi valde bolum liguriit; nauſeam ergo patiens devoratos bolos jam evomit, ejectura paulò poſt etiam ipſum vitæ bolum in horâ reſurrectionis ejus, implebiturque in morte illud Iobi. *Divitias*

vitias quas devoravit evomet. Chriſtus enim divitiæ vitæ, divitiæ ſalutis, immortalitatis; has mors devoravit, ſed eaſdem evomet; Item divitiæ Chriſti ſunt Sancti Patriarchæ; has divitias mors devoraverat, has reddit &c.

Iob: 20. 15.

16. *Monumenta aperta ſunt mortuo Domino.* Optanda ſors, & ipſi Chriſto deſiderata, quid dico deſiderata? omnibus etiam Paſſionis conatibus elaborata. Vt quid enim & ad quid aliud Paſſus eſt Chriſtus, niſi ut monumenta mortuorum pateſcerent. Ergo jam mortuo Domino qui mortalitatis gravantur ſepulchris diſcuſsa obſtaculorum mole proſiliant: appareant nunc quoq; in civitate ſanctâ, in Eccleſiâ Dei futuræ reſurrectionis indicia, & quod gerendum eſt in corporibus, fiat in cordibus. aperiantur monumenta peccatorum ad gratiam, ut aperiantur etiam ſuo tempore monumenta mortuorum ad gloriam.

Leo Ser: 13. de Paſs: Domini.

PARAGRAPHVS CLXVIII.

Matt: 27. 54.

JESV mortuo, convertitur centurio cum aliis.

STROMATA

1. NOn erat mors Domini ſine ſuo ſolatio: & planctus creaturarum, effecit aliquod apud crucifixores, apud Crucifixi cuſtodes, apud Crucifixi ſpectatores. Spectantibus enim illis mortem Chriſti: occupârunt illos lachrymæ univerſi ſuper mortuum fuſæ. Motus ſcilicet terræ, petrarum ſciſſio, monumentorum apertio, ita illis aliud ſpectantibus, alia ſpectacula adjecta ſunt. Dum ergo hæc omnia intuetur centurio: dum reputat & miratur, quia Dominus emiſſâ voce magnâ exſpiraſſet: dum morti ejus terram, petras, monumenta planctum facere advertit, extimuit, & Deum glorificavit & confeſſus eſt dicens. *Verè hic homo juſtus erat: verè Filius DEI erat iſte;* ſed & turba etiam omnis quæ aderat conterrita horrore ſpectaculi, contrita efficaciâ mortis Chriſti, percutiebat pectora ſua, & revertebatur. Hæ ſunt primitiæ mortis Chriſti: hæc præſagia futuræ meſſis lætiſſimæ, ex tam triſti ſemente. Turbæ convertentur ad Dominum non tantùm uti nunc hominum: ſed etiam uti in Eccleſiâ videmus populorum, & nationum. Centurio credentium anteſignanus, homo alias gentilis & nobilis: gentes cum ſuis Dynaſtis convertendas ad Chriſtum jam prænunciat, jam præcedit.

2. Jam nulla impiorum, nulla blaſphemorum, nulla inſultantium auditur vox. Nimirum univerſitas creaturæ obſtruxerat os peſtibus illis: & ſcelus eorum irrefragabili damnârat ſententiâ. Soli ergo tantùm credentes recenſentur. Et tres eorum claſſes reperire licet. Vna eſt centurionis cum ſuis militibus, cuſtodientibus JESUM. Altera turbæ quæ aderat ad ſpectaculum. Tertia amicorum & notorum & mulierum quæ ſecutæ eum erant à Gallilæâ uſq; Hieroſolymam, quæ à longè ſtabant hæc dicentes. Ex primâ claſſe centurio, & forſitan non ſolus, Deum glorificavit, ſed uti moris eſt alios exemplo ſuo ad idem induxit: ut idem dicerent, aut dicentis verba approbarent. De ſecundâ planè dicitur, quod omnis turba eorum, qui aderant ſimul, ad ſpectaculum iſtud, & videbant quæ fiebant, percutientes pectora ſua revertebantur. De tertiâ claſſe aliud non dicitur præterquam quod à longè aſpicientes eſſent. Sed de hujus claſſis fide nihil ideo dicitur, quia conſtare facilè poterat eam Chriſto compaſſam fuiſſe: & miracula illa etſi non abſq; horrore, tamen non etiam abſq; voluptate, utpote innocentiam Chriſti conteſtantia ſpectaſſe.

PARAGRAPHVS CLXIX.

JESV crura non franguntur.

Ioan: 19. 33.

STROMATA.

1. Religioſiſſima natio impiorum Sacerdotum Iudaicorum: ſicuti quando manè à Pilato ad necem Chriſtum extorquebat, nolebat prætorium ingredi, ne ſcilicet contaminaretur: ita modò ſuo more ſollicita eſt, ne ſolemne Paſchatis ſui feſtum, corporibus crucifixorum in Cruce manentibus violaretur. Idcirco à Pilato poſtulârunt, ut eorum frangerentur crura, morsq; acceleraretur, mortui

tur, mortui ſepelirentur ante Sabbatum magnum, & ſalva eſſet religio. Annuit Pilatus ergo juſſu ejus miles ad crura frangenda accinctus, lætus quod odioſâ cuſtodiâ ſic liberaretur, utriuſq; latronis etiamnum viventis crura confringit, mortiq; cogit, crucibus deturbat: ad IESUM verò cum veniſſent: videntes eum mortuum, cruribus frangendis tanquam ſupervacaneo labori ſuperſederunt: per hoc tamen ipſum Spiritui Sancto ignorantes miniſtrârunt: quia prophetiam figuramq; adimpleverunt, quâ cavebatur Divinitus, ne Agni Paſchalis os ullum comminueretur à veſcentibus illum. *Exod: 12. 46.* Itaq; Chriſtum, quem devorare tanquam Agnum manſuetum, igni tormentorum & odiorum ſuorum, magis tamen propriæ ſuæ charitatis aſſatum devorare poterant: ſed os ex eo comminuere non poterant. Integrum ergo & illæſum Chriſti corpus remanſit, latus tantùm à milite pertoſſum, à Ioſepho interim corpus apud Pilatum impetratum.

2. Egerant Iudæi apud Pilatum ut crura crucifixorum frangerentur: ut nimirum hoc etiam ultimo Chriſti ſupplicio, quem victurum ad id credebant ſatiarentur. Sed jam ſatiati erant aliis pœnis ejus abundè: hunc cruciatum Chriſtus noluit ſuſtinere, quia voluit figuram, & prædictionem Spiritûs Sancti adimplere.

3. Erat quidem cautum lege divinâ ut appenſi in patibulo, non permaneret cadaver in ligno, ſed eodem die ſepeliretur: ſed Iudæi præter hoc Religioſi in ſuum magnum diem Sabbati videri volebant. Nihilominus verò tectius eorum conſilium erat in accelerandâ Chriſti per crurifragium morte, & de cruce depoſitione, nempe conſcientia ſceleris, & pudor metuſq; per invidiam occiſi innocentis, quem omnis populus ſicut Prophetam habebat, cujuſq; præſentiam, & doctrinam, & miracula, haud dubie requiſiturus, & ob cujus mortem varia in ipſos dicturus erat, in cujus etiam morte tanta ſigna tamq; multa, & evidentia, ut nec celari, nec aliorſum derivari poſſent, ſed Chriſti morti injuſtiſſimæ omnino aſſignari deberent, ab omnibuſq; paſſim jam tunc aſſignarentur, facta videbant: cogebat eos ad ſcelerati ſui facti obliterandam, & ab oculis amovendam notitiam memoriamque; eapropter eodem die, Chriſtum de cruce tolli abiiciq; cupiebant alicubi in tumulum, & ſic negotium obrui ſimulq; cum eo ſepeliri. Etenim ſi nuper iidem conſcelerati ſacerdotes timere ſe profitebantur plebem, tumultumq; aliquem exoriri poſſe, ſi die feſto, & populo ex omni Iudæâ præſente in Chriſtum injurii eſſe voluiſſent: multo magis hoc timore percellebantur, patrato jam ſcelere & populi undiq; coactâ immensâ multitudine: quæ ſine dubio non malè affecta Chriſto erat, ob tanta beneficia & miracula, quæ acceperat: ac proinde necem illius indignè latura, facilè colligi poterat. Ergo amovendum fuit ab oculis ſaltem ſpectaculum crudele Crucifixi Prophetæ, Iuſti, miraculorum patratoris.

4. *Non ſunt fracta Chriſti crura.* Factum id credo divinitus, ob honorem ſacratiſſimi corporis uniti Verbo Hypoſtaticè: ergo nolebat divinitus illud ſuum admirabile tabernaculum violari violentiſſimis fracturis Sponſa in canticis crura Domini comparat *columnis marmoreis: quæ fundatæ ſunt ſuper baſes aureas.* *Can: 5. 15.* pedes Domini vulneribus & ſanguine deaurati non debebant crurum columnas fractas habere.

5. *Non fregerunt ejus crura.* Crura in corpore humano ſunt tanquam columnæ: ſuſtinentes totum corporis ædificium: & iis labantibus, vel vitium habentibus, præcipuè inceſſus hominis impeditur, & deformis, quin & tardus redditur: infirmitas quoq; ad ſtandum robuſtè inducitur. Hæc ſi moraliter explices: crura frangit quiſquis conſtantiam firmitatemq; in virtutis operibus ſive in ſe, ſive in alio impedit aut diminuit. Crura frangebantur malleis virtutum & optimorum operum inceptorumq; crura potiſſimùm frangi ſolent linguis: *plaga enim linguæ comminuet oſſa;* & lingua eſt immanis malleus, conterens petras; univerſitas iniquitatis. Hic malleus crura potiſſimùm juſtorum ferit, quia firmitatem, conſtantiamque boni operis, & fervoris in virtute impedit. Et ob hoc fortè indicandum Dominus crura ſua etiam poſt mortem frãgi noluit, quia conſtans, robuſtus, perſiſtens in amore, curâq; ſalutis noſtræ ſemper, etiam poſt mortem eſſe, viderique voluit. Vtinam potiùs linguarum malleos quàm crura virtutum contrita & confracta in domibus regniſq; virtutum videamus.

6. *Non fregerunt ejus crura.* Crura apud ſe frangunt illæ familiæ, quæ homines Marthæ officiis deſtinatos amarè tractant, vel non bonæ fidei fidelitatiſq; habent, vel non benè diſciplinatos, nec ad nor-

ad normam inſtituti ſui patiuntur. Non eſt enim dubium quod ea domeſticorum pars inſtar crurum eſt in ſuſtinendâ curâ domeſticarum rerum. Crura autem licèt ſint nemo tamen putet de vitalibus A communitatum partibus non eſſe. Plinius docet. *Cruribus, genibuſq; ineſſe vitalitatem.* Namq; in ipſâ genu utriuſq; commiſſura, dextrâ, levâq; à priori parte, gemina quædam buccarum inanitas ineſt, quâ perfoſsâ ceu jugulo ſpiritus fugit, ergo quaſi jugulum petit, qui hæc crura genuaq; lædit, aut frangit.

Plin: lib: 11. c. 45

7. *Non fregerunt ejus crura.* Oſsa, & crura in homine ſunt ſuſtentacula carnis totius hominis. in Chriſto, Divinitas: ſuppoſitum fuit, & ſuſtentaculum Humanitatis, non ergo erant Chriſti vel poſt mortem frangenda crura: quia Divinitas ejus, in nihilo fuit, nihil eſſe potuit læſa, ſed neque à corpore ſeparata.

8. *Non fregerunt ejus crura.* Chriſti B crura, & oſſa ſunt Charitas, Potentia, Miſericordia, Sapientia, Sanctitas, & id genus alia virtutum, bonorum, meritorumq; dona. Non ſunt hæc fracta in eo poſt mortem: quia non amiſerunt ſuam efficacitatem: imo tunc maximè cæperunt robur ſuum exerere, quando cæperunt à mortis merito, hoc eſt, à glorificationis, Reſurrectioniſq; præmio magis florere ac vigere. Vnde etiam mortuus animoſè minatur. *Ne læteris ait inimica mea ſuper me. Expecta me in die reſurrectionis meæ.* Nam Synagoga obrectabat dicens ei. Chriſtus Rex Iſraël deſcendat de cruce: alios ſalvos fecit ſe ipſum non poteſt. Confidit in Deo, liberet ſi vult eum: Quid hoc dicere eſt C aliud? quàm crura Chriſto frangere, vel fracta exprobrare. Sed expecta me in die reſurrectionis meæ: dabitur tibi ſignum Ionæ Prophetæ, non deſcendet Chriſtus vivus de Cruce, ſed prodibit redivivus è ſepulchro: jam tunc vide Iudæe, an ſint crura Chriſti fracta, jam vide tunc, an deſcendat de Cruce, an alios ſalvos fecit, & ſe non potuit: an confidens in DEO deceptus eſt?

9. *Non fregerunt ejus crura.* Crura Chriſti ſunt Prædicatores Evangelici, his crura fracta ſunt: ſi animus ad prædicandam veritatem, & legem Chriſti libertate Chriſtianâ deeſt. Si elumbi, & inutili declamatione polyticarum næniarum, futiliumq;, & ſacro oratore indignarum fabellarum aures tantùm mulcent, & D mentes fallunt populorum. Si illis ſermo quidem promptus, & difertus, ſed à Spiritu interno deſertus, vigorem verbis adjunctum non habet, neq; tanquam à poteſtatem habente, ſed tantùm phariſaicè procedit, ſi prætereà dicunt, & non faciunt, cruribus fractis Chriſtus eorum ad populos incedit; ſi denique ab his per quos juvari maximè debuerant, ob frivolos prætextus, à docendi poteſtate ac libertate arcentur prædicatores Evangelii: ſine dubio Chriſtus non evaſit apud hos malum crurifragii; ſed fractis cruribus conditus eſt in ſepulchro.

10. *Non fregerunt ejus crura.* Diſciderunt quidem carnem, lacerarunt cutem, effuderunt ſanguinem, pedes manuſq; foderunt, attamen crura non fregerunt, os non comminuerunt. Hoc differunt Catholici ab Hæreticis, mali licèt utriq; quòd illi laceris licet omnibus animæ bonis, crura tamen, & oſſa habent integra fidei: unde per pœnitentiam poſſunt pervenire non difficulter ad ſalutem, & ſupra bonum fundamentum ſuperædificare (amotis lignis, fœno, ſtipulis) aurum, argentum, lapideſq; pretioſos charitatis, bonorum operum, & virtutum: at hæreticis fide verâ deſtitutis quidquid agere boni ſeu videantur, ſeu ſimulent, perinde eſt, ac fracto crure, & oſſe carnem foris integram, cutemq; præferre. Solidanda ſunt oſſa fidei veræ, Catholicæ, orthodoxæ, Apoſtolicæ, Romanæ: & tunc poterit ſurgere fabrica fructuoſæ in æternum vitæ.

11. *Non fregerunt crura.* Inter malos, & juſtos Chriſtianos hoc etiam intereſt, quòd juſtis crura gratiæ charitatiſq; ſint integra; malis autem confracta. Vnde illorum inceſſus eſt ſolidus, fructuoſus, & permanens in vitam æternam: horum autem ſterilia omnia ſunt, quamdiu crura ſolidata non ſunt.

12. *Non fregerunt ejus crura.* In operibus bonis: omnia alia cutis, carnis, ſanguinis, locum vicemq; habent: intentiò recta crus eſt. Si hoc fractum eſt, cætera omnia in caſſum ſunt etſi ſpecietenus optima eſſe videantur. Alterum crus eſſe poterit fervor, vel perſeverantia. Nam tepor in operatione, in oratione, in charitate, in virtute, eſt quaſi crus fractum in pede. Porrò perſeverantiæ defectus non fracta tantùm, ſed etiam ſublata crura oſtendit boni operis.

13. *Non fregerunt ejus crura.* Quid eſt quod Chriſti in Cruce crura non franguntur: aliorum ſimul licèt crucifixorum franguntur. Advertant Religioſi, & omnes alii, qui cum Chriſto ſunt crucifixi:

cifixi: qui in cruce mortuus eſt ejus crura non franguntur: quia qui in ſuâ profeſſione de profectu ſollicitus, paſſionum, affectuum, deſideriorum, intentionum, reſignationum propriæ voluntatis, proprii amoris, honoris, libertatis, (quæ omnia Animæ pedes, & crura ſunt) emortua, & ſtrenuè mortificata, & DEI voluntati ſubjecta habet; is in cruce mortuus eſt, & crurifragio non ſubjacet. At qui in cruce licèt ſit, tamen adhuc ſibi, ſuiſq; deſideriis, paſſionibus, voluntatibus, amori, honori, libertati vivit: hic cum vivus ſit, & ad mortem urgeri per mortificationem, & quam profitetur profectionem debet, non miretur, ſi ſæpiſſimè, ſi aſſiduè crurifragium patitur, quoties enim aliquid ſuis cupiditatibus, honori, amori, voluntati, judicio, paſſionibus immortificatis contrarium patitur, toties crurifragio ſubjicitur. Moriatur in cruce per mortificationem: non patietur in cruce crurum fractionem.

14. *Non fregerunt ejus crura.* Solidus nimirum eſt, & eſſe amat Chriſtus, non ergo fractam, non mancam, non claudicantem, decet eſſe virtutem Chriſtianã. Chriſtiana *fides ſubſtantia eſt ſperandum rerum.* Chriſtana *ſpes non confundit.* Chriſtiana *charitas nunquàm excidit.* Integra ſunt hæc crura, integra debent eſſe, in Chriſtiano corde, moribus, & vitâ.

15. *Non fregerunt ejus crura.* Ad quid enim mortuo fregiſſent? utinam illis crucifixis quondam crura confringantur: qui cùm amplexi fuerint crucem, eamq; conſcenderint, & in eâ etiam exaltati fuerint, & titulos acceperint poſtmodum ruptis clavis, obliti profeſſionis, de cruce deſcendunt, imo & præcipites ruunt, & per ſæculi vias (quanquam ſtigmatici) incidunt. His expediſſet crura ſuffringi: ut perſeverare debuiſſent: crura ſenſualitatis, crura ambitionis, crura favoris humani.

PARAGRAPHVS CLXX.

Ioan: 19. 34. ### JESV latus lanceâ aperitur.

Gen: 6. 16. *Noë in arcæ latere fecit oſtium.*

Pſal: 11. 6. *Ponam in ſalutari, fiduicaliter agam. Chryſoſt: legit.* Ordinabo ſalutare apertum.

STROMATA

1. Etſi apparebat JESUM jam eſſe mortuum: ac proinde crura ejus non videbantur frangenda: unus tamen aliquis militum vel dubitans, vel explorans, an verè eſſet mortuus, an autem Spiritûs aliquid lateret, aut etiam mortem ſi nondum adeſſet illaturus, lanceâ latus Domini feriit, & quâ parte cor erat aperuit: atq; ſanguini, & aquæ intra latus reſiduæ ad effluxum viam fecit. Et hæc eſt tandem extrema inimicorum ſeu ſponte, ſeu in Iudæorum gratiam ſævientium in Chriſtum crudelitatis clauſula: quam etſi Chriſtus non ſenſit: miles tamen ingenio affectuiq; ſuo indulſit: aut etiam officio ſatisfecit, quod erat ſupplicio affectos non priùs deſerere, quàm conſtaret omnibus jam mortuos eſſe: ut ergo Chriſtum & mortuum, & ob id crurifragio liberum eſſe oſtenderet, latus perfodit, omnemq; omnibus dubitationem de completâ morte ademit.

2. Latus Domini confixum dextrum fuiſſe non ſiniſtrum communis ſenſus eſt. dicitur etiam lancea ita profundè adacta, ut & cor, & pericardium penetrarit: & cuſpis ejus, per ſiniſtrum etiam latus ad papillam apparuerit; ſicq; duo vulnera Chriſtus habuerit: unde Cyprianus ait de latere tuo Chriſte, diviſis limitibus aqua, & ſanguis emanat: Et Prudentius canit ideo. Hinc cruor effuſus fluxit, & inde latex. Quia tamen hoc partis ſiniſtræ vulnus minutius, fuit non eſt inter inſigniora vulnera Chriſti computatum, quæ tantum quinque recenſentur, manuum duo, pedum duo, lateris dextri unum, quod quantæ magnitudinis fuerit, etſi in imaginibus quibuſdam ejus menſura ex revelationibus circumfertur: videtur tamen certum eſſe quòd fuerit alicujus magnitudinis: id enim ipſe Chriſtus ſignificavit, quandò poſt reſurrectionem Thomæ dixit, *mitte manum tuam in latus meum.* Si ergó manum mittere in latus debuit: vulnus certè capax manus immiſſæ eſſe debuit. Qui dextrum latus apertum credunt: id etiam illâ Ezechielis prædictione firmant. *Et ecce aqua redundantis à latere dextro: cùm egredieretur vir ad Orientem.* Confirmant alii non etiam inefficaciter: ex ſtigmate lateris Sancti Franciſci: quod etiam in latere dextro exſtitiſſe D. Bonaventura luculenter atteſtatur. Ioan: 20. 27. Ezech: 47. 2.

3. *Apertum eſt latus Chriſti.* Vt vulnus cordis ejus intus latens pateret. Pridem enim cor ejus fuerat vulneratum amore,

more, ſed latebat donec aperiretur oſtium in latere: ſic per vulnus lateris apparuit nobis vulnus cordis. Et videtur de hoc ipſo utroq; ſuo vulnere illud locutus. *Vulneraſti cor meum Soror mea Sponſa: vulneraſti cor meum*: ita ut unum ſit vulnus, aliud charitatis.

Cant: 4. 9.

4. *Apertum eſt latus & cor Chriſti.* Vt poſſet habere refrigerium cor Chriſti, quod totâ quidem vitâ arſit immensâ tã Patris quàm noſtri dilectione: poſt Paſſionem tamen & mortem videtur arſiſſe majori: etenim ante hac non tanti illi adhuc conſtiteramus, nondum perſoluto pro nobis Paſſionis & mortis pretio: eo jam actu perſoluto: eſt ſine dubio auctior & vehementior factus amor: quia ergo nimis æſtuabat, ut refrigerari poſſet, aperiri latus debebat.

5. *Apertum eſt latus Chriſti*: ut mortis ejus cauſam ſcire poſſemus: quis enim illam ſcire potuiſſet: quam ipſe Pilatus judex ſatis coram ipſis ſæviſſimis hoſtibus eam ſcrutatus atteſtari debuit ſe nullam invenire in eo cauſam. Sibi conſtare quòd nihil mali fecerit. Sed tamen ille inveniſſet, ſi jam jam ad januam ſubſiſtens non receſſiſſet: ad januam ſtabat quando quid eſſet veritas, ex Chriſto quærebat: ſed receſſit, quia reſponſum audire contempſit. Igitur vera & propria cauſa mortis Chriſti cor erat: hoc ut conſtaret, latus apertum eſt. Certè niſi Chriſtum cor ſuum enecâſſet, nullam in eum poteſtatem Iudæus vel Iudex, vel carnifex, vel crux, vel paſſio habuiſſet. Cor fuit cauſa mortis: & dici jam poteſt Chriſtus: mortuus à corde.

6. *Apertum eſt latus Chriſti.* Impii enim illi arbitrabantur Chriſtum fuiſſe ſine corde, vecordem, veſanum, ſtultum, talis videbatur Caiphæ, talis Herodi, talis Pilato, talis coronatoribus, talis videbatur etiam in vitâ: inſanit iſte (ajebant de eo) quid eum auditis, & *volebant tenere eum dicentes; quia in furorem verſus eſt.* Sed enim habuiſſe Chriſtum cor: apertum latus docuit.

Marci 3. 21.

7. *Apertum eſt latus Chriſti.* Quis non deſideret habere cor Chriſti? quis item aliud deſideret præter cor Chriſti? Sed quis poteſt aſcendere, quis accedere ad cor adeo altum quale eſt Chriſti? jam patet oſtium: jam latus apertum eſt, jam quiſquis cor Chriſti appetit accedere audeat. Quid concupiſcitis alia & alia bona homines? ecce mare bonorum cor Chriſti patet vobis: tollite. Quid novas & arduas vias portaſq; ad Chriſtum quæritis? ecce latus patet, ad ipſum cor Chriſti janua aperta eſt: hac ite.

A

8. *Apertum eſt latus Chriſti*: Si quis putat adhuc à Patre Æterno clauſum teneri cœlum: vel ab Cherubino Paradyſum: habet quo ſe conferat, & nec Paradyſum requirat: nec cœli reſerationem differri ægrè ferat patet oſtium ad cor JESU: patet ipſum quoq; cor JESU, hoc intret, & melius quid Paradyſo habet: neq; cœlo interim eget.

9. *Apertum eſt latus Chriſti.* Mortuo & ſublato Chriſto: nec Beata Mater, neq; fideles diſcipuli, neq; Sancti habebant, quod in Chriſto amarent: providit pietas JESU huic ſuorum neceſſitati abundè: inclinato capite latus aperiri juſſit, & cor amandum exhibuit.

B

10. *Apertum eſt latus Chriſti.* Promiſſa eſt beatitudo mundis corde. at quis profiteri audeat mundum ſe habere cor? Ecce cor Chriſti patet mundorum cordium fons: mundandorum fluvius. Mundorum reconditorium: mundandorum officina: quiſquis ergo vel facere, vel ſervare cor ſuum mundum appetit, cor Chriſti adeat: ibi ſuum ſervet, ibi abluat, ibi ſepeliat, ibi perdat. Nihil enim melius quàm cor ſuum in Chriſti corde perdere, tunc enim licebit cor Chriſti accipere & in proprii locum ſubſtituere.

11. *Apertum eſt latus Chriſti.* Amoris liber, amoris ſchola, amoris univerſitas, amoris cathedra, amoris magiſter, in lucem prodiit, quiſquis diſcere, quiſquis proficere vult in amandi ſcientiâ, intret, verum ſedulus aſſiduuſq; diſcipulus eſſe meminerit, odit enim tarda ingenia Amor Chriſti.

C

12. *Apertum eſt latus Chriſti.* Dum vigeret adhuc Spiritus in corpore Chriſti habebat modum quo refrigeraretur ardor cordis Chriſti ac Spiritu in manus Patris commendato ac depoſito temperies cordialis æſtûs obſtructa erat, aperitur ergo per latus porta ad cor: ut refrigerari poſſet ab amantibus, à pœnitentibus, à condolentibus, à proficientibus, ab imitantibus.

13. *Apertum eſt latus Chriſti:* Eorum ſcilicet Hæreditas qui credituri erant in Chriſtum poſt mortem Chriſti; omnia alia ſua donârat vivens præſentibus: poſteris & poſthumis filiis, ſcilicet nobis cor reſervavit & reſeravit. Et ſanè quo-

D

modo nos potuiſſemus in Chriſtum credere eumq; diligere, à nobis non viſum, cum ii qui cum ipſo vixerant vix potuerint credere & amare: niſi providus

JESUS

Digitized by Google

JESUS cor ſuum nobis dignatus fuiſſet conſignare. Accepimus cor Chriſti, & amplexi ſumus fidem Chriſti, ſpiritum atq; charitatem Chriſti: quam nullo modo capere potuiſſet cor noſtrum. A Et jam dicitur de nobis. Ioan: 20. 29. *Beati qui non viderunt & crediderunt.* Et in quem cum non videritis creditis.

14. *Apertum eſt latus Chriſti.* Voluit aperiri latus ſuum per hoc indicans nobis, quid pro tantis ſuis ſumptibus, laboribus, doloribus, amoribus vellet à nobis prœmii. Nihil ſcilicet aliud quàm cor. quaſi dicat. Iam non eſtis ſervi, non mancipia, non jumenta, ſed filii Patris veſtri: dedi vobis poteſtatem filios DEI fieri, jam Pater veſter amat vos. ergo veſtrûm quilibet ô filii præbe cor tuum Deo, præbe cor tuum mihi.

15. *Apertum eſt latus Chriſti.* Promiſerat per Prophetam Eccleſiæ ſuæ dicens. Iſaiæ 60. 4. *Filij tui de latere ſurgent.* Lætare B ergo jam Mater Eccleſia apertum eſt latus Chriſti: quidni expectes ſurrecturos filios, ceciderat Thomas, ſed de latere ſurrexit: dubitabant & alii ſed oſtendit eis latus, & à latere ſurrexerunt. deniq; non mirum filios Eccleſiæ de latere Chriſti conſurgere: quando etiam ipſam Matrem Eccleſiam de lateris ſui vulnere voluit prodire.

16. *Apertum eſt latus Chriſti.* Si mundus, ſi peccator, ſi tepidus juſtus nondum potuit expugnari totâ Paſſione, totâ cruce, totis clavis, ipſa etiam morte. Ecce adhuc unam machinam diruit Chriſtus ad expugnandam portam cordis rebellis noſtri. Aperuit latus: Pſ: 90. 7. *cadent à latere ejus mille*: cadant quæſo modo C in ſalutem & æternam vitam, ne in judicii die cadant ab hoc eodem latere in æternam mortem.

17. *Apertum eſt latus Chriſti.* Ne quis putaret effuſis à Chriſto tam multis charitatis ſuæ bonis ac theſauris, jam defeciſſe charitatis ejus opes, aperit latus, & oſtendit adhuc apud ſe ſupereſſe cor integrum, cor inquam charitate plenum, cor charitatis fontem inexhauſtum. Verè Domine apud te eſt fons vitæ, & in corde tuo videmus amorem.

18. *Apertum eſt latus Chriſti.* Ne quis dicat fortè: quid mihi dabit boni hic Crucifixus, hic nudus, hic mortuus, ut illi adhæream, aut ſerviam, aut illum diligam, vel pro eo patiar? Aperit latus ſuum, & ait ecce merces mea mecum eſt. Ecce merces mea quam tibi ſervavi magna nimis. Cor meum dabo, quid vis quid velle potes amplius?

19. *Apertum eſt latus Chriſti.* In ſtadio currentibus metam, jaculo collimantibus ſcopum, in agone condentibus, prœmium præfixit, propoſuit Chriſtus, & veluti pronunciatè. huc currite, huc collimate, ad hoc certate: qui huc non pervenerit peribit. qui hoc non attigerit quàm proximè fruſtra alibi fixit, qui hoc bravium non apprehendit fruſtra aliâ expoſcit, qui hanc non expreſſerit ideam: gratis aliam formavit imaginem. Hoc cor, idea, exemplar, archetypum, ad inſtar eſt: aut huic aut nulli corda noſtra conformanda ſunt.

20. *Apertum eſt latus.* Dicebat aliquis *Ego dormio ſed cor meum vigilat*: ipſe eſt Chriſtus: dormire videtur morte, ſed vigilat corde aperuit ergo feneſtellam lateris.

21. *Apertum eſt latus Chriſti.* Sciebat ad latus ſtare Matrem ſuam, ſupra modum in doloribus ſuis mirabilem, miſerabilem, amabilem, non eam potuit intueri oculis corporis: latus aperuit, ut ſperare poſſet oculis cordis.

22. *Apertum eſt latus Chriſti.* Quaſi illud etiam hoſtibus exhibens ad pœnas novas: ut ſi fortè necdum ſint ſatiati pœnis ejus: vulneribus carnis ejus: reliquum furoris in cor effunderent, flagellarent, ſpinis configerent, ſputis conſpurcarent, crucifigerent.

23. *Apertum eſt latus Chriſti.* Perfugium hoc datum eſt Synagogæ, ſi deſperatâ eſſe nollet: peccaſti quidem, & in me quidem, & tam acerbè quidem peccaſti: ut amplius non poſſis. Verumtamen revertere ad me: adhuc cor meum patet tibi: ecce oſtium apertum eſt. Ingredere. Omnia mea tua ſunt, recepi prodigos, recipiam & perfidos filios.

24. *Apertum eſt latus Chriſti.* Nimirum dicit Patri ſi adhuc pati pro mundo opus eſt Pater, *paratum cor meum paratum cor meum,* etiam iterum, etiam millies pati.

25. *Apertum eſt latus Chriſti.* Prodigâ Chriſti charitas volebat ſparſis in homines omnibus, & jam cor ſuum dare: manus tamen affixæ officium negabant: latus & pectus clauſum erat: adhibita eſt lancea: apertum eâ latus, jam cor in promptu eſt, habeat qui vult. O prodiga, ô ingenioſa ad ſe prodigendum charitas!

26. *Apertum eſt latus Chriſti.* D Gloriabatur Ioannes quòd in cœna *ſuper pectus recubuit Chriſti.* Magna omnino & rara gloria, ſed nobis jam amplius licet ſi volumus, non ſupra pectus, ſed intra pectus,

Digitized by Google

in ipſis ſi etiam volumus medullis cordis quieſcere, & in id ipſum dormire poſſumus, apertum enim habemus latus, hians cor, patens pectus.

27. *Apertum eſt latus Chriſti* Erant futuri tanti olim Patris Æterni amatores, quibus ægrè eſſet quod anguſtum cor haberent quo illum amarent. Optaturi erant hi cor aliquod vaſtius, capacius, DEo dignius, & adæquatius: & amabat hæc vota ſtudioſus amoris paterni optimus filius: ergo providit amatoribus tam avaris de amplo, vaſto, capace, DEi corde, ſuum ſcilicet illis largitus eſt: ut habeant latus aperuit, promendum dedit, cum ſuo commutandum indulſit. Amate jam, amate Patrem, amatores ejus, repulſam ne metuite amori veſtro, Pater diligit Filium, diliget & amorem à corde filii profectum

28. *Apertum eſt latus Chriſti* Vſq; adeò ſunt *deliciæ Chriſti, eſſe cum filiis hominum*, ut licet occiſus ſit ab eis, corde tamen velit eſſe cum eis, & delicias cordis ſui percipere ex eis, vel participare cum eis.

29. *Apertum eſt latus Chriſti* Ne diſcipuli, ne oviculæ ne fideles ſui, ſub mortem abſentiamq; ſuam fugerent, patefecit illis incenſum imò *igneum clibanum cordis ſui*, magis quàm omnis *Babylonia fornax incenſum* Ibi ſe Petrus ſecurè calefaciet, ibi omnis tepidus frigus ſuum deponat, ab hoc igne ardebunt ipſæ aquæ. *O ignis qui ſemper ardes, & nunquam extingueris incende me &c.*

30. *Apertum eſt latus Chriſti.* Bene ha-
Pſal:103. bet: *petra iſta refugium eſt herinaciis, lati-*
18. *bulum eſt plebi invalida lepuſculis.* Nidus eſt *ſimplicibus columbis* Sum *herinacius hiſpidus* peccatis, paſſionibus, vitiis, patet tamen mihi petra cordis Chriſti per latus Chriſti: plebs invalida ſum, lepuſculus venaticos moloſſos, imo leones rugientes, lupoſq; veſpertinos aliter non effugiam niſi in latere Domini latuero. Vngues accipitri infernalis quomodo evadam, niſi in foramine petræ nidum collocavero, hic à timore, hic à labore, hic ab æſtu, hic à frigore, requieſcendum eſt, alibi nuſquam tuta quies.

31. *Apertum eſt latus Chriſti.* Promiſe-
Ioan:10. rat Chriſtus quondam. *Ego ſum oſtium:*
9. *per me ſi quis introierit ſalvabitur: & ingredietur & egredietur, & paſcua inveniet.* Id nunc vel maximè impletum ac verum eſt. Oſtium eſt JESUS totus, ſed maximè oſtium eſt latus ad cor, vel latus & cor ejus. O illuc! ô illac diſcant & aſſueſcant ingredi oviculæ: ſemper ibi paſcua amoris, paſcua exempli, paſcua doctrinæ, paſcua ſanitatis, paſcua veniæ, paſcua fervoris, paſcua miſerationis, paſcua lacrymarum, paſcua contemplationis, paſcua auxilii invenient.

A 32. *Apertum eſt latus Chriſti.* & apertum à milite: aperiunt alii pedes Chriſti, alii manus Chriſti, ſed milites latus fodiunt. Qui ſunt iſti tam ſævi, tam audaces milites, qui latus & cor ipſum Domini petunt & fodiunt? *Potentes hujus ſeculi:* hi ſunt milites iſti: hi ſunt foſſores lateris, percuſſores cordis Chriſti. Neſciunt hi (& quid ſi dicam, non poſſunt hi) leviter & parum peccare: neſciunt extra cor Chriſtum ferire, raro non latus, raro non pectus, atq; cor ipſum feriunt. In aliis ſtatibus parum peccatur, ſi peccata eorum cum peccatis potentium & magnatum conferantur. Neſciunt & non poſſunt potentes parum peccare: peccata eorum & magna & mul-
B ta ſunt. Magna ſunt quia magni ſunt qui peccant, quia pro poteſtate peccant. Multa ſunt; quia complices, quia imitatores, quia adminiſtros, quia approbatores, quia excuſatores multos habent. Magna ſunt quia impunè, quia facilè, quia ſine correctore, ſine freno, ſine metu peccant. Multa ſunt, quia ſoli nunquam peccant: quia unum peccatum nunquam, ſed plura ſimul peccant. Magna ſunt: quia in magnis materiis, occaſionibuſq; peccant. Multa ſunt: quia in multos peccant; in multam populi partem; in totum populum, in plura etiam Regna, imò & quandoq; in totam Eccleſiam, ne dicam in totum mundum. Magna & ſimul multa ſunt, quia in mul-
C ta ſæcula, & in multas generationes peccant. In quot ſæcula & generationes peccavit *Lucifer?* In quot *Adam?* In quot *Ieroboam?* in quot tanti alii ſcelerum principes. Sæpe Principum Perſonæ optimæ ſunt, & peccatum vix in eis reperias, ſi privatam vitam attendas: ſed ſi non perſonas verùm Principes attendas, fœcunda eorum poteſtas eſt ad peccandum. Ajunt noſtrâ memoriâ Principem quendã ab ſuo Eccleſiaſte petiiſſe: ecquid ſibi de ſuâ ſalute videretur? Eccleſiaſten verò reſpondiſſe. Tibi quidem N. & proprio nomine vocavit: non timeo: ſed Principi tibi valde timeo. Deniq; Potentes latus Chriſti petunt: quia cum in alto poſiti ſint quaſi de latere in Deum ejuſq; legem ac vo-
D luntatem, quaſi ex æquo cum Deo ſe poſitos putantes inſurgunt. Atq; hinc eſt quod peccata Principum ſint ruinæ, ſint clades principatuum. Quia ſicut illi nec

ſoli, nec

Digitized by Google

ſoli, nec parum peccare ſciunt: ita etiam à Deo nec ſoli nec parum puniri ſolent. Enim verò non eſt etiam hoc prætermittendum, quod quemadmodum potentes ſæculi ad peccandum potentes ſunt: ita iidem, & ad optima quæq; opera maximè viribus ſi uti norint ac velint pollent. Sicut dum peccant cor Chriſti potiſſimùm feriunt: ita dum in virtutem incumbunt cor Chriſti mirificè recreant. Eorum virtus nec parva nec parca eſſe ſolet, cùm bene agunt non ſoli ſunt qui agunt: atq; ideo quoniam non tantùm ſuis ſed aliorum etiam manibus rectè operantur, copiosè, & ut ita dicam potenter bona & bene operantur. Eſtq; hæc ſingularis & propria Principum bonorum conſolatio, qua omnes eorum in gerenda dignitate moleſtiæ condiri, vel etiam ſopiri debent, quod nunquam ferè ſoli ipſi boni ſint: ſed plurimos alios bonos eſſe faciant, imò cogant. Vnde multorum virtus ipſorum eſt: & ipſorum probitas in alios plures redundat.

33. Ætna mons eſt, oſtium ſeu terræ, ſeu inferni, quo eructat flammas ſuas, & mundo eas minitatur, quin & non rarò intentat eaſdem. Si infernus habet Ætnam ſuam: oportebat ut etiam Eccleſia haberet ac cœlum ſuam Ætnam. Ætna noſtra Chriſtus eſt, ecce aperto latere hiat, ecce flammas jaculatur, ecce ignem mittit, in terras,& vult vehementer accendi, jaculatur infernus per ſuam Ætnam ad terrorem malorum, jaculatur JESUS noſter per ſe ipſum ignes ſuos ad ſalutem electorum.

34. *Apertum eſt latus Chriſti.* Vbi es homo quærens *bonas margaritas vel theſaurum in agro abſconditum?* huc ades: hians latus Chriſti perſcrutare: invenies ſine dubio Margaritam & theſaurum charitatis atq; cordis & meritorum, & omnium bonorum. Hactenus hæc abſconſa fuêre in viſceribus Divinitatis & Humanitatis JESU Chriſti: jam apertum eſt profundum, intimumq; latibulum illius: ingredere ergo & hauri ſalutem apertã à Domino: ingredere & abſcondere in foſſâ humo: ingredere & abſconde te in petrâ, quâ percuſsâ fluunt aquæ largiſſimæ in ablutionem peccatoris, fluit oleum in unctionem luctatoris, & in medelam ægrotantis, fluit mel in pabulum eſurientis, & in ſolatium amari cordis.

Matt: 13. 44. 45.

PARAGRAPHVS CLXXI.

JESV latere aperto exivit ſanguis & aqua.

Ioan: 19. 34.

STROMATA

1. Confoſſo Chriſti latere: per vulnus factum *ſanguis & aqua profluxit*: utraq; ſimul, ſed impermiſta mutuo: an prius ſanguis deinde aqua, ſentiat quiſq; prout placuerit, cum neutrum ſit improbabile. Vtrumq; tamen miraculosè manavit. Nam naturaliter in mortuo corpore frigeſcit & denſatur ſanguis, neq; eſt aptus fluere: quod proprium eſt calidi cruoris. Idemq; de aquâ, imo multò magis ſentiendum eſt: maximè quia illa aqua vera & naturalis, non aliquis humor phlegmaticus. Fuiſſe hoc miraculoſum utrumque, Ioannes ipſe videtur teſtari, & velle credi: ideo enim tam aſſeveranter hoc refert: ne videatur incredibile, ac proinde falſum; quocirca oculos ſuos in teſtes adducit: dicens. *Et qui vidit teſtimonium perhibuit: & ſcimus quia verum eſt teſtimonium ejus.* quaſi affirmatione opus non erat; ſi in eo eventu nihil inſoliti & novi erat.

Ioan: 19. 35.

2. *Exivit de latere ſanguis & aqua.* Quaſi univerſa Chriſti Eccleſia, quæ per præcipua hic adumbrata ſua deſignatur Sacramenta. Aqua enim Baptiſmum: ſanguis Euchariſtiam monſtrat: hæc autem maxima & principalia Eccleſiæ Sacramenta, quorum illud eſt Ianua Eccleſiæ: & in eo naſcimur Deo, renaſcimur in Chriſto: hoc autem eſt conſummatio & perfectio omnium tum Sacramentorum, tumquè in Eccleſiâ ſunt reliquorum. Alimentum & cibus potuſq; fidelium. Pignus & dos Eccleſiæ præſentem ſponſum exhibens. Eapropter à Sanctis Patribus de latere Chriſti aſſeritur Eccleſia prodiiſſe: ſicut *de coſta Adami Eva formata eſt dormientis.* Quod autem dicitur Eccleſia prodiiſſe de latere Chriſti mortui. non eſt intelligendum: quaſi Chriſtus illo vulnere poſt mortem accepto, meruit vel Eccleſiam, vel aliquid Eccleſiæ: Chriſtus enim morte terminavit ſicut ſtatum viatoris, ita & meritoris: & nihil vulnere lateris vel cordis meruit: niſi fortè per præviam in vitâ adhuc factam acceptationem & Patri oblationem ejus vulneris poſt mortem infligendi: ſed hoc non eſt vulnere meruiſſe, ſed ejus futuri acceptatione & oblatione: quo-

Vide Auguſt: in Pſ. 138. ab initio prope.

ne: quomodo fieri poteſt meritum, etiam de nunquam futuris paſſionibus: ſi ab aliquo pio homine acceptentur, atq; offerantur DEO: acceptatio enim illa grata erit DEO, etſi res acceptata nunquam evenerit ipſi acceptanti. Tantum ergo hic Eccleſiæ de Chriſti latere egreſſus intelligi debet per myſterium, non autem per meritum: quia ſcilicet ut conſtaret Eccleſiam omnem à Chriſto eſſe apud Patrem promeritam: innuitur & deſignatur hoc iſto ſanguinis, & aquæ de latere Chriſti mortui exitu: quæ ipſa deſignatio, fuit etiam olim in Paradyſo, per ædificationem Evæ ex coſta ſeu latere Adami dormientis præfigurata.

A

3. *Exivit ſanguis & aqua.* Sanguis quidem ad pretium, aqua ad baptiſmum noſtrum: vel ſanguis ad poculum, & nutrimentum, aqua ad regenerationem, & lavacrum. Vel ſanguis ad damnationem incredulorum, aqua ad ablutionem fidelium. Vel ſanguis ad baptiſmum ſanguinis & martyrii, aqua ad baptiſmum fluminis & Sacramenti. Vel ſanguis ad deſignandos Chriſti Martyres: aqua ad monſtrandos confeſſores: quibus duabus claſſibus omnis fidelium cætus conſtat. Vel ſanguine ſignatur pretium redemptionis, aquâ verò, aqua ſapientiæ & doctrinæ ſalutaris. Chriſtus enim utroq; officio functus eſt, & Redemptoris moriendo, & Doctoris ſeu Legislatoris, doctrinâ & exemplo nobis viam vitæ monſtrando. Neutrum enim ſatis ad ſalutem fuiſſet: ſi ſolum tantum Chriſtus præſtitiſſet. Nihil proderat modum bene vivendi ſcire, ſi non fuiſſemus redempti, à primævâ ſervitute, & à peccatorum iniquitate, ſed & redimi non profuiſſet, ſi redemptis nobis, quâ & quo eundum eſſet ad ſalutem non conſtitiſſet: fluxit ergo de latere Chriſti ſanguis & aqua, quia per Chriſtum nobis data eſt & à peccatis redemptio, & vivendi doctrina.

B

C

D. Th: 3. Parte Q. 74. a 7. ad 1. 4. Divus Thomas præter aliquas prædictarum, aſſignat præterea unam aliam rationem: verba ejus appono. *Effuſio ſanguinis directè pertinebat ad ipſam Chriſti Paſſionem. Eſt enim naturale humano corpori vulnerato, quod ex eo profluat ſanguis: ſed effuſio aquæ non fuit de neceſſitate Paſſionis, ſed ad demonſtrandum effectum Paſſionis, qui eſt ablutio à peccatis, & refrigerium contra ardorem concupiſcentiæ.*

5. *Exivit ſanguis & aqua.* Salutis noſtræ exordium fecit JESUS à ſanguine & aquâ: à ſanguine quidem in circumciſione ab aquâ in Ioannis Baptiſmate: *facit ergo etiam finem in utroq; & ideo de latere illius exivit ſanguis & aqua.*

PARAGRAPHVS CLXXII.

JESV corpus impetrat Ioſeph, à Pilato. Ioan: 19. 38.

STROMATA.

1. AD veſperam feſtinante die, appropinquante autem *Sabbato magno*: ad cujus initium nihil deinceps operari licuiſſet: amici Domini de ejus ſepulturâ honeſtâ cogitare cæperunt, ſtimulante tum amicitiâ priſtinâ, tum aliquantâ fide in Chriſtum, ſaltem ut Prophetam & Sanctum innocentemque, tum commiſeratione indigniſſimæ necis; quam optabant non augeri infami abjectione corporis mortui, in vallem ſeu locum cadaverum, tum precibus affictiſſimæ Matris Chriſti. Ergò Ioſeph ab Arimatheâ homo de primis Iudæorum: dives & potens, amicus & diſcipulus Chriſti, licèt ad id tempus occultus ob metum Iudæorum, expectans tamen Regnum DEI, per Chriſtum obtinendi: poſito metu, & calcatis omnibus rationibus humanis, imò & Iudæorum Sacerdotum odiis ac periculis: audacter ac liberè, fretus cauſæ æquitate, atq; etiam Præſidis Pilati humanitate, deq; Chriſto, quantumvis per ipſum damnato, bonâ opinione & compertâ quin & teſtatâ innocentiâ: adducturus etiam aliorum Chriſti amicorum, notorum, ac inprimis Matris afflictæ preces; acceſſit ad Pilatum, & petiit corpus JESU, ab eo ſibi donari ad ſepulturam honeſtam: quandoquidem ſatis Præſidi conſtaret, non culpam aliquam Chriſti, ſed invidiam Sacerdotum exſtitiſſe cauſam mortis Chriſti: quâ confectâ nihil eſſe quod ſæviatur in mortuum: daret hoc igitur præſes & illi innocenti; & ſibi petenti, & Matri mærenti, & amicis notiſq; poſtulantibus. Neq; Pilatus ſe difficilem præſtitit, ſeu innatâ humanitate, ſeu conſcientiâ innoxiè & non parum invitè damnari Chriſti, ſeu DEo intus permovente. Cautè tamen egit ne fortè pro mortuo vivus acciperetur de cruce Chriſtus: inquiſitione factâ ex

D

centurione

Digitized by Google

centurione de verâ morte Chriſti: compertoq; mortuum eſſe, donavit corpus Ioſepho: fortè aliquid pretii ſeu donativi præſentante: quod Pilatus accipere abnuens donare ſe profeſſus ſit, iret, A tolleret, ſepeliret liberè, nemine impediente.

2. En quomodo impletum ſit Domi-
Luce 12. nicum dictum. *Nolite timere eos qui poſt-*
4. *quam occiderint corpus non habent amplius quid*
Pſ:33 21. *faciant.* *Cuſtodit enim Dominus oſſa Sancto-*
rum: multoq; magis oſſa Sancti Sancto-
Eccl: 44. rum. *Corpora Sanctorum in pace ſepulta ſunt.*
14. Corpus Chriſti etiam cum pace à Pila-
tò indultâ.

3. Advertendum eſt hoc loco quomodò jam Paſſiò Domini fortes faciat vivente Chriſto, metuebat ſibi Ioſeph iſte ab Iudæis: ideo etſi diſcipulus eſſet JESU occultus tamen erat. Jam autem Chriſto mortuo, ille metum ponit profitendi Chriſtum: audacter intrat, B amicum ſe interfecti fatetur, petit corpus. Cur hoc in flagellatione, in crucifixione non fecerat? Nondum JESUS animam ſuam poſuerat, nondum ſpiritu profuſo Spiritum diſcipulorũ animaverat. Mortuus eſt ille, animati ſunt iſti: & ecce unus jam audacter Chriſtum profitetur, Chriſtum repetit, Chriſtum tollit & ſepelit. Sciebant id ſine dubio Iudæi, & Ioſephus ſcituros non ignorabat, ſed tamen minas, odia, fraudes, vim illorum non curabat, imò contemnebat, imò ſubire pro Chriſto, jam paratus erat. Verè audacter acceſſit ad Pilatum, qui omnium odiis, & potentiæ ſe objicens acceſſit. Verè audacter acceſſit qui amore Chriſti nulli periculo ceſſit. Verè C audacter acceſſit, qui pro Chriſti mortui amicitiâ inimicitias omnium Principum ſuorum ſuſcepit.

4. Intelligamus hic Chriſti obedientiam: qui de cruce quam ex obedientia Patris conſcenderat: propriâ voluntate deſcendere, imò nec ab amicis inſciâ Poteſtate legitimâ noluit. Amavit crucem vivus, pependit in eâ uſq; dum extremus eum desereret ſpiritus: etiam mortuus eam non deſerit niſi juſſus. Hæc eſt imago obedientiæ, non ſolùm Humilis, non ſolùm Patientis, non ſolùm fortis, ſed etiam perſeverantis. Obedientia eſt felicitatis Mater: ſed obedientiæ perſeverantia eſt corona.

5. Eſt hic etiam fiduciæ reſignationiſque in DEI providentiam inſignis diſciplina. Chriſtus nec vivus nec mortuus fecit verbum de ſuâ ſepulturâ: reliquit totum curæ, providentiæq; Patris Æterni ac Matris ſuæ. Pendeamus & nos hoc modo in Cruce Divini obſequii. Nos inquam præcipuè qui filii & pulli ſumus Divinæ providentiæ pendeamus veluti mortui: nullam ſollicitudinem noſtri gerentes. Omnem ſollicitudinem in eum projicientes cui eſt cura de nobis: qui ſuam Providentiam Divinam Sapientiſſimam, Potentiſſimam, Amantiſſimamq; obligavit nobis. Injurius eſt in DEum, quiſquis ſui Providentiam in Cruce poſitus facit. Non agnoſcit ſe crucifixum. Non credit DEO ſui curam eſſe. Non fidit DEO ejuſq; obligatæ ſibi fidei. Certiorem & ſagaciorem, & efficaciorem ſuam exiſtimat ſibi curam, quàm Divinam Providentiam. Et adhuc non arbitratur ſeſe Religioſus facere DEO gravem injuriam per ſtultam ſuam Sapientiam, per fragilem ſuam de ſe curam, per adeò infidelem in DEum fiduciam?

PARAGRAPHVS CLXXIII.

JESVS de cruce deponitur. Ioann 19. 40.

STROMATA.

1. DOnatus Ioſeph corpore Chriſti ex itinere Syndonem mundam & ſubtilem mercatus, ad locum crucifixionis veniens, de tollendo à cruce Chriſti corpore agere cœpit: & ſine dubio in laboris partem vel amicos, vel famulos ſuos adſcivit, hoc dum agunt, venit in partem piiſſimi obſequii *Nicodamus* Iudæorum & ipſe Princeps: qui nocturnus olim diſcipulus fuerat Chriſti: hic aloes & myrrhæ mixturam attulit copioſam, quâ corpus Chriſti perfunderat, ut à corruptione atq; putredine declinandâ præmuniret.

2. *Deponitur de cruce.* Jam ſupra dixi Chriſtum de cruce propriâ ſe voluntate non moviſſe: amorem crucis, obedientiam Patris, perſeverantiam & conſummationem boni operis luculenter aſſeclas ſuos docens.

3. *Deponitur de cruce.* Deponamur & D nos, deponamur non propriâ voluntate refixi crucem deſeramus: deponamur manibus alienis, eorum ſcilicet, quorum nos DEi providentiæ, curæ ſibi vicariæ concrediderit: deponamur non vivi,

 ſed mor-

ſed mortui: mortificati & mortui nobiſmetipſis, noſtro proprio amori, ſenſui, honori, voluntati: deponamur ad myrrham & aloëm: ut nunquam etſi perfectè mortui nobis videamur; à mortificationis tamen ſtudio ceſſemus: mortua ſint licèt corpora, ſint etiam ipſius licèt quaſi Chriſti, tamen condienda ſunt myrrhâ & aloë in copiâ, vel libris centum, etiam mille, nemo enim ita in mortificatione ſui perfectus eſt dum vivit: ut non adhuc quod mortificet in eo ſubſit.

4. *Deponitur de cruce Chriſtus.* Quando à peccatis ſuis conſurgit, vel convertitur impius, deponere de cruce Chriſtum vult peccator? ponat peccata à corde & vitâ, depoſitus eſt Chriſtus de cruce. Depoſuit etiam Chriſtum de cruce quisquis alterum è peccatis eduxit quæ fecerat, vel abduxit quæ facturus erat.

5. *Deponitur de cruce Chriſtus.* Hoc eſt Paſtorum Eccleſiæ munus proprium: de cruce deponere Chriſtum. O Eccleſiarum Principes ô Chriſti ovium cuſtodes! dignemini aliquando diſpicere veſtros greges, & videre num alicubi, num frequenter, num paſſim, num in immanibus, & infandis peccatorum crucibus pendeat Chriſtus? Diſpicite per quorum ſcandaloſam vitam, per quorum incuriam ſupinamq; negligentiam, per quorum craſſam ruditatem & ignorantiam, per quorum à gregibus, ſuis abſentiam, per quorum pravam erroneamque doctrinam crucifigatur in veſtris animabus Chriſtus. invenietis forſan non à Pilatis tantùm, ſed etiam à Caiphis Chriſtum crucifixum.

6. *Deponitur de cruce Chriſtus.* Etiam tunc deponitur de cruce Chriſtus: quando à perſecutione, à calumniâ, ab oppreſſione liberatur innocens. Quàm multi crucifixi obſident aliquando ſubſellia judicum, aulas Principum: & non rarò non eſt qui deponat de cruce Chriſtum. Non rarò eſt qui aut relinquat, aut fortius etiam affigat cruci Crucifixum, & crucifixorem, pauperum oppreſſorem, potentem adverſarium, malignum calumniatorem, notoriè reum permittat abire liberum, & manere innoxium.

7. DEUS bone Pilatus permiſit tolli Chriſtum de cruce, & gratis quidem tolli. Princeps aut Iudex Chriſtianus ſine pretio, ac donario, non dejudicabit cauſam Pauperis afflicti?

8. Non vult Pilatus vivum Chriſtum deponi: ſed de morte illius prius certus vult reddi. Expedit namq; quoſdam crucifixos non facilè neq; incautè à cruce amoveri: videantur licèt mortui explorata tamen niſi mors ſit: non per-
A mittatur deponi: periculosè deponitur, quisquis vivus adhuc de cruce deponitur, & in occaſionem liberioris vitæ datur. Multi crucifixi videntur & non ſunt, multi in cruce mortui apparent, & viventes maximè ſunt. Multos domeſtica diſciplina, ſuperiorum cura, oculi cohabitantium; communis vita in officio continet, & bonos facit, hos ſi ſtatim mortuos putans, in occaſiones, tanquam probatos & mundo, carni, ſibiq; mortuos dederis: non rarò cum dolore tuo, cum damno ſuo, cum communi probro, vivos, nimis ſentientes, & ſenſuales, ambitioſos, & impatientiæ plenos, verbo per omnia vivos, ac quotidie magis vivos reperies. Conſtet de
B morte, judicet oculus, teſtetur centurio, exploret lancea; ſanguis & aqua effluat: omnis ad ſanguinem & carnem adhæſio, omnis aqueus in operibus Divinis languor & tepor, è corde extrahatur, tum de cruce depoſitio crucifixi forſitan ſecura erit.

9. *Deponitur de cruce Chriſtus.* Si ad crucem traheris vel vacaris feſtinare debes, ſi imponitur bajulanda, portes: ſi illi affigeris pone te, vel aſcende in eam. Si in illâ exaltaris, pende nihilominus ab illâ. Si ab illâ ut deſcendas provocaris: deſcendere non debes. Si deponeris: non niſi poſt mortem id ſubire, & optare debes.

10. *Deponitur de cruce JESUS.* Ohe zelus meus ubi es? ecce paſſim Chriſtus
C pendet crucifixus in cordibus peccatorum, & deponere negligis, at ſupplicare etiam debueras, etiam emere depoſitionem. Nunquid Pilatum metuis? at hunc non metuit Ioſeph, nec contrarium imò faventem ſenſit, ſæpe zelo noſtro impedimenta poni quærimur ab aliis: & interim revera exiguus eſt in ipſis nobis: non Pilatus arcet, ſed voluntas deeſt.

11. *Deponitur de cruce Chriſtus.* Sed ab amicis, ſed à diſcipulis, inimicorum nullus etiam adſiſtit: quorum tanta copia ad crucifigendum aderat. O ſic eſt omnino ſic. Crucifixores Chriſti multi ſunt, depoſitores de cruce pauci: iique nonniſi valde amici: ubique crucifixorem Chriſti reperies, etiam quem depo-
D ſitorem vel tu credebas, vel officium jubebat. Plenus eſt crucifixoribus mundus: & unum aliquem Chriſtum, Chriſtive aſſeclam plures crucifigunt: etiam non invitati

Digitized by Google

non invitati accurrunt. & ſi partem in labore habere non poſſunt, favent tamē, arrident, inſtruunt, probant, crucifixum ſugillant, obſtrepunt, approbant: non crucifigunt hi licèt manibus, crucifigunt A tamen vocibus. Sicut ros in æſtu meridiano; ita rarus eſt qui officium depoſitionis ſubjre vel poſcere audeat. Nam eſſe profiteriq; amicum ejus qui propter virtutem, vel aliam cauſam bonam patitur: id ipſum quoq; crucifixione dignum videtur. Oportet ut ſit Ioſeph filius accreſcens, dives virtute, expectans Regnum Dei, aliud nihil amet in vita, aut ſperet. Metu poſito, ſumptâ audaciâ ex bonæ cauſæ, veritatiſque ac virtutis & innocentiæ fiduciâ; agat cauſam apud Pilatum: faciatq; ſuam: & ſibi corpus crucifixi poſtulet donari; non exigat deberi. Ita ſuccedet depoſitio: alioqui difficultatibus impedita; Vulgo enim crucifixiones in expedito B ſunt, at depoſitiones vix unquam ſine impedimento.

PARAGRAPHVS CLXXIV.

Ioan: 19. 40.

JESV corpus aromatibus conditur.

STROMATA

1. HOc beneficium Nicodemi eſt, attulit enim ſecum mixturæ alòés, C & myrrhæ quaſi libras centum: ut eſſet copioſa redundansq; pollinctura, fortè & Ioſeph de ſuis habuit aromatibus, nam ita mos fuit Iudæorum ſepelire, ut enarrat Ioannes: *acceperunt inquit corpus JESU, & ligaverunt illud linteis cum aromatibus, ſicut mos eſt Iudæis ſepelire.* Hoc obſequium impendebatur mortuorum corporibus, ut durare poſſent, & arceretur ab eis corruptio ſaltem ad tempus.

Ioan: 19. 40.

2. *Vngebant amici & diſcipuli JESUM in corpore*: ungebat ſine dubio JESUS diſcipulos & amicos mortis ſuæ fructu in mente. Non poteſt enim vinci obſequiis humanis bonitas DEI: quantò plus impendis DEO; tantò plus recipis ab ipſo. imò (quod diligenter notant pii) D ipſum hoc quod aliquid vel poſſint, vel velint DEO impendere: munus DEI eſt. Sed tamen licèt ſit munus ſuum, accipit ille à pio corde; tanquam ejus proprium & ſic dona ſua remuneratur illi tanquam ejus merita.

3. *Vngebant amici JESUM.* Vngunt aliquando (videntur ſaltem) & inimici, ſeu falſi amici: Sed JESUS non ſe credit talibus, & non vult ut caput ejus vel tangat oleum peccatoris. Vngat amicus etiam myrrhâ, etiam aloé: gratè habet JESUS: quia amici obſequium eſt. Sed peccator ne oleum quidem, ne balſamum exhibeat, onerosus eſt enim. Ama & dic quod vis, ſi odiſti & blandiris? bis odiſti. O quale bonum charitas vera, etiam cum mordet mulcet; etiam cum vulnerat ſonat: & cauſa eſt: quia etiam cum odit amat. Melius eſt odium diligentis, quàm dilectio odientis. Deniq; meliora ſunt vulnera amici quàm oſcula inimici.

4. *Vngebant amici JESUM. Vngitur JESUS* quando laudatur. *Vngitur JESUS* Paſſus & mortuus: quando ejus Paſſio prædicatur: *Vngitur JESUS* quando ejus meritorum Paſſionis mortiſq; fructus in animas ſpargitur. *Vngitur JESUS.* quando peccator ſalutaribus monitis ad pœnitentiam invitatur & excitatur. *Vngitur JESUS mortuus* quando ad fervorem virtutis excitatur & perducitur tepidus. *Vngitur Corpus JESU.* quando Sanctiſſimi Sacramenti ſacrificiiſq; cultus dignè peragitur, propagatur, quando dignâ præparatione, eximiâ devotione ſuſcipitur, celebratur. *Vngitur JESUS* quando in virtutum ſtudio profectuq; ſervatur, roboratur, promovetur proximus, commēdatione, laude, protectione, exemplo, inſtructione, conſolatione.

5. *Vngebant amici JESUM.* Nunc ergo verè eſt *faſciculus myrrhæ JESUS* nunc *inter ubera commorari idoneus*; accurre jam Sponſa, *cape, inter ubera conde.* Nunquam recedat à tuo corde, qui pro te fixus eſt in Cruce.

PARAGRAPHVS CLXXV.

JESV corpus ſyndone mundâ involvitur. Matt. 27. 59.

STROMATA

1. MUnda ſyndone Corpus JESU involvitur. Etenim corpus illud con-

lud conceptione, Virginitate, vitâ, Divinitate puriſſimum: involvi ſyndone mundâ, imò novâ, nec unquam aliàs uſu deturpatâ fuit æquiſſimum. In quo induſtrius fuit Ioſeph qui non veterem, licèt mundam accepit: ſed novam mercatus Chriſto impendit.

2. *Mundâ ſyndone involvit corpus JESU.* qui purâ mente ſuſcipit Sacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum, vel celebrat ſacrificium. Bone DEUS, in linteolo altaris quod corporale ab uſu ejus ad involvendum Sacramentum vocamus, maculas leves, foramina minuta cavemus. Corda noſtra tam munda eſſe, ut dignum eſt Euchariſtico ſeu Sacramento, ſeu ſacrificio non curamus. An etiam hic nimia & crebra familiaritas parit contemptum? An etiam hic viluit nobis DEUS?

3. Vtinam à ſyndone Ioſephi mundâ diſcerent Eccleſiaſticorum non pauci munditiem circa templa, circa altaria, circa Sacramenta. Ah ubi eſt fides? Si gentili homini dicas te in hac pyxide, in hoc calice, in hoc corporali depoſitum habere DEvm: certus ſum: videns hæc eſſe tam immunda & ſordida, abjectaque Ethnicus ſcandalum pateretur, & nihil eſſe contemptius Deo noſtro apud noſmetipſos Chriſtianos Dei cultores arbitraretur. Nam certè ſat crebro reperies mundiora à Sacerdotibus adhiberi linteola ad nares emungendas, quàm corporalia ad ſacrificia peragenda, vel Sacramenta ſervanda. O pudor! ô ſcandalum! ô fidei nullius fructus! ô Dei contemptus!

4. *Munda ſyndone Corpus Chriſti involvit.* Qui ab ineunte ætate innocentiam conſervatam retinens jugum Domini amplectitur, & JESUM Crucifixum ſequitur. Hic verè ſyndonem mundam mercatus attulit ad JESUM involvendum. Nam qui poſt naufragium innocentiæ corruptoſq; mores ad obſequium advolant Chriſti, mundandam aut ad ſummum mundatam adferunt mentis ſuæ ſyndonem involvendo Chriſto: afferant tamen vel talem: & in eâ quotidie magìs ac magìs emundanda curam operamq; ponant infatigabilem. Etenim mundo licèt cordi ſed tepido, præferetur apud Chriſtum mundata mens ſed fervida.

5. *Mundà ſyndone, & eà quidem emptà involvitur mortificatum excruciatumq; corpus JESU.* Vt daretur intelligi puritatem munditiemq; corporum non à deliciis & voluptatibus carnalibus & ſenſualibus eſſe ſperandam, ſed mortificationibus & omni aſperitatum humiliationumq; genere eſſe acquirendam, & veluti ſoluto pretio eſſe mercandam. Quid tu Profeſſor atq; ſectator ſeu virginitatis, ſeu caſtitatis carnem tuam mollículè & delicatulè nutris: & ſic tamen te Virginem caſtam exhibere Chriſto ſperas vel cupis? Næ tu filius ſtultorum es? An ignoras: quia lilium inter ſpinas, ita caſtitas inter aſperitates carnis educari gaudet? Neſcit & nequit caro noſtra, mundâ caſtitatis ſyndone involvi, niſi fuerit perpetuæ mortificationis & aſperitatis pretium pro eâ liberaliter perſolutum.

6. *Joſeph ſyndonem mortualem corpori Chriſti mortuo involvendo mercatus eſt* at ipſe Chriſtus corpori eidem ſuo ſyndonem immortalitatis æternæq; glorificationis, pretio Paſſionis & dolorum, vulnerum, mortiſq; acquiſivit. Pretium ſyndonis pecúnia fuit: pretium immortalitatis & gloriæ, mors & ignominia crucis extitit. Syndon mundanda fuit ad involutionem: caro Chriſti mortificanda fuit ad glorificationem. Syndon de terræ lino ortum ducens multâ induſtriâ candorem acquiſivit. Caro Chriſti de Virginis ſanguine ſumpta per multas tribulationes immortalitatis charitatem accepit. Syndon reſurgente Chriſto remanſit in ſepulchro, Mortificatio carnis Chriſti abſorpta eſt atq; ſepulta, in reſurrectionis triumpho. Oportuit ſyndonem labore multò mundari ad ſepulturæ Chriſti honorem: oportuit Chriſtum ipſum pati & ita intrare in gloriam ſuam. Syndon ſemel Chriſto mortuo ſervitium ſuum impendit: ſemel Chriſtus reſurgens ex mortuis jam ultra non moritur mors illi ultra non dominabitur. Syndon vulnera Chriſti obvoluens abſcondit: *gloria reſurrectionis Chriſti injuriam morientis ſepelivit.* *Chriſoſt. Serm. 75.*

7. *Mortuus Chriſtus ſyndone mundà involvitur.* & quisquis cum Chriſto peccatis ſuis commoritur, is etiam mundiſſimâ gratiæ ſanctificantis ſyndone, quam verus Ioſeph, pretio ſanguinis ſui mercatus eſt induitur. Non eſt data ſyndon Chriſto niſi poſtquam peccato mortuus eſt ſemel, victurus Deo poſtmodum ſemper. Non datur gratiæ ſyndon homini niſi poſtquam & ipſe peccato ſuo mortuus erit ſemel, victurus Deo per juſtitiam mandatorumque obſervationem perpetuam ſemper.

PARA-

Digitized by Google

PARAGRAPHVS CLXXVI.

JESV corpus ponitur in ſepulchro. (Matt: 26. 60.)

Et erit ſepulchrum ejus glorioſum (Iſaiæ: 11. 10.)

Æſtimatus ſum cum deſcendentibus in lacum. (Pſal: 87 5.)

Poſuerunt me in lacu inferiori, in tenebroſis & in umbrâ mortis. (Ibid: verſus 7.)

STROMATA.

1. PEractis omnibus, quæ mos erat, quæq; amor ſuadebat cum pietate corpori Chriſti impendere, ad ſepulchrum itur. Sepulchri hujus conditiones diligenter ſibi putarunt Evangeliſtæ denarrandas. Narrant igitur has. 1. Fuit ſepulchrum hoc in horto. 2. Erat exciſſum ab Ioſepho de Petrâ. 3. Erat novum, & in eo nemo unquam depoſitus. 4. Erat Ioſephi ipſius poſſeſſio. Hic ergo depoſitus eſt Dominus: non in deſuper excavato, ſed ad latus exſecto corporis capaci loco: vertice & occipite Dominici capitis orientem, facie ipsâ occidentem ſpectante.

2. *In horto ſepelitur* JESUS. Ruinâ mundi incepit in horto Paradyſiaco: ibi enim primi homines peccaverunt: in horto cæpit Redemptio & reparatio: in horto finem habet in ſepulturâ: deniq; in horto & finis erit mundi, quia judicium extremum in valle Ioſaphat, vicinâ oliveto monti ac horto peragendum eſt.

3. *In horto ſepelitur corpus Chriſti.* utpote neſciturum corruptionem: imò brevi accepturum floriditatem: ideo corpus Chriſti, tanquam ſemen floris ſepultum in horto eſt: ut in vere Reſurrectionis effloreſcat.

4. *In horto ſepelitur JESUS.* Qui ſepeliuntur quaſi in ſæculum manſuri ſunt ibi, ubi ſepeliuntur: talem ergo ſepulturæ locum amat & diligit JESUS, in quo vel ſemper maneat, vel ſemper refloreſcat. Ad horam ſepelire Chriſtum non placet Chriſto: multò minùs ad putredinem illum damnare, hortus eſto ut ſepeliri in te placeat Chriſto. Es hortus, ſi exultus, ſi conſitus, ſi virens, ſi florens, ſi fructificans, ſi novellis floribus, maturis fructibus redundans. O *mnia poma nova & vetera ſervavi tibi, dilecte mi*, ait quædam anima. (Cant: 7. 13.) Hæc nimirum abundantia, hæc induſtria decet hortum in quo ſepeliendus eſt Chriſtus: ut verè illi ſervire poſſit promiſſio illa. *Ingredieris in abundantia ſepulchrum.* (Gen. 2. 17.)

5. In horto mortis olim cæpit imperium in homines: ibi dictum eſt homini morte morieris. & revertaris in terram de quâ ſumptus es. *quia pulvis es & in pulverem reverteris.* (Gen: 3. 19.) In horto jam deſinit ejuſdem Tyrannis abſorpta in victoriâ Chriſti & jam dicitur Chriſto vitâ vives. Et *Chriſtus Reſurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur.* (Rom: 6. 9.)

6. In horto Chriſtum ſepeliunt, qui illi in ſpiritu fervoris & viroris ſemper ſerviunt.

7. In horto ſepeliunt qui conſolationibus Divinis ex Paſſione ipsâ Chriſti abundare, dolores autem Paſſionis declinare volunt.

8. Non omnes Chriſtum in horto ſepeliunt, quidam ſepeliunt in cæno, quidam ſepeliunt in ſpineto, quidam inſepultum abjiciunt: plane ut illi qui ſemen Divini verbi recipientes vel ſecus viam, vel inter ſpinas, vel inter petroſa recondunt. Inter divitias velle eſſe bonum, hoc eſt in ſpineto ſepelire Chriſtum. Inter voluptates ſenſuumq; illecebras, ac indulgentiam carnis, atq; ſaturitatem ventris, velle eſſe caſtum & cultorem virtutum, hoc eſt in luto ſepelire Chriſtum. Dare ſeſe totum negligentiæ ſpirituali: & effundere cor vagum ac ſparſum; neque unquam redire ad ſe ipſum: hoc eſt Chriſtum abjicere inſepultum. Sepeliendus eſt Chriſtus, & in horto ſepeliendus: quia amæni & pacati, & laborioſi ferventiſque in ſpiritu & virtutum cultu cordis placet Chriſti ſervitus.

9. *Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit ipſum ſolum manet: ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert*, ita prædixerat Dominus de ſe ipſo, ita impletum eſt totum in illo ipſo. Mortuus eſt in cruce, poſitus eſt in ſepulchro: exſpectamus copioſam ſegetem, præſtolamur multam meſſem. Iam videmus, jam tenemus, jam vix capere poſſumus quantam attulit ubertatem hoc granum mortificatum. Inclama Iſaia filiæ Sion ut dilatet tentoria ſua, ut extendat funiculos tentoriorum ſuorum, ut capere poſſit grana, quæ hoc uno grano mortuo enata ſunt, quæ & enaſcitura ſunt. Enata quidem ad fidem, ad ſpem, ad cha-

Digitized by Google

ritatem, ad gratiam, ad juſtificationem: enaſcitura autem ad Reſurrectionem ad glorificationem, ad Beatitudinem. Benedicto enim iſto grano mortificato & in terram miſſo atq; ſepulto, fœcunditas Reſurrectionis ad immortalitatem noſtræ mortalitati obvenit, adeò ut ſemen reſurrectionis noſtræ ſepultura Chriſti ſit.

PARAGRAPHVS CLXXVII.

Matt. 27. 60.

JESV corpus ponitur in monumento, exciſſo de petrâ.

STROMATA

1. *Conditur Chriſti corpus in ſepulchro de petrâ vivâ exciſſo*: nolebat in ædificato, ex partibus aliquibus, ſepulchro condi, ne poſt Reſurrectionem illius dicerent adverſarii, cuniculos eſſe factos, & ita corpus ſublatum de ſepulchro.

2. *In petrâ conditur Chriſtus.* Quia ipſe Petra erat Chriſtus.

3. *In petra conditur Chriſtus.* Quia Eccleſiam ſuam in petrâ erat conditurus: & quia ſuo de ſepulchro egreſſu, maximè erat Eccleſiam fundaturus, lætificaturus, ſolidaturus, *Si enim Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt fides noſtra*, expectatio, Eccleſia noſtra; bene ergo Chriſtus in petrâ ſepelitur, quia egreſſu ejus ab hac petrâ; omnis Eccleſiæ fides, omnis fidelium ſpes maximé ſolidatur.

4. *In petrâ Chriſtum condere* eſt doctrinam, exempla, merita, beneficia ejus in nos, gratâ memorique mente retinere, & eorum praxi ac uſu, uſq; ad Reſurrectionis gloriam Chriſtum deducere.

5. *In monumento de petrâ cavato Chriſtum condere*: eſt omnem ſpiritualis vitæ virtutiſq; aſperitatem, undeunde illa ſit conſtantiâ, fidelitate, patientiâ, mortificatione, in DEum fiduciæ, auxiliique ejus aſſiduâ invocatione, ſuperare, & tandem locum quietis ſibi & Chriſto apparare. Nam qui ſine tentationibus, ſine ariditatibus, ſine difficultatibus, ſine perſecutionibus, ſine variis à DEO illatis permiſſivè experimentis DEÓ ſerviunt, vel ſervire volunt: delicatum nimis Chriſtum eſſe credunt. Molliter nimis eum ac proinde cum periculo amittendi recondunt. Qui enim non eſt tentatus quid ſcit? Certè in veritate dictum eſt Tobiæ: *quia dilectus eras Deo neceſſe erat ut tentatio probaret te.* Dura ſepulchra amat JESUS: firma contra omnem fortunam mutationemq; corda: talia illorum erant monumenta: qui ibant gaudentes à conſpectu concilii, quia digni habiti ſunt pro nomine JESU contumeliam pati: tale ſepulchrum Chriſti fuit Stephanus, tale Paulus, tale (ut verbo abſolvam) omnis ſanctus. Tob: 12. 13.

6. *In petra ſepultus eſt Chriſtus.* Mirabile eſt æternum ſepulchrum habere voluit, qui in illo non niſi triduo manſurus fuit: Hoc eſt omnibus quidem DEi ſervis, ſed maximè novellis, maximè curandum, ut ad DEI obſequium cum abſolutè, æternaliterq; obfirmato animo accedant: ita ut jam ſi in æternùm mortales eſſe debeant, ſemper tamen ex hac ipſâ horâ in æternùm conſtanter adhærere DEO, eiq; ferventer ſervire, nec ullis tentationibus, aut difficultatibus temporumve ſpatiis mutare ac nutare certum fixumq; habeant: adeò ut ſit facilius ſaxeum monumentum rupeumq; putreſcere, quàm eorum animum à propoſito DEI ſervitio immutari. Atq; hoc propoſitum qui quotidie in ſeſe conſervat, & renovando ſolidat, hic ſine dubio Chriſtum in petrâ ſepultum ſervat. Qui verò in animo ſuo ſpem ſibi ipſi & veluti poſſibilitatis fibram de reditu ad ſeculum ad ſecularemve vivendi modum reliquit: hic Chriſtum nequaquam in vivâ & ſolidâ petrâ conditum gerit; eſt ſimilis illi *homini ſtulto, qui ædificavit domum ſuam ſuper arenam, non ſupra petram: quæ deinde ventis, pluviis, fluminibus ceſſit, & facta eſt ruina illius magna.*

7. In petrâ Chriſtum non condidit, qui poſt pœnitentiam ad peccata priſtina rediit; quia enim conſtat ſepulchrû Chriſti corruiſſe; manifeſtum eſt non ex vivâ petrâ exciſſum, non ex ſyncerè contrito corde pœnitentiam profectam fuiſſe. *Hi ſunt qui ad tempus credunt: tempore autem tentationis recedunt.*

PARAGRAPHVS CLXXVIII.

JESVS ſepelitur in monumento novo. Ioan: 19. 41.

STRO-

Digitized by Google

STROMATA.

1. ET hæc cura pertinebat ad certitudinem Reſurrectionis: ne fortè ſi in quopiam vetere, & aliàs jam ab alio cadavere occupato ſepulchro poſitum fuiſſet Domini corpus, diceretur ab Iudæis, non Dominus ipſe, ſed alius neſcio quis de ſepulchro ſurrexiſſe: quomodo contigit *Eliſeo Prophetæ*, qui cum temerè fuiſſet projectus mortuus in quoddam vetus ſepulchrum, cadaver hominis pridem ſepulti, ad contactum Prophetici corporis revixit: & de ſepulchro exceſſit: novum ergo voluit Dominus, in quo nullus adhuc ſepultus fuerat ſepulchrum. ut eludendæ ſuæ Reſurrectioni ſubtraheret Iudæis argumentum.

2. *Novum Dominus monumentum ſemper vult vetus non vult.* Totus enim Chriſtus novus homo fuit, novus ſemper eſt. Novos quærit ſervos, novam Eccleſiam cõdidit. Nova præcepta, nova Sacramenta, ſacrificia nova dedit. Matt. 9. 17. *Novos utres novo vino vult*: quid ergo mirum ſi & novum monumentum poſcit. Nicodæmo dicebat oportet vos naſci denuo: ſi denuo ergo de novo: ergo novi debemus naſci, qui veteres de vetere Adamo fuimus nati: nec naſci tantùm novi debemus, ſed etiam in novitate ambulare: denique debemus ſpiritu mentis noſtræ renovari: atq; id etiam illi omnes quotquot perfecti ſunt hoc debent ſapere, hoc debent præſtare. adeo ut quamvis ſit aliquis Nicodæmo ſenior, totamq; vitam in obſequio Chriſti deperdiderit: adhuc tamen ab exhibitione novi monumenti immunis non erit: imò ad hoc maximè novum noviſſimumq; ſepulchrum corpori Chriſti exhibendum erit? Hoc ſapiunt quotquot perfecti ſunt: hoc ſapiunt quotquot eſſe ſyncere volunt.

3. *Novum Domino ſepulchrum exhibet quotidie.* Qui ita quotidie vivere perfectè, & ad normam ſtatus ſui exactè nititur, ut poſſit mori ſepelirique ſecurus quotidie.

4. *Novum monumentum exhibet Chriſto ſepeliendo*: qui novo quodam devotionis fervore, novo mentis nitore, miniſtrat altari & communicat Sacramento.

5. *Novum monumentum vult Chriſtus.* quia opera Chriſti omnia vetera tranſierunt, & facta ſunt omnia nova: quid ergo mirum ſi etiam monumenta? Imò ſi verum fateri volumus: hæc maximè requiruntur nova? Nam quid profuit initia noſtræ converſionis fuiſſe nova, ſi extrema contingat eſſe vetera? *Quid prodeſt Chriſtum ſequi, ſi non contingat conſequi?* A quid prodeſt Chriſtum habuiſſe ſepultum, ſi contingat eum in nobis effici putridum?

6. *Novum vult IESUS monumentum corpori ſuo.* Vt reſpondeant extrema primis. Chriſtus quando conceptus eſt in utero Virginis: novellum ſepulchrum habuit: tam ſui corpuſculi quàm Virginalis uteri. Non erat quiſquam in corpore Chriſti concepto poſitus alius, niſi ſolus, primus, ac ultimus DEUS: Non erat etiam in utero Virginis, neq; ante, neque poſtea depoſitus, niſi primogenitus, unigenitus, ultimoq; genitus IESUS. Ita ergo & in morte novum ſepulchrum, & nulli ante, nulli etiam poſtea conceſſum voluit IESUS.

B 7. *Novum ſepulchrum vult IESUS.* Ambitioſa res ſepulchrum novum: adeo ut etiam ille ſpurciſſimus porcorum infernalium Aſmodæus novellis ſepulchris delectetur. Eſca eſt ejus electa, innocentis prima in peccatum præſertim ſordidum ruina. Et IESUS ergo ambit ſepulchrum in quo nondum quiſquam ſepultus fuerit: ait enim ſinite parvulos ad me venire, talium eſt Regnum cœlorum, id eſt, tales ſunt, meum electum & glorioſum ſepulchrum. Neq; quidquam vel ægrius vel jucundius eſt Chriſto, quàm vel violari ſpurcariq; vel conſervari in ſuâ novitate talia ſepulchra. Ideo enim ait: *væ mundo à ſcandalis* parvulorum: Matt. 18. 7. & *quicunq; ſcandalizaverit unum* C *de puſillis iſtis qui in me credunt: expedit ei magis ut mola aſinaria alligetur collo ejus, & mittatur in profundum maris.*

8. *Novum, & nulli adhuc unquam uſurpatum ſepulchrum voluit Chriſtus.* quia in eo non erat ſepeliendus ſolus: ambiebat ille ſecum ſepeliri quàm plurima amantium ſui corda. Et ſine dubio cum eo depoſuit Mater cor ſuum, depoſuit Ioannes, depoſuit Magdalena, depoſuêre alii præſentes omnes ò facite homines, facite, conſepelimini cum Chriſto, ut etiam reſurgere & glorificari, & deniq; aſcendere cum Chriſto reſurgente mereamini. Vt quid corda veſtrà ſepelire mavultis in cadaveribus rerum mundanarum? in carne & ſanguine, in auro & vanitate? putreſcunt ibi: levanda D ſunt ſurſum: & recondenda in ſepulchro cum Chriſto: ibi non putreſcent: quia *non dabit Dominus Sanctum ſuum videre corruptionem.*

Digitized by Google

PARAGRAPHVS CLXXIX.

Matt: 27. 60. ## *JESVS in ſepulchro alieno ponitur.*

STROMATA

1. JOſeph ad cæteram humanitatem quam ſervavit & exhibuit Chriſto mortuo: adjecit etiam hanc, quia illi ceſſit ſepulchro ſuo. Piè & religiosè cogitans de morte exſciderat ſibi monumentum in petrâ: ſed illud Domino cedit: & officioſitatem ſuæ in Chriſtum amicitiæ liberalitatisq́; hac ultimâ eleēmoſinâ claudit.

2. *In ſuo monumento Chriſtum Ioſeph ponit.* Gratiſſima enim illa Domino victoria ſui, vel oblatio accidit, in quâ quis quod ſuæ conſolationi, commoditati, honori procuraverit, id Domini cauſâ ſibi ſubtrahit; ſuamq́; cupiditatem glorioſius victor frangit. Ita David aquam de 2. Reg: 23. 16. ciſternâ Bethlêem quàm vehementiùs cupierat allatam ſibi à fortiſſimis militibus *Domino libavit*, ſibi negavit, in terram fudit.

3. *In alieno monumento Chriſtus voluit ſepeliri.* Vt etiam poſt mortem paupertatis ſuæ ſponſæ conſortium non deſereret; totus quantus quantus ad ſepulturam apparatus Chriſti de alieno fuit, & ſyndon, & aromata, & ligaculà, & ſepulchrum: denique ille ipſe: ſeu ejus corpus jam non ejus fuit: ſiquidem à Pilato impetratum & donatum traditumq́; Ioſepho fuit. Adeo ergo pauper JESUS ad ſepulchrum venit, ut ne ipſe quidem ſuus fuerit. Olim vivens ita fuit pauper ut volucribus & vulpibus nudior fuerit: *certè ubi caput ſuum reclinaret* Luca 9. 58. *non habuit*: profecit jam ad ſepulchrum veniens. Venit ſine animâ, ſine ſanguine, ſine vitâ, venit etiam ſine ſe ipſo, ſine corpore ſuo: corpus enim erat ſed non ejus juris erat, Ioſepho à Præſide donatum fuerat. Progredere paupertas nudatrix, Sponſa, Regina Chriſti, progredere ſi quo amplius potes Chriſtumque ſpolia: jam non eſt unius pili ſpatium, quo progredi poſſis. Iam ergo Chriſtum relinque: & ad nos tranſi; noſq́; ad inſtar Chriſti tui & omnibus rebus, & ipſis inprimis nobis denuda.

4. *In alieno monumento ponitur:* ideo utiq́; *quia pro aliorum ſalute moriebatur. ut quid illi propria ſepulturà, qui in ſe propriam mortem non habebat.* Alienum hoc fuit opus ejus ab eo. Mori & pati; ergo etiam ſepeliri & ſepulchrum alienum eſſe par erat. Auguſt: Serm: 133. de Temp.

5. *Vt quid Chriſto tumulus in terris* (addit idem Auguſtinus) *cujus ſedes manebat in oculis? ut quid illi ſepultura, qui tridui tantùm temporis ſpatio, non tam mortuus in ſepulchro jacuit, quàm velut in lecto quievit.* Auguſt. ibid. Sicut ergo peregrinus ad hoſpitium divertens: & quieſcere per noctem de viâ volens: proprium lectum non quærit, ſed alieno utitur: ita Chriſtus, quaſi in tranſitu de viâ dormiturus, alieno in monumento ponitur.

6. *Alieno in ſepulchro poni voluit.* quia hæres in hoc mundo eſſe noluit. Olim enim qui ſepulchrum proprium habebant, hæreditatem habere dicebantur, JESUS qui totus cœleſtis patriæ civis fuit, & nos ſimiliter eſſe juſſit ne ſepulchrum quidem habere, niſi alienum ſuſtinuit. Innuens nobis ut nos peregrinos eſſe in hoc mundo non tantùm ſciamus, ſed etiam re ipſâ faciamus: faciamus autem ſi nos & quotidie ad diſceſſum hinc diſponimus, & de noſtri ipſorum curâ, ne tantùm quidem quantum eſt poſt mortem ſepultura apud nos retinemus. Vbi nos expectat Patria: ibi etiam noſtra fixa, noſtra ſepulta, & recondita ſint corda. Si cives ſanctorum ſumus: ergo & Sancti: quod ſi ſancti faceſſat à nobis cura ſepulchri: habemus enim veſpilonem ſanè meliorem: *Quia cuſtodit Dominus omnia oſſa ſanctorum ſuorum*, qui ne capillum quidem capitis noſtri perire facit.

7. *Alieno in ſepulchro deponitur JESUS.* Sunt qui alieno in ſepulchro poni probroſum & ignobile & moleſtum putant: in ſuo ſepeliri dulce decorumq́; arbitrantes: at Magiſter noſter non ſic, in ſuo noluit, imò nec illud habuit, in alieno voluit ſepeliri. Invenias profeſſorum perfectionis etiam Religioſæ non paucos, qui ſtrenuo animi propoſito DEo ſervire, pro DEo laborare, proximis prodeſſe: ſeſe intus & foris vincere, aliaque ſimilia his præclare bona agere & volunt & ſolent: verùm in his omnibus horumve pleriſq́; arbitrio ſuo & propriæ voluntatis regimine ducuntur. Quid faciunt hi aliud, niſi Chriſtum volunt in proprio non autem alieno condi ſepulchro? quid obeſt, ajunt, jam Chri-

jam Chriſtus meus mortuus eſt: nihil periculi eſt, eſto in proprio ſepulchro ponatur, eſto proprio ductu regar? At errant valde qui credunt eum Chriſtum mortuum eſſe, qui in ſuo vult, in alieno non vult poni ſepulchro? Valde vivit iſte Chriſtus, & à morte procul eſt, qui delectum ſepulchri facere & ſentire poteſt. Cadaver certè mortui hoc non ſentit: hoc non facit: ſed proinde (ut ſuis monſtrabat Beatus Franciſcus.) pallet in purpurâ, ut in vili linteo. Alienum ſepulchrum amat Chriſtus etiam mortuus: quia Religioſo viro, nulla ſecurior, nulla quietior vita, quàm quæ ex alieno pendet arbitrio. Et probatiſſima eſt illa perfectio virtutis, quæ propriæ minimum habet, totam ſeſe fingit ex arbitrio alienæ voluntatis.

8 Alii ſunt contra qui Chriſtum malunt ſepeliri in alieno, quam in proprio ſepulchro, qui magis zelant alienam ſalutem quam propriam: quaſi verò non etiam ipſis neceſſarius Chriſtus in ipſis ſepultus, quaſi non & ipſi alieni ſint? Omnibus dictum eſt. *Non eſtis veſtri.* Si ergo in ipſis quoq; fuerit ſepultus Chriſtus: non utiq; in eorum ſed in alieno ſepulchro erit ſepultus. 1.Cor: 6. 19

9. *Alieno in ſepulchro JESUS ponitur, & quidem in eo quod Ioſeph elaboravit.* Filius accreſcens Ioſeph, filius accreſcens. Ioſeph profectum ſonat, ſeu proficientem. Nullis manibus elaboratum ſepulchrum ita probat, ita diligit, ita exambit JESUS, ac illud, quod elaborat Ioſeph: profectus enim ſui ſtudioſam, creſcendi in charitate, in virtute, in gratiâ, cupidam Animam maximè diligit JESUS, maximè libenter, maximè perſeveranter incolit JESUS. Quæ anima maximè ob fervendi ſtudium ſibi inquieta eſt, hæc maximè Chriſto quieta eſt.

10. Sicut totum Paſſionis Dominicæ opus alienum fuit ab eo, teſte Prophetâ: ita etiam non mirum ſepulchrum quoq; alienum ei placuiſſe ac obveniſſe. Incarnari, naſci, pati, mori, alienum fuit à Chriſto, quidni & ſepeliri? Sicut mortem non fecit DEVS, ita neq; ſepulchrum condidit: non ergo mirandum quod alieno ſepulchro conditus eſt, quod ille cum totius mundi fabricam conderet fabricatus non eſt.

PARAGRAPHVS CLXXX.

JESV ſepulchro lapis magnus advolvitur. Matt: 27. 60.

A *Lapſa eſt in lacum vita mea: & poſuerunt lapidem ſuper me.* Thren: 3. 53.

Allatuſq; eſt lapis unus, & poſitus eſt ſuper os laci. Dan:6.17.

STROMATA

1. ERgo jam Ioſeph ultimam imponit manum pietati ſuæ Dominicæ ſepulturæ. *Et advolvit ſaxum magnum ad oſtium monumenti, & abijt.* Nimirum ut advolutione ingentis ſaxi, & eos qui auferre, & eos qui violare corpus Chriſti forſan tentarent. Erat verò id conſilium divinioris mentis: nam ſi non B fuiſſent, vel non tam magno ſaxo obſtructum fuiſſet ſepulchrum; tum verò ingenioſi hoſtes, mendaciorumq; figuli Iudæi, nullo negotio ſurrexiſſe Dominum negaſſent: ablatum verò à diſcipulis affirmaſſent. Sed moles ſaxi obſtruentis oſtium ſepulchri, obſtruxit etiam ora mendacii: quàm obſtructionem firmiorem, ac ſuæ mendacitati inviolabiliorem fecerunt, ſuâ cautâ prudentiâ illi ipſi quando non dubitarunt obſignare lapidem, & inſuper cuſtodiam apponere ſepulchri: ita & hic mentes manuſq; Iudæorum dum ſuo incumbunt ſceleri famulantur Salvatori. Matt:27. 60.

2. Qui ſepulturæ officium impendit Chriſto: advolvat magnum ſaxum oC ſtio: Magnum ſaxum profunda humilitas; magnum ſaxum, nunquam excidens charitas; magnum ſaxum in finem uſq; perſeverantia; magnum ſaxũ, amplius & amplius ſemper fervendi conſtantia. Hæc ſaxa advolvi Chriſti ſepulchro, virtutum ſcilicet ſtudio, ægerrimè fert diabolus, ſed ſuprà modum iis delectatur, & ſub eis libenter quieſcit, & ab eis immotis in æternitatem vitæ beatæ prodit Chriſtus: quare hæc talia ſaxa advolvenda ſunt, & ſignanda, & cuſtode jugi appoſito ſervanda ſemper.

3. Iſte Domini ſepulchro advolutus lapis *probavit mortem* (verba ſunt Sancti Petri Chryſologi) *& revolutus extitit reſurrectionis aſſertor. Beatus lapis qui Chriſtum* D *& revelare meruit & velare. Beatus qui non minùs corda aperit quàm ſepulchrum. Beatus qui dat Reſurrectionis fidem, fideiq; reſurrectionem, qui Divinam carnem reſurrexiſſe teſtatur. Mu-* Chryſol: Serm. 74.

LIIII

Digitized by Google

tur. Mutatur hic ordo rerum; mortem non mortuum devorat hic ſepulchrum; domus mortis, manſio fit vitalis; uteri nova forma, mortuum concipit, parit virum.

4. *Sepulti Chriſti monumento magnus lapis advolvitur,* Omen & divinatio quædam hæc eſſe videtur: Chriſtum enim lapillum parvum Daniel vidit, qui crevit in montem magnum & grandem: in hunc lapillum adhuc exiguum impegerunt Iudæi: & non ſolùm pedem offenderunt, ut claudicent in utramq; partem, ſicut Eliæ tempore, verùm prorſus contriti ſunt ab eo, tanquam ſtatua illa, quàm Nabuchodonoſor in ſomnis viderat caput aureum, &c. habentem contritionem eorum nunc uſq; intuemur, & exhorreſcimus: & quid faciet lapis iſte ubi creverit in montem? quando inquam veniet in nubibus cœli, in virtute majeſtate magnâ? At quid nobis & Iudæis? Si tam durum eſt judicium Iudæorum, qui in lapillum Chriſtum offenderunt: qui humilem & pauperem contempſerunt; quale erit Chriſtianorum judicium, qui in Chriſtum jam lapidem grandem, jam in montem magnum impingunt? Cæci Iudæi non viderunt lapidem parvum: ſtulti Iudæi qui ædificantes reprobaverunt lapidem politum: quàm cæci ſunt qui montem non vident? quàm veſani ſunt qui ædificium ipſum evertunt? Evertunt Hæretici, evertunt atheiſtæ, polytici, evertunt malè viventes Chriſtiani, ideo majus erit judicium eorum: & tolerabilius erit terræ Sodomorum quàm his &c.

Dan: 2.

A

5. Lapis advolutus ſepulchro Domini terminat crudelitatem, ſervit perfidiæ, injicit deſperationem, mortis canit triumphum; cinerem promittit, æternam perditionem indicit. Quem idcirco Angelus redivivo jam Chriſto revolvit, ſuperq; eum ſedit, ut fieret vas Angelicæ ſeſſionis, cathedra doctrinæ cœleſtis, & ſchola vitæ, & decantatio reſurrectionis, indictio ſpei, eliminatio incredulitatis, & abolitio mortis. Ita ſcilicet quandiu peccatores iniquitatis & impœnitentiæ ſaxum advolvunt monumento cordis, tamdiu eſt omnis deſperatio ſalutis: at ubi manu Angelicâ: hoc eſt Chriſti gratiâ elaborante lapis

B revolvitur per pœnitentiam, mox animæ ſalus emicat, & parturit reſurrectionem: fugatur mors, regnat vita; & ubi abundaverat antea peccatum, ibi poſtmodum abundat & gratia.

Ad M. D. Gloriam.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

1-6-3

Digitized by Google